

BULLARIUM
ORDINIS
FF. PRÆDICATORUM,
SUB AUSPICIIS
SS. D. N. D.
BENEDICTI XIII,
PONTIFICIS MAXIMI,
EJUSDEM ORDINIS,
OPERA
REVERENDISSIMI PATRIS
F. THOMÆ RIPOLL,
MAGISTRI GENERALIS,
EDITUM,
Et ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Dissertationibus, ac Tractatu de Consensu Bullarum, illustratum

A P. F. ANTONINO BREMOND, S. T. M.,
PROVINCIÆ TOLOSANÆ ORDINIS MEMORATI ALUMNO.

TOMUS PRIMUS
Ab Anno 1215 ad 1280.






ROMÆ MDCCXXIX.
Ex Typographia Hieronymi Mainardi
SUPERIORUM PERMISSU.

SANCTISSIMO
D. N. D.
BENEDICTO XIII
PONT. OPT. MAX.,
ORDINIS PRÆDICATORUM,

F. THOMAS RIPOLL,
Ejusdem Ordinis
GENERALIS MAGISTER.



DUM in Sede Apostolorum Principis collocatus, tuas omnes curas ac cogitationes publicæ saluti, splendorique Religionis, indefesso labore consecras, PATER BEATISSIME, Sanctitatis Tuæ *pedibus provolutus,*

opus iſtud offero; multis certe nominibus Beatitudini Tuæ *jam debitum.*

Tuum eſt, præſertim cum referat illa Diplomata cedro digna, quibus, velut adamantinis vinculis, Prædicatorum familiam ſibi Tua Sanctitas *æternum devinxit.*

Tuum eſt, B. P., *quem non filium modo, ſed etiam Patrem, & Protectorem vigilantiſſimum, ſibi Divina providentia datum fuiſſe (1), dilectiſſimus Ordo merito gloriatur.*

(1) Bulla quæ incipit - Pretioſus - §. LXXXI.

Tuum eſt, quia tibi præcipue, & ideo tibi uni debetur, quod dudum Ordini conceſſa reſtituiſti.

Hoc erat in votis jam diu, ut ſumma erga Tuam Beatitudinem *obſervantia mea, tuique Prædicatorum Ordinis, publico, perennique monimento conſecraretur. Ambiebant hæc Diplomata patrocinium* Sanctitatis tuæ: *verum quæ langueſcere videbantur, vix audebant, vix poterant in apertam lucem prodire. Nunc eſt, quod miram quandam adeundi tui alacritatem illis addiderit, ad auctoritatis priſtinæ ſpem tuo munere revixiſſe. Hinc faciles ad te aditus ſperat opus iſtud Auguſtiſſimo* Sanctitatis Tuæ *nomini nuncupatum.*

Sed eſt aliud, quo Beatitudinem Tuam *præ ceteris jure quodammodo ſuo ſibi vindicat*

Me-

Mæcenatem. Ex acerrimis enim illis Ecclesiasticæ libertatis assertoribus, Stephano III, S. Paulo I, Cæleſtino III, *&* Nicolao III, *quibus* Urſina *gens ad omnem posteritatis memoriam propagatur, unus est, fidissimus nempe custos, & auctor pacis inter Reges Catholicos initæ*, Nicolaus III, *cujus ardor in propugnanda Religione, zelus in vitiis & erroribus debellandis, pietas in Deum, erga Majores nostros immortalis beneficentia, hoc in primo Volumine celebrantur. Ex quadraginta Cardinalibus amplissimis, ex antiquissima tua prosapia oriundis, plures ibidem recensentur, laudantur. Ex uno & viginti, quos inter Cælites referunt Annales Ecclesiastici, tuus ille, & noster*, B. Latinus *immensis laudibus cumulatur; &, ut alios taceam, de Virgine mirabili* B. Margarita, *Hungari Regis filia, scriptum est (2), quod* tot & tanta miracula operatur, quod ipſius inter ceteros non invocare ſuffragia ſit indignum.

Ne Natales tuos videar jactitare, & Urſinæ *gentis, post hominum memoriam ex omnibus Patriciis clarissimæ, decus in memoriam revocem, nihil hoc loco dicam de* Bertoldo Urſino, *cujus hoc in opere mentio fit*. Seculi homines ſuſpiciunt eos, qui his pollent privilegiis, nos, *Hieronymo duce (3)*, laudamus, qui pro

Salva-

(2) Conſtitut. IV Innocent. V pag. 544.

(3) Epiſt. XXVII.

Salvatore ista despexerint. *Ornentur igitur alii mortuorum virtute: qui propriis abundas, non indiges alienis; ipsis plus lucis attulisti, quam acceperis. Hoc uno nomine Tibi gratulabor, quod viceris mundum. Vicem nostram lætabor, quod Prædicatorum familiæ nomen dando, nuncium rebus perituris remiseris.*

Aliud est, B. P., *quo de singulari* Sanctitatis Tuæ *voluntate sibi prolixe pollicetur hocce Bullarium. Prædecessorum Tuorum refert Oracula. Ea tanquam de Cælo nobis allata, ut par erat, excepimus. His ipsis parens sancta, Christianæ Religionis Caput, omnium Ecclesiarum Magistra, columna, fundamentumque veritatis,* Romana *Mater Ecclesia, Majores nostros docuit. His illos Heroes illustravit, quorum multitudo fidem jam superaret, nisi Sedes* Petri, *unde totus mundus haurit decreta Fidei, immortalitati amplissimis monumentis ipsorum nomina commendasset. His Ecclesiæ propugnator, assertor Fidei, hæresum infensissimus hostis, ac victor,* S. PATRIARCHA DOMINICUS *summis laudibus celebratur. His Angelus ille inter homines* S. THOMAS, *quo non tam Ordo, quam Orbis splendet, exquisitis præconiis ad cælum effertur: &, ut paucis plura complectar; Quam præclare gesta, quæ de ceteris Fratribus nostris*

hoc

hoc in opere referuntur! Quam mira, quæ de Te, Beatissime Pater!

Divinam admirari providentiam licet in his, quæ de FF. Prædicatoribus hujus voluminis, & sequentium, Diplomata narrant. Religionem Catholicam ab ipsis defensatam, illustratam, & ubique terrarum propagatam fuisse: omnes Evangelici operarii partes impigre obiisse: erroribus, vitiisque sylvescentes, non Europæ *modo, sed* Asiæ, Africæ, & Americæ *campos excoluisse; Vitæ veræ, ac salutis expertes, nationes quantumvis dissitas, ad Christi Fidem ab iisdem vocatas esse: Apostolicæ Sedis invicta jura ore, calamo, manu, prece, minis, sanguine suo vindicasse, asservisse, perhibent. Hic spectatissima, perennisque FF. Prædicatorum fides erga S. Sedem, per ipsam grata beneficentia, & immensis præconiis ornatur. Quot pericula exhauserint, quot in locis inclinatam pietatem erexerint, quot errorum tenebras FF. Prædicatores dispulerint, recensent. Quam feliciter in hæresibus evertendis, in antiquis SS. Pontificum, Conciliorum, Patrumque sententiis statuendis, ab ipsis continuus collocatus sit labor, testantur.*

Diu enim, & magna mole, pugnarunt in hæreticos; & ubicumque feralis discordiæ faces hæresis excitavit, licet armata ferro plerum-

que

que volitaret, laboranti tamen Religioni omni ope semper subvenerunt Athletæ Fidei (4). *Christi Milites armis Evangelicis impios debellarunt, & quæ docebant, proprio sanguine, læti sæpe sanxerunt. Hi sunt de quibus dicitur* (5) Mori pro Christo diligunt, & pati pro justitia delectantur.

(4) Innocent. IV Constitut. CXX pag. 158.

(5) Ibidem.

Mitto cetera, quæ, ut ista monimenta vetustatis loquuntur, FF. Prædicatores commodis omnium & utilitatibus servientes, præterquam suis, in rem totius Ecclesiæ fausto exitu sæpius peregerunt; sed illorum commendationem cum Tua, B. P., *conjunctam esse, clamant ipsa Diplomata. Quasi digito monstrant, quibus initiis excitatæ sint laudes, quas nunc summis in rebus omnium calculo Tibi concilias; testantur, quam longe, lateque brevi pervaserit Tuarum fama virtutum; docent, quod* Clemens X *Sacram Purpuram Tibi vix annum XXIII egresso deferens, homini, non generi, moribus, non Majoribus, virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati, illam concesserit.*

Nulla tam sera posteritas obliviscetur, nulla non demirabitur, quæ de Sanctitate Tua *prædicant Ecclesiæ* Sipontina, Cæsenatensis, & Beneventana. *Quod ejusdem existimationis fueris apud Prædecessores tuos Summos Ponti-*

fices,

fices, testes locupletes sunt aurea Diplomata, quibus hoc opus illustratur.

Hic mihi ante oculos obversatur splendidissimus Benedicti XIII *Pontificatus, qui me ad se rapit, illa prætermittere cohortatur. Illibatas tamen aliis tuas laudes relinquo,* B. P.; *Dicent, quod vindex es libertatis Ecclesiasticæ, cultor Sacrorum Canonum, defensor Templorum, subsidium afflictæ Ecclesiæ, præsidium bonorum, Sacerdos Magnus, qui factus est reconciliatio, oppressit bella, lites extinxit, discordias sedavit. Quid ego ea, quid tot alia, quibus uno consensu, una voce, uno orbis terræ testimonio æterna in laude versaris, commemorarem? Quid ea prædicarem? Tam excelso loco sita est virtus Tua, ut vana præconiorum respuat ornamenta, & humano fastigio celsior, nostris laudibus nec crescere possit, nec delectari. Ea gessisti,* B. P., *quæ, cunctis etiam nobis tacentibus, loquuntur. Te mortuo vivent. Sospitem & incolumem* Sanctitatem Tuam *Deus Optimus Maximus diu servet ad Ecclesiæ suæ, ad Ordinis tui decus, & ornamentum.*

In Dei Filio sibi dilectis RR. Adm. Patribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum.

FR. THOMAS RIPOLL,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,

Ac ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis, & Servus,
Salutem, & Religionis Splendorem.



D regimen totius Ordinis, nullis licet nostris meritis, sed solius divinæ miserationis beneficio assumpti, nihil magis cordi habuimus, Fratres in Christo dilectissimi, quam ut Bullarium ejusdem nostri Ordinis tandiu expectatum, sed hactenus retardatum, in totius literariæ Reipublicæ commodum, nostræque Religionis ornamentum, incunctanter evulgaretur. A pluribus annis, ut vobis compertum est, ex quo scilicet Reverendissimus Pater fel: rec: Fr. Antoninus Cloche Prædecessor noster, sibi nos in Socium delegit, provinciam hanc de mandoto ejusdem Prædecessoris lubenti animo suscepimus, ut tandem aliquando, quod a tot Capitulis Generalibus super hac re præscriptum fuerat, executioni mandaretur; nec profecto per id tempus laboribus, studiis, & impensis pepercimus, ut ex omnibus Conventibus vetera colligeremus monumenta, quibus Opus hoc, ut par erat, fuit undequaque numeris absolveretur.

Cum itaque, Deo dante, plurima, etsi non omnia, quæ a Summis Pontificibus in gratiam Ordinis nostri concessa sunt, diuturno studio congesserimus, ne ipsa non sine gravi sapientissimorum virorum querela, diutius laterent, æquum duximus, eadem publici juris facere, ut omnium vota impleantur, totique Ordini novum decus accedat. Curavimus autem, ut singulis Diplomatibus Notæ aliquæ adhærerentur, quibus ipsa in præclaro lumine collocarentur, additis insuper juxta rerum exigentiam quibusdam Dissertationibus, ut quæ occurrunt dubia dissolvantur.

Quam feliciter id præstiterit R. A. P. Magister Fr. Antoninus Bremond, Provinciæ nostræ Tolosanæ alumnus, cujus curæ & studio tantum opus perficiendum commisimus, ex lectione ejusdem Operis nullo negotio dignoscitur, & comprobatur. Huic Religiosissimo viro, pietate ac eruditione conspicuo, hæc juremerito tribuenda laus est, quod in commune bonum totius Religionis per quatuor ferme annos, tam gravi, tamque improbo labori se se totum dicaverit, ut Opus hoc ad felicem exitum perduceretur.

Ceterum, Fratres dilectissimi, cum plura adhuc desiderentur antiqua Diplomata, quibus Summi Pontifices Ordinem nostrum decorare dignati sunt, hortamur vos, ut memores eorum, quæ in nuperrimo Capitulo Generali Bononiensi Ordinatione tertia sancita sunt, procul acta omni segnitie, manus vestras pro iisdem colligendis quantocius conferatis. Notate in primis, si apud vos aliqua reperiantur monumenta, quæ in hoc primo Tomo descripta non fuerint, eademque intelligibili charactere exarata ad nos transmittite, ut illa, dum supplementum conficietur, superaddere valeamus: quoad alia vero, quæ ad subsequentes Pontifices spectant, satagite, ut summarium conficiatur omnium Bullarum, Brevium, & ceterorum Diplomatum in unoquoque Conventu existentium, notando duntaxat nomen Pontificis, initium Bullarum, cum brevi enarratione contentorum in ipsis, & denique annum, quo fuerint expeditæ, illudque similiter ad nos transmittite; tunc enim, si quæ nobis defuerint, vos monitos faciemus pro iisdem transcribendis, ne quidquam in sequentibus Tomis valeat desiderari.

Agite igitur, Fratres in Christo perdilecti, & vos urgeat Sanctissimi Ordinis amor, in quo vos dedisse nomen gloriamini. Agant omnes pro sua quisque parte & exiguum saltem tempus aliquod pro Ordinis gloria impendere non graventur, ut quod a nobis tam feliciter inceptum est, ad optatum finem perducere possimus. Valete, Nostri, ac sociorum vestris in orationibus memores. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die X Junii MDCCXXIX.

Fr. Thomas Ripoll.
Magister Ordinis.

Reg. fol. 53.
Fr. Dominicus Ponsi.
Magister, Exprovincialis, & Socius.

PRÆFATIO.

I. Uanta ſit Pontificiorum Diplomatum dignitas, quanta præſtantia, Catholicorum neminem fugit. Hinc ardens illud eruditorum ſtudium, qui certatim varias obeunt regiones, Bibliothecas luſtrant, revolvunt ſcrinia, ut ſuas hoc epularum genere mentes paſcere queant. Avaritiæ genus eſſet, his oraculis Ordinem FF. Prædicatorum perfrui, ſaginari, diteſcere, & in commune commodum illa non conferre. Id ſane culparent omnes,& jure quidem ac merito; non enim ſibi ſoli, ſed etiam, atque adeo multo potius aliis natus eſt Ordo noſter. Hinc alias, nec ſemel, opus iſtud ſuſceptum; ſed immenſam rerum ſylvam videntes, tot Diplomata deſiderari, exploratum habuere ſodales,ut, vel incepto, inviti licet, abierint, ne ſupra vires molirentur; vel nonnulla duntaxat, quæ nacti fuerant, evulgarint. Pontificiorum Diplomatum dignitas.

II. Eos inter recenſentur FF.*Albertus Caſtellanus*,*Stephanus Uſuſmaris*, & *Antonius Gonzalez de Acuña*.Floruit *Albertus Caſtellanus* circa finem *XV*, & ſub initia ſequentis *XVI* Seculi. Jam ab annis XX provinciam examinandi,& emendandi libros, qui publicam in lucem prodire deberent, ſibi a Magiſtris totius Ordinis,*Joachimo Turriano*,& *Vincentio Bandello*, demandatam obierat, ut ipſe teſtatur, cum anno *MDVII* Conſtitutiones Ordinis,& *CXVIII* Bullas publici juris fecit. Anno *MDVI* Idibus Octobris eadem *CXVIII* Diplomata jam divulgaverat typis *Lazari de Soardis*. Et hæc eſt prior illa editio Bullarii *Caſtellani*, qua non ſemel uſus ſum initio hujus primi Voluminis. Auctior eſt alia, quam poſtmodum laudavi. Prodiit *Venetiis* apud eundem *Lazarum de Soardis* die *II* Menſis Novembris Anno *MDVIII*. Ibi primo reperiuntur Diplomata Pontificia, quibus Congregatio *Lombardiæ* donata fuit, dein alia CLXIII, quæ toti Ordini conceſſa ſunt, exſcribuntur. *F. Stephanus Uſuſmaris* ab annis duobus ad ſupremum Ordi- Bullaria FF.Prædicatorum jam edita.

Ordinis regimen vocatus erat, cum anno *MDLV* aliud emisit Bullarium, cui Titulus: *Privilegia per complures Summos Pontifices Ordini Fratrum Prædicatorum concessa, & communicata, non quidem omnia, sed ea tantum, quæ ex archetypis, aut eorum authenticis transumptis haberi potuerunt: jussu, impensis, & opera Reverendissimi Patris Fratris Stephani Ususmaris Genuen., ejusdem Ordinis Magistri Generalis, transumpta, & impressa, & per R. P. D. Auditorem Apostolicæ Cameræ authenticata.* Numero quidem pauca, sed omni, qua par erat, cura typis impressa sunt hæc privilegia, publica fide comprobata. Laudabile studium FF. *Alberti Castellani*, & *Stephani Ususmaris* æmulatus F. *Antonius Gonzalez de Acuña* majus opus adorsus fuerat anno *MDCLXX*, sed cum innumera pene Diplomata deesse videret, ne frustra niteretur, Summarium Privilegiorum duntaxat edidit.

Istud debetur diligentiæ Reverendissimi P. *Thomæ Ripoll* Mag. Gen. Ord. Prædicator.

III. Quod nunc prodit in lucem Bullarium, bene fortunante Deo, suis numeris, & partibus absolvendum, diligentiæ *Reverendissimi Patris F. Thomæ Ripoll*, Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, acceptum referatur; quicquid enim præ manibus est, id totum maximis ipsius impensis, id ipsius assiduo labori tribuendum. Hoc certe dico, quod ipsummet opus indicat. Verum enim vero fuisset ne mearum virium, ab annis tribus tria circiter millia veterum monumentorum, quibus instructus sum, ex toto, qua late patet, terrarum orbe, colligere? Adfuisset quidem prompta voluntas, verum, tenuitatis meæ conscius ingenue dicam, facultas defuisset. Per annos viginti in his Diplomatibus aggerendis, & prælo maturandis, is ipse desudavit, vir ad decus Ordinis nostri natus, quem semel appellavi, *Reverendissimus P. Magister Generalis F. Thomas Ripoll*. In id quantum laboris exhaustum sit, non dico, res ipsa loquitur. Eo certe immenso immensas ab omnibus promeretur laudes. Ad hæc incubuerat, cum tandem Præsidis Apostolici *Reverendissimi P. M. F. Angeli Gulielmi Moli*, Procuratoris totius Ordinis, pietate, doctrina, rerumque gerendarum peritia nulli non noti, de omnibus optime meriti, læta vox intonuit, qua, cunctis plaudentibus, supremus Ordinis moderator *Reverendissimus P. F. Thomas Ripoll* renunciatus

fuit *Bononiæ* die XIX Maii MDCCXXV. Paternis jam districtus curis, Fratrum occupatus negotiis, ad majora vocatus, cum sibi non liceret ex tot negotiorum fluctibus emergere, ut hanc, arduam licet, provinciam susciperem, dedit in mandatis. Is fuit animus amantissimi Patris; jussit idem Reverendissimus Ordinis Magister, imperium certe detrectare non potui. Fateor: Ipsius me voluntas commovit. Quare mirantibus audaciam meam, ita responsum velim, eo summo viro suadente, ipso auctore, me ad hoc opus descendisse. Magnum onus, sed dignum in quo omnes nervos ætatis pro virili contenderem.

Dum typis editur, illud legere dignatur S. Pontifex *Benedictus XIII.*

IV. De alio, qui tantum virtute ceteros antecellit, quantum ab iis suprema dignitate recedit, vereor, ne arrogantis sit dicere; ingrati tamen esset tacere. Ea est ingenii amplitudine Summus Pontifex BENEDICTUS XIII, Ordinis Prædicatorum alumnus, tanta pollet eruditione, ut licet unus omnia curet Ecclesiæ negotia, dum veterum opera indefesso studio vorat, recentiora cuncta scrutetur: & quasi totus esset in literis, cujusque scripta penitus recognoscat. Id fuit felicitatis meæ. Cum enim vix subjecto prælo impressa folia legerit doctissimus Pontifex, ea fuit humanitate, ut me doctrina sua locupletarit. Quid plura? Qua est scientiarum altitudine, quæ scribenda forent, prospiciens, ne errarem, sæpius præcavebat. O me felicem, qui tanti viri oracula toties excepi!

Pontificiorum Diplomatum divisio. *Bullarum*, & *Brevium* definitio.

V. Hic omnis ratio facti, & hujus operis consilii, ut moris est, exponenda foret, sed amicorum calculo victus, quædam præfabor de Pontificiis Diplomatibus. Hæc porro si persequi, & enucleate perpendere laborarem, justi voluminis res esset; pauca indicasse, sat erit: ita enim solide, sic accurate pertractarunt hanc materiam eruditus Cardinalis *Petra* (*a*), & clarissimus *Mabillonius* (*b*), aliique quos isti laudant, ut ceteris hac de re scribendi, amplissimum otium fecerint. Non igitur id, plerumque, sum dicturus, quod ego invenerim, sed quod illos non fugerit. Nec in iis, quæ vel conjectura consequi potui, vel experientia didici, mihi sumo, ut plus ipse noverim, quam ceteri scriptores, sed cum *assiduus usus* (*c*) *uni*

rei

(*a*) *In Commentariis ad constitutiones Apostolicas.*
(*b*) *De Re Diplomatica Editione II.*
(*c*) *Cicero Oratione XXXVI pro Cornelio Balbo.*

rei deditus, *& ingenium*, *& artem ſæpe* vincat, fieri potuit, ut novis exemplis, vel ceteris id genus, augerentur ipſorum placita. Hinc quid ipſe ſentiam, identidem paucis exponam.

Pontificia Diplomata trifariam dividit *Petrus Rebuffus* (*d*) in *Privilegia*, *Mandata*, *Reſcripta*. Reſcripta diſtribuit in *Reſcripta gratiæ*, & *Reſcripta juſtitiæ*; utraque ſecat in varias ſpecies *Signaturæ*, *Brevium*, *Bullarum*. De Bullis, & Brevibus hic dicendum; de vivæ vocis autem oraculis, ceteriſque S. Sedis reſcriptis alias differetur.

Ab orbicularis formæ ſigillo plumbeo Pontificias Literas *Bullæ* nomen obtinuiſſe, inter omnes video convenire. Eſt igitur Bulla Pontificia, *Summi Pontificis Litera ſigillata plumbo*. Hinc extra *Italiam* fallitur vulgus; Quicquid enim a Sancta Sede recipit *Bullam* nullo diſcrimine nuncupare ſolet. Impegit in hunc errorem *Papebrochius* ipſe. Id ingenue fatetur vir eruditus (*e*). *Neceſſe*, inquit, *habeo excuſare*, *quod nomine Bullæ indifferenter*, *& more vulgi*, *uſus ſum in Decretis*, *Reſcriptiſque Pontificiis appellandis*. *Quamvis enim non ignorarem*, *in rigore verborum*, *aliud eſſe* Bullam, *aliud* Breve, *aliud* Motum proprium, *atque notabilem*, *& multiplicem intercedere inter ea differentiam*, *hanc tamen neſciebam aliquomodo ſpectare ad rationem temporum ineundam*, *& ideo non putavi mihi diſtinctionem aliquam hic faciendam*, *ſicut nec in* Bullario *fecerunt ejus compilatores*, *ſic illud appellantes*, *quamvis in ea collectione multo plura* Brevia *ſint quam* Bullæ *ſtricte dictæ*. Hoc opus & ego *Bullarii* titulo donavi, licet in ipſo *Brevia* permulta deſcripta ſint. Id factum volui, ut a parte nobiliori, nuncupatio foret.

Breve ſic a *Rebuffo* (*f*) deſcribitur: *Scriptura modica in parvis conceſſa negotiis*, *quæ indifferenter in papyro*, *vel in membrana ſcribi ſolet*; *cera rubea*, *aut viridi*, *annuloque Piſcatoris ſigillata*, *& ſigno ſecretarii ſubſcripta*. In quo peccet hæc deſcriptio, nihil moror: Arridet alia, quæ legitur apud Eminentiſſimum Cardinalem *Petram* (*g*): *Breve illud dicitur*, *ubi*

(*d*) *In Praxi Benef. Tit. Different. inter Privilegia, reſcripta, & mandata.*
(*e*) *Propylæo Maii Parte I Appendice III pag. 214.*
(*f*) *Loco Laudato.*
(*g*) *Commentar. ad Conſtitution. Apoſtolic. Tomo I Proœmial. §. II num. I pag. 5.*

ubi non apponitur ſigillum plumbeum, ſed in eo ſignum fit ex cera rubra cum ſigillo quodam, qui dicitur Anulus Piſcatoris. Arridet, inquam, hæc deſcriptio; ſed, ut ibidem (*b*) notat Eminentiſſimus ille, *eſt & aliud Brevium genus, & ſunt illæ literæ, quæ ſolent expediri pro delegationibus cauſarum extra Curiam. . . . Brevia S. Pœnitentiariæ, quæ diverſam ab his habent formam, ſigillum, & Miniſtros*, ceteraque non abſimilia, de quibus hic non dicam, cum mei non ſit inſtituti.

Obſervat idem Auctor (*i*) Brevia *in papyro, ſeu membrana ſubtili, & alba*, Bullas (*k*) *in membranis rudibus* exarari. Latine ſcribi *Bullas* extra controverſiam eſt: Immo *ſi in Bulla non ſervaretur idioma latinum. . . . . eſſet ſuſpecta*, ut inquit Cardinalis *Petra* (*l*), quem ſæpius citabo, delectat enim me hominis gravitas, ſcientia juris, auctoritas. *Verum ſi conſtaret de voluntate Papæ, nulla cadit difficultas, ut obligaret, quia in hoc nulla adeſt lex contraria, & quatenus adeſſet, ſubjiceretur diſpoſitioni Pontificiæ, ſed quia non ſupponitur, Papam receſſiſſe a ſtylo, ideo ille conſulendus* foret, ſi proderent *Bullam* Pontificiam idiomate vulgari conſcriptam.

De Stylo *Bullarum, & Brevium.*

VI. Quod ſpectat ſtylum Bullarum, & Brevium; elegans licet, & majeſtatem loquentis plerumque redolens, in formulis tamen juris, ac ceteris id genus, ſalebris reſperſus videtur. *Sunt, quos ſalebroſus ejuſmodi ſtylus offendit*, inquit Mabillonius (*m*), ... ſed *ut ſuus unicuique arti idiotiſmus conſtat, ſic etiam rei Diplomaticæ ineſt proprius loquendi modus . . . . . plus delectat nativa illa rerum varietas, quam affectata in loco peregrino elegantia*. Placet eruditi viri ſententia; nihil enim venuſtius vocabulis, quibus Eccleſiæ lumina res arcanas nos docuere. Monſtroſus ſermo ſi res pietatis impiorum verbis tractaret. Sed, age, penitius id excutiamus: piaculum admiſſum creditur, ſi vocabulis novis in conſcribendis Bullis utantur; Id barbarum vocant. At ſi barbarum habeatur quicquid eſt recens natum, nulla vox non fuit aliquando barbara, ut inquiebat auctor Dialogi Ciceroniani. *An hoc dubium eſt*, inquit ipſemet Cicero (*n*), *quin neque verborum* tanta

(*b*) *Numero XI pag.6.*
(*i*) *E. Cardinal. Petra loco citato §. II num, I pag.5.*
(*k*) *Idem ibidem num. XVIII pag.6.*
(*l*) *Ibidem § III num. XXVIII pag.13.*
(*m*) *De re Diplomatica Lib. II Cap. I num. I.*
(*n*) *Oratione XII pro A. Cecinna.*

tanta copia ſit, non modo in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops, ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis ac propriis vocabulis nominentur; neque vero quicquam opus ſit verbis, cum ea res, cujus cauſa verba quæſita ſunt, intelligatur: & clarius alibi (*o*) *Neque enim*, inquit, *eſſe poſſunt rebus ignotis nota nomina: ſed cum verba aut ſuavitatis, aut inopiæ cauſa transferre ſoleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut cum id appellandum ſit, quod propter rerum ignorationem ipſarum nullum habuerit ante nomen, neceſſitas cogit, aut novum facere verbum, aut a ſimili mutuari.*

In omnibus hoc fit artibus, & in ſcribendis Pontificiis Diplomatibus non licebit? Ineptum ſit aliter velle loqui, quam vel ipſa res poſtulat. Hæc dicta vélim, non ut vitio vertam laudabile nonnullorum conſilium, qui totis nervis adnituntur, ut priſci ſermonis integritas incorrupta ſervetur: laudo conatum: ſed eorum non ferenda temeritas, qui vel hoc nomine veneranda Diplomata ſuis nugis contaminant, vel quicquid in his offendunt a ſuis legibus alienum atro calculo notant. Laudi duco, maculas ab exemplaribus ita eluere, ut cuique ſua genuina ſinceritas reſtituatur. *Quotidie magis intelligo*, verba ſunt Mureti (*p*), *verum eſſe id, quod ſemper exiſtimavi, nullam eſſe mendam ita puſillam, quam non permagni interſit e veterum monimentis tolli, ac corrigi, neque ullum hominum genus magis prodeſſe ſtudiis, quam eos, qui accurate, & fideliter, operam in illis purgandis, emendandiſque ponunt; unius enim literulæ erratum, interdum eas, etiam hominibus eruditiſſimis offundit tenebras, ut, tanquam in illuni nocte errantes, quovis potius perveniant, quam quo volunt.* Ergo gloriæ tribuendum ſi ſtudioſorum laborem ſuo quis minuat. Sed caveat, ne vulnus augeat, dum totis viribus agitat, ut ſanet: attendat, ne ſpecie corrigendi, Manuſcripta corrumpat. *Id ſæpe iis contingit*, inquit Mabillonius (*q*), *qui ſolo ingenii ſui ductu, ſolaque ſagacitate veteres libros ex meris conjecturis emendare volunt.* In his hæret hæc culpa qui Autographorum verba, quæ mendoſa putant, vel non intelligunt, mutant.

Hi

(*o*) *De Oratore*.

(*p*) *Variar. Lection. Lib. VIII. Cap. IV.* Extant in *Theſauro Critico Gruteri Tomo II.*

(*q*) *Supplement. de Re Diplomatica Cap. XIII num. VIII.*

Hi ſunt, inquit Paulus Manutius (r), *quorum aures imperitæ antiquam, non tamen ſatis uſu pervulgatam loquendi rationem* non ferunt. Quam belle magnus ille *Laurentius Valla* ſciolos iſtos plautino ſale defricat in *Elegantiis de Lingua Latina*, ubi, de quibuſdam Grammaticæ profeſſoribus loquens, ait (s): Horum *nihil eſt ſupercilio ſuperbius, nihil quoque improbius, & ad emendandos libros, vel corrumpendos potius magis audax*. Liceat Grammaticorum Principi gentem ſuam verbis durioribus excepiſſe, non immerito queritur.

Invenies etiam nonnullos, qui præcedens ut vitent vitium, in contrarium currunt, omnem lapidem nitidum adorantes, ut dici ſolet. De iis loquor, quibus genuina a ſuppoſititiis inſtrumenta diſcernere religio eſſet: qui nihil laborant, vera ne ſint, an falſa, vitiata, vel integra: qui nulla ſuſpicione offenſi, nec ad lituras animum transferunt, nec tabulas audiunt, quæ ſe corruptas, ac interlitas eſſe, clamant: qui nec vident cetera id genus Autographorum vulnera, nec manum legitimam a falſaria diſtinguere norunt. Exquiſiti ſane judicii ſit, oportet, qui de his ſententiam ferre voluerit. Rem arduam molitur. Ipſi auctor ſum, ut non imitatur prudentiæ ſuæ. Sibi diffidat. Nec incertas criticæ leges ſecutus præpoſtere agat, ſed oraculum petat. Subventum eſt enim fallacibus noſtris judiciis. Quid ſit agendum præfiniere Summi Pontifices. Hos audiat, ne erret. Sed de his alias. Opus enim iſtud ad certas leges exegi, *Numer. XXVIII &c.* deſcribendas.

De *Bullarum*, ac *Brevium* charactere, & hujuſce Bullarii orthographia.

VII. *Charactere latino, nitido, eleganti, ac intelligibili*, Brevia exarari, ſecus vero Bullas, notat Eminentiſſimus Cardinalis *Petra* (t), & experientia docet.

Ceterum hic admonitum velim lectorem, quod exotica quandoque videbitur, nec una & eadem erit ortographia hujus Bullarii. Cum enim ortographia conſuetudini ſerviat, ideoque ſæpe mutata ſit, ita congruunt literæ literis, quas exſcripſi, ut ubi Autographum præ manibus fuerit, illius ſcribendi modos, priſcos licet, & obſoletos, omnes expreſſerim; ubi vero exempla, ſeu copias, ut vocant, tranſcripſi, ortographiam

 mihi

(r) *Commentar. ad II Epiſtolam lib. III.* Extat cum *Epiſtol. Ciceron. ex editione Gravii Tom. II.*
(s) *Lib. II Cap. XXXVIII.*
(t) *In Commentar. ad Conſtitution. Apoſtol. Procemiale* §. *II num. I, & XVIII Tom. I pag. 5. & 6.*

mihi magis probatam, adhibui. Ad virgulas, ut loquuntur, incisum nempe, quod attinet, in hoc, fateor, ab Autographis discrepat hoc Bullarium, licet enim desiderentur in illis, ut nemo nescit, adhibita tamen hæc incisa volui claritatis ergo. Eadem de causa Accentibus utebar olim, &, ubi verborum ambiguitas vitanda erat, usus sum ad *paginam* usque 49, sed & ipsos, ut servirem consuetudini, postea missos feci.

S. Gregorius auctor est hujus formulæ: *Servus Servorum Dei*: Antiquius est nomen: *Papæ*.

VIII. In prima statim fronte Bullarum, *Servus Servorum Dei*, Summus Pontifex nuncupatur. Id pro veteri consuetudine fit, & mos adeo inolevit, ut si hæc formula deesset, Bulla suspecta foret (*u*). Hujus tituli parens est *S. Gregorius*, ut enim refert *Johannes Diaconus* (*x*), eo proterviæ venerat Patriarcha *Constantinopolitanus*, ut Universalis Ecclesiæ Episcopi nomen sibi arrogaret. Ipsius ergo fregit audaciam Sanctus *Gregorius* eo humilitatis exemplo, quo se: *Servus Servorum Dei*: professus est. Antiquius est nomen *Papæ*. Olim in Pontificiis Diplomatibus usitatum fuisse, nullus inficiatur, nunc in Brevibus adhibetur hoc modo:

BENEDICTUS PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM. Ut dilecti filii Fratres Ordinis Prædicatorum &c.

De inscriptione *Bullarum*, & *Brevium*.

IX. Qualis sit inscriptio Pontificiorum Diplomatum, docet *Innocentius III Libro V Decretal. Tit. XX Cap. VI*, ubi hæc habet: *Nos vero literas, quæ tibi sub nostro nomine præsentatæ fuerunt, diligentius intuentes, in eis tam in continentia, quam in dictamine deprehendimus falsitatem; ac in hoc fuimus admirati, quia tu tales literas a nobis credideras emanasse, cum scire debeas, Apostolicam Sedem consuetudinem in suis literis hanc tenere, ut Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, FRATRES, ceteros autem, Reges, Principes, vel alios cujuscunque ordinis, FILIOS, in nostris literis adpellemus.* Patriarchas igitur, Archiepiscopos, & Episcopos FRATRES Summus Pontifex vocat in suis literis, ceteros omnes, Reges,

Princi-

(*u*) *Cardinal. Petra citatus Tomo I pag. 147 num. IV ex Barbosa in Procemial. Decret. num. XV.*

(*x*) *In Vita S. Gregorii Lib. II Cap. I.*

Principes, vel alios cujuſcunque ordinis, etiam Eminentiſſimos Cardinales, *FILIOS* nuncupat. Sacro tamen Collegio Purpuratorum ſcribens, ipſos *FRATRES* appellat. Reges *Cariſſimos filios*, & *Reges illuſtres* vocitat. Mulieres *Dilectas in Chriſto filias* nominat. Sic Catholicis inſcribuntur Diplomata Pontificia, hæreticis vero, ſchiſmaticis, infidelibus, hebræis, & ceteris id genus ſcribens Summus Pontifex, nec adhibet hanc formulam, nec ſalutem dicit, ſed ſic legere eſt: *Palæologo illuſtri Imperatori Græcorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro ...... Patriarchæ Græcorum ſpiritum gratiæ ſalutaris ...... Raymundo filio nobilis Viri Raymundi quondam Comitis Toloſani ſpiritum conſilii ſanioris ...... Guillelmo de Sancto-amore in bonum dirigere greſſus ſuos ...... Viro illuſtri & magnifico Principi in gente nobili Tartarorum Elchani Apacha in præſenti gratiam Creatoris, & in futuro gloriam obtinere ...... Viro illuſtri N... gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro ...... Moyſi ſanioris conſilii ſpiritum ..... Univerſis & ſingulis utriuſque ſexus hebræis in alma Urbe commorantibus viam veritatis agnoſcere, & agnitam cuſtodire*. His, & ſimilibus utitur Chriſti Vicarius, errantes ſuis literis cohoneſtans.

X. In quem modum Catholicos Summi Pontifices ſuis in Diplomatibus olim ſalutarint, docet *Mabillonius* (y). De priſcis illis formulis ipſum conſulas velim: hæc uſu quotidiano recepta. *Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem*. Adhibetur autem cum in *Brevibus*, tum in *Bullis*. Id omnes exploratum habent. His exemplis liquet. *Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio noſtro in Urbe, ejuſque diſtrictu, Vicario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum &c.* Sic in *Bullis* legere eſt, in *Brevibus* autem: *Dilecto filio Thomæ Ripoll, Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtro Generali. Benedictus PP. XIII. Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quod a Patre &c.* Multiplices alias inſcriptionis clauſulas in Pontificiis Diplomatibus uſu veniſſe, conſtat. Hic nonnullas ſubiicio: *Ad Perpetuam Rei*

De Salutatione a SS. Pontificibus in *Bullis & Brevibus* adhibita.

(y) *De Re Diplomatica Lib. VI Corollario I pag. 622 Edit. II.*

Memoriam ..... Ad futuram Rei Memoriam ..... In Perpetuam Rei Memoriam ...... In Perpetuum .... Ad certitudinem Præsentium, & memoriam Futurorum &c.

Alias *Scriptum* & *Datum* distinguebant in *Bullis* nunc *Datum* duntaxat exprimitur.

XI. In antiquis Diplomatibus aliud: *Actum*: seu *Scriptum*, aliud erat: *Datum*, Illud, seu *Scriptum*, vel *Actum*, denotabat tempus, quo Diploma fuerat exaratum; Istud, *Datum* nempe, significabat diem, quo tradebatur impetranti. Exemplo sunt quæ sequuntur. *Zacharias* (hujus nominis Primus) *Episcopus, Servus Servorum Dei, Petronacio dilecto filio in Domino, & Abbati venerabilis Monasterii Sanctissimi, & egregii Confessoris Christi, Benedicti, ejusque Successoribus regulariter intrantibus. In Perpetuum. Apostolico moderamini &c.* (z) *Scriptum per manum Leonis Notarii, & Regionarii, atque Scriniarii carissimæ Romanæ Ecclesiæ, in Mense Januario, per Indictionem supra scriptam Secundam.* (zz) *Bene valete. Data Duodecimo Kalendas* Februarii *per manum Benedicti Episcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Zachariæ Summi Pontificis, & Universalis Papæ in Sanctissima Sede Beati Petri Apostoli, Anno Secundo* (Christi DCCXLII) *in Mense Januario, Indictione supra scripta Secunda ..... Paschalis* (Primus) *Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio Ingoaldo Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ, quod ponitur in Farfa, in loco qui nominatur Acutianus, tuisque successoribus. In Perpetuum. Cum Magna solicitudine &c.* (a). *Scriptum per manus Christophori Scriniarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Mense Februario, Indictione supradicta Decima. Bene valete. Datum Kalendis* Februarii *per manus Theodori Nomenclatoris Sanctæ Sedis Apostolicæ, Imperante D. Hludovico piissimo perpetuo Augusto, a Deo coronato magno pacifico Imperatore, anno tertio* (Christi DCCCXVII) *Indictione Decima.* Hæc scripta, & data eodem die videntur; sed non ista: *Benedictus* (VIII dictus IX) *Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo nobis in Domino Jesu Christo filio Richerio, venerabili & reli-*

(z) In *Bullar. Casinen. Tomo II Constitut. VII pag.* 5.
(zz) Legendum videtur. *Decimam*: Sic ex stylo vulgari; ex alio autem stylo, de quo dicetur *Numero XX*, legi posset: *Undecimam*:
(a) In *Bullar. Casinen. Constitut. XXVI Tom. II pag.* 10.

religioso Abbati, a nobis consecrato, & ordinato sacratissimi Monasterii Beati Benedicti Confessoris Christi, siti in Monte, qui vocatur Castrum Casini, suæque almæ Congregationi. Perpetuam in Domino Salutem. Si Petita &c. (b). *Scriptum per manum Stephani Prothoscriniarii Sanctæ Sedis Apostolicæ Mense Junio, Indictione VI. Bene valete. Datum Kalendis Julii per manum Bosonis, Episcopi Sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno ab Incarnatione Domini MXXXVIII, Pontificatus vero Domini Benedicti Octavi Papæ, sedente Anno VI: Imperii vero Domini Conradi Imperatoris Romanorum XII, Indictione VI, Mense Junii Die XXIX..... Nicolaus* (II) *Episcopus Servus Servorum Dei carissimæ in Domino Filio Hermengardæ, Abbatissæ Monasterii Domini Salvatoris nostri, & Sanctæ Juliæ Virginis, & Martyris, quod novum dicitur, fundatum a piissima Ansa, Regina, infra Civitatem Brixiam, tibi videlicet, tuisque successatricibus. In Perpetuum. Quoniam semper sunt &c.* (c). *Scriptum per manus Octaviani Scriniarii, & Notarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ II. I lus Maii, Indictione supradicta XIII. Datum Romæ XVII Kalendas Junii, Anno Domini nostri Jesu Christi MLX per manus Umberti Sanctæ Ecclesiæ Silvæ Candidæ Episcopi, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarii, Anno Secundo, Pontificatus Papæ Nicolai Secundi Indictione suprascripta*. Sic igitur olim *Sriptum*, & *Datum* distinguebant. Nunc nulla *Scripti* mentione facta, tempus inscribitur quo Diplomata dantur.

In priscis Diplomatibus silent, ubinam data sint, nunc locus ille semper notatur.

XII. Id notatu dignum, quod in priscis Diplomatibus, ubinam data sint, sæpe sæpius silent. Nunc id semper notatur, *Datum Romæ, &c. Datum Beneventi &c. Datum Setiæ &c.* Locus enim exprimitur, ubi Summus Pontifex adest. Si sit *Romæ*, locus etiam loci designatur ex proximiori Basilica Patriarchali. *Datum Romæ apud S. Petrum*, cum Papa moratur in Palatio *Vaticano*. Si in Quirinali, *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem*. Si in Lateranensi, *Datum Romæ apud Lateranum*, & passim, *Datum Laterani*. Alias indiscriminatim de ceteris quoque Basilicis mentio erat. *Datum Romæ apud*

(b) *In Bullario Casinen. Tomo II Constitut. LXXXVII pag. 79.*

(c) *In Bullar. Casinen. Tomo II Constitut. LIII pag. 98.*



apud S. Mariam Trans Tyberim . Datum Romæ apud S. Sabinam &c. Utilis ſane hæc inſcriptio loci: *eſt conveniens,* inquit Eminentiſſimus Cardinalis *Petra (d)* . . . . . ne *detur via falſitati Bullæ*. Mihi certe maximo fuit adjumento ad aſſignandas unicuique Summo Pontifici Bullas ab ipſo datas. Cum enim injuria temporis nonnunquam perierit *Plumbum*, & ejuſdem nominis ſint nonnulli Pontifices, quid agendum, incertus utique fuiſſem, niſi me extricaſſet hæc inſcriptio loci. Id unum, exempli gratia, legere erat. *Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sacroſancta Romana &c. Datum Laterani VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo . . . . . Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Burdegalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem: Cum Ordinis &c. Datum Lugduni III Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio . . . . . Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dum profundis meditationibus &c. Datum apud Villam-novam Avinionen. Diæceſis VI Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.* Cum id unum legere ſit, quo me vertam, ut expiſcari poſſim, Primum ex his Diplomatibus datum eſſe a *Gregorio IX* Anno MCCXXVIII die X Martii; Aliud a *Gregorio X* Anno MCCLXXIV die XI Septembris; Iſtud a *Gregorio XI* Anno MCCCLXXIII die XXVII Auguſti. Ad id haud mediocriter adminiculatur hæc inſcriptio loci. Cum enim ſciam *Gregorium IX* nec *Avenione*, nec *Lugduni* ſediſſe, ipſi neutiquam aſcribam Diploma datum *Lugduni*, vel *Avenione*.

Cur Dies & Annus in Diplomatibus aſcribantur.

XIII. Hic ipſe ſermonis curſus admonet, ut de Diplomatum Chronologia diſſeramus; de qua ſi paulo altius ordiar, paucis tamen de multis dicam: Et quidem digna ſcitu, & ea quandoque in quibus nonnullos hallucinatos vidi. *Ad obviandum falſitatibus*, diem & annum in Diplomatibus aſcribi, notat

(d) *Commentar. ad Conſtitution. III Paſchalis II Sectione unica Num. XIV pag. 409. Tom. I.*

notat Eminentissimus Cardinalis *Petra* (*e*). Alias rationes subiicit *Gonzalez* (*f*): *Plurimi*, inquit, ... *interest scire diem concessi Rescripti, tum ut cognoscatur, an annus elapsus sit, ut qui illud impetravit, eo uti non possit .... tum ut si post primum secundum expediatur, prioritas eorum ex Data cognoscatur .... ob quos, & alios juris effectus utriusque juris Conditores statuerunt, ut rescripta, testamenta, contractus, & alii act. humani diem, & indictionem continerent*. Id lege civili cautum esse, non ambigo. *Si qua beneficia personalia sine die, & Consule fuerint deprehensa*, inquit Constantinus Augustus (*g*), *auctoritate careant*. Sed idem Pontificia Lege sancitum, optimo jure negat Eminentissimus Cardinalis *Petra* (*h*). Hinc concludit, *non obstare defectum diei & Anni, quin obliget* Apostolica Constitutio; *cum*, inquit, *nulla extet lex Canonica id præscribens. Sed in foro esset suspecta de falso, nisi haberet datam solitam juxta ritum modernum*. Hæc ultima verba notanda: *juxta ritum modernum*; Non enim in suspicionem falsi antiqua Diplomata, sed recentiora, vocat eruditus vir, si dies ascripta desideretur in ipsis; *consonat* siquidem, ut ipsemet ibidem docet (*i*), *observantia antiqua, ut non solum non adhiberetur usus diei & Consulis, sed pro falsitate haberetur, ut in Citrense Concilio, quod contra Ecclesiasticam consuetudinem ipsum Citrense Concilium diem & Consulem haberet ... & saltem fuit promiscuus ritus. Hinc plures sunt Constitutiones in Bullario, immo fere omnes in Decretalibus, & Corpore juris, sine die, & in Bullario liquet ex Bulla Prima Leonis IX .... necnon in certis aliis antiquis Constitutionibus in Bullario redactis*. De Concilio *Citrensi*, cujus hic mentio, consulendus *S. Augustinus* (*k*). Ex his autem, quæ de *Decretalibus* habet Eminentissimus *Petra*, liquet, Constitutiones Pontificias XIII, & XIV seculi immerito suspectas fore de falso, ex eo quod dies & annus, quibus datæ sunt, desint. Sed in his, aliisque recentioribus, distin-

(*e*) *Loco laudato ad constitution. III Paschalis II Sectione unica num. XVII pag.* 409.

(*f*) In *Cap. XXIII Tit. III Lib. I Decretal. Tom. I pag.* 131 *Nota II col. I.*

(*g*) *Constantinus Cod. lib. I Titul. XXIII de diversis Rescriptis, & Pragmaticis Sanctionibus Lege IV ad Lysitanos*, Asiæ populum, non vero *Lusitanos*, ut nonnulli mendose scribunt, nec etiam *Lusytanos*, ut legit *Gonzalez*, qui ceteros emendat loco citato.

(*h*) *Loco laudato num. XXII pag.* 410.

(*i*) *Num. XXI.*

(*k*) In *Collatione cum Donatistis Cap. XVII.*

diſtinguendum videtur Exemplum inter & Autographum. Exhibetur recens Autographum; dies aſcripta deſideratur: a ſuſpicione falſi non abeſt, niſi de mente Summi Pontificis conſtiterit. Produnt Exemplum: nec diem præ ſe fert, nec annum: id amanuenſis incuria factum crediderim, nec Diploma, mutilum licet, reprobarem, niſi quædam alia vitia majorem ſuſpicionem mihi ingererent.

Quomodo nunc fiat hæc aſcriptio diei & anni.

XIV. Ceterum quibus modis dies & Annus nunc aſcribantur in Pontificiis Diplomatibus, non abs re ſit deſcribere, quamvis in propatulo ſit. In Bullis enim ſic legitur. *Dat. Setiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo viceſimo ſeptimo ſeptimo Kal. Junii Pontificatus noſtri Anno Tertio*. In Brevibus autem. *Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX Januarii MDCCXXVII Pontũs* (Pontificatus) *Nri* (Noſtri) *Anno Tertio*.

Quænam fuerit olim.

XV. Hæc hodie ſic, ſed alias annum indicarunt a Conſulibus tantum; dein a Conſulibus, & Indictione; tum vel ab Imperatoribus & Conſulibus, aut ab Imperatoribus duntaxat; poſtea vel ab annis Pontificatus & Imperatoribus, vel ab annis Pontificatus tantum. Sic uſus tulit ad decimi uſque ſeculi finem, quo paulatim Summi Pontifices nuncium remiſerunt annis Imperatorum. Inſcribebant autem vel annos tantum Pontificatus, aut annos Pontificatus cum Indictione, vel annos Incarnationis Dominicæ, & Pontificatus, ac Indictionem. Dies jam me deficient, ſi quæ dici poſſunt, ut hæc probentur, velim colligere: tot ſunt exempla quot Diplomata in Bullariis *Romano, Caſinenſi*, ceteriſque jam editis.

De Numeris *Romanis* & *Arabicis*: utrum, & quandonam in Bullis, & Brevibus adhibiti?

XVI. Hæc conſulto prætereo, ſed notandum, quod Romanis olim numeris utebantur in *Bullis*, uti videre eſt ex Diplomatibus in ære inciſis apud *Mabillonium*, *de re Diplomatica*, & ex ſexcentis exaratis hoc in volumine. Nunc in *Brevibus* adhibentur hi Numeri. *Datum die XXX Januarii MDCCXXVII*. In Bullis vero dies ex Kalendis, Nonis, vel

vel Idibus numeratur, non notatur autem Numeris, sed qualis sit scribitur sicut & Annus, ut exemplo jam citato patet. *Datum Setiæ Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo vigesimo septimo septimo Kal. Junii Pontificatus nostri Anno Tertio*. Numeros Arabicos 1. 2. 3. 4. &c. nunquam vidi in Autographis Pontificiorum Diplomatum. Illud II *Nonas* quod legere est in *Constitutione XX Honorii III pag.* 12, & alibi passim, idem est ac *Pridie Nonas*. Non enim dicendum *Secundo Nonas*, sed *Pridie*, secundus siquidem dicitur a verbo *Sequor*, hic autem dies indicatur *Nonas* præcedens, non subsequens. Ceterum quod Numerus ille II sit *Romanus*, non *Arabicus*, & *Pridie* significet non XI, luce meridiana clarius est. Quis enim unquam legit XI *Nonas*? Aliunde recentior est usus illorum Numerorum, quos *Arabicos* vocant, & *rarus apud latinos ..... ante seculum quartum decimum, præterquam in paucissimis codicibus, in quibus de rebus Geometricis, & Arithmeticis agitur* (*l*). Illud minutius sed tamen haud indignum, quod admoneatur. Ad hæc enim non attendens vir clarissimus *Ususmaris* Constitutionem II *Alexandri IV* Datam *Neapoli* Pridie Kalendas Januarii, Pontificatus Anno Primo, Christi MCCLIV, die XXXI Decembris, concessam censuit *XI* Kalendas Januarii, die nempe XXII Decembris, quo nondum inauguratus erat *Alexander*.

XVII. Quis locus Numeris *Romanis* in antiquioribus Pontificiis Diplomatibus assignatus sit, ex sequentibus habes. *Leo Episcopus, Sanctæ Synodo apud Chalcedonem habitæ. Omnem quidem &c. Datum XII Kalendas Aprilis, Opilione viro clarissimo Consule* (*m*) ... *Paulus* (hujus nominis Primus) *Episcopus, Servus Servorum Dei, Asilpergæ Religiosæ Abbatissæ venerabilis Monasterii Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, siti infra Civitatem Brixiam, quod a nobis fundare visa est Ansa excellentissima Regina, ejusque Congregationi, cum Religiosissimis, & sanctissimis*

Quis locus Numeris *Romanis* alias in Bullis assignatus sit? Quis usus hodiernus?

(*l*) *Mabillonius de Re Diplomatica Lib. II Cap. XXVIII num. X pag.* 214.

(*m*) Anno Christi CCCCXLVII.

Coepiscopis. In Perpetuum. Quoniam semper &c. **Data VII** *Kalendas Novembris, Imperante Domino Augusto Constantino, a Deo coronato magno Imperatore Anno* XXIII, *sed & Leone Imperatore filio ejus Anno* X; *Indictione Prima* (*n*).... *Pax. Johannes* (XIII) *Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectæ meæ, & in spiritualibus filiæ, domnæ Adeleydæ Serenissimæ Augustæ Imperatrici. Quoniam concedenda &c. Scriptum per manus Stephani Scriniarii in Mense Aprili, Indictione suprascripta XV. Bene valete. Pax. Data V*III *Kalendas Maii per manus Vvidonis Episcopi Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ Anno Pontificatus Domini nostri Johannis Sanctissimi, ac religiosissimi* XIII *Papæ* (VIII), *Imperii vero D. Ottonis Majoris* XI, *Junioris autem V, in Mense, & Indictione XV suprascripta* (*o*). Ita passim ad finem usque decimi seculi. Undecimo vero alius locus his *Numeris* concessus. *Alexander* (II) *Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectissimo, & reverendissimo filio Giselberto, Abbati venerabilis Cœnobii Sancti Prosperi Confessoris Christi, ubi sacratissimi ejus cineres conditi, & ossa reservantur, subter Civitatem Regium constituti, & per eum cunctis successoribus ipsius inibi regulariter promovendis. In Perpetuum. Quemadmodum regi &c. Datum Lucæ quarto Idus Martii, per manus Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, & Bibliothecarii. Anno* XI *Pontificatus Domini Alexandri* II *Papæ, Dominicæ vero Incarnationis MLXXII*; *Indictione Nona*. Seculo Duodecimo iidem *Numeri* alio translati videntur. *Paschalis Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimæ in Domino filiæ Ermingardæ, Abbatissæ Monasterii Domini Salvatoris, & Sanctæ Juliæ Virginis, & Martyris, quod Novum dicitur, fundatum a piissima Ansa Regina intra Civitatem Brixiam, tibi, tuisque Successatricibus. In Perpetuum. Ad hoc in Apostolicæ &c. Datum Laterani per manum Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, quinto Idus Maii Indictione XIV. Anno Dominicæ Incarnationis MCVII, Pontificatus au-*

tem

(*n*) Anno Christi *DCCLXIII* die *XXI* Octobris in *Bullario Casinensi Tomo II Constit.* I*X. pag.* 7.

(*o*) Anno Christi *DCCCCLXXII* Die *XXIV* Aprilis in *Bullar. Casinen. Tomo II pag.* 45.

tem Domini Paschalis Secundi Papæ VII. Haud multum abest formula tertii decimi seculi. *Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Monasterii Sanctæ Mariæ de Pruliano, ejusque Fratribus tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis. In perpetuam Rei Memoriam. Religiosam vitam &c. Datum Laterani per manum Rainerii S.R.E. Vicecancellarii III Kal. April. Indictione VI, Incarnationis Dominicæ An. MCCXXVIII, Pontificatus vero Domini Honorii PP. III Anno Secundo.* Sic in Bullis, quas Consistoriales vocant, in aliis vero: *Honorius* (III) *Episcopus Servus Servorum Dei &c. Datum Laterani VI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.* Hic usus *Numerorum* obtinuit ad Pontificatum usque *Eugenii IV*, quo interdictus est, nec in *Bullis* Numeri sunt adhibiti, præterquam in Plumbo. Sic autem scribebant: *Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei &c. Dat. Romæ apud S.Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo tricesimo Secundo Kl.* (Kalendis) *Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.* Hanc formulam æmulatur quotidiana: *Benedictus* (XIII) *Episcopus Servus Servorum Dei &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo Vigesimo Quinto Nonis Septembris Pontificatus nostri Anno Secundo.*

Incarnationis Annus inscriptus est in Bullis longe ante Pontificatum *Eugenii IV.*

XVIII. *Eugenium IV* hunc induxisse morem, ut in Diplomatibus adhiberent annos Incarnationis Dominicæ, auctor est *Paulus Middelburgius, Episcopus Forosempronienfis,* docens (*p*) *Præsidente Eugenio IV, adhortante Blondo Foroliviensi, Pontificii Collegii a secretis Notario, in Bullis, atque Rescriptis Pontificalibus annorum a Christi Incarnatione supputationem scribi primum cœpisse.* Isti *Ciaconius* noster adstipulatur (*q*): utrique suffragatur *Papebrochius* in *Propylæo Mensis Aprilis*, & concludit, Bullas, Pontificatui *Eugenii IV* superiores, esse falsatas aut corruptas, si præferant Annos Incarnationis Dominicæ. *Deus bone!* exclamat Mabillonius, *quantam Pontificiorum Diplomatum stragem facit*

(*p*) *Lib. XIII Paulinæ Cap. VI.*
(*q*) *In Isagoge Vit. Pontif. & Cardinal.*

uno verbo! Sed in *Propylæo Maii* Paulum & Ciaconium valere jussit *Papebrochius*, & *Mabillonii* sententiæ palmam dedit, vir vere doctus, cujus hæc verba (*r*): *Mabillonius, Lib.* 2 *de re Diplomatica* Cap. 24 (*s*), *quærens, quis Pontificum primus inceperit Bullis suis adnotare annum Incarnationis; censet, Leonem hunc IX fuisse; certe nullum Pontificium Diploma sibi visum ait ante id tempus tali calculo notatum, quod sincerum videretur, quicquid dicat Aventinus, usum illum a Paschali deducens. Si autem verum est, Leonem eo in genere primum fuisse, id inde factum putat, quod tum ipse esset ex genere Imperatorum Germaniæ, qui annos Incarnationis usurpabant, tum Tulli fuisset Episcopus, ibique eo calculo frequenter in literis usus, tum denique Cancellarium haberet Tullensem Primicerium, eidem calculo assuetum. Sic ergo sub autographa Bulla pro Mettensi S. Arnulphi Cœnobio, scriptum legi testatur Mabillonus: Data V Id. Octob. per manus Udonis, Sanctæ Apostolicæ Sedis Cancellarii, & Bibliothecarii, & Tullensis Primicerii, Anno Domini Leonis IX Papæ I, Indict. II, anno vero Dominicæ Incarnationis MXLVIIII...... At, inquies, si istæc ita se habent, & Leo IX, aliique post illum Incarnationis annos suis Bullis apponi faciebant, quid Paulo Middelburgio Episcopo Forosempronienſi, sub initium seculi præcedentis scribenti in mentem venit, ut lib.* 13. *Paulinæ suæ Cap.* 6. *affirmaret: Præsidente Eugenio IV, adhortante Blondo Foroliviensi Pontificii Collegii a secretis Notario, in Bullis atque Rescriptis Pontificalibus annorum a Christi Incarnatione supputationem scribi primum cœpisse? Movit hæc auctoritas Ciacconium in Isagoge sui operis, movit etiam me in Propylæo Aprilis, suspectasque fecit interpolationis omnes ante Eugenium Bullas sic notatas, quia non credebamus viro tali obrepsisse, ut id ita scriberet asseveranter, nisi ex ipsius Blondi certissimo testimonio id habuisset. Malo tamen hanc regulam abdicare ut falsam, quam fidem abrogare Mabillono, tot autographarum Bullarum a se conspectarum, nullaque ex parte suspectabilium testimoniis* *moto*

(*r*) *In Propylæo Maii Parte I Num. CLIV pag.* 190.
(*s*) *Edit.* I. *in Secunda vero Cap. XXV Num. IV pag.* 283.

moto ad aliter ſtatuendum. *Id vero eo libentius facio, quod poſt Aprilem editum cognoverim, omnium fere nationum hiſtoricos, qui Pontificias Bullas producunt integras, aliquas tales habere Eugenio longe antiquiores. Durum autem eſſet opinari, nationes illas univerſim conſpiraſſe in iſtud additamentum, ſinceris alias & genuinis Privilegiis ſubjungendum, cum periculo eorundem in ſuſpicionem falſi inducendorum*. Optimo ſane conſilio ſic cenſet *Papebrochius*. Quis enim tot Diplomata ab undecimo ſeculo ad *Eugenium IV* uſque data, quæ recenſere nec per otium vacat, nec præ numero licet, in ſuſpicionem falſi vocare poſſet? Extant non in uno duntaxat ſcrinio, ſed ubique terrarum. Aſſervantur Autographa in Tabulario *Vaticano*. In pleriſque aliis Archivis paſſim reperiuntur. Ex noſtro quædam hoc in Bullario deſcripſi. Si quærantur Exemplaria: præſto ſunt Bullaria, *Romanum*, *Caſinenſe*, ceteraque publici juris facta. Conſuli poterunt *Baluzius*, & *Boſquetus*, qui Decretales Epiſtolas *Innocentii IV* vulgarunt, *Ughellus in Italia Sacra &c.* Sed quid his teſtibus opus eſt, quaſi res dubia, vel obſcura ſit? Tranſiit in rem judicatam, & parum feliciter conjectaſſe videntur, qui nobis opponunt *Eugenii IV* Decretum, quo ſanxiſſe ferunt, annos Incarnationis Dominicæ Diplomatibus Pontificiis in poſterum inſcribi debere. *Ita ſit ſane*, inquit Mabillonius (*t*): *An vero ante eum res in uſu eſſe non potuit, tametſi nulla lege conſtituta? An omnia Francorum Regum Diplomata, quæ Annos Incarnationis a Kalendis Januarii ſubnotant falſa eſſe dices, propterea quod Carolus IX id ſanctione ſua præſcripſit primus? ..... Sed, ut rem propius attingam, Eugenii Decretum de adnotandis annis Incarnationis, quod Paulus de Middelburgo, & Ciaconius in Iſagoge ad Vitas Pontificum, tanquam rem novam a Pontifice ſtatutam exiſtimarunt, non ad novum uſum inducendum ſpectat, ſed ad veterem ſtabiliendum. Id planum fit ex Eugenii verbis: Eugenius Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Sicut prudens Pater familias &c.... Item* quod

(t) *De Re Diplomatica Lib. II Cap. XXV num. 6. pag. 184*

quod dicti Scriptores sint diligentes in scribendo literas in bona forma, & virgulent, & sequantur, & studeant stylum Cancellariæ, antiquum, & laudabilem in omnibus servare &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, Septimo Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Quinto decimo. Idem confirmavit Nicolaus V: In his verbis nemo non videt huc spectare Pontificem, non ut novam formulam, novumque stylum inducat, sed ut stylum antiquum, & laudabilem in omnibus servari præcipiat. Hæc *Mabillonius*; ubi notandum, id anno Pontificatus Decimo Quinto, Christi MCCCCXLV ab *Eugenio IV* statutum fuisse: Quid ergo dicent adversarii de Diplomatibus ab ipsomet *Eugenio IV* Datis ab Anno Primo ad Decimum Quintum? Sexcenta vidi, centum circiter exscribam hoc in opere, inter ipsa quædam Autographa, nullum reperire est, in quo desiderentur Anni Incarnationis Dominicæ. Nunquid hæc etiam insimulabunt falso? Id unum crediderim hac de re sancitum ab *Eugenio IV*, quod scilicet in Diplomatibus Pontificiis nullus in posterum præteriret Annos Incarnationis Dominicæ. Id enim discriminis noto *Eugenium* inter & Prædecessores, quod isti identidem duntaxat, ille vero semper in Diplomatibus adhibet Annos Incarnationis.

Quis ex Prædecessoribus illis Annos Incarnationis in Diplomatibus primus adhibuerit; & qua occasione? quærit *Mabillonius* (*u*). Id ascribit *Leoni IX*, ut ex *Papebrochio* mox audivimus. *Nullum*, inquit Mabillonius, *legi Pontificium Diploma indubitatum annis præditum Incarnationis ante Leonem IX....* (*x*), *Nec scio an ullum eorum* (SS. Pontificum) *Diploma cum hoc calculo inveniatur ante Leonem IX, quicquid dicat Aventinus, qui hunc usum a Paschale I deducit*. Num Bulla *Benedicti VIII*, dicti IX, qui certe sedit ante *Leonem IX*, fugerit eruditum virum? Utrum missum fecerit hoc Diploma ex sinistra quorundam opinione circa finem

(*u*) *Loco laudato Num. VII.*
(*x*) *Ibidem Num. VIII pag. 185.*

finem Pontificatus ejusdem *Benedicti*? An vero quid aliud vitium, nobis ignotum, hoc in Diplomate deprehenderit vir oculatus? lectori permitto. Legitur in Bullario *Casinensi* (*y*). Datum fertur Anno Incarnationis MXXXVIII, ut videre est hac in *Præfatione Numero XI.*

Undenam incipiat Annus Incarnationis in Bullis inscriptus.

XIX. Quis ille sit Incarnationis Annus in Bullis? An ipsius initium vel a die XXV Martii, vel a XXV Decembris, aut a Kalendis Januariis petatur? operæ pretium sit investigare. Et quidem primo de Diplomatibus antiquis id quæritur. Respondet *Mabillonius* (z) quod *in vetustis illis Bullis .... Incarnationis Annus sæpius desumitur a Kalendis Januarii, nonnunquam ab Annunciatione, ... & cum annis a Nativitate confunditur*. Id tot exemplis planum facit, ut vel cæco perspicuum esse possit; nec Bullis illis peculiare est. Enim vero quasi lex hoc expresse sanxisset, apud antiquos, etiam Scriptores Chronologiæ, confusa videres omnia, omnia perturbata. *Inter ipsos etiam Chronicæ Scriptores nonnulla dissensio est*, inquit Gervasius, Dorobernensis Monachus (*a*). *Nam cum omnium unica & præcipua sit intentio, annos Domini, eorumque continentias supputatione veraci enarrare, ipsos Domini annos diversis modis, & terminis numerant, sicque in Ecclesiam Dei multam mendaciorum confusionem inducunt. Quidam enim annos Domini incipiunt computare ab Annunciatione, alii a Nativitate, quidam vero a Passione ...... Uterque etiam annis Domini unum eundemque titulum apponit, cum dicit anno ab Incarnatione tanto, vel tanto facta sunt illa & illa. His aliisque similibus ex causis in Ecclesia Dei orta est non modica dissensio.* Variatum est enim sententiis, & unaquæque gens olim sibi constituit proprium cardinem, e quo Incarnationis anni duceretur initium. Annos Incarnationis auspicati sunt *Angli* VIII Kalendas Januarii, die nempe Natalis Christi, ut testatur venerabilis *Beda* (*b*). Apud *Germanos* etiam Christi Nativitatem Annos Incarnationis aperuisse docet *Ducange* (*c*). De *Catalanis*, & *Aragonis* hæc habet vir ille clarissimus: *Extat in Ms. codice Usa-*

tico-

(*y*) *Tomo II Constitutione LXXXVII.*
(*z*) *De re Diplomatica Libro II Cap. XXV Num. VIII pag. 186.*
(*a*) *Inter Historiæ Anglicanæ Scriptores Twysden Tomo I.*
(*b*) *De ratione temporum Cap. XIII.*
(*c*) *In Glossario verbo Annus Tomo I pag. 204.*

ticorum Barcinonensium in Bibliotheca Thuana fol. 234, 235, *Charta Petri Regis Aragonum, data Perpiniani XVII Decembris anno MCCCL, qua statuit in posterum annorum initium computandam a Die Nativitatis Christi, & ut omissis Nonis, Idibus, atque Kalendis numerus dierum describatur.* De *Gallis* antiquis, seu *Francis*, quandonam fuerit anni initium lis est inter Auctores. *Existimo tamen,* inquit Mabillonius (*d*), *duplex etiam tunc temporis* (sub secunda stirpe Regum Galliæ) *fuisse anni initium: unum vulgare, commune, & ubique receptum, habita ratione anni solaris, quem observabant plerique historici veteres, aliud Gallicanum, ratione cursus lunaris, quem pauci sequebantur. Sed modus* (*e*) *iste Gallicanus longe usitatior fuit sub tertia stirpe, maxime a seculo XIII, & XIV, quo tempore Acta publica pleraque omnia ad modum istius calculi componebantur desumendo anni initium a Paschate, ita ut Januarius, Februarius, adeoque sequentium mensium dies, Pascha præcedentes, non ad excrescentis anni calculum (ut multi errore decepti existimant) sed ad superioris finem pertinerent.* Cur Pascha primus Anni dies fuerit apud illos *Gallos*, id more Majorum factum crediderim ex tabella cereo Paschali appensa, de qua sic loquitur *Johannes Hocsemius* (*f*). *Et ne circa discretionem temporum, præcedentis videlicet, & sequentis, error quicquam valeat perturbare, attendendum est, quod a tempore cujus memoria non existit, annorum Nativitatis Domini cumulatio, sive cujuslibet anni succrescentis initium in Cereo consecrato Paschali hactenus appensa depingi tabula consuevit, & ab illa hora annus Domini inchoabat. Sed quia Romana, & Coloniensis, Ecclesiæ Leodiensis Metropolitica Sedes, in die Natalis Domini annorum ponebant principia singulorum, cujusmodi diversitate plures occurrebant difficultates, & frequentes errores, ne diutius in hoc irrationabiliter membrum a capite discreparet: statutum est, ut a Nativitate Domini nuper præterita, quæ MCCCXXXIII, usque ad Pascha sequens scribi juxta morem pristinum debuisset, anti-* *cipan-*

(*d*) *De Re Diplomatica Lib. II Cap. XXIII Num. V pag. 173.*

(*e*) *Num. VI.*

(*f*) *In Gestis Pontificum Leodien. Cap. I. Extat in Gestis eorundem Pontificum Chapeavilli Tomo II pag. 273.*

cipando tempus, anni deinceps initium capiatur. Hinc morem Sanctæ Matris Ecclesiæ *Romanæ* jam videmus; quisnam fuerit, expressius alibi (*g*) docet *Hocsemius*, dicens: *Anno Domini MCCLXXII parum ante Nativitatem Domini, vel MCCLXXIII post Natale, prout Data tunc mutatur in Curia Romana*. Huc alludit Concilium *Coloniense* Anni MCCCX Canone XXIII: (*h*) *Statuimus etiam, ut ex nunc de cetero annus Domini observetur, & Nativitate Christi innovetur quolibet anno prout sacrosancta Romana Ecclesia id observat, quæ est omnium Ecclesiarum caput & magistra; ut errores, & difficultates, qui propter diversitatem inceptionis anni Nativitatis ejusdem multoties evenerunt, de cetero evitentur*. Hanc fuisse consuetudinem S. Matris Ecclesiæ *Romanæ*, nullus dubito. Ipsam nunc tenet in *Brevibus*, ubi annus incipit a die XXV Decembris, ut mox dicetur: vix tamen crediderim, quod olim in omnibus unus omnium usus, etiam *Romæ*, fuerit hac de re. Sicut enim nunc *videmus in eadem Urbe Romæ*, ut testatur Eminent. Cardinalis Petra (*i*), *plures stylos diversos: nam in publicis actibus Notariorum, in testamentis, contractibus &c. incipitur annus novus a Nativitate Domini nostri Jesu Christi, in literis, & actibus familiaribus, immo etiam judicialibus omnium Tribunalium, etiam sacrarum Congregationum, datur initium anno a die Circumcisionis. In Brevibus Papæ a die Nativitatis* (XXV Decembris), *in Bullis a die Incarnationis* (XXV Martii) sicut, inquam, hæc usu quotidiano firmata conspicimus, quidni alias, licet annum passim auspicarentur a Nativitate, potuit tamen fieri, ut Bullarum scribæ alieni quandoque fuerint a vulgari consuetudine? Fuerunt sane, & contra solem loquitur qui hoc negat. Nullus mihi succenseat, si singulari quadam audacia præter morem sic aperiam mentem meam; nollem, quod ex opinione contraria, si quæ sit, infinita pene Diplomata in suspicionem falsi venirent. Quorundam Catalogum texuere *Mabillonius* (*k*), & *Papebrochius* (*l*), quibus evincunt, in Bullis Pontificiis Incarnationis annos nonnunquam a die XXV Decembris, aliquando a

(*g*) *Cap. VII.*
(*h*) *Apud Labbeum Tomo XI Concilior. General. pag. 1529.*
(*i*) *Commentar. ad Constitut. Apostolic. Proœmial. §. III Num. XII Tom. I pag. 10.*
(*k*) *De Re Diplomatica in supplemento Cap. XI pag. 45.*
(*l*) *Propylæo Maii Parte I Append. III pag. 224 &c.*

die XXV Martii, paſſim a Kalendis Januariis olim incepiſſe. Tot exemplis hoc probant, ut hic nullum ſubiiciam, licet quædam Diplomata hoc in Bullario deſcripſerim, quibus hæc ſententia poteſt illuſtrari.

Quærit *Papebrochius* (*m*) quandonam hæc ſtyli diverſitas intermiſſa ſit. Id aſcribit *Gregorio XV* dicens (*n*): *Nobis ingreſſis Seculum XVII eatenus nemo occurit, qui dici poſſit in Cancellaria firmaſſe uſum, cujus firmati initium quærimus, quoad annum ultra Kalendas Januarias protrahendum, donec veniamus ad Gregorium XV*. Hoc totum ad amuſſim alias expendetur. Hic unum affirmatum velim, hodie ſcilicet in Bullis Incarnationis Annum a die XXV Martii, in Brevibus vero a die Nativitatis XXV Decembris incipere. Quæ cum ita ſint, mirum ſane, *Papebrochium* ſcripſiſſe (*o*), *in his* (Brevibus) *annum incboari conſtanter a Kalendis Januarii*.

Non eſt omittendus ſingularis ille ſtylus Bullarum, quo Incarnationis Annus *poſticipationem* habet, ut loquuntur, non *anticipationem*: licet enim Incarnatio Verbi Divini novem menſibus præceſſerit Nativitatem Chriſti, in Bullis tamen tertio menſe poſt Nativitatem, die XXV Martii incipit Annus Incarnationis. Exempli gratia: hic Annus MDCCXXIX ex ſtylo Brevium incepit die XXV Decembris proxime præteriti, deſinet die XXV Decembris proxime futuri, & dies XXVI erit primus anni MDCCXXX. Ex uſu vulgari cœpit Kalendis Januariis, ipſius exitus erit die XXXI Decembris, prima vero Januarii auſpicabitur annum MDCCXXX. Ex Bullarum autem ſtylo duxit initium a die XXV Martii, ſupremus ipſius dies erit XXIV ejuſdem menſis proxime futuri, & die duntaxat XXV ordietur annus MDCCXXX. Hinc fiet, ut hoc anno vulgari MDCCXXIX die XXVI menſis Decembris legere erit in Brevibus: *Datum... die XXVI Decembris MDCCXXX*: in Bullis autem anno vulgari proxime ſequenti MDCCXXX a die prima Januarii ad XXV Martii legetur: Datum .... *Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo nono Kal. Januarii &c.* Hic ſtylus certe quotidianus. Sed cum in omnibus antiquis Diplomatibus idem non ſervetur, ut dictum

(*m*) *Mox laudatus*.
(*n*) *Ibidem pag. 215 col. I.*
(*o*) *Ibidem pag. 214.*

dictum est, hinc annorum series, in Bullis inscripta, prætermissa est aliquando, sed rarius. De hoc monitum velim lectorem, ne hallucinatum me suspicetur, vel ipsemet erret. Sciendum igitur, Annum numeris Arabicis in ipso limine cujusque Diplomatis scriptum, styli vulgaris annum esse, cujus initium sumitur a Kalendis Januariis. Nec semper concordat cum anno, qui quandoque legitur ad calcem Bullæ, ut videre est in *Constitutione XX Gregorii X pag.* 519. Ferat, non culpet lector benevolus, quod vitare non potui. Hinc duplex ille stylus, novus, & vetus, de quo in *Nota VIII* ad *Bullam mox laudatam*. Novus ille est, qui a Kalendis Januariis incipit annum: vetus qui vel a die XXV Martii, ut in *Bullis*, vel a die XXV Decembris, ut in *Brevibus*, auspicatur annum. Nec ex hac nostra methodo temporis ordo perturbatur, immo servatur, ut attentum lectorem non fugiet.

Quid, & quotuplex sit Indictio, & quomodo concilianda cum annis ascriptis in Pontificiis Diplomatibus.

XX. Rem perdifficilem conantur, qui Annos inscriptos in antiquis Diplomatibus cum *Indictione* vulgari conciliandos suscipiunt. *Sæpius in concilianda Indictione cum annis Imperatorum, aut Pontificum, multæ occurrunt ambages*, inquit *Mabillonius* (p). Exemplo sunt quæ prodit idem Auctor *Lib. II Cap. XXV num IX pag.* 186, ubi quædam hac de re discutienda proponit, & ea, quæ alibi (q) refert ex Baluzio cujus hæc verba: *Certum est, Indictionem decimam convenire, cum Anno Decimo Pontificatus Innocentii III: Et tamen in Registro ejus quoties Indictio recensetur in Epistolis, anno illo Decimo datis toties Indictio Nona ponitur, in octo Epistolis, nimirum VII, XXVII, XXVIII, LIX, LX, XCI, XCV, & CVI. Immo Epistola XCV ejusdem Libri Decimi, quæ ab Huberto edita est in probationibus Historiæ Sancti Aniani Aurelianensis pag.* 123, *ex Authentico, quod in Archivo illius Ecclesiæ exstat cum plumbo, Indictionem Nonam habet in Registro, & in Authentico illo.*

Si quis responsum velit, quod in his, & similibus, quæ

(p) *De Re Diplomatica Lib. VI Corollar. I pag.* 622.

(q) *Libro VI Corollario I pag.* 623.

passim reperiuntur, ex amanuensis incuria scatet omnis illa numerorum colluvies; Jam ista divinatio erit. Nodum scindet, non solvet: Nec cordatus lector facile suspicabitur, tot in Autographa, quæ laudat *Mabillonius*, irrepsisse menda. Hoc igitur responso, si placet, utantur alii, alia via nobis ineunda videtur. Sed sciendum primo, quid, & quotuplex sit *Indictio*?

Cyclus Indictionis, inquit eruditus noster P. Magister Amat de Graveson (r) *est revolutio XV annorum, quibus exactis ad unitatem fit regressus, idest, evoluto semel spatio XV annorum, annus, qui sequitur, dicitur primus, deinde secundus, postea tertius, & sic deinceps, donec ventum sit ad annum decimum quintum, post quem rursum incipit annus primus*. Ut autem Lector facile invenire possit annum Indictionis vulgaris *tria præstare debet*, inquit (s) vir clarissimus mox laudatus. *Primo oportet, ut observet quotus sit annus decurrens Æræ Christianæ. Secundo, tres annos addere debet currenti anno Æræ vulgaris, seu Christianæ (consentiunt quippe omnes Chronologi, annum primum Æræ vulgaris incidisse in annum quartum Indictionis; ac subinde tres illos Indictionis annos, qui ante primum Æræ vulgaris effluxerunt, semper addendos esse labenti Æræ Christianæ). Tertio totam hanc summam distribuere debet per XV annos. Qua facta divisione, si nihil est reliqui, annus Indictionis erit ultimus, seu Decimus quintus. Si vero facta illa divisione, residuus sit aliquis numerus, hic numerus residuus currentem Indictionis annum indigitabit.*

Ut fert opinio *Jacobi Gotofredi* (t) quadruplex Indictio distinguenda est. *Italica*, quæ consurgit ab anno CCCXII; *Orientalis*, ab anno CCCXIII; *Carthaginensis*, seu *Proconsularis Africæ*, ab anno CCCXIV; & *Africanæ* Diœceseos, ab anno CCCXV. Sicut autem quadruplex est annus, e quo, velut ex cardine, ducunt Indictionis initium, sic quadrifariam dividitur Indictio ex diversis mensibus, & diebus,

e qui-

(r) *In Apparatu Chronologico ad calcem Tomi II de Mysteriis & Annis Christi pag. 313 edit. II.*

(s) *Ibidem pag. 315.*

(t) *In Prolegomenis ad Codicem Theodosianum.*

e quibus auſpicantur ipſam : dividitur, inquam, in *Conſtantinopolitanam*, ſeu *Græcam*, quæ a Kalendis Septembribus incipit: *Conſtantinianam*, ſeu *Cæſaream*, quæ a die XXIV Septembris : in *Pontificiam, ſeu Romanam*, quæ a Kalendis Januariis; & in *Antiochenam*, quæ a menſe Maio. *Triplicem Indictionis uſum obſervare eſt apud Scriptores*, inquit Du Cange (*u*). *Alia enim a Kalendis Septembribus proficiſcitur, eaque Conſtantinopolitana dicitur: altera ab VIII Kalendas Octobris, quæ Conſtantiniana, & Cæſarea: tertia denique, quæ Pontificia ſeu Romana, & a Kalendis Januariis conſurgit. Quartam addit Scaliger Antiochenam, cujus initium eſſe ait Neomenia Ijar, id eſt, Maii.*

Ex hac Indictionis diviſione multiplici, & ex vario anni initio, de quo mox dictum fuit, ſolvi poſſe videntur, quæ diſcutienda proponit *Mabillonius*. Ut enim ipſemet notavit (*x*) vir eruditus: *in hac Indictionis methodo non* fuere *conſtantes* Pontificiorum Diplomatum ſcriptores. Unuſquiſque variabat olim pro arbitrio ſuo, ut ex *Chiffletio* (*z*) obſervavit Du Cange (*y*). Id probat idem auctor his verbis. (*a*) *Indictio Romana, ſeu Pontificia, quando cœperit, non omnino conſtat. Nam ex Epiſtolis Gregorii Magni, Johannis VIII, & Gregorii VII (Lib I Epiſtol. XXIX, XXX &c.) Pontificia Diplomata, ac Epiſtolas, Indictionibus more Græcorum, a prima ipſa Septembris die inchoatis, ſubnotari, obſervare eſt. Quod & aſtruunt acta vetera Vaticana apud Baronium an. MCLIV, Otto de Morena an. MCLVIII &c. At acta Alexandri III PP, apud eundem Baronium an. MCLVIII videntur Indictionem a I Januarii exordiri, in quibus hæc habentur; Acta ſunt hæc omnia anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia decima, undecimo Kalendas Decembris, Pontificatus vero ipſius anno ſexto. Ex quibus recte conficit Chiffletius in Trenorchio pag. 253, Indictionum initia, pro ſcriptorum, aut Notariorum arbitrio ea tempeſtate* tabu-

(*u*) *In Gloſſario, verbo: Indictio.*
(*x*) *Lib. II Cap. XXV num. VII pag. 185.*
(*z*) *In Trenorchio, vulgo Hiſtoire de l' Abbaye de Tournus.* pag. 253.
(*y*) *In Gloſſario, verbo: Indictio.*
(*a*) *Ibidem pag. 48.*

tabulis aſcripta. His conſentanea docet *Mabillonius* (*b*): *Indictionem Græcam, ſeu Conſtantinopolitanam aſcribunt*, inquit, *Epiſtolæ Gregorii Magni, Johannis VIII, & Gregorii VII. Unde Gregorius VII in Bullario* (Romano) *Tomo I pag.* 50: *Datum... III Nonas Septemb. Indictione incipien. XV. At* ſubſequentium Pontificum *Diplomata paſſim eam præferunt, quæ a Kalendis Januariis incipit, aut a Natali Domini pro novi anni exordio, ob idque Pontificia dicta eſt, nonnullis Chriſtiana.... In ſumma, Indictionum genera varie, pro ſcriptorum, aut Notariorum arbitrio, tam in Gallia, quam Romæ, & alibi variarunt*. Cum igitur in ipſiſmet Diplomatibus Pontificiis, nec Anni, nec Indictionis ſtylus idem ſemper ſit obſervatus, ſed variarint Notarii, quid mirum, quod reperiantur Autographa, quorum Indictio diſcrepat a vulgari, nec conciliari poteſt cum anno, & Indictione incipientibus a Kalendis Januariis.

Anni Pontificatus initium a die Coronationis, non ab electionis die petitur in Bullis.

XXI. Ad annos Pontificatus nunc venio. Cum enim ad *Eugenium IV* uſque, id unum paſſim legere ſit: *Datum Romæ V Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo*: tanti refert certo ſcire, quodnam ſit uniuſcujuſque Pontificatus initium, ut ſi nos lateat, media in luce cæcutiamus. Et primo dies, & annus electionis, dies etiam coronationis, & annus cujuſque Summi Pontificis in ipſo quaſi veſtibulo Pontificatus a me notati ſunt. Brevis illa quidem, ſed ad inſtituti mei rationem ſatis ſuperque longa notatio. An autem ab electionis, an a Coronationis die Annos Pontificatus numeraverint Prædeceſſores *Eugenii IV*, haud mediocriter profuerit, perſcrutari. Et ſane cum *iſte ſtylus* (Pontificatus inſcriptio) *maximam contulerit utilitatem Annalibus Eccleſiaſticis pro veritate eruenda, obliterata a Sedis Apoſtolicæ hoſtibus*, ut eruditus Cardinalis *Petra* docet (*c*) ex *Bellarmino* (*d*), in id quoque prodeſt hæc noſtra diſquiſitio. Ut enim ceteros taceam, & de nonnullis Bullariis, in quæ contra temporum rationem errores varii irrepſerunt; nihil dicam, no-

(*b*) *De Re Diplomatica Lib. II Cap. XXIV Num. III.*

(*c*) *Commentar. ad Conſtitut. III Paſchalis II Sect. unica Num. XXIX pag. 411 Tomi I.*

(*d*) *Lib. III de Romano Pontifice Cap. XXIV.*

noster ille, qui hanc neglexisse videtur *Bzovius*, ab re quandoque deductus est. Admonitus tamen sit lector, de annis duntaxat in *BULLIS* inscriptis id quæri, num ab Electionis, an a Coronationis die Annorum Pontificatus petatur initium. Constat siquidem, quod Summus Pontifex, etiam non inauguratus *plenam potestatem quoad jurisdictionem habeat, quamvis quoad Ordinem consecratio requiratur*, ut inquit Eminentissimus Cardinalis *Petra* (*e*). Hinc celebris illa *Decretalis* (*f*) Epistola, qua *Clemens V* damnat eos, qui contrarium sentientes, Bullis Pontificiis, ante Coronationem datis, morem gerere detrectabant. Certum est igitur Christi Vicarium posse, si velit, Pontificatus annos ab electionis die numerare, sed utrum id voluerint SS. Pontifices, quorum Diplomata transcripta sunt in hoc primo volumine, id unum quæritur: & voluisse negamus. Annos ergo Pontificatus non ab Electionis, sed a Coronationis die auspicati sunt isti; Isti inquam, non enim de successoribus eorum, de *Clemente V*, exempli gratia, de *Clemente VIII*, aliisque quæstio est: ut enim notat laudatus Cardinalis *Petra*, (*g*): *Tempore . . . . aliquorum Pontificum, quia satis dilata fuit coronatio, memoria est, quod etiam Bullæ fuerint promulgatæ cum Data Anni Pontificatus ante actum Coronationis*. At in Bullis ante Coronationem concessis a SS. Pontificibus, quorum Diplomata descripsi hoc in primo volumine, desideratur hæc *Data Anni Pontificatus*; argumento est igitur, quod a die coronationis duntaxat, non ab electionis die, Pontificatus Annos auspicati fuere. Non quidem difficile, sed longum esset, hoc de omnibus confirmare, quapropter consulto multos prætereo, & ut a quorundam exemplo de reliquis conjectura fiat, *Gregorii X*, *Innocentii V*, & *Nicolai III*, quorum Diplomata sunt ad calcem hujus voluminis, oracula referentur. *Nec mireris*, inquit Gregorius X, (*h*) *quod Bulla non exprimens nomen nostrum, est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis, & Benedictionis nostræ solemnia transmittuntur, quia ii, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt in*

(*e*) *Commentar. ad Constitut. unicam Gelasii Primi Num. X pag. 132 Tomi I.*

(*f*) *Extravagant. Commun. Lib. V Tit. IX de Sententia Excommunicat. Cap. IV.*

(*g*) *Commentar. ad Constit. Apostol. Proœmial. §. III Num. VII Tomo I pag. 9.*

(*h*) *Constitut. I pag. 503.*

in bullandis literis, ante suæ consecrationis munus, modum hujusmodi observare. Datum Viterbii IV Nonas Martii, suscepti a Nobis Apostolatus officii Anno Primo (i). Hujusce styli sex alias ejusdem *Gregorii* Bullas exscripsit *Petrus Maria Campi* (k). Eandem formulam refert Bulla *Gregorii X*, quæ legitur apud *Odoricum Raynaldum* (l). *Nec mireris &c. quia semper ii, qui fuerunt &c.* Huc alludit illud *Spondani* (m): *Ne arma, ligna, naves, & reliqua belli adjumenta Saracenis divenderentur, vel ullus quocumque modo eis favor impenderetur, anathemate probibuit* (Gregorius X), *& qui in id peccarent, ecclesiastica præterea sepultura indignos pronuntiavit, ut sunt de his ejus ad diversos literæ scriptæ IV, & III Nonas Martias Anno Primo suscepti a se Apostolatus officii, ut ponit, cum nondum consecratus, & coronatus esset; ac proinde nec nomen suum apposuisset: quandoquidem, ut addit, ii qui fuerant eatenus in Romanos electi Pontifices, consueverant in Bullandis literis, ante suæ consecrationis, & benedictionis munus, modum ejusmodi observare, quamvis nihilominus nomen accipere non diferrent; siquidem & ipse iisdem literis his verbis usus est: Gregorius electus Episcopus, Servus Servorum Dei &c.* Sic etiam *Innocentius V* (n), *Nec miremini*, inquit, *quod Bulla nostra, non exprimens nomen nostrum, est appensa præsentibus, quæ ante benedictionis nostræ solemnia transmittuntur, quia hi, qui fuerunt hactenus in Romana Ecclesia electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante suæ Benedictionis munus modum hujusmodi observare*. An aliqua firmiora, aut graviora quærenda sunt? *Semper ii qui fuerunt* ante Gregorium X *in Romanos electi Pontifices, consueverunt in Bullandis literis ante suæ consecrationis munus modum hujusmodi observare*, quod scilicet *Bulla* (id est plumbum) non exprimeret nomen Pontificis; quod *suscepti Apostolatus officii*, non autem *Pontificatus* annus inscriberetur. Si igitur & nomine Pontificis insignitum sit plumbum, & annus *Pontificatus* exprimatur in Diplomate, argumento est, SS. Pontificem jam inauguratum fuisse. Consequens est ergo, quod

(i) *Christi MCCLXXII die IV Martii*.
(k) *Histor. Placentin. Parte II pag. 411, 412, 413.*
(l) *Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXII Num. V.*
(m) *Annal. Eccles. ad an. MCCLXXII Num. I.*
(n) *Constitut. I pag. 541.*

quod annus ille sic inscriptus habeat initium non ab electionis, sed a die consecrationis. *Nicolaum III* nobis obiiciunt: *Videtur hic*, inquit Papebrochius (o), *a die electionis suæ numeravisse annos Pontificatus, siquidem in Registro ejus secundum ordinem temporis descriptæ sunt Epistolæ, quæ enim ibi est anni ejus III Epistola XX, apud Vvaddingum sub ejusdem nomine Bulla XXVIII, præcedens Bullam XXIX (quæ in Registro est Epistola L, data Idibus Februarii) signata habetur Nonis Januarii, id est, die V, quando solum numerari potuisset Annus II, si hic numeratus fuisset usque IX Januarii anni MCCLXXX. Sed fateor suspectum mihi valde esse ordinem Registrorum: quare huic a communi aliorum stylo exceptioni, inde sumptæ, non valde fido*. Recte dicit vir eruditus, & duabus anchoris fultus id confirmare potuisset. Extant siquidem *Nicolai III* Diplomata, quæ ad hanc nostram sententiam sic facta videntur, ut si non esset illustribus argumentis abunde comprobata, vel ex hoc uno Pontifice firmari posset: in tribus enim prioribus *Constitutionibus* (p) datis ante Coronationem eodem modo loquitur ac Prædecessores: *Nec mireris &c. Nec miremini &c.* Hic est mucro defensionis nostræ: illa siquidem verba plane decretoria dixerim. Sed hæc satis multa, vel plura potius quam necesse sit.

Mitto jam de die Coronationis quærere, utrum ad annum præcedentem pertineat, an ad subsequentem. Hic ego illud quod expeditissimum sit, ne disputo quidem. Enim vero sicut illa dies prioris anni Pontificatus initium dicitur, sic anno exacto dies anniversaria Coronationis orditur annum sequentem. Ita fert hodiernus usus; sed alius videtur antiquus: & ex vivæ vocis oraculo *Bonifatii VIII*, quod exscribam *Tomo II*, probatur, diem Coronationis ascriptum fuisse non subsequenti, sed anno præcedenti: *Datum* est enim *Laterani XVII Kalendas Februarii*, die nempe XVI Januarii, *Anno Domini MCCCIII, Pontificatus præfati Domini Bonifatii VIII Anno octavo*. Anno MCCXCV die XVI Januarii *Romæ* coronatus erat *Bonifatius*, cum igitur eadem die XVI Januarii Anno Christi MCCCIII

(o) *In Propylæo Maii Parte II in Nicolao III pag. 60.*

(p) *Pag. 553, 554, 555.*

MCCCIII Annus Octavus Pontificatus Bonifatii sit inscriptus, consequens est, diem Coronationis ad Annum præcedentem, non ad sequentem pertinuisse.

De subscriptione Bullarum, & Brevium.

XXII. Bullas, & Brevia nunc subscribi, docet experientia: secus alias factum fuisse, clamant ipsa Diplomata; quæ si defectu subscriptionis suspecta dixeris, infinitas pene literas, non Pontificias tantum, sed & Regias, & vulgares uno verbo pessundas. Nihil probari velim, me dicente, & ut vetera, quæ sunt innumerabilia mittam, proximis utar argumentis. Enim vero possumus auctoritate primorum hominum, quod dicimus, obtinere. In eadem sum sententia, qua Cardinalis Eminentissimus *Petra*. Refert (q), quod cum in sacra *Rota* fuisset *oppositum contra legalitatem* cujusdam Bullæ, *non adfuisse subscriptionem Vice-Cancellarii, cujus officium vigebat tempore Urbani IV illius Bullæ promulgatoris..... Rota respondit..... sufficere plumbum, cum talis subscriptio forsan tunc non vigeret*. Non vigebat certe, ut anno proxime elapso declararunt viri clarissimi DD. *de Fontaninis*, *de Riviera*, & *de Vignola*. Cuidam Bullæ *Clementis IV* diligenter expendendæ die XIX Aprilis MDCCXXVIII delegaverat ipsos Summus Pontifex *Benedictus XIII*, feliciter Regnans; die XXII ejusdem Mensis sententiam tulerunt eruditi viri. Publici juris est Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ, & ad calcem sic legitur: *Aggiungiamo ancora, che negli Archivi delle Città, e Chiese particolari si trovano passim simili Bolle indubitate de' tempi anteriori al Pontefice Bonifacio VIII senza sottoscrizione de' Segretarj, mentre allora per solenne autentica di esse soleva comunemente bastare l'apposizione del Pontificio sigillo di piombo. In fede di che &c.*

Io Giusto Arcivescovo d'Ancira, Abbreviatore del S. Palazzo, attesto quanto di sopra mano propria.

Io Domenico Riviera, Protonotario Apostolico, e Prefetto dell'Archivio di Castel S. Angelo, mi conformo al sentimento di Monsignore Arcivescovo d'Ancira.

Io Giovanni Vignoli, Custode della Libraria Vaticana, e Cameriere d'onore di nostro Signore, attesto quanto di sopra &c.

Sola

(q) *Commentar. ad Constitut. Apost. Procemial. §. IV pag. 33. num. LXXXIX.*

Sola sigilli consignatione, ceu summa, certaque fide, comprobata quondam fuisse Diplomata, censet etiam *Du Cange* (r) his verbis: *Hisce porro solis pensilibus sigillis, nullo apposito Chirographo, muniebantur Diplomata, quæ vim omnem iisdem conferebant*. Sic plerumque fiebat. Sed in maximi momenti Bullis Summos Pontifices, & Cardinales quandoque subscripsisse, certa res est, uti constat ex *Constitutione I Honorii III* (s), aliisque deinde. Quis primus hunc invexerit morem subscribendi Bullis, quærens *Papebrochius*, respondet (t): *Teste.... Mabillono Libro II Cap. XX maxime hic usus invaluit (qui etiam hodie in Bullis solemniter signatis obtinet) a Pontificatu Urbani II, ex quo tempore, quod antea non fiebat, subscribere cœpit etiam ipse Pontifex, hac formula* ✠ *Ego N. Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, subscripsi: tum Cardinales ex ordine sic* ✠ *Ego N. Basilicæ duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis, subscripsi, & ita consequenter alii*. Id de subscriptionis formula duntaxat dictum crediderim; vix enim persuasum haberem, Bullam *Johannis XV*, centum circiter annis ante Pontificatum *Urbani II* datam, clam fuisse doctissimis viris *Mabillonio*, & *Papebrochio*. Extat in *Bullario Romano*. Subscripsit Summus Pontifex hoc modo: *Ego Johannes S. Rom. Cath. & Apost. Eccles. Episc. huic decreto, a nobis promulgato, consensi, & subscripsi*.

Aliud in hujusmodi Bullis notandum. Duplex enim circulus invenire est illo fere modo, quem exhibet *Papebrochius* (u). Major non dividitur, sed in orbiculari spatio reperitur Scripturæ Sacræ sententia: minor autem Cruce distribuitur in quatuor partes, in quarum qualibet aliquid legitur. Sed de his alias.

Monogrammatis (seu subscriptionis), quod in iisdem Diplomatibus invenitur, formam refert *Papebrochius* mox laudatus, & addit: *Denique notabile est, quod hic idem Pontifex illam clausulam* Bene valete, *a Romanis Pontificibus usurpatam, saltem a tempore Caroli Magni, in Monogramma*

(r) In *Glossario*, verbo: *Sigillum*.
(s) *Pagina* 2.
(t) *Propylæo Maii Parte I in Leone IX Num. CLIV pag.* 190.
(u) *Loco laudato*.

ma redegerit, prout illud exhibet Mabillonus, Tab. L, ex Autographo Remigiano ad Herimarum Abbatem. Consulendus ipsemet *Mabillonius* (x). Addit *Du Cange* (z), quod *ita etiam interdum hæc formula concipi solebat, ut est in Epistola CIV, & aliis Johannis VIII PP. Optamus sanctitatem tuam in Christo Bene valere*.

De Sigillo Bullarum, & Brevium. XXIII. Ut tandem suis omnibus numeris, & partibus expleatur Bulla, insignitur sigillo plumbeo. *Deveniendo ad Bullas Summorum Pontificum, certum est*, inquit Eminentissimus Cardinalis Petra (y), *eas signandas esse sigillo ex plumbo pendenti cum cordulis, & sine tali sigillo Bullas vim non habere, cum recipiant ultimum complementum a plumbo*. Hic usus ab antiquo venit, ut omnes uno ore fatentur. Quandonam cœperit, diffident eruditi. Diversas hac de re sententias ubi retulit *Mabillonius* (a) palmam dat *Dominico Raynaldo* Bibliothecæ *Vaticanæ* Custodi. Ipsis suffragatur *Du Cange* (b) cujus hæc verba: *Polydorus Virgilius ait, Agathonem PP. in cera annulo impressisse sigilla: verum postea cum Summus Pontifex multa irrogaret privilegia, ut Diplomata diuturniora forent, placuisse Stephano III, & Adriano I tabulas Apostolicas plumbo obsignari, nec antiquius sigillum publicum reperiri, opinatur. Sed vetustiora Diplomata Summorum Pontificum, inquit Dominicus Raynaldus, Bibliothecæ Vaticanæ Custos, non vidit Polydorus: Nam tempore Silvestri, quo Ecclesia Romana ab immanissimo tyranno diu oppressa respirare cœpit, literæ Apostolicæ plumbo obsignatæ fuerunt; quæ quidem Bulla plumbea Silvestri reperitur in Archivo Aretino. Asservantur præterea, eodem teste, in Archivo Castri S. Angeli vetustissima in papyro ex frutice confecta Diplomata, plumbo obsignata Summorum Pontificum Leonis I, Gregorii Magni, ac Sergii. His consentanea habet Bromptonus pag.* 1718, *ubi ait; a tempore Gregorii Magni Bullas fuisse, & adhuc in Romana Ecclesia aliqua ipsius privile-*

(x) *De Re Diplomatica Libro II Cap. XIV num. X. pag.* 129, *& Lib. VI Corollar. I pag.* 622.
(z) *In Glossar. verbo; Bene valete*.
(y) *Commentar. ad Constitut. Apostolic. Proœmial.* §. *III Num. LVII Tomo I pag.* 18.
(a) *De Re Diplomatica Lib. II Cap. XIV Num. VII, VIII, IX, & X pag.* 128, *&* 129.
(b) *In Glossario, verbo; Bulla Tomo I pag.* 642.

vilegia bullata servari. Arridet *Raynaldi* placitum. Utinam, sicut auctorem sigilli plumbei, quod in Bullis adhibetur, utcumque nobis innuit, sic nos docuisset, quis primus in Pontificiis Diplomatibus usus fuerit sigillo cereo. *Sigilla siquidem Pontificum, seu Bullas in cera primum, deinde in plumbo expressas fuisse, communis opinio est*, inquit *Mabillonius* (c). Nunc *Brevia* duntaxat obsignant sigillo cereo, quod vocant *Annulum Piscatoris*. Rubei coloris est cera. Forma rotunda. Latitudo circiter uncialis. Sigilli character *S. Petrum* sedentem in navi, piscatoris instar, laxantem retia, nomenque Pontificis his verbis, exempli gratia: *Benedictus PP. XIII*: exhibet. Huc alludit *Clemens IV* scribens ad *Petrum Grossum de S. Ægidio* (d) .... *Non scribimus tibi nec familiaribus nostris sub Bulla, sed sub Piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in secretis utuntur*.

XXIV. Quid in sigillis plumbeis antiquitus insculptum fuerit, quærunt *Mabillonius* (e), & *Du Cange* (f). Audiendus Cardinalis *Petra*, qui de his enucleatius differit (g) his verbis: *Sigillum antiquitus non continebat Imagines SS. Apostolorum Petri & Pauli, ut tempore præsenti, nam pluries immutatum fuit..... Hinc antiquissima Diplomata videmus cum sigillo continente tantum Pontificis nomen in una parte, & in altera nomen* Papa, *ut temporibus Johannis V, Sergii Primi, Stephani* III, *Benedicti* III, *Nicolai Primi, & Johannis* XIII, *ac aliorum..... sic in Bulla Stephani* VII *in parte antica extat nomen Stephani, & in postica nomen* Papa; *cum Cruce intermedia. Sic in aliis nomen Johannis PP. in parte altera, in postica vero magna Crux, vel Roma picta, cum verbis* Aurea Roma. *Ita etiam tempore Urbani* II *ex una parte Urbanus PP., & in altera nomina Apostolorum, de quibus vide Ciaconium in vitis Pontificum, ubi hujusmodi signa describuntur..... In sequenti tempore fuerunt, loco nominum, positæ effigies, seu Capita*

Quid in Sigillo plumbeo sit insculptum.

SS.

(c) *Lib. II Cap. XIV Num. VII pag. 128.*

(d) *Diploma sic incipit; Multis de nostra. Extat apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCLXV pag. 170.*

(e) *Lib. II Cap. XIV Num. X pag. 129.*

(f) *In Glossario, verbo: Bulla.*

(g) *Commentar. ad Constitution. Apostolic. Proœmial. §. III Num. XXXIII, XXXIV, XXXV. Tomo I pag. 14.*

SS. Apostolorum, & aliqui id ascribunt temporibus Paschalis Secundi. Hæc ille. Addit, quod *Clemens VI primus apposuerit etiam insignia suæ progeniei in Bulla, nempe quinque Rosas, contra morem Antecessorum, quodque fuit observatum etiam tempore Clementis VII in quadam Bulla collationis factæ claræ memoriæ Ennio Cardinali Filonardo, ex parte Aviæ meæ paternæ Septimiæ Filonardi Consanguineo, de Abbatia Casamari in Campanea prope Babucum, antiquum oppidum de Dominio ejusdem familiæ: In sigillo enim plumbeo dictæ Bullæ, quæ penes me asservatur, videntur in calce sex globis parvis insignia gentilitia familiæ Mediceæ, cujus erat dictus Pontifex*. Quæ de *Clemente VI*, & *Clemente VII* narrat Cardinalis mox laudatus, *Papebrochius* ascribit etiam *Urbano V*, & *Paulo III*, dicens (*b*): *Albertus Argentinensis, hujus ævi scriptor, ad annum MCCCXLII notat, quod hic Papa* (Clemens VI) *cum arma progeniei suæ haberent quinque rosas, contra morem Antecessorum, totidem Rosas poni fecit in Bullis, quarum veriorem imaginem exprimens Ciaconii locupletator aliquis, Crucem in Bulla format, cujus singulis partibus inscriptæ Rosæ geminæ, cum ea, quæ in centro communis est omnibus, ipsas non solum semel, sed bis quinque efformavit. Religiosior tamen exempli semel præbiti imitator fuisse videtur Urbanus* (V) *pro signo assumens in suis Bullis quinque Cruces cruciformiter dispositas intra coronam querneam, civium servatorum symbolum, ut videre est in eodem auctiori Ciaconio. Ceteri communem fere morem tenuere, & primus ab illis post duo fere secula fuit Alexander Farnesius, qui Anno MDXXXIV factus Pontifex, Paulus III, innovavit aliquid, in gentis suæ Farnesiæ gratiam, nomini suo superscribi faciens sena lilia, & terna ex utroque latere apponens*. Quis ille sit *Ciaconii locupletator*, quem laudat, & excipit *Papebrochius*, minus laboro: unum scire juvat, illum vel hallucinatum, vel de quodam peculiari sigillo locutum fuisse. Enim vero sigilla *Clementis VI* Bullis autographis appensa dili-

(*b*) *In Propylæo Maii Parte II in Clemente VI pag. 89.*

diligenter, nec semel, expendi, & quinque duntaxat Rosas in ipsis vidi. Nec sigilli mutatio tanta est quanta fingitur, vel delineatur apud *Ciaconium*; Antica, siquidem, pars scilicet anterior, ut in Prædecessorum sigillis, exhibet capita SS. *Petri*, & *Pauli*, Crucem, & hæc verba *S. PA. S. PE.* In Postica vero, seu parte posteriori, legitur: *Clemens PP. VI*, quæ verba quinque Rosis stipantur.

Cur SS. *Paulus* a dextris, *Petrus* a sinistris videantur in *Bullis*.

XXV. Quod *Paulus* a dextris, *Petrus* a sinistris videantur in Bullis, id honoris præcipui *Paulo* impensi argumento esse, suspicantur nonnulli. Absurde: ut enim notat illustrissimus *Petrus de Marca* (i), *quod .... dextrum latus videtur, si Pauli imago cum Petri imagine comparetur, est latus sinistrum, si referatur ad inspicientes. Ex qua relatione sæpe metiendus est honoris gradus in conventibus publicis. Hinc profectum, ut Episcopus in parte Chori sedeat, quæ dextra est ingredientibus, & tamen respondet cornu sinistro Altaris, in quo sinistrum, & dextrum latus nuncupamus respectu habito ad Divini Numinis præsentiam*.

Quid sit Bulla dimidia?

XXVI. Aliud observatione dignum, quid nempe sit Bulla dimidia? *Datur etiam dimidia Bulla*, inquit Cardinalis Petra (k), *quæ est habens tantum imaginem SS. Apostolorum Petri & Pauli ex una parte, ex altera vero sine aliqua impressione nominis Papæ, qua utitur Summus Pontifex creatus, non autem consecratus, ut innuit Innocentius Tertius Libro I Regest. Epistola LIII. .... & post mortem Pontificis, plumbo in albo plumbantur Bullæ, dum gratiæ non fuerunt in totum absolutæ*. De *Innocentio III*, cujus hic mentio, sic loquitur *Odoricus Raynaldus* (l): Permulta *Innocentius sanciebat antequam solemnibus cæremoniis tiara Pontificia esset redimitus, ne, ut ipse loquitur, & temporis intervallo marcesceret otio, suæque promotionis primitias Deo surriperet, cui universa opera consecrare tenebatur. Tunc vero dimidia tantum Bulla Diplomata consignabat, quorum auctoritas ne ab aliquo revocaretur in dubium, atque infringeretur, encyclicis ad Præsules datis Literis, ejusdem*

fidei

(i) In *Exercitatione de singulari Primatu Petri* Num. XXI.

(k) In *Commentar. ad Constitut. Apostolic. Proœmial.* §. III Tomo I pag. 16. Num. XLV

(l) *Annal. Ecclesiast. ad an MCXCVIII num. XII.*

fidei esse decrevit, ac reliqua, quæ Bulla integra postea communita forent. Huc refer illud, quod ex *Cæremoniali Romano* (m) docet *Macri* (n). *Electus in Pontificem pro illo interim scribebat in literis Apostolicis : N. Electus Servus Servorum Dei: Atque in plumbo non imprimebatur ejus nomen, sed solum Capita SS. Petri & Pauli, & in data ponebatur: Suscepti a Nobis Apostolatus officii anno &c.* Sic alias: nunc autem *ex usu Papa non solet expedire Bullas, ubi apponitur denominatio Episcopi, & plumbum ante* Coronationem, ut inquit Cardinalis Petra (o), *sed expedit negotia mediantibus Brevibus, in quibus non utitur plumbo, sed simplici Annulo Piscatoris, & inscribitur tantum nomen Pontificatus, sine denominatione Episcopi, & in praxi ita servatur.*

De Filis, e quibus pendet Sigillum plumbeum. Quid discriminis sit in Bullis inter serica & Cannabina? & an ipsis consumptis, viribus careat Diploma?

XXVII. Observat *Cabassutius* (p), quod *quoties Bulla expeditur in materia gratiæ, sigillum appenditur e filis sericis, si vero sit Bulla in materia justitiæ, aut si sit executoria, appenditur plumbum filis cannabinis.* Sed quid opus facto, si temporis injuria, vel partim, vel omnino perierint isti funiculi? tenues sunt. Ipsis ne consumptis, viribus caret, & ipsum Diploma? Absit. Alias ab uno, vel altero filo penderet nonnullorum fortuna. *Innocentius IV*, verba sunt Mabillonii (q), *in Rescripto ad Abbatem Monasterii de Firmitate, Ordinis Cisterciensis, consultus de quibusdam Apostolicis privilegiis, quorum fila serica e bullis dependentia magna ex parte amputata erant, declarat, ea privilegia ob id suspecta reputari non debere, dummodo alias omnino suspicione careant. Idem etiam scripsit ad Abbatem de Boberiis, ejusdem Ordinis, Diœcesis Laudunensis.* Idem judicium sacram *Rotam* tulisse, refert Eminentissimus Petra (r): *Quid vero sit dicendum*, inquit, *si cordulæ sigilli sint corrosæ? & non obstare legalitati, dixit Rota coram S. M. Alexandro VIII. Dec. CLXXV num. III, cum talis corrosio possit verisimiliter exoriri a vetustate temporis, immo numero IV addit, non obstare legalitati, etiamsi sigillum in totum non* repe-

(m) *Libro I Sect. II Cap. I.*
(n) In *Sacro Dictionario, verbo* Papa.
(o) *Commentar. ad Constitut. Apostol. Proœmial. §. III Num. XLV. Tom. I pag. 16.*
(p) In *Juris Canonici Theoria & Praxi Lib. I Cap. VI num. VI pag. 14.*
(q) De *Re Diplomatica Supplement. Cap. XI Num. I pag. 46.*
(r) *Loco laudato, §. IV Num. LXXXIV pag. 33.*

reperiatur .... Sed in hac materia est distinguendum, quoad defectum sigilli, an scilicet agatur de Bulla recenti ..., quia valida conjectura est non legalitatis Bullæ talis defectus sigilli .... Aliter vero erit dicendum in Bulla antiqua. Verum in hoc Regula certa nequit assignari, sed totum est remissum arbitrio prudentis judicis, illudque est variabile juxta casuum contingentiam, prout concurrunt adminicula majoris, vel minoris ponderis, sic pro adminiculis adducuntur antiquitas, & observantia, quod &c. Eandem causam vitii non dissimilis, quo laborabat antiquum Diploma Monasterii *Compendiensis*, assignat suprema *Parisiensis* Curia, sic enim legere est in *I Regesto Parlamenti Parisiensis fol. 185 inter Arresta Pentecostes Anni MCCLXXI*, apud *Du Cange* (s): *Quoddam Privilegium Monasterii Compendiensis bulla aurea Caroli Calvi Franciæ Regis signatum arrestatum fuerat, tanquam de falsitate suspectum, per Curiam, coquod filo, cui Bulla ipsa appendebatur, poni poterat Bulla, & de eo removeri. Postmodum considerato, quod hoc plus proveniebat ex antiquitate privilegii ipsius, quam ex aliqua falsitate, præcepit Dominus Rex, privilegium ipsum reddi Abbati.*

Cur hic exhibeantur Regulæ, quibus vera Diplomata secernuntur a subdititiis.

XXVIII. Ut stem promissis, Regulæ, quibus a subdititiis vera Diplomata secernenda curavi, nunc describendæ. Ipsas ex Oraculis Summorum Pontificum, ne longius ex Criticorum placitis abriperer, mihi constitui; nec ut exemplo sim ceteris, sed ut quisque rationis agendi, consiliique mei particeps sit, & judex, illas exhibeo.

Prima Regula.

XXIX. Prima Regula: *Privilegia non inspecta non valent argui falsitatis*. Auctor est *Alexander III Lib. II Decretal. Tit. XXII de Fide Instrumentor. Cap. IV*, & in confesso est apud omnes. Nugantur enim mea quidem sententia, vel ludos præbent recentiores nonnulli, qui citra delectum omnia passim mordent antiqua Diplomata, licet non inspecta. Sic cæcus monstrat viam: sed Patribus aliter visum est. *Si authenticam chartulam non videmus, aut exemplaria*, inquiebat S. Gregorius (t), *nil possumus facere*. Ceterum diligens sit

(s) In *Glossario*, verbo: *Bulla*. Tomo I pag. 639.

(t) *Lib. III Indict. XI Epist. III*, alias *Lib. II Indict. XI Epist. III.*

hæc *inspectio*, ut penitus recognoscatur Diploma. Quamvis enim non inficias eam, quod *quemadmodum periti aurifices aurum sincerum a falso nonnunquam solo tactu discernunt.... sic in discernendis authenticis instrumentis a falsis, experientia necessaria sit*, ut inquit Mabillonius (*u*), & *hac experientia qui præditus fuerit, singulas rei objectæ circumstantias uno intuitu* percipere possit: sæpius tamen sola prima inspectione plerique minime sentiunt instrumentorum vitia, quæ prodit, & nudat alius, qui omnibus vestigiis indagat errorem. Habent & ipsi aurifices lydium lapidem. Nec deerit indagatori Diplomatum, si non acri quidem, sed intento sit animo, quo plenius & apertius illa intueatur. Nihil eum prætereat. Omnia rimetur, scripturæ formam, stylum, chartam, notas chronicas, subscriptiones, filum, sigilla &c. Huc pertinet illud *Innocentii III* decretum (*x*): *Qui literas* (Apostolicas)... *receperit, eas in Bulla, filo, charta, stylo dictaminis, scripturæ forma, & aliis in quibus notari, vel deprehendi falsitas potest, circumspiciat diligenter*. Hanc Regulam sibi, & aliis proposuerat *Innocentius III*, ut enim, inquit Bosquetus (*y*): *controversiam.... quæ vertebatur inter Mediolanensem Archiepiscopum, & Abbatem de Scozula super jurisdictione & portu de Sexto, cum honore, districtu, & jurisdictione præfati loci, Castellaniæ, hominum quoque, qui habitant in Banenogralia, Carpuneo, Vestripeno, Can lempleno, Insula superiore Balgealtæ, ac Lilia, mirabiliter terminavit. Nam cum diu, multumque super his coram diversis judicibus delegatis fuisset a partibus litigatum, & testes, ac instrumenta producta: ipse habens instrumenta suspecta, pro eo, quod cum cera sigilli ab interiore parte, quasi ad conservationem sigilli, recens erat, & mollis; falsitatem taliter inde arguens, præsentibus partibus cum omnibus advocatis, in conspectu omnium frangi jussit sigilla, & si reperirentur vera, & incorrupta, renovari faceret instrumentum sub testimonio Bullæ suæ, si vero invenirentur corrupta, vel falsa, nolebat quod prævaleret falsitas veritati.*

(*u*) De Re Diplomatica Supplement. Cap. I Num. III pag. 2.
(*x*) Apud Mabillonium de Re Diplomat. Lib. VI. pag. 634.
(*y*) In Notis ad Innocent. III. Epistol. Lib. II Regest. XIV pag. 155 ex Gestis ejusdem Innocentii

tati. Quod cum factum fuisset, certo certius est compertum, quod sub vetusto sigillo charta fuerat perforata, & per glutinum novæ ceræ, quæ posita fuerat exterius, quasi ad conservationem sigilli, vitiose fuit ipsi chartæ conjunctum. Et *sic, falsitate comperta, contra Monasterium sententiam promulgavit, omnibus admirantibus, quod mirabiliter deprehenderat vitium falsitatis*. Quam diligenter expensum fuerit Instrumentum, ut quaqua versus inspectum, docet ipsemet *Innocentius* Libro II *Decretal. Tit.* XXII *de Fide Instrumentorum Cap. VI*, ubi sic Archiepiscopum *Mediolanensem* alloquitur: *Contra privilegium donationis a procuratore tuo multa fuerunt objecta. Primo, quia ibi maxime apparebat consumptum, videlicet in annotatione Indictionis, ubi potuisset falsitas facilius deprehendi. Secundo quia cum charta vetustissima videretur, recentior apparebat Scriptura, tanquam non illo tempore facta fuisset. Tertio, quia falsum sigillum vitiose videbatur appositum, eo quod a media parte sigilli apparebat quædam imago non cum Mitra in capite, sed cum pileo, nec induta Pontificalibus, sed regalibus indumentis, tenens in manu non baculum pastoralem, sed quasi sceptrum regale, cujus facies non apparebat integra, sed dimidia, tanquam in illa medietate respiceret aliam mediam, quæ tamen tota vacua remanebat, sed quædam imago videbatur ex ea fuisse deleta: quia cera in ea parte, nec in colore, nec in planicie reliquæ parti similis apparebat: unde non Episcopi, sed Imperatoris videbatur fuisse sigillum, quia in una medietate Cæsaris imaginem exprimebat, & in altera medietate præsumebatur, vel filii, vel conjugis imaginem habuisse: nam in ipso sigillo nullæ aliæ literæ apparebant, nisi quæ nomen proprium cum hac adjectione, Dei gratia, designabant. Sed cum proprium nomen ipsius Episcopi fuerit Luitardus, & in nomine proprio, quod exprimebat sigillum, deletæ fuerant duæ literæ; secunda, quæ erat inter l & t, & sexta, quæ fuerat inter r & u, ita quod si secunda o, & sexta fuisset i,* pro-

proculdubio non Luitardus, sed Lotharius legeretur: quod etiam inde convinci poterat, quod secundum dispositionem aliarum literarum inter l & t non erat spatium, nisi quod potuisset unam literam continere, cum secundum integritatem hujus nominis Luitardus, inter l & t duæ literæ sunt diversæ; præterea inter r & u tam modicum erat spatium, ut in eo nec hæc litera d, quæ majus occupat spatium, sed hæc litera i, quæ minimum occupat, videretur formata fuisse. Rursus cum cera sigilli ab interiori parte vetustissima esset, cera, quæ posita erat ab exteriori parte quasi ad conservationem sigilli, recens erat, & mollis. Quod cum diligenter investigatum fuisset, certo certius est compertum, quod sub vetusto sigillo charta fuerat perforata, & per glutinum novæ ceræ, quæ fuerat posita exterius quasi ad conservationem sigilli. vitiose fuit ipsi chartæ subjunctum. Eadem falsitatis specie, per vitiosam videlicet adpositionem sigilli, cetera fere privilegia Romanorum Imperatorum præter privilegia Henrici, vel falsa reperta sunt, vel falsata. Sed & ipsum Henrici privilegium ad fidem instruendam non videbatur sufficere, quia nec erat publica manu confectum, nec sigillum habebat authenticum, eo quod erat ex media fere parte consumptum, nec plus de nomine proprio, nisi ultima medietas: videlicet icus, nec de ceteris literis nisi hæc adjectio, Dei gratia, adparebat, ita quod ex literis ipsis non magis poterat comprobari fuisse sigillum Henrici, quam Lodovici. Instrumentum quoque sententiæ multis modis inveniebatur suspectum, tum quia in ipso quædam adparebant lituræ: tum quia subscriptio Notarii videbatur manus alterius fuisse, quam subscriptio instrumenti, cum tamen Notarius in subscriptione profitetur, se instrumentum manu propria conscripsisse. Litera quoque recentior videbatur quam charta, & aqua videbatur encaustum infectum, ut antiquius adpareret. Ex hoc uno exemplo de reliquis facile conjectura fiet.

Secunda Regula.

XXX. Secunda Regula: *Vel in modo dictaminis, vel in*

forma

forma scripturæ, vel qualitate chartæ, falsitas cognoscitur. Sic definit *Innocentius* III *Lib. V Decretal. Tit. XX De crimine falsi Cap. V.* Consulendi *Mabillonius* (z), & Eminentissimus Cardinalis *Petra*, qui varias hac de re Decisiones Sacræ *Rotæ* refert (a).

XXXI. Tertia Regula: *Defectus literæ non vitiat Rescriptum.* Infertur ex Epistola Decretali *Honorii* III, quæ legitur *Lib. II Tit.* XXII *Cap. XI*, ubi hæc habet. *Quia Rescriptum Apostolicum pro eo, quod in hac dictione: Spoliarunt: hæc figura o deerat, asseritur vitiosum, mandamus, quatenus hoc non obstante in negotio ipso ratione prævia procedas.* Hoc oraculum æmulatur *Innocentius* IV *Constitutione* CCLCI *pag.* 214., cujus hæc verba: *Cum Literæ nostræ, quas super negotio hæresis, in Lombardia, Marchia Tervisana, & Romaniola, extirpandæ, nuper a Sede Apostolica Fratres vestri Ordinis reportarunt, processerint, sicut accepimus, in aliquibus propter nimiam festinationem incorrectæ: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, incorrectionis non obstante dispendio, quod ex superfluitate, vel diminutione LITERÆ, seu SYLLABÆ, sive DICTIONIS unius, vel plurium, inducatur, in memorato negotio procedatis juxta earundem continentiam Literarum.* Tertia Regula.

Hæc Tertia Regula valet in illos, qui usque eo difficiles ac morosi sunt, ut ipsis nec satisfaciant accuratiora. Extitit qui literas insimulabat falso, quia punctus deerat. *Cum vellent dicta testium publicare Procurator...*, inquit *Innocentius* III *Lib.* I *Regest.* XIII *Epist. LIV* (b), *qui venerat ad aliud peremptorium, quod assignaverat, appellavit, literas arguens falsitatis, & Bullam volens astruere, quia punctus deerat, esse falsam.* Quia *sigillum erat positum ex transverso*, quasdam alias literas eodem vitio falsitatis laborare, contendebat quidam, de quo loquitur idem *Innocentius Lib. II. Regest. XIV Epist.* LXXXVII (c) dicens:

Ex

(z) De *Re Diplomatica supplement.* & alibi passim.
(a) In *Commentar. ad Constitut. Apostolic. Proœmial.* §. *IV Num. LXXX, &c. pag.* 33.
(b) *Edit. Bosqueti pag.* 48.
(c) *Eadem edit. Bosqueti pag.* 235.

Ex parte ... Fratrum Fontis Giardi in modum exceptionis extitit allegatum, quod literæ præmissæ Vuillelmi Cenomanen. Episcopi erant falsæ, pro eo scilicet, quod sigillum ejus erat positum ex transverso, petens, ad id probandum judices sibi dari: quam exceptionem, quia frustratoria videbatur, nullatenus duximus admittendam. Adeo pullulant ingenia in causis falsi confingendis, inquit *Mabillonius* (*d*). Hinc notat idem *Mabillonius* (*e*), *unum, aut alterum defectum, modo essentialis non sit, legitimis Autographis obesse non debere*. Id autem non Autographa duntaxat, sed etiam, immo multo magis exempla, seu copias, ut loquuntur, spectat. Audiendus hac de re *Mabillonius* (*f*): *Magnum discrimen*, inquit, *inter falsa & interpolata* Exempla: *falsa enim nullo pacto excusari possunt, sed interpolatio, ut plurimum venialis est. Hæc adjectione, immutatione, & errore fieri potest: Scilicet qui chartas authenticas Ecclesiæ, vel Monasterii in unum corpus, quod chartularium vocant, redigebant, sicuti annos duntaxat Pontificum, Regum, aut Imperatorum antiquioribus instrumentis appositos deprehendebant, de suo annos Incarnationis, vel etiam Indictionem adiiciebant, ut tempus dati Instrumenti accuratius distingueretur. Qua in re non raro peccabant in Chronologiæ regulas, sed non contra justitiæ leges: & hæc est interpolatio, quæ fit per adjectionem. Alia fit per immutationem, cum scilicet unum vocabulum alio redditum, vel temere emendatum est. Quod accidit nonnunquam imperitis, qui se peritos putant, ut qui fevum in antiquis illis instrumentis legebant, forte substituebant feodi vocabulum, quod priscis illis temporibus necdum in usu erat. Denique ex scriptoris errore sæpe fit, ut vel in authentici difficilis lectione non satis exercitatus, vel fallente oculo, aut unum versum transiliat, aut unum præ alio vocabulum, plurave describat, atque inde oriuntur transumptorum variæ lectiones, quarum diversitas authenticorum auctoritati obesse non debet*.

XXXII. Quar-

(*d*) *Lib. VI Corollario I pag. 624.*
(*e*) *Lib. III Cap. VI Num. V pag. 243.*
(*f*) *In Supplement. Cap. IV Num. II pag. 16.*

XXXII. Quarta Regula: *Rescriptum non censetur falsum, aut suspectum ex eo, quod in facti narratione, & loco non suspecto literæ sunt abrasæ*. Ita docet *Alexander III Lib. II Decretal. Tit. XXII Cap. III*, cujus hæc verba: *Ex literis vestris accepimus, quod cum causa, quæ inter Magistrum A..., & R.... super Capella de Ambitoria vertitur, de mandato nostro susceperitis terminandam, præfatus R... literarum sibi copiam fieri postulavit. Qui cum eas argueret falsitatis, quia in narratione facti abrasæ sunt, ubi scriptum est, jura paræcialia*: (& infra); *dicimus, quod propter abrasionem illam judicari falsæ non possunt, nec etiam haberi suspectæ, præsertim cum privilegia in possessionibus abradantur, & literæ in narratione facti (si erratum est) possunt incunctanter abradi*. Idem ab *Innocentio III* sancitum legitur *Lib. V Decretal. Tit. XX de crimine falsi Cap. IX*, ubi sic loquitur Summus Pontifex; *Literas ipsas, quæ redargutæ fuerant falsitatis, diligentius intuentes, nullum in eis falsitatis signum, vel suspicionis invenimus, nisi paucarum literarum rasuras, quæ nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt*; quia nempe, cum sint in loco non suspecto, ab ipsismet S. Sedis Ministris factæ judicantur. Secus autem, si locus abrasus substantialis esset, tunc enim opinio præsumpta in ipsos Diplomatum latores videretur, & vitiaret Rescriptum. Hinc illud oraculum *Innocentii III* loco mox citato *Cap. V... Quinta* species falsitatis est; *cum literis bullatis, & redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta; cum scriptura literarum, quibus fuerat adposita vera Bulla, cum aqua, vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta, cum calce & aliis, juxta consuetum artificium, dealbata, de novo rescribitur. Septima; cum chartæ, cui fuerat adposita vera Bulla, totaliter abolitæ, vel abrasæ, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur*. Quarta Regula.

XXXIII. Quinta Regula; *Solœcismus vitiat Apostolicum Rescriptum*. Id a *Lucio III* sancitum legitur *Lib. I Decretal. Tit. III de Rescriptis Cap. XI*, cujus hic tenor. *Ad audientiam nostram, te significante, pervenit, quod H... de San-* Quinta Regula.

&o Stephano super absolutione sua literas tibi (ut prima facie videbatur) Apostolicas præsentavit : Quibus quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere. Eadem de causa (videlicet *propter vitium, & corruptionem Grammaticæ artis*) SS. Pontificum *Zachariæ* & *Leonis* Rescripta reiicit *Alexander III* apud *Innocentium III Lib. XI Epistola CXXVI* (*g*). Cavendum tamen, ne nimis in judicando præceps, aliquis insimulet falsa latinitate Diplomata, quæ hoc vitio non laborant. Ea fuit temeritate quidam, quem mordacem & impium vocat *Gonzalez Telmez* (*h*), ut omnia passim SS. Pontificum Rescripta barbarismis, & solœcismis scatere somniaret. De vocibus illis, quas barbaras vocant, dixi *Numero VI*. De solœcismis loquens *Gonzalez* mox laudatus, *Scipionem*, invido, superboque dente Diplomata Pontificia petentem sic alloquitur: *O impia Scipionis verba, qui ita audenter in sacras Constitutiones irruis! etsi enim aliquando ex incuria typographi, aut bibliopolæ irrepsit vitium latinitatis, idcone arguendi, & increpandi sunt Religionis nostræ Summi Præsules, qui statuerunt, adeo vitium latinitatis alienum esse suis literis, ut & eas vitiare decreverint?* Omitto cetera, ne sit infinitum. Unum duntaxat hic recinam exemplum, quo monitum velim lectorem; ut singulari moderatione sit, dum vel falsa latinitate, vel mendis postulantur Diplomata Pontificia. De sciolis nihil moror. Magnum illum *Baluzium* norunt eruditi. Nunquam interituram sibi certe peperit famam, vir de re literaria optime meritus. Quis sibi non timebit, si doctus ille hallucinatus hac de re fuerit? Fuit sane. *Quoties*, inquit Baluzius (*i*) *occurrit insigne aliquod mendum in Bulla cujusdam Romani Pontificis, non statim judicandum est, eam esse falsam. Exemplo esse potest Epistola Innocentii III ad Archiepiscopos Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem, cujus paria exemplaria, mutatis mutandis, missa sunt etiam ad Archiepiscopum Lugdunensem, ad Philippum Regem Francorum, & ad Comites & Barones per Regnum Fran-*

(*g*) *Edit. Baluzian. Tomo II pag.* 197.

(*h*) In *Lib. I Decretal. Tit. de Rescriptis Cap. XI. Tom. I pag.* 111.

(*i*) Apud *Mabillonium De Re Diplomatica Lib. VI Corollar. I. pag.* 624.

Franciæ constitutos. Extant illæ in Libro XI Regestorum ejusdem Innocentii Epist. XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX; utrobique autem ita legitur de Petro de Castronovo: Jam, ut credimus, miraculis coruscasset, nisi hoc illorum incredulitas impediret, de quorum similibus in Evangelio legitur, quod Jesus non faciebat ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum: quia quanquam linguæ non fidelibus sed infidelibus sunt in signum, Salvator tamen &c. Constat autem vocem LINGUÆ in hoc loco esse mendosam, quod intelligens Odoricus Raynaldus eam sustulit, & propria auctoritate reposuit: MIRACULA: ne monito quidem lectore, se ita mutasse. Attamen in Regesto diserte scriptum est: Linguæ: itemque in variis exemplaribus bullatis, quæ tum missa sunt in Gallias, ut patet ex Petro Monacho Vallium Sarnai Cap. VIII Historiæ Albigensis, ubi referens Epistolam illam, descriptam, ut apparet, ex aliquo illorum exemplarium, Linguæ vocabulum exhibet non solum in editionibus, sed etiam in veteri Codice Ms. Bibliothecæ Colbertinæ. Atque ita etiam legebat Arnoldus Sorbinus in Libro veteri &c. Id probat, & concludit: *Legendum itaque Signa pro Linguæ. Idem patet ex Epistola LXXIII ejusdem Libri XI scripta ad Conventum Monasterii Corbejensis in Saxonia: ubi Pontifex scribens adversus Abbatem Hevvordeldensem, qui absque Romani Pontificis auctoritate ad Corbejense Monasterium migraverat, & inconsultis Apostolicæ Sedis Legatis, qui tum erant in Germania, ait; cumque Northusium advenisset regalia recepturus, iidem existentes ibidem, ut contemptus ejus manifestior appareret, ad eos accedere non curavit: Certum est heic legi debere; Iisdem existentibus. Verum in Regesto legitur: Iidem existentes; itemque in Authentico Monasterii Corbejensis, cujus exemplum ad me olim misit celsissimus, & eruditissimus Princeps Ferdinandus Furstenbergius, Episcopus Paderbornensis, & Monasteriensis.* Hæc fusius ille, ego, quasi præteriens, satisfaciam universis.

Ut igitur mendi, quod in Diplomatum Pontificiorum Autographa potest irrepere, statueret exemplum, *Baluzius* inqui-

inquirens in hæc Autographa, offendit duo, duo proponit *insignia menda*. Primum est illud: *Linguæ non fidelibus, sed infidelibus sunt in signum*. Secundum illud est: *Iidem existentes ibidem*. *Constat*, inquit Baluzius, *vocem linguæ in hoc loco esse mendosam*. Dicendum tamen, *vocem linguæ hoc in loco* apposite scriptam. Hic enim locus oraculum Scripturæ est, non Pontificis. *Paulus* ibi laudatur, & Doctoris gentium testimonio, quod legere est *I ad Corint. XIV.* 22, firmat *Innocentius*, quæ dicturus erat. *Linguæ*, inquit, id est donum linguarum, quod utique miraculi plenum est, *linguæ non fidelibus, sed infidelibus sunt in signum*: *Salvator tamen præsentatus Herodi, qui teste Luca valde gavisus est, viso ipso, pro eo quod signum aliquod ab eo fieri sperabat, & facere dedignatus est signum, & reddere interroganti responsum, sciens, quia incredulitas signorum, non credulitatis inductio, sed vanitatis illum admiratio delectabat*. Ac si diceret: *Albigensium* incredulitas impedimento fuit, ne *Petrus de Castronovo* miraculis coruscaret, sicut incredulitas Judæorum impedivit, ne *Jesus* faceret virtutes multas, sicut etiam incredulitas *Herodis* obfuit, ne *Jesus* redderet responsum, licet *Herodi* incredulo donum linguarum in signum esse potuisset. Ad secundum nunc veniamus. *Certum est*, inquit Baluzius, *heic legi debere*: *Iisdem existentibus*: *verum in Regesto legitur*: *Iidem existentes*. Utrumque bene: Primum elegantius quidem ex Ablativo casu, quem dicunt absolutum, aliud autem ex figura, quam Grammatici vocant *Ellipsim*, non caret elegantia. Sensus est: *iidem existentes ibidem erant*. Exprimi quidem potuisset illud verbum *erant*, uti dicitur *vivere vitam*, *peccatum peccare*, *sunt aliqui hic stantes*, sed elegantius suppletur, quia participium *existens* illud ex sese denotat. Hac de re si fluctuas, consulendi Grammatici. Ex alia figura, quæ *Antiptosis* nuncupatur, respondebunt certe, quod hic *nominativus* casus pro ablativo substituitur. Utrum figmentum sit hæc figura, qua *nihil imperitius*, ut *Sanctius* dictitabat (*k*), an optima sit, non laboro; verum, ut intimos animi sensus semel aperiam, non in *Baluzium*, qui non peccavit in hoc, sed in

(*k*) Libro IV.

in nonnullos alios : dic, amabo, quænam est ista miseria? Si reperiant epigramma in corroso quopiam saxo, ineptus licet, & paganicus sensus plerumque sit, quamvis insignes ipsum vitient solœcismi, ut observat auctor *Dialogi Ciceroniani*, mirantur, exosculantur lapidem, verba venerantur, torquent ingenium, ut aliquid excusationis habeant antiqui, & derident Apostolica verba: nec ex usu, qui, *Scaligero* teste, *Magister est, & dictator loquendi*, nec ex Regulis, quibus Grammatici prisca menda purgarunt, leviora quædam condonant, si offendant illa in Pontificiis Diplomatibus.

XXXIV. Sexta Regula: *Si tenor Diplomatis possit esse suspectus, fiat collatio de falsa Bulla* (id est sigillo plumbeo) *cum vera*. Id totidem verbis decernit *Innocentius III Lib. I Epistola Data Romæ apud S. Petrum XIV Kalendas Junii Pontificatus Anno Primo*. Eadem Regula usus est *Alexander III* apud laudatum *Innocentium III Libro XI Epistola CXXVI*, ubi de quodam privilegio *Leonis* Papæ sic loquitur: *Privilegium autem Leonis propter vitium, & corruptionem grammaticæ artis, quod de tam literato viro absurdum est existimare, quod tam idiotas scriptores habuerit, & propter Bullam, quæ a Bullis ejusdem Leonis, quæ coram nobis productæ fuerunt, omnino comparebat dissimilis, cum illæ inter se comparerent per omnia similes*, suspectum, *& fide non* dignum *judicavimus*. Quanta porro diligentia fieri debeat hæc utriusque Bullæ, veræ ac falsæ, collatio, docet *Innocentius III* in Epistola Decretali, quæ partim legitur *Lib. V Tit. XX De Crimine falsi Cap. V..... Licet in stylo dictaminis, & forma scripturæ*, inquit Innocentius, *aliquantum cœperimus dubitare, Bullam tamen veram invenimus, quod primum nos in vehementem admirationem induxit, cum literas ipsas sciremus de nostra conscientia nullatenus emanasse. Bullam igitur hinc inde diligentius intuentes in superiori parte, qua filo adhæret, eam aliquantulum tumentem invenimus, & cum filum ex parte tumenti sine violentia qualibet aliquantulum attrahi fecissemus, Bulla in filo remanente, filum ex parte alia fuit ab ipsa sine difficultate aliquatenus avulsum, in cujus summitate adhuc* etiam

Sexta Regula.

etiam incisionis indicium apparebat: per quod liquido deprehendimus, Bullam ipsam ex aliis literis extractam fuisse, ac illis per vitium falsitatis insertam, sicut ex literis ipsis plenius cognoscetis, quas ad majorem certitudinem vobis duximus remittendas..... Ut autem varietates falsitatis circa nostras literas deprehendere valeatis, eas vobis præsentibus literis duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, ut falsa Bulla falsis literis adponatur. Secunda, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera Bulla falsis literis immittatur, sub eadem plicatura cum filo similis cannabis restauratum. Quarta cum a superiori parte Bullæ, altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per idem filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum..... In ceteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtusione, præsertim si Bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alicubi magis depressa.

Undenam deprompta sint Diplomata hoc in opere transcripta.

XXXV. Cum præ oculis essent hæ Regulæ, summa cura, maximaque diligentia, recognita sunt omnia, omnia cum Autographis, vel exemplaribus collata.

Ubi vero sint hæc Autographa, dicam: quænam sint hæc exemplaria, notabo: auctores etiam nonnullos identidem laudabo, a quibus quædam descripta sunt. *Bullarium Bononiense*, sæpius hoc in opere laudatum, codex est manuscriptus exhibens Diplomata, quæ reperiuntur in Cœnobio nostro *Bononiensi*. Hujus auctor est Eminentissimus, & omnium calculis doctissimus noster Cardinalis *Gotti*; Ut summi & amœnissimi ingenii, ita laboris inexhausti ipsum semper fuisse, produnt opera varia, quæ publici juris fecit vir eruditus. Quod in antiquioribus monumentis apprime diligens fuerit, ex hoc *Bullario Bononiensi* constat. Archivum Ordinis, de quo sæpe mentio fit, illud est, in quo Magister Generalis antiqua manuscripta monumenta, cujusque Cœnobii, Diplomatum Autographa, ceteraque id genus asservat. Liber *A.*, de quo pluries hoc in primo volumine, totus est transumptus *ex Tabulario Vaticano*, cujus veneranda auctoritas jure ac merito tanti sit apud om-

nes.

nes. Libri B. C. E. &c. passim compacti sunt ex authenticis exemplaribus *Romam* missis. Alia transcripta sunt ex ipsismet *Regestis* Pontificiis, ut sæpius annotabo. Quæ cum ita sint, ut olim *Hieronymus* (*l*) fidenter dicam: *Si a me fictam Epistolam suspicaris, cur eam in Romanæ Ecclesiæ Chartario non requiris?* Extant Autographa. Sunt Tabulæ publicæ. Ipsæ testantur ea omnia, quæ describo. Fidem certe nullus in his desiderabit: tanta quippe religio mihi fuit, nihil vel addere de meo, vel resecare, ut quod amanuensium negligentia peccatum fuerit, illud in *Notis* restituendum quidem curaverim, sed ipsum Diploma, mendosum licet, uti erat, exscripserim.

XXXVI. Hinc *Annotationum* necessitas. Ipsis supplendum volui, quod oscitantes, vel incuriosi librarii, si aliquando, rarius tamen neglexerunt. Nævos, si qui sint, eluunt. Ubi hæsit aqua, nec assequi potui, quod desideratur, vulnus saltem quasi digito monstrant. Ipsis historiarum nodi solvuntur. Auctores inter se dissidentes conciliant. Aliquando monent. Illustrant scriptorum placita; enucleant dubia; enudant obscura. Ceterum breves sunt, ut enim ait Cicero (*m*), *si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa, & notas ostenderem locorum, quibus cognitis, ille sibi ipse foderet, & id quod vellet, parvo labore, nullo errore inveniret*, sic itinera ipsa ita putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem, sed ut commonstrarem tantum viam, &, ut dici solet, digitum ad fontes intenderem. Sunt nonnulla, quæ levia videbuntur. Sit ita. Verum tibi superflua, alteri fortassis erunt necessaria. Quædam porro Diplomata transcripsi quæ vix ac vix quidem rem Ordinis Prædicatorum attingere, quæve supervacanea alicui forsitan videbuntur. Verum, quantum commodi historia, tum Ordinis ejusdem, cum etiam universalis, inde sibi valeat comparare, iis compertum fiet, qui accuratius vibrabunt singula; inde quippe non modo peculiaria quædam gesta memoratu dignissima, sed & nonnulla hactenus, vel dubia, vel plane ignorata se prodent. Placent hæc eru-

Annotationum necessitas.

(*l*) *Lib. III adversus Ruffinum*.
(*m*) *Lib. II de Oratore*.

eruditis, quibus ſolemne eſt, antiqua monimenta verſare, ut ipſis hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis firmetur. Hinc omnia Diplomata, quæ vel inſcribuntur Fratribus Ordinis Prædicatorum, vel de uno ex illis mentionem habent, tranſcripta volui. Erunt fortaſſis, quibus hæc noſtra methodus non probabitur. Arridet aliis, a quibus hac de re, quæ mihi neceſſaria viſa eſt, diſcrepare, religio fuit.

Cur Appendix accedat unicuique Pontificatui.

XXXVII. Cur *Appendix* accedat unicuique Pontificatui, nemo non videt; Cum enim Pontificiis Diplomatibus donati ſint Fratres Ordinis ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati dignitates promoti, ne longum eſſet, ſi deſcripta fuiſſent ipſa Diplomata, nomina duntaxat illorum Fratrum recenſita ſunt ad calcem cujuſque Pontificatus. Molem operis excederent *Appendices*, ſi de ceteris Fratribus S. Sedis Apoſtolicæ Miniſtris inſtitutus fuiſſet ſermo. Hinc in ipſis altum ſilentium de S. R. Eccleſiæ Vice-Cancellariis, Camerariis, ſupremis Inquiſitoribus, Præſidibus Conciliorum, Magiſtris S. Palatii, Commiſſariis S. Officii, Majoribus Pœnitentiariis, Vicariis Summi Pontificis, Capellanis ejuſdem, Commiſſariis Apoſtolicis, ſpoliorum collectoribus, Gubernatoribus Urbis, Viceſgerentibus, Auditoribus Sacræ Rotæ, Bibliothecariis Apoſtolicis, Secretariis S. Congregationis Indicis, Inquiſitoribus, Lectoribus Sacri Palatii, aliiſque quorum Catalogus, non unum duntaxat, ſed expleret plura volumina. De nonnullis tamen identidem loquar, & ipſis data Diplomata laudabo. Ut de ceteris taceam, quoſdam Epiſcopos reperies in *Appendicibus*, quos aliqui Recentiores miſſos fecere, quia Scriptores coætanei tacuerunt; ut enim vitiis olim, ſic nunc remediis laboratur, inquit *Lipſius* de Criticis loquens. Nonnulli ſunt; apud quos vetera pro fictis fabulis audiunt, & habentur, ſi fugerint Scriptorem, qui per id temporis florebat. Non ſecus ac ſi muti magiſtri loquerentur ipſis, plus illos docet unus auctor coævus, qui ſiluit, quam ceteri, qui momentis aliunde invictis aliquid demonſtrarunt. Ingenue dicam: Non is ego ſum, qui committam, ut in rebus inveteratis ex unius ſilentio quicquam novi ſentire poſſim, ſi firmis rationi-

tionibus res inveterata probetur. Tot vidi, quæ silentio prætermittunt illi, quibus una cura est literis mandare, quæ gesta sint, ut auctoris supparis silentium non me moveat, si certis, ut dixi, monumentis aliunde de facto constet. Quid, inquiunt, talis, qui vixit id ævi, nescivit? Nescivit. Sed erat ejusdem familiæ, convictor, parens. Scivit ergo, sed siluit: cur siluerit, penes ipsum est.

Majus negotium facessit Episcopalis Ecclesiæ Tabularium, si nomen non prodat Episcopi, quem dicunt, ibidem sedisse. Enim vero tacendo loqui videntur illæ tabulæ; negant talem Episcopum fuisse. Audio. Sed observarem primo, num ejusdem ætatis ac Episcopus sint illæ Tabulæ: nam si primigeniis deperditis aliæ restitutæ ferantur, longe dispar erit auctoritas. Sciendum secundo utrum in possessionem Episcopatus venerit Antistes ille, de quo quæritur. Videndum tertio, quo tempore sedisse dicatur; cum enim, exempli gratia, schisma scindebat Matrem Ecclesiam, turbulentissimis tempestatibus illis, intrusi legitimorum nomina passim expungebant ex albo Episcoporum. Hæc & similia præ oculis sunt, dum objectatur hæc difficultas. Minor videtur alia, quæ petitur ex silentio Recentiorum, qui recensent Episcopos uniuscujusque Ecclesiæ. *Ughellus*, exempli gratia, eruditis plaudentibus, *Italiam Sacram* vulgavit: plurimi certe fit apud omnes, & merito, sed magni etiam habetur vir inclytus *Nicolaus Coletus*, qui prætermissos ab *Ughello* restituit. *Sammarthanorum* silentium mihi quidam obiiciebat. Agebatur de F. *Raymundo*, quem *Vapinci* sedisse, contendebam; negabat ille, cum nullus ipsi locus inter *Vapincenses* datus esset in opere cui Titulus: *Gallia Christiana*. Verum inter *Ebredunenses* Archiepiscopos ipsum tandem reperii, nec satis mirari poterat ille, quicum res mihi erat, ibi *Raymundum* a *Vapincensi* Sede ad *Ebredunensem* translatum dici a *Sammarthanis*, & apud ipsos inter *Vapincenses* Episcopos in oblivionem deinde venisse. Jactatur hoc vulgo, & certo certius est. Errare, & falli, humanum: adeoque nec a me, nec a ceteris alienum. Hinc si quis secum pugnet aperto marte, vel a veritate desciverit, ab illo defeci. *Neminem* tamen plerumque *nomino*,

quare

quare, ut inquiebat Cicero (*n*) *irasci mihi nemo poterit*, *nisi qui ante de se*, vel de suis *voluerit confiteri*.

Illis in *Appendicibus* identidem laudo *Chronica manuscripta Ordinis Prædicatorum*, quibus utinam, ut inceperat, supremam manum addidisset R. A. P. M. F. *Thomas Maria Minorelli*, Bibliothecarius *Casanatensis*. Enim vero, ut est politioris literaturæ, & antiquitatis diligentissimus perscrutator, eximio rerum delectu, & exquisito sermone, historici partes in illis Chronicis egit egregie. Sed proh dolor! rei literariæ jactura captus oculis opus intermisit.

Cur hoc loco ceteros non appellem, quorum sunt in me præcipua merita, quæ sileri nullo modo possunt: Dicam: Non commemoro beneficia singulorum, primo, quia difficile esset non aliquem, nefas quenquam præterire. Secundo, quia si minus de aliquo dicerem, ingratus, si satis de omnibus, infinitus essem. Ignoscet tamen Reverendissimus P. Magister *F. Nicolaus Ridolfi* S. Congregationis *Indicis* Secretarius, si verbis grati animi mei sensus expedire non valeam; ignoscent alii, si præ ceteris de hoc uno loquar. Opus istud edendum susceperat, &, qua est diligentia, successu prospero maturabat, sed immersus S. Congregationis negotiis, tot alia cingebant, premebant, urgebant ipsum, ut istius curam apud me deposuerit. Hinc eo Magistro sæpius usus sum, & tot hac de re beneficiis ipsi sum devinctus, ut nec enuntiare, quantum debeam, nec silere, quod ipsi plurimum debeam, possim.

Ceterum si temere aliquid dixerim, doctus ab aliquo facile, & libenter, sententiam commutabo. *Non enim parum cognosse, sed in parum cognito stulte, & diu perseverasse, turpe est; propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari uniuscujusque vitio est attributum*, ut inquit *Cicero* (*o*).

Nullus autem mihi succenseat, si, quæ variis in Cœnobiis asservantur, quædam Diplomata prætermissa sint. Multa desiderari, mihi compertum est, & sæpius annotabo. Unum igitur oro, & supplex obtestor singulos: eorundem Diplomatum transumpta conficienda, ac manu publica comprobanda curent.

(*n*) *Orat. XII pro A. Cecinna.*
(*o*) De *Inventione Lib. II.*

curent, ut *Romam* tandem aliquando delata, ab oblivione, & tenebris hæc oracula vindicentur, vel in *Appendice*, si tardius, vel in ipsomet Opere, si opportune transmittantur.

De cetero qua diligentia Sodales erunt in perquirendis antiquis monumentis, eadem, immo majori, sint oportet in illis transcribendis. Longum esset hic illos omnes recensere, qui summa cum laude hac provincia jamjam defuncti sunt. Sperandum, fore ut, quisque pro sua erga Ordinem solicitudine iisdem tandem vestigiis ingredietur. Quia vero plus docent exempla quam verba, unum, quod mea quidem sententia, omnem excusationem cuiquam præscindet, proponam: vulgo enim causantur obsoletum Autographorum characterem; ac si nemo præter *Sybillam*, ut dici solet, legerit ipsum, interpretari alium posse neminem: priscus ille scribendi modus multos deterret a proposito. Est labor, non nego: alicujus sudoris est, fateor: sed difficilia quæ pulchra. Absit igitur, ut hæc Autographorum festiva copia, qua nonnulli circumfluunt, ardorem Sodalium remittat; cum potius ipsos exstimulare debeat, ut accidit anno MDCCXVI R. A. P. M. F. *Raphaeli Figuerola*, dum Prioris officio fungeretur in *Barchinonensi* Cœnobio. Videns enim vir eruditus, in Theologicis disciplinis apprime versatus, & exercitatus hac in Re Diplomatica, videns, inquam, Ordinis vetustiora monimenta servari in Archivo *Barchinonensi*, nec numero deterritus fuit, nec labore victus, sed ducenta circiter Diplomata summa cura transcripta, fideque publica comprobata, *Romam* misit. Hunc præ ceteris laudo, quia numero vincit omnes, de diligentia nemini cedit. Hæc imitamini qui splendorem, qui laudem, qui gloriam quæritis Ordinis.

INDEX PRÆFATIONIS.

APPRO.

APPROBATIO.

Immensi pene laboris, nec dispari plane eruditionis Opus, ad Historiam tum sacram, tum profanam, cum præcipue Ordinis Prædicatorum, adornandam, longe accommodatissimum, ab A. R. P. Magistro Fr. Antonino Bremond, intra brevis temporis angustias mira celeritate ad umbilicum perductum, cui in fronte epigraphe — *Bullarium Ordinis Prædicatorum, sub auspiciis SS. D. N. D. Benedicti XIII, Pontificis Maximi, ejusdem Ordinis, Opera Reverendissimi P. Fr. Thomæ Ripoll, Magistri Generalis, editum, & ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Dissertationibus, ac Tractatu de Consensu Bullarum illustratum -- Tom. I. ab an.* 1215 *ad* 1280 -- dicto audiens laudati Reverendissimi Magistri Generalis, pari animi contentione ac voluptate, & quidem pluries, perlegi. Nihil in eo occurrit, quod sanctæ Fidei catholicæ, castisve fidelium moribus vel leviter refragetur. Quin immo eximiam Auctoris modestiam, æstuantemque pro fide amplificanda, pro formandis moribus, zelum, ab Auctore ipso pridem in Americanis Missionibus per plures annos inter catecheses manu, & ore exsertum non minus, ac penitiorem ipsius in rebus divinis, chronologicis, historicis, diplomaticis, ac philologis, peritiam passim commendat; dignum, quod per singulas partes hactenus a magno illo, ac maximo Ecclesiæ Hierarcha BENEDICTO XIII lustratum, supremam ejusdem sibi compararet approbationem: dignissimumque proinde, quod in universæ christianæ reipublicæ literariæ certum prodeat emolumentum.

Ita sentio &c. In Conventu apud S. Mariam super Minerva die 24 Junii 1729.

Fr. Johannes Dominicus de Agnanis, Ordinis Prædicatorum, S. T. M.;
Bibliothecarius Casanatensis, ac Sac. Congregationis Indicis Consultor.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIO.

Bullarium incluti Prædicatorum Ordinis, demandante Reverendissimo Patre Fr. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Palatii Apostolici Magistro, debitâ Summorum Pontificum Oraculis cum veneratione legi; doctasque Notas, & luculentas Dissertationes, quibus illud accurate illustravit, atque auxit Admodum Reverendus Pater Fr. Antoninus Bremond ejusdem Ordinis Sac. Theologiæ Magister, non sine ingenti animi mei voluptate percurri. In his enim, non modo solida eruditio, verum etiam eximia pietas Auctoris mirificè elucet; adeo ut nihil, quod ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus, aut castæ Ethices regulis, vel minimum discrepet, in ipsis deprehendere potuerim. Quamobrem egregium hoc Opus, atque omni ex parte, mea quidem sententia, absolutum, typis mandari posse censeo.

Tiburæ die 18 Julii 1729.

Fr. Placidus indignus Casæ-Marii Abbas
Episcopus Tiburtinus.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apostolici Magister.

BENE-

BENEDICTUS PP. XIII.



D FUTURAM REI MEMORIAM. Cum, sicut dilectus filius Thomas Ripoll Magister Generalis nostri Ordinis Fratrum Prædicatorum Nobis nuper exponi fecit, ipse Bullarium dicti Ordinis in plures Tomos divisum in Alma Urbe nostra Typis mandare intendat, jamque primum illius Tomum, qui propediem, benedicente Domino, in lucem prodibit, imprimi fecerit, vereatur autem ne alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, illud subinde, non ea, qua par est, diligentia in Ordinis hujusmodi præjudicium imprimi curent. Nos ejusdem Thomæ Magistri Generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dicto Thomæ, & pro tempore existenti ipsius Ordinis Magistro Generali, ut decennio proximo durante, dummodo tamen Bullarium præfatum a dilecto filio Magistro Sacri Palatii Apostolici prius approbatum sit, nemo tam in Urbe, & in reliquo Statu Ecclesiastico mediate, vel immediate Nobis subjecto, quam extra Statum hujusmodi, Bullarium prædictum, aut aliquam ejus partem sine speciali dicti Thomæ, & pro tempore existentis Magistri Generalis, aut ab eo causam habentium licentia in scriptis, qualibet vice obtinenda, Typis imprimere, aut ab eis, vel aliis impressum vendere, aut venalem habere, aut proponere possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea universis utriusque sexus Christifidelibus, & præsertim librorum impressoribus, & Bibliopolis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, & quoad personas Nobis, & Apostolicæ Sedi etiam in temporalibus subjectas, etiam sub quingentorum Ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium pro una Cameræ nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem Thomæ, & pro tempore existenti Magistro Generali Ordinis hujusmodi, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Judici exequenti irremissibiliter applicandorum, & eo ipso absque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne dicto decennio durante Bullarium prædictum, aut aliquam ejus partem tam in Urbe, & in reliquo Statu prædictis, quam extra eumdem Statum sine hujusmodi licentia imprimere, aut ab aliis impressum vendere, seu venalem habere, vel proponere quoquo modo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & quibuscumque locorum Ordinariis, necnon dilectis filiis nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis justitiæ Ministris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status Nostri Ecclesiastici præfati, quatenus eidem Thomæ, & pro tempore existenti dicti Ordinis Magistro Generali, seu ab eo causam habentibus præfatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes quandocumque ab eodem Thoma & pro tempore existente Magistro Generali hujusmodi requisiti fuerint, pœnas præfatas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis statutis, & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis in ipsis libris Bullarii hujusmodi, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII. Junii MDCCXXIX. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

F. Cardinalis Oliverius.

BUL-

BULLARIUM
ORD. FF. PRÆDICATORUM.

INNOCENTIUS III.

Patriâ Anagninus, de Comitibus Signiæ, renunciatus fuit Summus Pontifex Anno MCXCVIII (*a*) Die VIII Januarii. Consecratus eodem Anno Die XXII Februarii. Vixit in Pontificatu Annos XVIII, Menses VI, Dies IX. Obiit Perusii Die XVI Julii, Anno MCCXVI (*b*). Quæ concessit Ordini Fratrum Prædicatorum, ex sequentibus habes.

(*a*) Innoc. III lib. I Epist. I.

(*b*) Honor. III lib. I Epist. I.

Monasterium Prulianum (1) Suo, & Sanctæ Sedis Apostolicæ præsidio tutatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Anno 1215 Die 8 Octobr.

I.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori (3), Fratribus, & (4) Monialibus Domus Sanctę Marię de Pruliano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



Exordium.

Ustis petentium desideriis dignum est Nos facilem prębere assensum, & vota, quę a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Epropter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus inclinati, personas vestras, & locum, in quo Divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quę inprępsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum pręstante Domino justis modis poteritis adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus. Decimas (5) autem, quas apud Fanum-Jovis (6) Venerabilis Frater noster Episcopus Tolosan.; Possessiones, quas apud Gardelam (7) Abbas (8) & Conventus Sauricini (9); apud Salcens, Villarium (10), & Fanum-Jovis, Nobilis vir Simon (11) Comes Montis-fortis; apud Fanum-Jovis Raymundus (12) Malivicinus; apud Ausonam Petrus Aragon., & fratres ejus; apud Podium-viride Lambertus (13); apud Lacan Petrus de Vico; apud Apamiam Guillelmus Clarius (14); Apud Agacens Hugo (15) de Laci, & apud Bram (16) Hugo de Nant; Frumentum etiam Censuale, quod apud Palent Guido (17) de Levi Domui vestrę pietatis intuitu contulerunt, aliaque bona Domus vestrę justo vobis titulo acquisita, sicut ea justè & pacificè possidetis, vobis, & per vos eidem Domui auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę protectionis, & Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare pręsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VIII Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Octavo Decimo.

Præsidio est ut supra.

Bona enumerat & confirmat.

Sanctio pœnalis.

1. *Prulianum.*] *Anno MCCXV B. Dominicus*, inquit Venerabilis *Humbertus* in Chronicis, *Romam ivit ad Concilium Generale cum Episcopo Tolosano Fulcone, causa procurandi Ordinis, qui diceretur, & esset Ordo Fratrum Prædicatorum, & tunc accepit responsum de redeundo ad Fratres, & Regulam eligendi*. Antea verò quàm ad suos *Prulii* degentes iter dirigeret, Monasterium *Prulianum* hocce Diplomate confirmatum voluit S. Patriarcha.

2. *Archivo.*] In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum asservatur in Monasterio *Pruliano*.

3. *Priori.*] Is erat S. Pater Dominicus, qui Monasterii fundamenta jecit Anno MCCVI, uti docet *Bernardus Guidonis in Catalogo Monasteriorum Ordinis Prædicatorum, in Vita S. Dominici*, & alibi passim. *Anno Domini MCCVI S. Dominicus*, inquit ille, *Monasterium quoddam instituit, quod dicitur Prulianum in Diœcesi Tolosana*, (nunc S. Papuli) *ad susceptionem Monialium sub clausura perpetua propriis manibus laborantium, & ex tunc fortius cœpit de Ordinis institutione tractare*. Illius Monasterii Prioris munus certè obibat *S. Dominicus* Anno MCCVII, uti liquet ex Instrumento, quod exscripsit *Guidonis in Catalogo Priorum ejusdem Monasterii*. Idem explebat Anno MCCXIII, ut constat ex sequentibus literis: *Pateat universis, quòd Nos Simon, Dei gratia Comes Leicestriæ, Dominus Montis-Fortis, Comes Tolosanus, Vice-Comes Biterrensis, vidimus chartam sigillo Venerabilis Patris nostri Falconis Tolosani Episcopi pendente munitam, nobis per Fratrem Dominicum dilectum nostrum PRIOREM Monasterii Monialium B. Mariæ de Pruliano præsentatam in hac forma &c. Actum Carcassonæ in Domo Domini Episcopi Anno MCCXIII. v. Kalendas Aprilis*. Asservatur *Prulii*. Anno tandem MCCXVI *Successit S. Dominico F. Natalis* secundus Prior Prulianus. *Bernard. Guidonis* supra laudatus.

4. *Fratribus, & Monialibus.*] Optimè sic; etenim a Monasterio condito ad hanc usque diem non Moniales tantùm, sed & Fratres ibi Domicilium habuerunt, & quæ tenet Monasterium, Bonorum Donationem, non Monialium duntaxat, sed etiam Fratrum nomine factam legimus, ut ex hoc Instrumento probatur. *Simon Comes Leicestriæ, Dominus Montis-Fortis, Divina providentia Biterris, & Carcassonæ Vice-Comes, & Dominus Albien., & Reddesii, universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus, quòd Nos assensu, & voluntate A.* (Alaiæ) *uxoris nostræ, & A.* (Almarici.) *primogeniti nostri damus, & concedimus pro Dei amore, & pro redemptione animarum nostrarum Deo, & Beatæ Mariæ de Pruliano, & Dominæ G. Priorissæ ejusdem Domus, & cæteris Dominabus, vel Fratribus ibidem nunc, vel in futurum commorantibus, totum illud quicquid nobis contingebat, vel contingere debebat in Territorio de Salzens &c. Præterea damus, & concedimus prædictæ Domui de Pruliano, & Fratribus, & Sororibus ejusdem loci &c. Hæc autem omnia damus, & concedimus prædictæ Ecclesiæ de Pruliano, & Priorissæ, & Dominabus, & Fratribus ejusdem Domus præsentibus, & futuris liberè possidenda &c. Actum est Vauri Anno Domini MCCXI Idibus Maji*. Extat Exemplar authenticum *Romæ* in Archivo Ordinis.

5. *Decimas.*] Instrumentum Donationis exscripsit *Echard tom. I. de Scriptorib. Ord. Prædicat. pag. 7. col. 1*, ubi diem huic Instrumento adscriptam perpendens, *sic Ecclesiam*, inquit, *illam, quam ab Anno MCCVI jure tantùm fiduciario incoluerant*, Sorores Prulianæ, *plenè, & absolutè sibi datam possederunt Anno MCCXI*. Arridet quidem acutissimi Viri notatio; verùm opportunius fit *observare, chartas Donationum, aliasque similes non rarò longè post factam donationem fuisse scriptas*, uti docet eruditus *Mabillonius de Re Diplomatica lib. II cap. XXVIII num. IX*.

6. *Fanum Iovis.*] In *Occitania* non longè a Monasterio *Pruliano*.

7. *Gardelam.*] Ibidem in Diœcesi *S. Papuli*.

8. *Abbas.*] Nec mirum, possessiones illas ab Abbate, & Conventu *Sauricini* Pruliano Monasterio fuisse concessas; enim

verò

verò qui in Albigensibus evellendis ab hæresi desudabant, ii præcipuè, quò dotaretur Monasterium, de suo contulere. Quantùm autem S. Patriarchæ *Dominico* in evertendis hæreticis Abbates nonnulli opitulati sint; ex multis constat, & disces *ex Guillelmo de Podio-Laurentii in Chronicis Cap. VIII. apud Duchesnium de Scriptoribus Francicis Tom.V.*

9. *Sanricini.*) In Occitania, ubi cæteræ Civitates, & loca, de quibus in hoc Diplomate.

10. *Villaguns.*) Vulgò *Villa Savari*, duo circiter millia passuum distans a Monasterio.

11. *Simon.*) *Princeps Christianissimus Crucesignatorum, intrepidus Christi Athleta, verus & strenuus Miles Christi, invictus Catholicæ Fidei propugnator, Dominici prælii Bellator, cujus in omnem fere terram Fides & Fidei sonus exivit*, ut testantur *Innocentius III in Diplomate Simoni dato Laterani IV. Nonas April. Pontificat. Anno XVIII*, & Patres Concilii apud *Vaurum in Epistola Synodali ad Innocentium III.*

12. *Raymundus.*) Sic Amanuensis hallucinatus ex sola litera R.... in autographo reperta; Legendum: *Robertus Malivicinus*, uti videre est ex *Bulla*-Religiosam. *data die XXX Martii Anno MCCXVIII*; *Honorius* enim *III* de iisdem possessionibus ibi loquens, *Malivicinum* nostrum, *Robertum*, non *Raymundum* vocat. Præterea *Robertum Malivicinum* norunt omnes & de Fide Catholica, & de Ordine FF. Prædicator. per id tempus optimè meritum; uti liquet ex *Epistol. CXXVII. CXXX. & CXXXI. libr. XII Innocentii III apud Baluzium*, & ex *Historia Petri Vallis Cernensis Cap.VI. apud Duchesnium de Scriptoribus Francicis Tom.V.*

13. *Lambertus.*) *Podii-Viridis* Dominus, ut habetur ex hoc Instrumento, cujus exemplar autheoticum extat in Archivo Ordinis, & Autographum *Prulii* asservatur. *Simon Comes Leicestriæ, Dominus Montis-Fortis, Dei providentia Biterr: & Carcassonen. Vicecomes, universis præsentes literas inspecturis Salutem in Domino. Noveritis, Nos confirmasse, & eatum nunc & in perpetuum habituros donum quod Lambertus Dominus Podii-Viridis fecit Fratribus & Sanctimonialibus de Pruliano, & dedit in Domaio Podii-Viridis, sicut in charta continetur, quam ipse Lambertus fecit prædictis Religiosis. Quod ut firmum sit & semper inconcussum, præsentem paginam nostri Sigilli appositione munivimus. Actum Anno Domini MCCXIII Nonis Iunii apud Carcassonam.*

14. *Clarius.*) Frater scilicet *Guillelmus Claretti*, cujus mentio fit in Instrumento quod exscripsit *Echard Tom. I de Scriptorib. Ordinis Prædicator. pag. 7 col. I.* ubi notanda hæc ultima verba: *Integrè possidenda per dictas Moniales* (Prulianas), *& per ipsas, nomine earum, Fratrem Dominicum & Fratrem Guillelmum Claretti &c. Actum Carcassona in Domo Domini Episcopi Anno MCCVII. xv Kalend. Maji.* Ex his enim certo certius est, jam ab Anno MCCVII S. Patriarcham *Dominicum* Prulii cum Sociis Fratribus, vitæ, & victus habuisse communitatem.

15. *Hugo de Laci.*) Dominus *Laariacensis* & *Castri-Novi*. Legesis Literas, quas exscripsit *Percinus Monument. Convent. Tolosan. Seculo I pag. 13 col. II num. XVI*; invictè enim demonstrant superiùs adnotata *numero IV.*

16. *Bram.*) Adeas *Percinum* mox laudatum *pag. 14 col. I num. XIX.*

17. *Guido de Levi.*) Unus ex Castrorum Præfectis, qui Duce *Simone Montfortio* Albigenses hæreticos debellarunt. Consule *Percinum pag. 10 col. II num. VIII. & Petrum Vallis-Cernens. Histor. Albigens. cap. LVI.*

HONORIUS III,

(*a*) Honor. III lib. 1 Epist. 1.

(*b*) Gregor. IX in Bulla *Sanè*. Data Later. x. Kal. April. Pontif. An. I.

Romæ ex Nobilissima Sabellorum familia oriundus, electus fuit Romanus Pontifex Perusii die XVIII (*a*) Julii Anno MCCXVI. Consecratus est die XXIV Julii eodem Anno. Vixit in Pontificatu Annos X, Menses VIII. Obiit (*b*) Romæ die XVIII Martii, Anno MCCXXVII. Ordini Fratrum Prædicatorum, quem confirmavit, nonnulla concessit Diplomata hìc exscribenda.

Anno 1216 Die 22 Decembr.

Ordinem Confirmat (1), ipsumque privilegiis amplissimis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

I.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Dominico (3) Priori Sancti Romani (4) Tolosaoen., ejusque Fratribus tam (5) præsentibus, quàm futuris regularem vitam professis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Confirmatur Ordo.

Facultas Bona possidendi.

Recensentur possessiones Prioratus S. Romani.

Novalia a Decimis eximuntur.

Clerici & Laici adsciscendi in Ordinem.

Votis obstrictus ab Ordine discedere nequit.

Parochias regere possunt Fratres.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam S. Romani Tolosanen., in qua Divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus (6), qui secundùm Deum, & B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones (7), quæcunque Bona eadem Ecclesia inpræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, scilicet locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Pruliano (8) cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cassenolio (9) cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariæ de Lescura (10), cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale (11) Tolosaoen., quod dicitur Arnaldi Berardi, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens (12), cum omnibus pertinentiis suis. Decimas (13) a Venerabili Fratre nostro Fulcone (14) Tolosanen. Episcopo, de assensu Capituli sui, vobis pia & provida liberalitate concessas, prout in eorundem literis pleniùs continetur. Sanè Novalium (15) vestrorum, quæ propriis manibus, vel sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos, liberos & absolutos e Seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Ecclesia vestra Professionem, fas sit sine Prioris sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris (16) Religionis obtentu discedere: Discedentem verò absque communi literarum vestrarum cautione (17) nullus audeat retinere. In Parochialibus (18) verò Ecclesiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœcesano Episcopo præsentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam ani-

animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Statuimus prĕterea, ut nulli liceat Ecclesię vestrę novas & indebitas exactiones imponere, aut in vos, vel prędictam Ecclesiam vestram, sine manifesta & rationabili causa, Excommunicationis vel Interdicti sententias promulgare. Cum autem Generale Interdictum (19) terrę fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, Divina officia celebrare. Chrisma verò & oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi a Dięcesano suscipiatis Episcopo, si quidem catholicus fuerit, & gratiam & Communionem Sacrosanctę Romanę Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate (20) aliqua exhibere; Alloquin liceat vobis quemcunque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam & Communionem Apostolicę Sedis habentem, qui nostra fretus Auctoritate, vobis, quod postulatis, impendat. Sepulturam (21) quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum Devotioni, & extremę voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè Excommunicati, vel Interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum Corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibi (22) qualibet subreptionis astutia, seu violentia prępanatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars majoris & sanioris consilii secundùm Deum, & B. Augustini Regulam providerint eligendum (23). Libertates quoque, & immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines Ecclesię vestrę concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prĕfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicę auctoritate, & Dięcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrę Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum Judicem prĕmia ęternę pacis inveniant Amen. Amen.

Ab Exactionibus imponendis & Censuris eximit ipsos.

Quomodo Divina celebranda tempore Generalis Interdicti.

Declarat, a quibus Chrisma, Ordinationes &c. sint suscipienda.

Sepultura libera cunctis est in cœmeteriis Ordinis.

Quomodo Priores sint eligendi.

Immunitates & consuetudines Ordinis probat.

Sanctio pœnalis.

Faustè precatur servantibus jura Ordinis.

SS. Pontificis subscriptio.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Ego Honorius Catholicę Ecclesię Episcopus subscripsi.
Ego Nicolaus (25) Tusculanen. Episcopus.
Ego Guido Pręnestin. Episcopus.
Ego Hugolinus Ostien. & Velletren. Episcopus.
Ego Pelagius Albanen. Episcopus.
Ego Cynthius Tit. S. Laurent. in Lucina Presbyter Cardinal:
Ego Leo Tit. S. Crucis in Jerusal: Presbyter Cardinal:
Ego Robertus Tit. S. Sixti in Monte Cęlio Presbyter Cardinal:
Ego Stephanus Basilicę duodecim Apostol: Presbyter Cardinal:
Ego Gregorius Tit. S. Anastasię Presbyter Cardinal:
Ego Petrus Tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinal:
Ego Thomas Tit. S. Sabinę Presbyter Cardinal:
Ego Guido S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinal:
Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi Diaconus Cardinalis.
Ego Johannes SS. Cosmę & Damiani Diaconus Cardinalis.
Ego Gregorius S. Theodori Diaconus Cardinalis.
Ego Raynerius S. Marię in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis.
Ego Stephanus S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Cardinalium (24) subscriptiones.

Datum Romę apud S. Sabinam (26) per manum Raynerii (27) Prioris S. Fridiani Lucanę Dięces: S. R. E. Vicecancellarii XI Kalend. Januarii Indictione V. Incarnationis Dominicę Anno MCCXVI. Pontificatus verò Domini Honorii Papę III Anno Primo. Bene valete.

1. *Confirmat.*) Notatu digna quæ fusius *Malvenda* disputat *Annal. Prædicator. ad Annum MCCXVI pag.*150.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum asservatur in Cœnobio nostro *Tolosano*. Adeas etiam *Cherubinum Bullar. Roman. Tomo I. in Honor. III. numer. II. Vfusmarem pag.*4. *Castellanum pag.*1. *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXVI. num. IX. Echard Tomo I. Scriptor. Ord. Præd. pag.* 13. *&c.* Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Dominico.*) Desideratur hoc verbum in Bullario *Castellani*; verùm, ipsomet teste, *Legitur in libro, unde hæc Bulla fuit extracta, quòd Prior ille, cui hæc litera Apostolica directa fuit, erat B. Dominicus*.

4. *S. Romani.*) *Ecclesia* scilicet *quam Fulco Tolosanus Episcopus de consensu sui Capituli S. Dominico, & ejus Sociis assignavit intra terminos Civitatis Tolosæ ... Hanc acceperunt Fratres nostri Anno MCCXVI æstatis tempore, moxque ædificaverunt juxta eam claustrum, & Cellas ad studendum, & dormitorium. Bernard. Guidonis in vita S. P. Dominici, & Iordanus in ejusdem vita num. XXV.*

5. *Præsentibus.*) *Erant* tunc *Fratres numero circiter sexdecim. Iordanus* ibidem. Digna autem immortalitate eorum nomina non delevit oblivio, nec incuriosa vetustas neglexit. Illa recensent *Stephanus Salanachus, Bernard. Guidonis in Commentar. de rebus Ordinis & alii quàm plures.*

6. *Canonicus.*) Videsis *Notationem IV in Bullam* - Religiosam - *datam die XXX Martii An. MCCXVIII.*

7. *Possessiones.*) Enim verò jam inde a principio Ordinis possessiones eidem fuere ad Annum usque MCCXX. quo Fratres *abjecerunt statuto perpetuo possessiones & redditus temporarios ... paupertatem Christi, Ægyptiorum divitiis præferentes. Theodoric. lib. IV Cap. I.* Ubi tamen, multorum refrigescente caritate, liberalitas est restincta, legem illam antiquavit Ecclesia. Consulendum *Diploma* quod incipit - Obtentu divini - *datum a Clemente IV. die XII Februarii Anno MCCLXVI.*

8. *Pruliano.*) De qua Ecclesia in *Bull.* - Justis- *dat. VIII Octob. MCCXV.*

9. *Cassenolio.*) Est Castrum in *Agenensio*, inquit *Guidonis*, Fratribus nostris a Comite *Montfortio* dono datum, dein a S. *Dominico* Sororibus *Pruliani* concessum, ab istis tandem in alia Dominia commutatum. Auctor est *Percinus Monument. Convent. Tolosani Seculo I. ad An. MCCXIV num. XVIII pag.* 13.

10. *Lescura.*) Audiendus *Iordanus* noster: *Episcopus etiam Tolosanus*, inquit ille in *Vita S. P. Dominici num. XXIV, cum* assen-

assensu sui Capituli tres eis (Fratribus nostris) *Ecclesias assignavit, unam intra terminos civitatis, aliam in Appamiensi Villa, tertiam inter Servitaium, & Podium - Laureatii, scilicet Ecclesiam S. Mariæ de Les.ura, in quarum qualibet Conventus & Prioratus esse debebat.*

11. *Hospitale.*) Situm erat non longè ab Ecclesia dicata nunc S. *Recho* Patribus Ordinis *Minimorum* concessa. Consule *Percinum*, qui de hoc enucleatè dicit loco supra laudato *pag.* 15 *num. XXIV.*

12. *Lobens.*) *In Villa Appamiensi. Bernard. Guidonis Vit. S. P. Dominici.*

13. *Decimas.*) *Medietatem* scilicet *Tertiæ partis Decimæ quæ assignata erat Ornamentis, & Fabrica omnium Parochialium Ecclesiarum* Diœceseos Tolosanæ. Sic Instrumentam Donationis, quod exscripsere *Sovegias in vita S. P. Dominici, & Echard Tom. I scriptor. Ord. pag.* 12 *col. I.*

14. *Fulcone.*) Fuit ille *Massiliensis*; primùm *Cisterciensis* Monachus; mox Abbas, dein Præsul *Massiliæ*; Annis tandem XXVI Tolosanam rexit Ecclesiam. Ordinem nostrum nascentem fovit, aluit, educavit. *Percinus Monument. Convent. Tolosan: Seculo I. pag.* 43. *Theodoric: Vit. S. P. Dominici lib. I. cap. II. & Mss. Convent. Massiliæ.*

15. *Novalium.*) Novale intelligitur ager de novo ad cultum, seu ad sementem proscissus. *Innocent. III in V Decretal. cap. XXI. Tit. XL. de Verbor. significat.* De his in *Tractat: de Consensu Bullar: Tom. ultimo Tit.* X.

16. *Archoris.*) Eundem *Tractatum* Consule *Titulo XII.*

17. *Cautione.*) Ibidem de hac materia.

18. *Parochialibus.*) Hæc non legerant Galli Causidici, qui nobis ex Instituto Parochias regere interdictum scribebant Anno MDCLXVIII.

19. *Interdictum.*) Videsis *Tractat. de consensu Bullar. Tom. ultimo Titulo X.*

20. *Sine pravitate.*) Lege *Glossam in lib. II Decretal. Tit. XXX. De confirmat. util. vel inutil. Cap. VIII.*

21. *Sepulturam.*) *Tractat: de consensu Bullar. Tit. IX.* legas necesse.

22. *Ibi.*) Ita rectè, nec audiendi qui *sibi* mendosè scribunt.

23. *Eligendum.*) De Electionibus in *Tractatu sæpius citate Tit. III.*

24. *Cardinalium.*) De quibus Malvenda *Annal. Ord. Prædicat. ad An. MCCXVI Cap. XIII.*

25. *Nicolaus.*) Non sic alii disponunt Cardinalium subscriptiones: multi enim, & fere omnes primum locum dant *Cynthio*. Cum etenim in Autographo subscriptiones sint tripartitæ, ita ut Cardinales Presbyteri subscripserint a dextris, Episcopi Cardinales in medio, & a sinistris Cardinales Diaconi, ordinem inverterunt Amanuenses, qui unica serie subscriptiones posuere; debuissent siquidem ex mediis, utpote præcipuis, initium ducere, subscriptiones tamen, quæ a dextris erant, præposuere. Mendum utique, unus vitavit illud *Cherubinus* Auctor *Bullarii Romani*, ceterorum nemo, quem legerim, advertit.

26. S. *Sabinam.*) Oscitanti ergo typographo adscribendum quod legitur in *Vita S. P. Dominici a Bernardo Guidone* adornata. *Romæ apud S. Petrum fuit confirmatus Ordo Prædicatorum.*

27. *Raynerii.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontiff. & Cardinal. Tom. II pag.* 64 *ad Annum* MCCXVI.

Anno 1216 Die 22 Decemb.

Ordinem paucis confirmat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

II.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Dominico Priori S. Romani de Tolosa, & Fratribus tuis regularem vitam professis, & professuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Confirmat ut supra.

NOs attendentes, Fratres Ordinis tui futuros Pugiles Fidei, & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum, cum omnibus Castris, & possessionibus habitis, & habendis, & ipsum Ordinem, ejusque possessiones, & jura sub nostra gubernatione (2) & protectione suscipimus (3). Datum Romæ apud Sanctam Sabinam XI Kalend. Januar. Pontificat. nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum extat in Monasterio *Pruliano*. Adeas etiam *Vsasmarem pag.* 6. *& Castellanum pag.* 1.

2. *Gubernatione.*) Legelis *Tractatum de Consensu Bullar. Tom. ultimo Titulo* V.

3. *Suscipimus.*) Duodecim Cardinales subscripsisse docet *Castellanus* loco mox laudato; quinam verò fuerint, silet.

An. 1217 Die 26 Ianuar.

Laudat (1) Fratres Prædicatores, ipsosque hortatur ad opus *Evangelistæ* magis ac magis, opportunè importunè adimplendum.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. A. fol.* 194.

III.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus S. Romani Prędicatoribus (3) in partibus Tolosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Insignis laus Fratrum.

GRatiarum omnium largitori dignas referimus gratiarum actiones in gratia Dei, quę data est vobis, in qua statis, & stabitis finaliter, ut speramus, quia (4) intus caritatis flamma flagrantes, exteriusque fragratis odore, qui & sanas delectat, & reficit mentes infirmas: quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras (5), tanquam studiosi medici exhibentes, eas semine verbi Divini vestra salutari facundia fęcundatis. Sic velut servi fideles talenta vobis credita erogantes (6) ut eadem reportetis Domino geminata: sic sicut invicti Christi Athletę scuto fidei, & galea salutis armati, non timentes eos, qui corpus possunt occidere, Verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exercitis inimicos: sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam ęternam custodiatis easdem. Ceterum quia finis, non pugna coronat, & currentibus in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit destinatum, caritatem vestram rogamus, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus magis ac magis in Domino confortati, evangelizare Verbum Dei studeatis, opportunè, importunè instantes, & opus Evangelistę laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, non solùm eas ęquanimiter toleretis, sed gloriemini cum Apostolo in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine Jesu contumelias sustinere; hoc enim leve & momentaneum tribulationis immensum glorię pondus operatur, ad quam non sunt condignę hujus temporis passiones. Nos quoque intendentes, vos tanquam speciales filios favorabiliter confovere, petimus, ut pro nobis offeratis Domino vitulos labiorum, si fortè quod nostris meritis non valemus vestris suffragiis assequamur. Datum Laterani VII Kal. Febr. Pontif. nostri An: Primo.

Fervida exhortatio ad perseverantiam.

Commendat se precibus Fratrum.

1. *Laudat.*) Aderat *Romæ* S. *Dominicus* cum summus Pontifex hoc aureum Diploma concessit: etenim ab Ordine confirmato, seu e die *XXII Decembr. An.* MCCXVI usque ad Pascha Anni MCCXVII ex Urbe non discessisse S. Patriarcham liquet

liquet ex *Guillelmo de Monte Ferrato*, cujus testimonium leges apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. pag.47.* Ceterum Pascha fuit hoc Anno die XXVI Martii; & hæc notata sint etiam pro sequentibus Bullis.

2. *Archivo*) Idem habent *Echard* mox laudatus *pag.c4.* & *Percians Monumcat: Conveat: Tolosani ad An: MCCXVII pag.18.*

3. *Prædicatoribus.*) Quo tempore nomen illud nobis fuerit inditum, docet *Stephanus Salanachus* Auctor coævus in *Tractatu de glorioso nomine Prædicatorum Cap. I. Celebrato siquidem Lateranensi Concilio Anno Domini MCCXVI Summus Pontifex* (Innocentius III) *ordinans quædam circa negotium Fidei in partibus Tolosanis agenda, & decernens super hiis scribere B. Dominico, & hiis qui cum eo erant, accito Notario dixit ei: Sedez Scribe super hiis Fratri Dominico, & Sociis suis in hac verba: & stans paululùm, noli scribere*, inquit, *Sic; sed hoc modo: Fratri Dominico, & cum eo Prædicantibus in partibus Tolosanis &c. Statimque aliquandiu considerans plus: Sic*, inquit, *Scribe: Magistro Dominico & Fratribus Prædicatoribus &c. & Surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit Notarius. Nutu Dni præsens tunc Romæ aaerat Pater Sanctus, qui audito verbo Domini totius mundi Vicarii Iesu Christi gavisus est gaudio magno valde; Nam drinceps in Curia & ubique ipse & filii ejus caperunt se Fratres Prædicatores vocare, caperuntque in Curia & ubique ab omnibus sic vocari.*

4. *Intus.*) Aliqui legunt: *Interiùs.*

5. *Maudragorat.*) Medicinalis herba, quæ deperditas reficic vires; falubertima fertur, & fuaveolentem fructum fundit.

6. *Erogantes.*) *Arrogantes.* Sic apud *Echard*, nec placet.

Hortatur Capitulum, & Populum Tolosanum ad eleemosynas erogandas Sororibus Domus Hospitalis *Arnaldi* (1). An. 1217 Die 28 Januarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol.196.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo & populo Tolosano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IV.

DIvitis & pauperis Dominus operator, alteri per alterum de suo mutuis vult subsidiis subveniri, ut dum ille isti ex bonis sibi concessis a Deo, eleemosynam impertitur, iste sibi, vel Dominus potiùs, qui se pro ipso constituit debitorem, beneficia retribuat sempiterna, & sic ambo rem alienam dando, & recipiendo, non invito, sed expresśe volente, ac mandante Domino, contractantes, datorem suum exinde humiliter recognoscant, & ad caritatem mutuam accendantur. Cum igitur, sicut accepimus, dilectę in Christo filię Priorissa & Sorores domus hospitalis Tolosani, quod dicitur Arnaldi, quę ad religionis observantiam de seculo venientes, ut retribuant miserę filię Babylonis secundùm retributionem, quam retribuit illa ipsis, valida paupertate graventur, ne, quod absit, necessitate compulsę ad delicias Ægypti suspirent, ubi possent esse sibi & aliis in laqueum & ruinam, Universitatem vestram rogamus, devotionem vestram attentiùs & monemus, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus fęnerantes Domino misereamini pauperum prędictarum, grata eis caritatis subsidia porrigendo, certi quòd vobis thesaurizatis in cęlis quicquid in earum necessitatibus erogatis. Datum Laterani v Kal. Februarii Pontif: nostri An: Primo.

Exordium. Mandat ut supra.

1. *Arnaldi.*) Videsis *notam XI in Bull.* - Religiosam vitam - *Datam Die XXII Decembr. Anno MCCXVI.* Ceterùm quòd Moniales Ordinis hanc hospitalem domum tunc incoluerint, clam me foret, ni legissem præsens Diploma: nec de his scripsere Nostrates.

Ne Votis Solemnibus adstrictus ab Ordine discedat (1). Anno 1217 Die 7 Februar.

Ex Archivo (2) Ord. lib. A. fol.196.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ecclesię S. Romani Tolosę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. V.

JUstis petentium votis (3) inclinati auctoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra Professionem fas sit sine tua, fili Prior, aut Successorum tuorum licentia, nisi arctioris (4) Religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quòd si quis fortè retinere pręsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres regularem sententiam promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII Idus (5) Februarii Pontificatus nostri Anno Primo.

Inhibet ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Discedat.*) Quò levitati humanæ aditum omnem occluderet, hocce Diploma, dum *Romæ* esset, obtinuit S. P. *Dominicus.*

2. *Archivo.*) Est etiam apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.15.* Asservatur Autographum in Cœnobio *Tolosano.* Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Votis.*) Nonnulli legunt, *Desideriis*; & idem, quod habetur in *Bulla* - Iustis - *Data VIII Octobr. Anno MCCXV*, huic Diplomati proœmium concedunt. Sic in Autographo *Tolosano* legere est.

4. *Arctioris.*) Consule *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit.XII.*

5. *Idus.*) Nonnulli scribunt *VII Kalendas Februar.*

Datur (1) facultas adeundi Episcopum benevolum qui ad Ecclesias construendas primarium lapidem ponat, constructas consecret, & cœmeteria benedicat, si Diœcesanus sit difficilis. An. 1217 Die 7 Decemb.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VI.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd licèt vobis per specialia (3) privilegia Sedis Apostolicę sit indultum, ut ad Civitates, vel Villas, ubi religiosè, ac honestè commorari possitis, a populis evocati

Supplex Fratrum petitio.

assensu sui Capituli tres eis (Fretribus nostris) *Ecclesias assignavit, unam intra terminos civitatis, aliam in Appamiensi Villa, tertiam inter Soriciniam, & Podium - Laurentii, scilicet Ecclesiam S. Mariæ de Lesc.ara, in quarum qualibet Conventus & Prioratus esse debebat.*

11. *Hospitale.*) Situm erat non longè eb Ecclesia dicata nunc S. *Rocho* Patribus Ordinis *Minimorum* concessa. Consule *Percinum*, qui de hoc enucleatè dicit loco supra laudato *pag.*15 *num.XXIV.*

12. *Lobens.*) *In Villa Appamiensi. Bernard. Guidonis Vit. S. P. Dominici.*

13. *Decimas.*) *Medietatem* scilicet *Tertiæ partis Decimæ quæ assignata erat Ornamentis, & Fabricæ omnium Parochialium Ecclesiarum* Diœceseos Tolosanæ. Sic Instrumentum Donationis, quod exscripsere *Sovegius in vita S. P. Dominici, & Echard Tom. I scriptor. Ord. pag.* 12 *col. I.*

14. *Fulcone.*) Fuit ille *Massiliensis*; primùm *Cisterciensis* Monachus; mox Abbas, dein Præsul *Massiliæ*; Annis tandem XXVI Tolosanam rexit Ecclesiam. Ordinem nostrum nascentem fovit, aluit, educavit. *Percinus Monument. Convent. Tolosan: Seculo I. pag.* 41. *Theodoric: Vit. S. P. Dominici lib. I. cap. II. & Mss. Convent. Massilien.*

15. *Novalium.*) Novale intelligitur ager de novo ad cultum, seu ad sementem proscissus. *Innocent. III in V Decretal. cap. XXI. Tit. XL. de Verbor. signific.* De hic in *Tractat: de Consensu Bullar: Tom. ultimo Tit.* X.

16. *Arbitrii.*) Eundem *Tractatum* Consule *Titulo XII.*

17. *Cautione.*) Ibidem de hac materia.

18. *Parochialibus.*) Hæc non legerant Galli Causidici, qui nobis ex Instituto Parochias regere interdictum scribebant Anno MDCLXVIII.

19. *Interdictam.*) Videsis *Tractat. de consensu Bullar. Tom. ultimo Titulo X.*

20. *Sine pravitate.*) Lege *Glossam in lib. II Decretal. Tit. XXX. De confirmat. util. vel inutil. Cap. VIII.*

21. *Sepulturam.*) *Tractat: de consensu Bullar. Tit. IX.* legas necesse.

22. *Ibi.*) Ita rectè, nec audiendi qui *sibi* mendosè scribunt.

23. *Eligendum.*) De Electionibus in *Tractatu sæpius citato Tit. III.*

24. *Cardinalium.*) De quibus *Malvenda Annal. Ord. Prædicat. ad An. MCCXVI Cap. XIII.*

25. *Nicolaus.*) Non sic alii disponunt Cardinalium subscriptiones: multi enim, & fere omnes primum locum dant *Cynthio*. Cum etenim in Autographo subscriptiones sint tripartitæ, ita ut Cardinales Presbyteri subscripserint a dextris, Episcopi Cardinales in medio, & a sinistris Cardinales Diaconi, ordinem inverterunt Amanuenses, qui unica serie subscriptiones posuere; debuissent siquidem ex mediis, utpote præcipuis, initium ducere, subscriptiones tamen, quæ a dextris erant, præposuere. Mendum utique, unus vitavit illud *Cherubinus* Auctor *Bullarii Romani*, ceterorum nemo, quem legerim, advertit.

26. S. *Sabinam.*) Oscitanti ergo typographo edscribendum quod legitur in *Vita S. P. Dominici a Bernardo Guidone* adornata. *Romæ apud S. Petrum fuit confirmatus Ordo Prædicatorum.*

27. *Raynerii.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontiff. & Cardinal. Tom. II pag.* 64 *ad Annum MCCXVI.*

Anno 1216 Die 22 Decemb.

Ordinem paucis confirmat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

II.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Dominico Priori S. Romani de Tolosa, & Fratribus tuis regularem vitam professis, & professuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Confirmat ut supra.

NOs attendentes, Fratres Ordinis tui futuros Pugiles Fidei, & vera mundi lumina, confirmamus Ordinem tuum, cum omnibus Castris, & possessionibus habitis, & habendis, & ipsum Ordinem, ejusque possessiones, & jura sub nostra gubernatione (2) & protectione suscipimus (3). Datum Romę apud Sanctam Sabinam XI Kalend. Januar. Pontificat. nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum extat in Monasterio *Pruliano*. Adeas etiam *Vfasmarem pag.*6. *& Castellanum pag.* 1.

2. *Gubernatione.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullar. Tom. ultimo Titulo* V.

3. *Suscipimus.*) Duodecim Cardinales subscripsisse docet *Castellanus* loco mox laudato; quinam verò fuerint, silet.

An. 1217 Die 26 Ianuar.

Laudat (1) Fratres Prædicatores, ipsosque hortatur ad opus *Evangelistæ* magis ac magis, opportunè importunè adimplendum.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. A. fol.* 194.

III.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus S. Romani Prędicatoribus (3) in partibus Tolosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Insignis laus Fratrum.

GRatiarum omnium largitori dignas referimus gratiarum actiones in gratia Dei, quę data est vobis, in qua statis, & stabitis finaliter, ut speramus, quia (4) intus caritatis flamma flagrantes, exterius famę fragratis odore, qui & sanas delectat, & reficit mentes infirmas: quibus etiam, ne remaneant steriles, spirituales mandragoras (5), tanquam studiosi medici exhibentes, eas semine verbi Divini vestra salutari facundia fęcundatis. Sic velut servi fideles talenta vobis credita erogantes (6) ut eadem reportetis Domino geminata: sic sicut invicti Christi Athletę scuto fidei, & galea salutis armati, non timentes eos, qui corpus possunt occidere, Verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exeritis inimicos: sic in hoc mundo vestras animas odientes, ut in vitam ęternam custodiatis easdem. Ceterum quia finis, non pugna coronat, & currentibus in stadio virtutibus universis sola perseverantia bravium accipit destinatum, caritatem vestram rogamus, & hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus magis ac magis in Domino confortati, evangelizare Verbum Dei studeatis, opportunè, importunè instantes, & opus Evangelistę laudabiliter adimplentes. Si quas autem propter hoc tribulationes passi fueritis, non solùm eas ęquanimiter toleretis, sed gloriemini cum Apostolo in eisdem gaudentes, quia digni habiti estis pro nomine Jesu contumelias sustinere; hoc enim leve & momentaneum tribulationis immensum glorię pondus operatur, ad quam non sunt condignę hujus temporis passiones. Nos quoque intendentes, vos tanquam speciales filios favorabiliter confovere, petimus, ut pro nobis offeratis Domino vitulos labiorum, si fortè quod nostris meritis non valemus vestris suffragiis assequamur. Datum Laterani VII Kal. Febr. Pontif. nostri An: Primo.

Fervida exhortatio ad perseverantiam.

Commendat se precibus Fratrum.

1. *Laudat.*) Aderat *Romæ* S. *Dominicus* cum summus Pontifex hoc aureum Diploma concessit: etenim ab Ordine confirmato, seu a die *XXII Decembr. An. MCCXVI* usque ad Pascha Anni MCCXVII ex Urbe non discessisse S. Patriarcham liquet

liquet ex *Guillelmo de Monte Ferrato*, cujus testimonium leges apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. pag.*47. Ceterum Pascha fuit hoc Anno die XXVI Martii; & hæc notata sint etiam pro sequentibus Bullis.

2. *Archivo*) Idem habent *Echard* mox laudatus *pag.*14. *& Percinus Monument: Convent: Tolosani ad An: MCCXVII pag.*18.

3. *Prædicatoribus*.) Quo tempore nomen illud nobis fuerit inditum, docet *Stephanus Salanachus* Auctor coævus in *Tractatu de glorioso nomine Prædicatorum Cap. I. Celebrato siquidem Lateranensi Concilio Anno Domini MCCXVI Summus Pontifex* (Innocentius III) *ordinans quædam circa negotium Fidei in partibus Tolosanis agenda, & decernens super his scribere B. Dominico, & his qui cum eo erant, accito Notario dixit ei; Sede; Scribe super his Fratri Dominico, & Sociis suis in hac verba: & stans paululùm, noli scribere*, inquit, *Sic; sed hoc modo: Fratri Dominico, & cum eo Prædicantibus in partibus Tolosanis &c. Statimque aliquandiu considerans plus: Sic*, inquit, *Scribe: Magistro Dominico & Fratribus Prædicatoribus &c. & Surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit Notarius. Nutu Dei præsens tunc Romæ aderat Pater Sanctus, qui audito verbo Domini totius mundi Vicarii Iesu Christi gavisus est gaudio magno valde; Nam deinceps in Curia & ubique ipse & filii ejus cæperunt se Fratres Prædicatores vocare, cæperuntque in Curia & ubique ab omnibus sic vocari.*

4. *Intus*.) Aliqui legunt: *Interiùs*.

5. *Mandragoras*.) Medicinalis herba, quæ deperditas reficit vires; saluberrima fertur, & suavcolentem fructum fundit.

6. *Erogantes*.) *Arrogantes*. Sic apud *Echard*, nec placet.

Hortatur Capitulum, & Populum Tolosanum ad eleemosynas erogandas Sororibus Domus Hospitalis *Arnaldi* (1).

Ao. 1217 Die 28 Januarii.

*Ex Arch. Ord. lib. A. fol.*196.

IV.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo & populo Tolosano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Divitis & pauperis Dominus operator, alteri per alterum de suo mutuis vult subsidiis subveniri, ut dum ille isti ex bonis sibi concessis a Deo, eleemosynam impertitur, iste sibi, vel Dominus potiùs, qui se pro ipso constituit debitorem, beneficia retribuat sempiterna, & sic ambo rem alienam dando, & recipiendo, non invito, sed expresse volente, ac mandante Domino, contractantes, datorem suum exinde humiliter recognoscant, & ad caritatem mutuam accendantur. Cum igitur, sicut accepimus, dilectę in Christo filię Priorissa & Sorores domus hospitalis Tolosani, quod dicitur Arnaldi, quę ad religionis observantiam de seculo venientes, ut retribuant miserę filię Babylonis secundùm retributionem, quam retribuit illa ipsis, valida paupertate graventur, ne, quod absit, necessitate compulsę ad delicias Ægypti suspirent, ubi possent esse sibi & aliis in laqueum & ruinam, Universitatem vestram rogamus, devotionem vestram attentiùs & monemus, per Apostolica vobis scripta mandantes, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus fęnerantes Domino misereamini pauperum prędictarum, grata eis caritatis subsidia porrigendo, certi quòd vobis thesaurizatis in cęlis quicquid in earum necessitatibus erogatis. Datum Laterani v Kal. Februarii Pontif: nostri An: Primo.

Exordium. Mandat ut supra.

1. *Arnaldi*.) Videsis *notam XI in Bull.* - Religiosam vitam - *Datam Die XXII Decembr. Anno MCCXVI*. Ceterùm quòd Moniales Ordinis hanc hospitalem domum tunc incoluerint, clam me foret, ni legissem præsens Diploma: nec de his scripsere Nostrates.

Ne Votis Solemnibus adstrictus ab Ordine discedat (1).

Anno 1217 Die 7 Februar.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. A. fol.*196.

V.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ecclesię S. Romani Tolosę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Justis petentium votis (3) inclinati auctoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra Professionem fas sit sine tua, fili Prior, aut Successorum tuorum licentia, nisi arctioris (4) Religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Quòd si quis fortè retinere pręsumpserit, licitum sit vobis in ipsos Fratres regularem sententiam promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani VII Idus (5) Februarii Pontificatus nostri Anno Primo.

Iubibet ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Discedat*.) Quò levitati humanæ aditum omnem occluderet, hocce Diploma, dum *Romæ* esset, obtinuit S. P. *Dominicus*.

2. *Archivo*.) Est etiam apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.*15. Asservatur Autographum in Cœnobio *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Votis*.) Nonnulli legunt, *Desideriis*; & idem, quod habetur in *Bulla* - Iustis - *Data VIII Octobr. Anno MCCXV*, huic Diplomati proœmium concedunt. Sic in Autographo *Tolosano* legere est.

4. *Arctioris*.) Consule *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

5. *Idus*.) Nonnulli scribunt *VII Kalendas Februar.*

Datur (1) facultas adeundi Episcopum benevolum qui ad Ecclesias construendas primarium lapidem ponat, constructas consecret, & cœmeteria benedicat, si Diœcesanus sit difficilis.

An. 1217 Die 7 Decemb.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd licèt vobis per specialia (3) privilegia Sedis Apostolicę sit indultum, ut ad Civitates, vel Villas, ubi religiosè, ac honestè commorari possitis, a populis evocati

Supplex Fratrum petitio.

evocati accedere, ibique pro vestris usibus ędificia & Ecclesias, seu Oratoria construere valeatis, Dięcesani tamen locorum in Ecclesiis, seu Oratoriis, quę de novo vultis construere, priorarium lapidem ponere, & constructa consecrare, ac Cęmeteria vobis juxta Ecclesias, vel Oratoria prędicta benedicere denegant pro suę libito voluntatis; aliqui verò Dięcesanorum ipsorum, cum ad Ecclesias, & loca vestra pro pręmissis exequendis accedunt, propter evectionum (4) & personarum multitudinem, quas secum ducunt, gravant vos non modicùm in expensis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc paterna solicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestrę auctoritate prędentium indulgemus, ut si Dięcesani prędicti, a vobis humiliter requisiti, hujusmodi lapidem in prędictis Ecclesiis, vel Oratoriis ponere, ac Ecclesias, vel Oratoria prędicta, ac etiam Altaria vestra consecrare, & Cęmeteria benedicere denegaverint, vel id facere ultra quatuor menses distulerint, vos per quoscunque malueritis Episcopos, gratiam & communionem Sedis Apostolicę habentes, pręmissa recipere licitè valeatis. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Romę apud S. Sabinam VII Idus Decembris Pontificatus nostri An: Secundo.

Indulget ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Datur.*) Exacto Mense Septembri *Romam* petiisse *S. Dominicum*, docet *Humbertus in Chronicis*. Videtur ergo *S. Patriarcha* suorum commodis ac utilitati consulens hocce Diploma assecutus.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *de Tauro Zamoren. Diœceseos in Hispania*.

3. *Specialia.*) Nonnullas desiderari Bullas, hoc apertè indicat.

4. *Evectionum.*) Evectio sumitur pro equorum numero, uti liquet ex Concilio *Lateranen. IV Cap. IV.*

An. 1218 Die 30 Martii.

VII.

Monasterium de Pruliano variis privilegiis donat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Monasterii S. Marię de Pruliano, ejusque Fratribus, tam pręsentibus, quàm futuris regularem vitam professis. In Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Religiosam (3) vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse prędidium, ne fortè cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrę Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prędatum Monasterium S. Marię de Pruliano, in quo Divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & prędentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus (4) qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Pręterea quascunque possessiones, quęcunque bona idem Monasterium inprędentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seù aliis justis modis prędante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo prędatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Decimas, & Primitias quas Venerabilis Frater noster Tolosanus Episcopus vobis apud Fanum-Jovis intuitu pietatis concessit. Possessiones quas quondam Robertus Malivicinus, & eas quas Nobilis vir Simon Comes Montis-fortis apud eundem locum, & apud Salzens, & apud Villarium vobis pro suorum redemptione peccaminum contulerunt; Possessiones quas apud Apamias, apud Gardelam, & apud Agacens habetis: Possessiones, quas Petrus de Vico apud Recortam, & Lambertus apud Podium-Viride vestro Monasterio contulerunt. Possessiones quas apud Bram, & apud Ausonam habetis, & redditus, quos habetis apud Conens cum pratis, vineis, nemoribus, pascuis, & omnibus aliis pertinentiis suis. Sanè Novalium vestrorum, quę propriis manibus, aut sumptibus colitis, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere prędumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel Laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Monasterio vestro Professionem fas sit, sine Prioris sui licentia, de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu, discedere: discedentem verò absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. In Parochialibus verò Ecclesiis, quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Dięcesano Episcopo prędentare, quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere. Statuimus pręterea, ut nulli liceat Monasterio vestro novas, & indebitas exactiones imponere, aut in vos, vel in prędictum Monasterium vestrum sine manifesta & rationabili causa, Excommunicationis, vel Interdicti sententias promulgare. Cum autem generale Interdictum terrę fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis Excommunicatis, & Interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce Divina Officia celebrare. Chrisma verò, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, a Dięcesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & communionem Sacrosanctę Romanę Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicę Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatis, impendat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremę voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè Excommunicati, vel Interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia prępomatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris, secundum Deum & B. Augustini Regulam, providerint eligendum. Libertates quoquè, & immunitates antiquas, & rationabiles consuetudines Monasterio vestro concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus, salvis statutis Concilii Generalis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prędatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre,

vel

Suo & S. Sedis prędidio tutatur Monasterium S. M. de Pruliano.

Possessiones confirmantur.

Enumerantur.

Novalia eximuntur a Decimis.

Facultas adsciscendi Clericos, & Laicos in Ordinem.

Nequis discedat, inhibet.

Parochiales Ecclesias regere possunt Fratres.

Nec exactiones imponere, nec Censuras sine causa promulgare in Monasterium aliquis potest.

Tempore Interdicti Divina celebrari possunt.

A quibus Chrisma, Oleum Sanctum, Ordinationes &c. possint suscipi.

Sepultura Monasterii libera.

Quomodo Prior sit eligendus.

Approbat jura & consuetudines Monasterii.

vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicę auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica Justitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona, hanc nostrę Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundò, tertiòve commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum Judicem premia ęternę pacis inveniant. Amen, Amen. Sanctio pœnalis. Fausta precatur servantibus jura Monasterii.

Perfice gressus meos in semitis tuis. Papæ subscriptio.

Ego Honorius Catholicę Ecclesię Episcopus.
Ego Nicolaus Tusculan. Episcopus.
Ego Guido Prenestin. Episcop. (5) Cardinalium subscriptiones.
Ego Hugolinus Ostien, & Velletren Episcop.
Ego Pelagius Alban. Episcopus.
Ego Petrus Sabinen. Episc.
Ego Leo Tit. S. Crucis in Hierusalem Presbyter Card.
Ego Petrus S. Pudentianę Tit. Pastoris Presbyt. Card.
Ego Robertus Tit. S. Stephani in Celio monte Presbyt. Card.
Ego Stephanus Basilicę duodecim Apost. Presbyt. Card.
Ego Gregorius S. Anastasię Presb. Card.
Ego Thomas Tit. S. Sabinę Presbyt. Card.
Ego Octavianus SS. Sergii & Bacchi Diac. Card.
Ego Gregorius S. Theodori Diac. Card.
Ego Rainerius S. Marię in Cosmedin Diac. Card.
Ego Romanus S. Angeli Diac. Card.
Ego Stephanus S. Adriani Diac. Card.
Ego Allebrandinus S. Eustachii Diac. Card.
Ego Ægidius SS. Cosmę & Damiani Diac. Card.

Datum Laterani per manum Rainerii S. R. E. Vicecancellarii III Kal. April. Indictione VI Incarnationis Dominicę An. MCCXVIII, Pontificatus verò Domini Honorii PP. III Anno Secundo. Bene valete.

1. *Donat.*) Hoc idem beneficium ab *Innocentio III.* Monasterio *Pruliano* ab Anno MCCXV collatum scimus; attamen quia *Innocentianum* Diploma ante confirmatum Ordinem datum erat, ne in disceptationem quæstionemque vocarentur Fratres *Pruliani*, Bullam *Innocentii* ita renovatam voluit *S. Dominicus*, ut quicquid ad Ordinem confirmandum dictum fuerat, illud idem Monasterio *Pruliano* adscriptum sit, uti videre est ex utraque Bulla.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Religiosam.*) Quicquid offendes hic inexplicitum, in Bullis - Justis petentium - *Dat. VIII Octobr. MCCXV*, & - Religiosam - *Dat. XXII. Decembr. MCCXVI* expeditum scito.

4. *Canonicus.*) Ita passim per id tempus vocabatur Ordo Fratrum Prædicatorum, quo circa idem *Honorius* in *Diplomate* - Quoniam abundavit - *Dat. XVIII Januar. An. MCCXXI* Sanctum *Dominicum* nuncupat *Ordinis Prædicatorum Canonicum*. Hinc in *dictis testium super inquisitione facta de vita, obitu, & Miraculis B. Dominici*, quæ refert *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 44*, legitur: *Sunt introducti a F. Philippo ejusdem Ordinis* (Prædicatorum) *Canonico, constituto Procuratore* &c. Hinc *Girardus* Archiepiscopus *Bisuntinus* in *Diplomate Dato An. MCCXXIV* (Asservatur in Archivo Ordinis) *Memoriæ*, inquit, *dignum duximus tradere futurorum, quòd Venerabiles Fratres nostri Decanus, totumque Capitulum nostræ Bisuntinæ Matricis Ecclesiæ S. Johannis Evangelistæ attendentes* &c. *Reverendos Fratres Canonicos Ordinis Prædicatorum, ad Civitatem nostram instinctu S. Spiritus vocaverunt* &c. & *quicunque in domo illa pro tempore Prior extiterit, fidelitatem & reverentiam debet Ecclesiæ supradictæ S. Johannis, sicut Canonicus spiritualis Ecclesiæ* &c. Hinc in *Chronico Maylrossensi* sic legere est: *Anno Domini MCCXXXIII. Clemens Canonicus de Ordine Prædicatorum electus est ad Episcopatum de Dunblarn, & consecratus a Vuillelmo* &c. Hinc *Iacobus de Vitriaco* S. Patriarchæ *Dominico* coætaneus sic *capite XXVII Historiæ Occidentalis de nova Religione & prædicatione Bononiensium Canonicorum* loquens ait: *Est alia Regularium Canonicorum Deo grata & hominibus gratiosa Congregatio extra Civitatem Bononiæ non longè ab ea* (tunc enim in Cœnobio *S. Nicolai de Vineis* nondum intra Urbis Mœnia conclusi habitabant Fratres) *in Castris æterni Regis militantium, & eidem sub unius Majoris obedientia in fervore spiritus & mentis excessu tam devotè, quàm humiliter servientium .... Canonicam Regulam, & salutares Regularium observantias prædicationis, & doctrinæ gratia decorantes, & Prædicatorum Ordinem, Canonicorum Ordini conjungentes* &c. Hinc audies ex Bullis exscribendis infra, Fratres Prædicatores, immo & Moniales ejusdem Ordinis *Canonicos*, & *Canonicas* duobus prioribus ipsius Ordinis seculis sæpe sæpius fuisse nuncupatas. Hinc tandem est quòd in Constitutionibus Ordinis *Dist. I. Textu V De Recipiendis Cap. XIII* Sic olim legebatur. *Nullus recipiatur in Canonicum ad Probationem, vel Professionem, nisi a Priore Provinciali, vel a Priore Conventuali, cum assensu totius, vel majoris partis Capituli*. Id videre est in Actis Capituli Generalis *Parisiensis Anni MCCXLVI*: nunc expuncto *Canonici* vocabulo, legimus: *nullus recipiatur in Fratrem Clericum nisi* &c. Ceterùm Ordo Fratrum Prædicatorum inter *Mendicantes* Jure ac meritò recensetur, & de hoc uno gloriatur.

5. *Cardinalium.*) Consulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II.*

Fratres Prædicatores universis Ecclesiæ Prælatis commendat (1). Anno 1218 Die 26 April.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. A fol.* 214.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VIII.

SI personas religiosas diligere (3) &c. Dat. Laterani VI Kal. Maji Pontificat. nostri Anno Secundo.

1. *Commendat.*) Meritò sanè & jure, ut in Fratres illos benevolentiam navarent omnes; in varias enim regiones orbis ab Anno MCCXVII immigrarant, quò *in omnem terram exivet sonus eorum*, uti videre est apud *Jordan. in vita S. Dominici num. XXVII.* Rogatu *S. Patriarchæ* datum Diploma videtur: *Romæ* siquidem aderat ille, teste *Jordano* mox laudato *num. XXXIII.*

2. *Archivo.*) Autographum asservatur in Cœnobio *S. Stephani Salmantin. in Hispania.*

3. *Diligere* &c.) Illud idem Diploma statim sequitur,

At-

An. 1219 Die 15 Novemb.

Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Prælatis Hispaniarum (1), ut Fratres nostros habeant commendatos.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A fol. 214.

IX.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis per Hispaniam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Commendat ut supra.

Fratrum nostrorum encomium.

SI personas religiosas diligere, ac honorare curetis, Deo, cui servire regnare est, satis gratum obsequium exhibetis, qui, quod uni ex minimis suis fit, sibi fieri asseverat. Rogamus proinde devotionem vestram & exhortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios latores presentium Ordinis Predicatorum, quorum utile Ministerium, & Religionem credimus Deo gratam, in eorum laudabili proposito confoventes ad Officium Predicationis, ad quod deputati sunt, curetis benignè recipere, ac habentes eos pro nostra & Apostolice Sedis reverentia commendatos, in suis eis necessitatibus assistatis, qui Verbum Dei gratis & fideliter proponentes, intendendo profectibus animarum, ipsum Dominum solùm secuti, paupertatis titulum pretulerunt: preces & mandatum nostrum taliter impleturi, ut in districti examinis die positi ad dexteram cum electis, Regnum cum eis percipiatis eternum, non audituri damnationis sententiam reproborum, quos pro contemptu talium ipse Deus, qui se asserit in eorum despectione contemni, perpetuo incendio deputabit. Datum Viterbii XVII Kalendas Decembr. Pontificat. nostri Anno Quarto.

1. *Hispaniarum.*) Redux ex *Hispania*, quò pertexerat Anno MCCXVIII, ut testatur *Jordanus Vita S. Dominici num. XXXVI*, dum esset *Viterbii*, ab *Honorio III* literas commendatitias impetravit *S. P. Dominicus*, ut Fratres, quibus unà cum *Berengario* Episcopo *Barchinonensi* instabat iter in *Hispanias*, effuso sinu exciperentur ab omnibus. Nec fefellit eventus; etenim complura Cœnobia Nostrates hoc Anno MCCXIX (stylo veteri, novo verò MCCXX) in *Hispaniis* a fundamentis excitasse, certa res est. Legendus *Malvenda Annal. Ord. ad Annum MCCXIX Cap. XXXII.*

2. *Archivo.*) Idem habent *Vsusmaris pag. 6. Castellan. pag. 11. Johannes Lopez Histor. Ord. III part. lib. I Cap. XXXVI Johannes a S. Maria in Vita S. P. Dominici* &c. Asservatur etiam in *Archivo Conventus S. Dominici Zamorensis*.

An. 1219 Die 8 Decemb.

Laudat Fratres nostros, ipsosque commendat universis Ecclesiæ Prælatis.

Ex Arch. (1) Ord. lib. A. fol. 238.

X.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis Filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos litere iste pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Laus Fratrum.

Ministerium FF. necessarium.

Commendat Fratres.

Iidem ad prædicandum Evangelium delegantur.

DIlecti filii Prior, & Fratres Ordinis Predicatorum providè attendentes, quòd, qui abscondunt frumenta, maledicuntur in populis, frumentum suum, Verbum predicationis videlicet, quod est pabulum animarum, super aquas multas, idest populos multos, seminant incessanter, & sarcinis divitiarum mundanarum abjectis, quò expeditiùs currant per mundi huius agrum, quem plus solito sentes operiunt vitiorum, in abjectione voluntarie paupertatis eunt, & flentes semina sua mittunt, ut, Domino dante misericorditer incrementum, ad ejus aream suos cum exultatione valeant manipulos reportare. Ipsos igitur, quorum & propositum sanctum, & Ministerium necessarium arbitramur, Universitati vestre affectuosè duximus commendandos, caritatem vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro reverentia Divina ad officium Predicandi, ad quod deputati sunt, benignè recipientes eosdem, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devotè suscipiant, sedulò admonentes, pro nostra & Apostolice Sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad illud suscipiendum vestris exhortationibus preparati, tanquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti Fratres per cooperationem vestram, suscepti Ministerii cursum feliciter consummantes, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Datum Viterbii VI Idus Decembris Pontificatus nostri An: Quarto.

1. *Archivo.*) Asservatur Autographum in *Bononiensi* Cœnobio, & *Parisiensi Collegio San-Jacobeo*.

An. 1219 Die 17 Decemb.

Ecclesiam S. Sixti de Urbe concedit (1) Ordini Fratrum Prædicatorum.

Ex Arch. Ord. lib. A fol. 238.

XI.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Concedit ut supra.

LIgna pomifera in Ecclesie paradiso plantare, ac fovere plantata, juxta quod ex officii nostri tenemur debito, cupientes, dilecto filio Fratri Dominico, & Fratribus sui Ordinis Ecclesiam S. Xisti de Urbe duximus concedendam, sperantes in Domino, quòd tam ipse, quàm Fratres sui poma nova & vetera, que sponsus legitur (2) sponse servasse, ministraturi sint esurientibus animabus. Quocirca Universitatem vestram monentes devotè, & exhortantes, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, cum ab eodem Fratre Dominico fueritis requisiti, ad predictam Ecclesiam, prout ipse mandaverit, accedatis, Do-

Domino ibidem in Ordine vestro devotum obsequium impensuri. Datum apud Civitatem Castellanam XVI Kal. Januar. Pontificatus nostri An: Quarto.

1. *Concedit.*) Qui audis Cœnobium *S. Sixti* Ordini hoc Anno concessum, scito, Nostrates jampridem illud incoluisse, non secus ac de Monasterio *Pruliano* dictum est superiùs *Nota V in Bullam* - Justis - *Dat. VIII Octobr. MCCXV.* Aliud etiam suggerit exemplum *Jordanus* noster *Vita S. Dominici num. XXXI* dicens: *Anno Domini MCCXVII data est Fratribus Domus S. Jacobi, quamvis non absolutè a Magistro Johanne Decano S. Quintini, & ab Universitate Parisiensi ad instantiam precum D. Papæ Honorii, quam intraverunt ad habitandum Octavo Idus Augusti.* Instrumentum tamen donationis diem habet adscriptam *III Maii An. MCCXXI*, ut videre est apud *Echard Scriptor. Ord. Tomo I pag. 17 col. I.* Quidni ergo potuerunt Fratres habere domicilium apud *S. Sixtum* Diplomate Pontificio nondum exarato? Crediderim, Anno MCCXVII in illius possessionem venisse Fratres, illudque cessisse Sororibus Anno MCCXX (Stylo novo, veteri verò MCCXIX). Hæc autem annotare pretium esse duxi, quò ex nonnullis difficultatibus chronologicis re expedias, Legendus *Echard* mox laudatus *Dissertatione IV pag. 81.* Porro, quot Miraculis celeberrimum illud Cœnobium illustraverit Deus Optimus Maximus, nemo nescit. Ceteris, brevitatis gratia, silentio prætermissis, illud unum commemorare non abs re sit: Anno scilicet MCCXX (Stylo novo, veteri verò MCCXIX) Die XIV Mensis Februarii, uti constat ex *Theodorico de Appoldia in Vita S. P. Dominici lib. II Cap. VI*, & ex *S. Antonino Parte III Tit. XXIII Cap. IV §. VII*, hora nona, more Gallorum, quæ Italis quinta decima est, *Neapoleonem Ursinum*, qui *jacuerat .... mortuus a mane usque ad horam Nonam*, uti liquet ex Auctoribus mox laudatis, a S. Patriarcha *Dominico* eo in Cœnobio vitæ restitutum fuisse. Aderat *Stephanus de Fossa nova* Tit. Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis, *Neapoleonis* Patruus, & tantum beneficium grata memoria prosequens, aliquanto post annuo reddittu Monasterium *S. Sixti* donavit: uti ex certissimis Auctoribus dicetur infra *Annotatione VIII in Bullam* - Sacrosancta - *datam I Martii Anno MCCXLIV.* Ex eodem *Neapoleone* oriundus *BENEDICTUS PAPA XIII* feliciter regnans, Ordinis Prædicatorum alumnus, cum nihil secundùm Deum prius, & antiquius habeat, quàm ut germanam æmuletur pietatem Majorum suorum, ejusdem beneficii gratus & memor Ædes sacras, Cœnobiumque *S. Sixti* vetustate labantia sic hisce nunquam satis laudandi Pontificatus sui faustissimis diebus refecit, ut non reparatorem modò, sed penè fundatorem illius Domus meritò ipsum dixeris.

2. *Legitur.*) *Cantic. Canticor. Cap. VII Versu XIII.*

Anno 1220 Die 20 Mar. tii.

Quàm grata sibi sint officia pietatis a Populo Madritensi (1) Fratribus nostris, quos laudat, exhibita, declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Universo Populo Majorici [3], Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Grata habet officia delata Ordini.

GRatum & acceptum nobis fuit, quod audivimus, videlicet, quòd nostros dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, qui habitant apud Majoricum, recepistis in visceribus caritatis, & protexistis laudabiliter cum officiis pietatis, in quo intelligimus, vos gratum obsequium Deo prestare, quia inter bona opera, quibus Deo servimus, fere nullum invenitur illi gratius, quàm subvenire illis, qui propter sitim quam habent Salutis hominum, hauriunt in gaudio & lętitia aquas de fontibus Salvatoris, ut eas dividant in plateis non solùm ad satietatem animarum quę sitim habent, sed etiam in salutare remedium & medicinam contra venenum ęgrotantium animorum. Et ut pleniùs cognoscatis sincerum affectum, quem erga prędictos Fratres gerimus, rogamus proinde devotionem vestram, & exhortamur attentè per Apostolica scripta mandantes, ut sicut laudabiliter cępistis, ita pro nostra, & Apostolicę Sedis reverentia eos habeatis affectuosiùs commendatos, & in suis eis necessitatibus, beneficiis, & eleemosynis vestris assistatis taliter, ut Deum vobis propitium reddatis, & Nos obligetis vobis esse magis favorabiles & benignos. Datum Viterbii XIII Kalend: Aprilis Pontificatus nostri Anno Quarto.

Fratres de meliori nota commendat.

1. *Madritensi.*) Adeat *Malvendam Annal. Ord. ad Annum MCCXX Cap. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum extat in Cœnobio *S. Dominici Madriten.*

3. *Majorici.*) Sic *Madritum* Seculo XIII nuncupatum scimus. Caveas ergo, ne dum *Majoricum* legis, *Majoricam* Mediterranei Insulam cogites, etenim Mauri tunc occupabant illam.

Anno 1220 Die 23 Martii.

Accepta habet quæ erga nostros fecere Segovienses, quos ad perseverantiam adhortatur, Fratres Ordinis laudibus efferens.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XIII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Universo Populo Segoviensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRatum & acceptum nobis fuit &c. (2). Datum Viterbii X Kalend. Aprilis Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *S. Crucis Segovien. in Hispania.*

2. *Fuit &c.*) Ut in præcedenti Diplomate mutato nomine.

Anno 1220 Die 24 Martii.

Commendans Fratres Ordinis Bononiensi (1) Populo, de caritatis officiis jam præstitis laudat ipsum, & ad perseverantiam adhortatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vuillelmo de Postesla, & Populo Bononiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Caritatem Bononiensium laudat.

GRatum gerimus & acceptum, quòd, sicut accepimus, dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum Sancti Nicolai Bononię habentes in visceribus caritatis, eos pietatis officiis laudabiliter confovetis, per

Salutem animarum sitiebant Fratres.

per quod gratum Deo vos prestare obsequium arbitramur, quia vix unquam potest obsequium magis Deo gratum exhiberi, quàm cum eis misericorditer subvenitur, qui Salutem hominum sitientes, ad hoc haurire gestiunt aquam in gaudio de fontibus Salvatoris, ut eam dividant in plateis, non solùm ad refectionem sitientium animarum, verùm etiam ad mentium infirmantium antidotum salutare. Ut igitur sincerum caritatis affectum, quem ad predictos Fratres habemus, pleniùs cognoscatis, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sicut laudabiliter inchoastis, eos ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram habentes propensiùs commendatos, ipsis beneficentię vestrę dexteram porrigstis, ita quòd Deum propitium, & Nos vobis exinde magis ac magis reddatis favorabiles & benignos. Datum Viterbii IX Kal. April. Pontif. nostri An. Quarto.

Ipsos commendat.

Ad perseverantiam Bononienses hortatur.

1. *Bononiensi.*) Quo tempore *Bononiam* petierint Fratres, docet *Jordanus in vita S. P. Dominici num. XXXIII* dicens: *Anno Domini MCCXVIII circa principium* (idest stylo veteri, circiter XXV Martii, vel XV diem Aprilis, qua fuit Pascha) *missi sunt a Roma per S. Dominicum Fratres Bononiam, videlicet F. Iohannes de Navarra, & quidam F. Bertrandus. Postmodum verò F. Christianus cum F. Converso, qui moram facientes Bononiæ, magnam perpessi sunt ibidem paupertatis angustiam.* Videlicet *apud Ecclesiam de Mascarella ubi primò fuit Ordo Prædicatorum Bononiensium*, ut notat *F. Fragerius Pennensis* apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 55, col. II.* At aliquantò post dato Fratribus nostris *S. Nicolai* Cœnobio, cum in sacris Concionibus multùm esset *F. Reginaldus tota jam fervebat Bononia*, inquit, *Jordanus num. XXXV.* Unde dum *Bononiam venit (S. Dominicus) apud S. Nicolaum, magnam invenit Fratrum Collegium, quos sub disciplina Christi, F. Reginaldi cura & diligentia nutriebat.* Non ergo mirum si Bononiensium erga suos benevolentiam summis laudibus celebraverit *S. Dominicus Honorium* alloquens, & ab ipso præsens Diploma obtinuerit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in *Bononiensi* Cœnobio.

Anno 1220 Die 6 Maji.

Ordinem nostrum laudibus efferens, Fratres commendat Archiepiscopo Tarraconensi (1).

XV.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Tarraconensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium in laudem Ordinis.

QUoniam abundavit iniquitas, & refriguit caritas plurimorum, Ordinem Fratrum Predicatorum, sicut credimus, Dominus suscitavit, qui non quę sua sunt, sed quę Christi, quęrentes, tam contra profligandas hęreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntarię paupertatis. Nos igitur eorum pium propositum, & necessarium ministerium favore prosequentes, fraternitatem tuam pro eis rogandam duximus, & monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Divinam, & nostram eos habeas devotiùs commendatos, ut ad promotionem eorum Ordinis taliter intendere studeas, quòd apud Deum, cui est eorum grata Religio, possis multipliciter promereri, & dicti Fratres per cooperationem tuam, & aliorum fidelium roborati, suscepti ministerii cursum feliciùs consummantes, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum; ac Nos devotionem tuam exinde possimus in Domino commendare. Datum Viterbii pridie Nonas Maii Pontific. nostri An. Quarto.

Commendat ipsum.

Finis laborum Ordinis.

1. *Tarraconensi.*) Num per id tempus *Viterbii* fuerit *S. P. Dominicus*, incertum. Illud verò compertum, S. Patriarcham *Bononiæ* fuisse die XVII Maii, cum ibi ad Pentecosten prima Comitia Generalia habuerit hoc Anno. Cur autem Fratres Archiepiscopo *Tarraconensi* commendaverit Pontifex, docet *Malvenda Annal. Ord. ad An. MCCXX Cap. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *S. Catharinæ Barchinonensis*.

Anno 1220 Die 12 Maji.

Nonnullis Monachis, ut de rebus Divinis ad populum dicere possint, dummodo F. Dominici consiliis regantur (1).

Ex Sovegio (2) *Anno Dominicano Tomo I Mensis Augusti pag.* 388.

XVI.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Rocaberto [3] S. Victoris [4], Vincentio de Sillia [5], Castorgio de Mansu [6], Josepho de Flore [7], Jacobo Vallis-Umbrosę [8], & Dominico de Aquilari [9] Monasteriorum Monachis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUia qui seminant super aquas, & qui frumentum absconduntt, in populo maledicuntur, consultè agitis, si talentum vobis a Deo creditum in sudario non ligatis, cum a nemine accendatur lucerna & ponatur sub modio, sed super candelabrum, ut cunctis qui in domo sunt luceat, statuatur. Cum ergo dilectus Frater Dominicus Prior Ordinis Predicatorum magnum credat animarum provenire fructum, si quam accepistis a Domino predicationis gratiam, juxta suam erogetis providentiam utilitatibus proximorum, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus pro illius amore, qui propter nimiam caritatem qua dilexit nos, de secreto Patris ad publicum humanę conditionis exivit, proficiscamini cum ipso Fratre Dominico ad proponendum, quibus expedire viderit Verbum Dei, quò, lumine veritatis ostenso, errantes ad viam veritatis revertantur, scientes quòd vos concessimus Fratri predicto, ut eidem in ministerio Verbi Dei cooperari teneamini, proprium semper habitum deferendo. Datum Viterbii IV Idus Maii Pontific. nostri Anno Quarto.

Concedit ut supra.

1. *Regantur.*) *Hoc Diploma*, inquit *Echard Tomo I Script. Ord. pag. 85, non putem Dominicum præsentem accepisse, cui non satis superfuisset temporis, ut Bononiam rediret, ubi XVII ejusdem Mensis die Pentecostes capitulum suum Generale aperire debebat, sed saltem ad ejus preces, dum Roma paulò ante reverteretur a Pontifice obtentum. Porro ex his literis Dominicum discimus, etiam dum institutioni Ordinis ardentiùs instaret, a prædicationis officio propterea non retardatum, sed perpetuò ac indefesenter ei desudasse, & quosqunt ex aliis etiam Ordinibus ad idem munus aptos viros graves & eruditos noverat, allegisse, sibique socios adjunxisse.*

2. *Sovegio.*) Idem habet *Echard* mox laudatus.

3 Ro-

3. *Rocaberto.*) *Echard* legit: *Roberto*.
4. *S. Victoris.*) *Bononiensis* Diœceseos Prioratus Canonicorum Regularium.
5. *Sidia.*) In *Calabria*.
6. *Mansa.*) Nonne melius: *Mensa*? Hujusce siquidem nominis Abbatiam novimus in *Calabria Ulteriori*.
7. *Flore.*) In *Calabria*.
8. *Vallis-Umbrosæ.*) *Agri Florentini* Monasterium.
9. *Aquilari.*) Legendum videtur *Aquilan.* in Regno *Neapolitano*. Ubi celebris olim Abbatia *S. Laurentii*, *Ord. S. Benedicti*.

Dat F. Dominico *Priori* (1) Ordinis Prædicatorum facultatem (2) dispensandi cum receptis ad Habitum, ut in Ordinibus minùs canonicè in seculo susceptis ministrare valeant, & ad superiores promoveri.

An. .... Die 8 Decemb.

Ex Bullario Ususmaris pag.8.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Dominico Priori Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XVII.

Exordium.

Dispensandi facultas.

EX parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum quibusdam de Fratribus tuis, quorum quidam adhuc in seculo existentes minùs canonicè Ordines Ecclesiasticos assumpserunt, dignaremur misericorditer dispensare, ut ministrare in Ordinibus sic susceptis, & ad superiores valeant promoveri. Nos ergo de tua discretione gerentes fiduciam pleniorem, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus sic, prout eorum Saluti videris expedire, cum ipsis duntaxat qui jam habitum Ordinis susceperunt, super hoc misericorditer agas, quòd justitiam non relinquas, ac sic moderatè mandatum hujusmodi exequaris, quòd in extremo districti examinis, dignam coram Domino possis reddere rationem. Datum Laterani VI Idus Decembr. Pontificat. nostri Anno [3] Sexto.

1. *Priori.*) Sic Generalis Magister Ordinis passim vocabatur id temporis.
2. *Facultatem.*) Dicetur in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo IV.*
3. *Anno.*) Quandonam concessum sit hoc Diploma, nihil sanè ex iisdem literis potui suspicari. F. *Ususmaris* diligentiæ alundè parens *Anno Sexto Pontificatus Honorii* datum arbitratur; at certum est quod die VIII. Decembris Anni Sexti *Honorii III*, seu *MCCXXI*, cælum jam jam petierat *S. Dominicus* cui inscribitur: excesserat enim e vivis a *die VI Mensis Augusti*. Liquet ergo Annum assignatum ab *Ususmare* expungendum esse quisnam sufficiendus sit, perscrutetur lector, nec enim hariolari vacat. Idem Diploma transcripsit *Rodericus in nova Collectione & Compilatione Privilegior. pag.6 Col. II.*

Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiæ Prælatis, ut F. Dominicum habeant commendatum [1].

Anno 1221 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Episcopus, servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prȩlatis, ad quos literȩ istȩ pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XVIII.

Exordium in laudem Ordinis.

Ministerium nostrum necessarium dicit.

Mandat ut supra.

QUoniam habundavit iniquitas, & refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Prȩdicatorum Dominus suscitavit, qui non quȩ sua, sed quȩ sunt Christi quȩrentes, tam contra profligandas hȩreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntariȩ paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, caritatem vestram rogamus & exhortamur in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, quatinus dilectum filium Fratrem Dominicum latorem presentium Canonicum [3] Ordinis memorati pro reverentia Divina ad Officium Prȩdicandi, ad quod deputatus est, recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsius Verbi Dei semen devotè suscipiant sedulò ammonentes, pro nostra & Apostolicȩ Sedis reverentia in suis ei necessitatibus liberaliter assistatis, quatinus ad illud suscipiendum vestris exhortationibus populi prȩparati tanquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dictus Canonicus per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportet sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Datum Laterani XV Kal. Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Commendatum.*) Cum *omnia sua studia cogitationesque eò conferret* S. Dominicus, *at Ordinem a se institutum longè lateque propagaret, atque prædicationem Verbi Divini, cui totam Religionem consecrarat, ubique per se, ac suos alumnos exercerct*, ut inquit, *Malvenda Annal. Ord. ad Ann. MCCXXI Cap. I.* Diploma istud impetravit dum esset *Romæ*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Canonicum.*) Videas *Annotationem IV in Bull.* - Religiosam - *Dat. XXX Martii Anno MCCXVIII.* Unum insuper notes velim, *S. Dominicum* nempè Canonicum vocari, licèt in Capitulo Generali *Bononiensi* possessiones & redditus ejurasset. Nec audiendus ... qui scripsit *Non legendum Pontificatus Anno quinto, sed Anno Secundo, quia*, inquit, *Anno quinto Pontificatus Honorii*, seu Anno MCCXXI, *habitum Virginis, scapulare scilicet, induerat S. Dominicus, quapropter Canonicus dici non potuisset hoc anno.* Quasi verò sacrum Virginis Vestimentum virum Canonicum dedeceat, aut ipsum non possit exornare? Sed, amabo, nunquid diem antiquiorem instrumento publico fas est adscribere, quia opinionem meam subvertit? mentem ex Instrumento, non Instrumentum ex mente mea corrigendam, certè crediderim. Præterea quid Criticus ille de *Canonizationis S. Dominici* perscriptis Actis sentiet, si tandem aliquando evolvat illa? Nunquid Anno MCCXVII assignanda decernet, quia nomen *Canonici* uni ex Fratribus nostris Acta hæc indiderunt?

Anno 1221 Die 23 Januarii.

Ne quis Votis solemnibus adstrictus sinè Prioris sui licentia ab Ordine discedat [1].

Ex Archivo [2] *Ordinis*.

XIX.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium in laudem Ordinis. Inhibet ut supra. Sanctio pœnalis.

CUm is qui Ecclesiam suam nova semper prole fęcundat, volens hęc moderna tempora conformare prioribus, & Fidem Catholicam propagare, pium inspiraverit vobis affectum, quò amplexi paupertatem, & regularem vitam professi, Verbi Dei exhortationi vacetis, evangelizantes per orbem Nomen Domini Jesu Christi, auctoritate pręsentium inhibemus, ne quis post Ordinis vestri professionem sinè Prioris sui discedat licentia, & discedentem absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Nulli ergo &c. Datum Laterani X Kalend. Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Discedat*.) De his in *Tractatu de consensu Bullar*, Tomo ultimo Tit.XII.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum tenent Conventus *S. Catharinæ Barchinonensis*, & *S. Sabinæ de Urbe*.

Anno 1221 Die 4 Februarii.

Archiepiscopis, Episcopis &c. ut Fratres Prædicatores, quos laudibus celebrat, habeant commendatos.

Ex Archivo [1] *Ordinis*.

XX.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prętatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Commendat ut supra.

CUm qui recipit Prophetam in nomine Prophetę mercedem Prophetę accipiat; Universitati vestrę viros Prędicatores Ecclesię Sanctę pernecessarios, pro eo quòd ministrant pabulum Verbi Dei, merito commendamus, ut ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis. Hinc est quòd dilectos filios Prędicatores, qui paupertatem, & regularem vitam professi, Verbi Dei sunt Evangelizationi totaliter deputati vobis duximus propensiùs commendandos; Universitatem vestram rogantes, & hortantes attentiùs, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum ad partes vestras accesserint ad prędicandi [2] officium, ad quod deputati sunt, caritativè recipiatis eosdem, & populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devotè suscipiant, sedulò admonentes, pro divina, & nostra reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, benignè permittentes Presbyteris eorundem, cum expedierit, pęnitentium Confessiones [3] audire, & consilium eis injungere salutare, cum iidem Fratres animarum intendentes profectibus discretos, & cautos dirigant Sacerdotes, per quos salutare potest consilium pręberi, & remedium adhiberi: & propter occasiones multiplices partiri expediat interdum in alios solicitudinem pastoralem. Illum autem super his studeatis eisdem exhibere favorem, ut per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum feliciter consummando, optatum reportent sui laboris fructum, & finem, Salutem videlicet Animarum. Quia verò vitia sępe sub specie virtutum occultè subintrant, & Angelus Satanę in Angelum lucis se plerumque simulatè transformat, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de Prędicatorum fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus, prędicaverint, ad quęstum se pecuniarum convertendo, per quod Religionem eorum qui paupertatem professi sunt contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem. Dat. Lat. II Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Authentico asservato *Tolosæ*.

2. *Prædicandi*.) Dicetur in *Tractatu de consensu Bullart* *Titulo VII Tomo ultimo*.

3. *Confessiones*.) Ibidem de hac materia.

Anno 1221 Die 10 Februarii.

Ne Fratres discedant (1) ab Ordine sinè Prioris licentia.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXI.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori (3) & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum. Inhibet ut supra. Sanctio pœnalis.

CUm paupertatem & vitam profitemini regularem insistentes, ex pio, quem vobis Dominus inspiravit, affectu, evangelizationi Verbi Dei, quo populus Christianus numero & merito ampliatur, auctoritate pręsentium inhibemus, ne quis post Ordinis vestri professionem sinè Prioris sui discedat licentia, & discedentem absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Nulli ergo &c. Datum Laterani IV Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Discedant*.) Dicetur in *Tractat. de consensu Bullar.* *Tomo ultimo Tit.XII.*

2. *Archivo*.) In Bullario *Brixiensi pag.*42. Autographum verò est in Cœnobio *Brixiensi*.

3. *Priori*.) Magistro scilicet Generali.

Uni-

Universis Ecclesiarum Prælatis, ut Fratres Prædicatores habeant commendatos [1] & animadvertant in illos, qui sub ementita specie eorundem corrogant pecuniam.

An: 1221 Die 29 Martii.

Ex Bullario [2] *Ususmaris pag.7.*

XXII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis universis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium in laudem Ordinis. Fratrem Dominicum commendat. Mandat ut supra.

CUm, qui recipit Prophetam in nomine Prophetę, mercedem Prophetę accipiat, Universitati vestrę Viros Prędicatores, Ecclesię Sanctę pernecessarios, pro eo quòd ministrant pabulum Verbi Dei, meritò commendamus, ut ex hoc mercedem vobis incomparabilem comparetis. Hinc est, quòd dilectum filium Fratrem Dominicum Priorem Ordinis Prędicatorum, qui paupertatem, & vitam regularem professus, Verbi Dei est evangelizationi totaliter deputatus, vobis duximus propensiùs commendandum; Universiatem vestram rogantes, & hortantes attentiùs, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum ad partes vestras accesserit ad prędicandum [officium [3] ad quod deputatus est] caritativè recipiatis eundem, & populos vobis commissos, ut ex ore ipsius, Verbi Dei semen devotè suscipiant sedulò admonentes, pro divina, & nostra reverentia, in suis ei necessitatibus liberaliter assistatis. Illum autem super his studeatis ei exhibere favorem, ut per cooperationem vestram, suscepti ministerii cursum feliciùs consummando, optatum reportet sui laboris fructum, & finem, salutem videlicet animarum. Quia verò sępe vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & Angelus Satanę in Angelum lucis se plerumque simulatè transformat, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de prędictorum Fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus prędicaverint, ad quęstum se pecuniarum convertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem. Dat. Laterani IV Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Commendatos.*) Cum nonnulli Provincias hoc anno peragrantes in habitu & tonsura Religiosorum, multos defraudarent, ut testatur *Cæsarius Heisterbacensis Dialogi Miraculorum Distinctione VI Cap. XX*, Extat apud *Tisserium Bibliotb. Cistercien. Tomo II pag.* 174, hinc Episcopi pronuntiari jusserunt, ne quis errones illos exciperet hospitio. Quapropter ne FF. Prædicatores despicerentur, commendat ipsos Pontifex; errabundos autem, qui turpe lucrum sectabantur, condemnandos decernit.

2. *Bullario.*) Autographum est in Cœnobio *Fesulano*.

3. *Officium.*) Legunt alii: *ad prædicandi Officium, ad quod deputatus est.*

Monasterio [1] S. Sixti de Urbe possessiones Ecclesiarum S. Mariæ in Tempore, & S. Bibianæ concedit.

An. 1221 Die 25 April.

Ex Archivo Ordinis lib. A. Fol. 249.

XXIII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Sororibus Conventus Sancti Xisti de Urbe, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Quid actum sit narrat. Concedit ut supra. Sanctio pœnalis.

ETsi Ecclesiarum omnium nobis cura immineat generalis, erga Ecclesias tamen de Urbe tantò Nos decet propensioris diligentię studium adhibere, quantò eas viciniùs, & familiariùs intuentes, sicut de ipsarum profectu secundùm utrumque hominem gaudium, ita & de defectu, quod absit, dolorem inevitabiliter experimur. Sanè cum Ecclesia S. Marię in Tempore [2] usque adeò in Spiritualibus esset collapsa, & in temporalibus diminuta, quòd nequaquam ibi Abbatissa, & Moniales ipsius possent commodè remanere, Nos more industrii vinitoris, qui plantas fructiferas de loco sterili, ad fertilem satagit transplantare, tam Abbatissam, quàm Moniales omnes ad Ecclesiam S. Xisti, ubi per Dei gratiam domus Religioni aptissimę cum multa sunt diligentia fabricatę, duximus transferendas, translata etiam majori parte Monialium Ecclesię Sanctę Bibianę [3] de voluntate ipsarum, quę unà vobiscum elegerunt Domino famulari. Nos itaque providè attendentes, quòd translatis personis, & rerum translatio fieri debeat, omnes omnino possessiones cultas & incultas, vineas, aquas, silvas, tam prędictę Ecclesię Sanctę Marię in Tempore, quàm prefatę Ecclesię Sanctę Bibianę, possessionibus quas habet in tenimento Anguillarię [4], duntaxat exceptis, vobis de nostrę potestatis plenitudine concedentes, vobis, & per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsenti privilegio communimus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis & confirmationis infringere; si quis autem &c. Datum Laterani VII Kal. Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Monasterio.*) Audiendus *Theodoricus de Appoldia Vita S. Dominici lib. II Cap. IV & VIII* dicens: *Constituerat Honorius Pontifex, omnes Sanctimoniales per diversa Urbis loca dispersas, modò id fieri posset, in unum redigere, ut & faciliùs possent regi & custodiri: porro illas ita adunatas decreverat apud S. Sixtum propter antiqui loci reverentiam & opportunitatem collocare: cernens verò B. Dominicum per omnia virum religiosum, & adomnes gratiosum, illi pium hoc opus committendum censuit &c.* Anno igitur *MCCXIX* (Stylo veteri, novo verò MCCXX) *XII Kalendas Martii venerunt Domina Abbatissa cum sanctimonialibus suis de trans Tyberim accipientes in possessionem Ecclesiam S. Sixti, ubi habitare cœperunt.* Quapropter translatis personis, & rerum translationem seu cessionem fieri curavit *Honorius* hocce Diplomate, quod, ut videtur, obtinuit *S. Dominicus Romæ* præsens.

2. *Tempore.*) Legendum fortassis *Tempulo*, uti nuncupatur apud *Torrigium* qui de ejus situ disputat *Histor. della Veneranda Imagine di Maria Vergine posta nella Chiesa de' Santi Sisto e Domenico. Cap. XV.*

3. *Bibianæ.*) Ad portam *Exquilinam*.

4. *Anguillaria.*) Seponuntur possessiones istæ ad Monialium, quæ in Monasterio *S. Bibianæ* remanserant, sustentationem.

An: 1221 Die 6 Maii.

Concedit facultatem celebrandi [1] super Altare portatile.

Ex Archivo [2] Ordinis.

XXIV.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

POstulastis a nobis, ut cum extra civitates & villas frequentiùs existatis, nec vobis expediat per hujusmodi loca discurrere pro Divinis Officiis audiendis, celebrandi vobis, ubi Conventus de Ordine vestro fuerit, super Altare portatile licentiam prębéremus; Nos autem id vestris postulationibus inclinati concedimus sine juris pręjudicio alieni. Datum Laterani II Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Celebrandi.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

An. 1221 Die 10 Maii.

Fratres nostros Commendat Episcopo & Capitulo Placentino [1].

Ex Campo Histor. Placent. parte II lib. XVI. pag. 389.

XXV.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Episcopo & Capitulo Placentino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Commendat ut supra.

DIscretionem vestram rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatenus dilectos filios Fratres Prędicatores, qui seculi vanitatibus abdicatis obtulerunt Domino laudis sacrificium semetipsos, pietatis intuitu, precumque nostrarum obtutu habere dignemini taliter commendatos, quòd iidem preces nostras apud vos sibi sentiant fructuosas, & nos devotionem vestram possimus propter hoc non immeritò commendare. Datum Laterani VI Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Placentino.*) In *Italia*. Cur autem datum sit Diploma disces a *Campo* loco mox laudato.

An. 1221 Die 28 Maii.

Commendat (1) Fratres Ordinis universis Ecclesiæ Prælatis, quibus præcipit, ut errabundos, qui se alumnos Ordinis mentientes, turpe lucrum quærunt, condemnent.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Universis Ecclesiarum Pręlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm qui recipit Prophetam &c. Datum Laterani V Kal. Junii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Commendat.*) Hocce Diploma exscripsimus supra ad Diem *XXIX Martii Anno MCCXXI*, ubi quæ desiderantur hic, & essent notanda, invenies.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum extat in Monasterio *SS. Dominici & Sixti de Urbe*.

An. 1221 Die 7 Decemb.

Episcopo Barchinonensi [1], ut Fratres Ordinis Prædicatorum habeat commendatos.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol: 521.

XXVII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Barchinonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Commendatio Fratrum.

FRaternitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, qui seculi vanitatibus abdicatis obtulerunt Domino laudis sacrificium semetipsos; pietatis intuitu, precumque nostrarum obtentu habere studeas taliter commendatos, quòd iidem preces nostras apud te sibi sentiant fructuosas, & Nos devotionem tuam possimus propter hoc non immeritò commendare. Datum Laterani VII Idus Decemb. Pontificat. nostri Anno Sexto.

1. *Barchinonensi.*) *Berengario* nempe, quem sponte currentem, utpote Ordinis studiosissimum, hortatur Christi Vicarius, quò suam erga nostros benevolentiam magis ac magis demonstret. Adeas *Malvendam Annal. Ordinis ad Ann. MCCXXI Cap. LXIII.*

2. *Archivo.*) Autographum extat in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*

Ut

Ut tempore Generalis Interdicti (1) Sacra celebrare possimus in Cœnobiis nostris.

An. 1222. Die 7 Martii.

Ex Bullario (2) Usumaris Pag. 7.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXVIII.

CUm Nos, quibus incumbit specialiùs exaltare ac fovere Religionem, in suavi sanctę vestrę institutionis odore plurimùm delectemur, conceptum devotionis vestrę fervorem singulari quodam affectu prosequimur, & aliquid vobis libenter amplioris dilectionis & gratię impertimur. Unde Nos, dilecti in Domino filii, vestris honestis petitionibus inclinati, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut in Ecclesiis vestris, Civitatibus, & etiam locis ipsarum suppositis Interdicto, excommunicatis & interdictis exclusis, clausis januis, non pulsatis campanis, & suppressa voce, Divina possitis Officia celebrare; attentiùs provisuri, ne hujusmodi occasione indulgentię, aliis in scandalum existatis. Nulli ergo &c. Datum Anagnię [3] Nonis Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Exordium in laudem Ordinis.

Concedit, ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Interdicti.*) Consulendus *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Bullario.*) Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolan.* Videas etiam *Libr. A. fol. 263.* Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Anagnia.*) In *Campania Romana.*

Ecclesiam S. Sabinæ concedit [1] Ordini.

An. 1222. Die 5 Junii

Ex Archivo [2] Ordinis.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro [3], & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXIX.

QUia omnibus ex officio nostro, licèt immeriti, pręsumus, meritò vobis, qui vestro ministerio proficere cupitis universis, commoda, cum convenit, ministramus; ut sic Ministri Christi & dispensatores Mysteriorum Dei per nostrum ministerium honorentur. Cum igitur certum hospitium non haberetis in Urbe, ubi eò forsan plus prodesse potestis, quò ibi tam indigenę, quàm extranei congregantur; Nos tam vobis, quàm multorum utilitati consulere cupientes, Ecclesiam S. Sabinę, ad celebrandum, & domos, ad inhabitandum, sicut Seculares Clerici habuerunt, de consensu Fratrum nostrorum, & specialiter dilecti filii nostri tituli ejusdem Ecclesię Presbyteri Cardinalis, vobis duximus concedendam, domo ubi est Baptisterium cum horto proximo & reclusorio pro duobus Clericis reservato, qui de Parochia, & possessionibus [4] ipsius Ecclesię, prout expediet, curam gerent, jure Cardinalis in omnibus integre conservato. Nulli ergò &c. Datum Romę Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Exordium in laudem Ordinis.

Concedit ut supra.

Nonnulla reservat duobus Clericis.

Sanctio pœnalis.

1. *Concedit.* Ab Anno tamen MCCXIX eo in Cœnobio domicilium habuere Nostrates, ut videre est ex *F. Benedicto a Monte-Fiascone in Chronicis Monasterii S. Sixti, & ex Theodorico de Appoldia in Vita S. P. Dominici lib. II Cap. VIII.* Et ex hoc confirmantur quæ mox in *I notatione* dicta sunt. Res enim omnibus est nota & manifesta, Fratres Prædicatores in possessionem Cœnobii *S. Sabinæ* venisse vivente *S. P. Dominico*, ergo anteaquam præsens Diploma fuisset concessum.
2. *Archivo.*) Autographum tenet Conventus *S. Sabinæ de Urbe.*
3. *Magistro.*) *Jordano* nempe II Generali Magistro Ordinis, in Capitulo *Parisiensi* electo Die XXIII Maii Anni MCCXXII.
4. *Possessionibus.*) Jam enim possessionibus nuncium remiserant iidem Fratres, uti liquet ex *Actis Capituli Generalis Bononiensis Ann. MCCXX.*

Eximit a jurisdictione Episcopi & Ecclesiæ *Bononiensis* Ecclesiam (1) *Sanctæ Mariæ* de Monte de *Guardia*.

An. 1223 Die 1 Julii.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 268.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Angelicę Fundatrici Ecclesię Sanctę Marię de Monte de Guardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXX.

CUm pias postulantium voluntates sine lęsione justitię alienę ducere possumus ad effectum, gratum petentibus assensum impendimus, & favorem. Eapropter, dilecta in Christo filia, felicis recordationis Innocentii (2) Papę prędecessoris nostri vestigiis inhęrentes, Ecclesiam Sanctę Marię de Monte de Guardia tuo studio fabricatam, a jurisdictione Episcopi & Ecclesię Bononiensis eximimus, & ad exemplar ejusdem Innocentii, & bonę memorię C. (3) Papę prędecessoris nostri Apostolicę protectionis pręsidio communimus. Nulli ergo &c. nostrę constitutionis & confirmationis infringere. Si quis autem &c. Datum Signię (4) Kalendis Julii Pontificatus nostri An: Septimo.

Exordium.

Exemptio a Jurisdictione.

1. *Ecclesiam.*) Cui nomen est *Sancti Lucæ* non longè a *Bononia*. Commorantur ibi nonnullæ Moniales Ordinis nostri, & habetur ut Vicarialis Domus Monasterii *S. Mathiæ Bononiensis.*
2. *Innocentii.*) III.
3. *C.*) *Cælestini III.*
4. *Signia.*) In ditione Pontificia.

Anno 1224 Die 18 Decemb.

Facultas celebrandi tempore Interdicti [1].

Ex Bullario [2] *Ususmaris pag.* 8.

XXXI.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

Sanctio poenalis.

FAvorabilibus precibus vestris benignum impertientes assensum, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut Generalis tempore Interdicti liceat vobis in Ecclesiis vestris, in quibus Collegium fuerit, non pulsatis campanis, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, submissa voce Divina Officia celebrare. Nulli ergo &c. Datum Laterani XV Kalend. Januarii Pontificat. nostri Anno Nono.

1. *Interdicti*.) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo X.*

2. *Bullario*.) Autographum est in Collegio *San-Jacobeo Parisiensi*.

An. 1225 Die 7 Martii.

Ut commissiones quascunque possimus recusare.

Ex Bullario [1] *Ususmaris pag.*8.

XXXII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

Sanctio poenalis.

QUieti vestræ providere volentes, auctoritate vobis pręsentium Indulgemus, ut Commissiones [2] a Sede Apostolica, vel Delegatis ejus, seu quibuslibet aliis vobis factas non teneamini contra vestram recipere voluntatem. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Laterani Nonis Martii Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Bullario*.) Autographum asservatur in Cœnobio S. *Catharinæ Pisarum*. Idem exscripsit *Rodericus in Nova Collectione & compilatione Privilegiorum &c.pag.6 col.II.*

2. *Commissiones*.) Legendus *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo X.*

An. 1225 Die 7 Octobr.

Fratribus nostris, & Minoribus in Regno Miramolini [1] constitutis [2] quædam concedit privilegia [3].

*Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo I pag.*338.

XXXIII.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus & Minoribus in Regno Miramolini a Sede Apostolica destinatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Laus Fratrum. Missio.

Privilegia.

VIneę Domini custodes, licèt immeriti, positi & cultores, necesse habemus in eam mittere operarios, distribuendo singulis Ministeria secundùm virtutem, juxta quam valeant officiosiùs operari. Attendentes igitur, quòd abnegantes vos ipsos, animas vestras pro Christo ponere cupitis, ut lucri faciatis sibi animas aliorum, & quòd nullum sacrificium Deo constat esse acceptius, quàm lucrum quęrere animarum, vos in Regnum Miramolinum Sedis Apostolicę transmittit auctoritas, ut evangelizantes illic Dominum Iesum Christum, quantum ipse dederit, convertatis incredulos, erigatis lapsos, sustentetis debiles, pusillanimes consolemini, & fortes nihilominus confortetis. Ut autem Ministerium vestrum confidentiùs exequamini, concedimus, ut in prędicta duntaxat regione vobis liceat Prędicare, baptizare Saracenos ad Fidem noviter venientes, & reconciliare Apostatas, injungere pęnitentias, & excommunicatos illos absolvere, qui ad Sedem Apostolicam commodè non possunt accedere, absolvendi: liceatque vobis in terra illa in eos, quos hęreticos esse constiterit, excommunicationis sententiam promulgare. Inhibemus quoque ne cui christiano liceat vos de terra illa eiicere violenter: pręcipimus autem vobis in virtute sanctę obedientię, ut his nullatenus pręsumatis abuti, sed tanquam inconfusibiles operarii Iesu Christi, ita irreprehensibiliter vos geratis, quòd a Summo Patre familias retributionis denarium mereamini, & Nos majora vobis possimus committere confidenter. Dat. Reate [4] Nonis Octob. Pontif. nostri Anno Decimo.

1. *Miramolini*.) Hoc nomine insignitur, qui Regni gubernaculis assidet apud Turcas Africos.

2. *Constitutis*.) S. Patriarcham *Dominicum* sæpiùs ad Saracenos iter agredi peroptasse, norunt Auctores coævi, inter quos Legendus *Constantinus Vita S. Dominici num. XXI.* At pius parens cælo maturus cogitatum suum, Deo sic disponente, perficiendum reliquit filiis, quos paternæ virtuti respondentes, probat Diploma Pontificium.

3. *Privilegia*.) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo VIII.*

4. *Reate*.) In ditione Pontificia.

Anno 1226 Die 17. Martii.

Fidei Præconibus Ordinis Prædicatorum & Minorum Regni Marochitani varia concedit [1] Privilegia.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

XXXIV.

Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus, & Minoribus in Regno Marochitano de Mandato Sedis Apostolicę commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd, cum ad Mandatum Sedis Apostolicę voluntariè Vos discrimini obtuleritis ob multorum salutem, provido usi consilio, interdum mutatis habitum, bar-

barbam [3] nutriris, & comam, non tam ad declinandum ad tempus gentis barbarę feritatem, quę in Christianos crudeliùs debacchatur, quàm etiam, ut prodesse pluribus, & liberiùs visitare Christianos in carceribus, & locis aliis valeatis, ad injungendum eis pęnitentiam, dandum salutis monita, exhibendum Ecclesiastica Sacramenta: Cumque in terra illa gratis non possitis victualia invenire, pro eo quòd non panis, sed pecunia consuevit ibidem pauperibus in subsidium erogari, urgens necessitas vos compellit caritativè recipere, sed parcè denarios, & expendere tantummodo propter cibum, & vestes; unde cum hęc sint contra Ordinis vestri instituta, licèt videatur vobis ab his excusare inevitabilis necessitas, ac grandis, & evidens utilitas aliorum: quia tamen cum Job veremini omnia vestra opera, districti examen Judicis recolentes, humiliter postulastis, vestrę super his a Sede Apostolica subveniri conscientię, atque famę. Cum igitur ex causa, David coram Abimelech legatur habitum commutasse, ac Dominum se junxisse in specie peregrini Discipulis euntibus in Emaus, in fractione panis eis postmodum revelatum, qui etiam tam David pueros super eo quòd in necessitate comederent panes sanctos, quos eis contingere non licebat, quàm Apostolos excusavit, dum ipsos Pharisęi arguerent, quòd esurientes alienas non lotis fricantes spicas manibus comedebant. Nos laudabile opus vestrum, piumque propositum attendentes vestris supplicationibus inclinati, super prędictis vobiscum in illis regionibus, quandiu pręscripta vos arctat necessitas, & invitat utilitas, misericorditer dispensamus, dum tamen fraus non interveniat, sive dolus, vel sinceritatem vestram cupiditas non seducat. Datum Later. XVI Kalend. April. Pontificatus nostri Anno Decimo. Concedit ut supra.

1. *Concedit.*) Ut Evangelii Præconibus in *Africa* constitutis aditus esset pervius ad Saracenos, hæc, de quibus in hoc Diplomate, pro Regionis more concessit Pontifex.

2. *Archivo.*) Idem habet *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo I pag.464.*

3. *Barbam.*) *Ex quo mihi videtur*, inquit *Vvaddingus* mox laudatus, *clarè deduci in primitiva nostra Religione* (S. Francisci) *nequaquam fuisse in usu Barbam nutrire*. Sed de his disserant eruditi, multi sunt in Ordine Seraphico, & semper fuere.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Episcopi, & Legati Dignitates, Honorio III Summo Pontifice, promotos exhibens.

EPISCOPI.

F▲ Vvalterus, seu Gualterus, Malus-clericus, vulgò *Mauclerk*, natione Anglus, Episcopus Carleolensis, vulgò *Carlile*, sub Archiepiscopo Eboracensi in Anglia. *Parisius in Historia Angliæ ad An. MCCXXIII pag.219. Nicolaus Triveth in Chronic: ad eundem annum. Goduvinus de Præsulibus Angliæ in Carleolen. Echard Tomo I Scriptor: Ord. Prædicat. pag.120 &c. Eodem Anno* [*MCCXXIII*] *circa Festum Dominicæ Ascensionis* [verba sunt *Parisii* Auctoris coævi; fuit autem Ascensio Kalendis Juniis.] *Vvalterus Malus-clericus Consecratus est Carleolensis Episcopus per manum Vvalteri Eboracensis Archiepiscopi.* Anno 1223 circa Kalendas Junias.

F▲ Johannes Danus, Episcopus Burglaviensis in Jutia Septentrionali, vulgò *Nort-Jutland*, sub Archiepiscopo Lundensi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Præd. in Indice Episcopor. pag.25 Col. II ex Laurentio Pignon in Catalogo Promotorum ad Dignitates extra Ordinem*. Nunc *Alburgum* translata hæc Sedes. Quo Anno fuerit inauguratus *Johannes*, incertum. Quia tamen Tertius est inter *Burglavienses* Episcopos, quorum Sedes Anno MCLXV fuit erecta; hinc *Honorio III* Summo Pontifice sedisse *Johannem*, crediderim.

LEGATI.

F▲ Gualla Bergomas, de quo sæpiùs infra *in Indice Episcoporum An. MCCXXIX, Legatorum An. MCCXXVII* &c. Legatus fuit Anno MCCXXVI; ipsiusque opera *Bononienses* decem Annorum inducias cum *Mutinensibus* pacti sunt. Auctor est *Cavalerius Tomo I pag.8 Præfat. & pag.14.* Penes ipsum fides optimo jure, eo vel maximè fit, quòd Vir miræ sagacitatis & eruditionis, historiarum tum domesticarum Ordinis Fratrum Prædicatorum, & Civium suorum Bergomatum, tum exterarum perscrutator indefessus fuit, & conquirendis antiquis in illis regionibus monumentis studium successu prospero collocavit *P. Cavalerius* virtute cognita, & spectata fide amplissimus. Anno 1226.

GREGORIUS IX.

(a) Gregor. IX lib. I Epist. Data Laterani X kal. April. Pontif. Anno I.
(b) Odoric. Raynald. Annal. Ecclesiast. Tomo I ad An. MCCXLI num. LXXXII.

Hugolinus antea dictus Ostiensis Episcopus Cardinalis, ex Nobilissima Signiæ Comitum prosapia ortus, electus [a] est Summus Pontifex XIV Kalendas Apriles, seu Die XIX Martii Anno MCCXXVII, coronatus fuit Die XXI ejusdem Mensis. Sempiterna laude & immortalitate dignus vixit [b] in Pontificatu Annos XIV, Menses V, Dies II. Migravit e vita XII Kalend. Septembr. Die nempe XXI Mensis Augusti Anno MCCXLI. Infrascripta concessit Ordini.

Anno 1227 Die 21 April.

Episcopo, ac Prælatis Olomucensis [1] Diœceseos, ut Fratres Prædicatores habeant commendatos.

Ex Archivo [2] Ordinis lib. B. fol: 24, & 219.

I.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Olomucensi, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prępositis, & aliis Ecclesiarum Pręlatis per Olomucensem Diœcesim constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

Uoniam abundavit iniquitas, & refriguit Caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum Dominus suscitavit, qui non quę sua sunt, sed quę sunt Christi quęrentes, tam contra profligandas Hęreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi Verbi Dei in abiectione voluntarię paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessarium ministerium, favore benevolo prosequentes, universitati vestrę ipsos affectuosè duximus commendandos: caritatem vestram rogantes, &

Commendat ut supra.

exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Prędicatores pro reverentia Divina ad officium Prędicandi ad quod deputati sunt, recipiatis benignè ac Populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devotè suscipiant, & confiteantur eisdem, cum auctoritate Nostra liceat confessiones [3] audire, ac pęnitentias iojungere, sedulò admonentes; pro nostra, & Apostolicę Sedis reverentia in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prędicta suscipienda vestris exhortationibus Populi pręparati, tanquam bona, & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti Fratres per operationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum, & finem, Salutem videlicet Animarum. Quia verò sępe vitia sub specie virtutum occulrè subintrant, & Angelus Satanę in Angelum lucis se plerumque simulatè transformat; Pręsentium vobis Auctoritate mandamus, quatenus, si qui de prędictorum Fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus prędicaverint, ad quęstum se pecuniarum

In nonnullos animadvertendum decernit.

convertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem. Datum Laterani XI Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Olomucensi.*) In Regno *Bohemiæ*, quò ab Anno MCCXXII S. Hyacinthus B. *Ceslaum* germanum suum miserat teste *Severino in Vita S. Hyacinthi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Brunensis* in *Moravia*.
3. *Confessiones.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

An. 1227 Die 5 Maii.

Potestati, ac Populo Mutinensi [1], ut ad Moletrinæ molas versandas necessariam Monialibus S. Catharinæ aquam concedant.

Ex Archivo [2] Ordinis.

II.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestati, & Populo Mutinensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Iniungit ut supra.

CUm sicut ex insinuatione dilectarum in Christo filiarum Monialium Sanctę Catharinę accepimus, eis partem cujusdam aquę ad construendum Molendinum concesseritis intuitu pietatis, & ad hoc non sufficiat pars prędicta, universitatem vestram monemus, & hortamur attentiùs, in remissionem vobis peccatorum injungentes, quatenus cum munus vestrum perfectum existere debeat, tanquam ejus obtentu datum, a quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, eadem pietate, qua incępistis, dono vestro adiicere studeatis tantum adhuc eisdem Monialibus de aqua prędicta, quantum ad dictum Molendinum plenè sufficiat, concedentes; ita quòd retributionem obtineatis ab illo, qui centuplum reddere, quod ejus datur obtentu, & vitam insuper largiri perpetuam, pollicetur, ac Benedictionem possitis Apostolicam promereri. Datum Laterani III Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Mutinensi.*) In *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, cujus Autographum asservatur a Conventu nostro *Mutinensi*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Ar-

Archiepiscopis, Episcopis, ac ceteris Ecclesiæ Prælatis Fratres Prædicatores de meliori nota commendat, quò ubique prædicent Evangelium, & Confessiones [1] excipiant; decernens, animadvertendum in eos, qui se Religiosos Ordinis mentiuntur.

An. 1227 Die 10 Maii.

Ex Archivo [2] *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

III.

QUoniam habundavit iniquitas &c. [3]. per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus dilectos filios Fratres Ordinis memorati, pro reverentia Divina & nostra, ad officium prędicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devotè suscipiant, & confiteantur eisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat Confessiones audire, ac penitentias iniungere, sedulò admonentes &c. [4]. Datum Laterani VI Idus Maii Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Confessiones*.) Consulendus *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Aliud asservatur *Tolosæ*. Plumbum filis cannabinis appenditur. Idem transcripsit *Confettius in Collectione privileg. pag. 5.*
3. *Iniquitas &c.*) Ut supra *XXI April. MCCXXVII.* Renovatum insuper videtur hoc Diploma *Laterani XVII kalend. Junias Gregorii IX Anno V.* Extat exemplar in Archivo Ordinis.
4. *Admonentes &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem usque.

Ubique prædicandi, Confessiones excipiendi, & Indulgentiam viginti dierum in *Germania* duntaxat elargiendi, potestatem facit Fratri *Jordano*.

Anno 1227 Die 16 Maii.

Ex Archivo [1] *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Jordano [2] Magistro Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IV.

DEscendentes olim mare in navibus plures Christi Ministros operationes in aquis multis fecisse didicimus, at supervenientibus tenebris, & densa excrescente caligine peccatorum, nihil fere ceperunt laborantes diutius in sinistra; apparente demum aurora, in cujus lumine cępit vestri primordium Ordinis ambulare, gradiens Dominus circa litus, ut imperet ventis & mari, & navigantibus in laborando succurrat, ejusdem Ordinis Fratribus specialiter precepisse videtur, ut rete in dexteram navigii mitteretis; sicque cępistis jubente Domino prendere piscium multitudinem copiosam, itaut jam Petrus gaudens expavescat quodammodo ad tanti miraculi novitatem, nempe quia navigandi arte Magistri per hoc mare magnum & spatiosum, ubi reptilium innumerabilis multitudo consistit, libenter discurritis, inchoati lucri cupidine jam illecti, ut ipsum in litore Dominum pulmentario reficere valeatis. Nos qui, licèt immeriti, vicem ipsius in terris gerimus Iesu Christi, tam pium approbantes desiderium, & vestris profectibus congaudentes, favorem vobis benevolum cupimus impertiri. Hinc est, dilecte in Domino fili, quòd cum ille qui dividit singula prout vult, suę benedictionis tibi contulerit gratiam specialem, discretioni tuę, de qua plenè confidimus sanctę prędicationis Officium fiducialiter duximus committendum, Auctoritate tibi Apostolica indulgentes, quatenus ubique locorum prędicans cum fiducia Verbum Dei, & exaltans in fortitudine vocem tuam, voces sitientes ad aquas, & quęrentibus Dominum notas facias vias ejus, si, te, immo Domino ipso docente, deduci voluerint in suorum semitam mandatorum. Ut autem commissum tibi officium utilius prosequaris, liceat etiam tibi concedimus, ut cum expedire videris, confessiones penitentium possis audire, ac eis satisfactionem pro commissis injungere salutarem, nisi forsitan aliquorum ita graves fuerint & enormes excessus, quòd sint meritò ad Sedem Apostolicam, vel Dięcesanum Episcopum remittendi; cupientes etiam, quòd & in patria tua abundantiùs gratia Divina favente proficias, qui aliàs pluribus diceris profuisse, auctoritate tibi pręsentium concedimus potestatem, ut cum in Alemania personaliter fueris, & tibi videris expedire, universis Christi fidelibus qui devota mente ad audiendum vocem tuę prędicationis convenerint, usque ad viginti dies de injuncta sibi penitentia, nostra fultus auctoritate, valeas relaxare. Tu igitur tanquam vir prudens, ita modestè ac providè concessa tibi potestate utaris, quòd in verbo prędicationis tuę cultus Divini Numinis amplietur, & sancta Romana Ecclesia mater tua in te, qui filius ejus inter ceteros specialis existis, tanquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus, non immeritò valeat delectari. Datum Laterani XVII Kal. Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium in laudem Ordinis.

Concedit ut supra.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum extat in Cœnobio *Bononiensi*.
2. *Jordano*.) Adeas clarissimos editores *Actorum SS. Antuerpianos Tomo II Februar. ad Diem XIII.*

Cavet, ne Fratres ab Ordine discedant [1].

An. 1227 Die 25 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

V.

CUm paupertatem & vitam profiteamini regularem, insistentes ex pio, quem vobis Dominus inspiravit, affectu, evangelizationi Verbi Dei, quo populus christianus numero & merito ampliatur; auctoritate prę-

Inhibet ut supra.

Sanctio pœnalis.

præsentium Inhibemus, ne quis post Ordinis vestri professionem, ab Ordine ipso, sine Prioris sui discedat licentia; discedentem verò absque cautione literarum vestrarum, auctoritate alicujus privilegii ab Apostolica Sede indulti, nullus audeat retinere. Nulli ergo &c. Datum Laterani VIII Kal. Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Discedant.*) Illud idem vetitum legimus supra *X Februar. Anno MCCXXI* Hoc tamen exscribendum fuit, quia in aliis Diplomatibus non habentur hæc verba: *Auctoritate alicujus Privilegii*. De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *S. Catharinæ Barchinonensis*. Asservatur etiam aliud ejusdem tenoris in Cœnobio *S. Dominici Senarum Dat. Laterani XI Kalend. Mart. Pontificat. Gregorii IX Anno Quarto*, seu *XIX Februar. Anno MCCXXXI.*

Anno 1227 Die 12 Junii.

Procurationem F. Conrado (1) demandatam a Lantgravio Thuriogiæ (2) ad Ecclesiastica Beneficia conferenda confirmat.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 280.

VI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Prædicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Confirmatio. Sanctio pœnalis.

SOlet Sedes Apostolica annuere piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Cum itaque, sicut insinuante nobili viro Lantgravio [3] Thuringiæ didicimus, ipse, qui jus habet nominandi, prout spectabat ad eum, Ecclesiastica beneficia, in quibus Jus obtinet patronatus, de conjugis [4], ac filiorum [5], & fratrum [6] suorum assensu, ad vitandum periculum, quod ex defectu posset vel negligentia provenire, tibi contulerit hujusmodi potestatem; Nos ipsius Nobilis supplicationibus annuentes, quod super hoc ab eodem piè factum est, sicut in ejus authentico continetur, Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ II Idus Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Conrado.*) De quo in *Dissertatione*, cui Titulus: *Vindiciæ F. Conradi Marburgensis Tomo Ultimo*.
2. *Thuringiæ.*) In *Saxonia superiori*.
3. *Lantgravio.*) Cui nomen *Ludovicus VI.*
4. *Conjugis.*) *S. Elisabeth*, cujus Festum celebrat Ecclesia die XIX Novembr.
5. *Filiorum.*) Consule *Johannem Montanum* & *Theodoricum Thuringiæ in Vita S. Elisabeth*.
6. *Fratrum.*) Unicum legimus Fratrem fuisse *Ludovico VI Lantgravio Thuringiæ*, *Henricum* nempe, natum *Hermanni I* & *Sophiæ* Filiæ *Othonis Bavariæ* Ducis; Quia tamen *Judith*, germana *Ludovici VI*, nupserat *Theodorico*, eam ob causam de Fratribus *Ludovici* loquitur Pontifex.

Anno 1227 Die 12 Junii.

Potestatem facit Fratri Conrado [1], ut in societatem advocet quos noverit expedire ad hæresim e Teutonia abigendam.

Ex Arch: Ord: lib. A. fol: 281.

VII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Prædicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Laudat ipsum. Mandat ut supra.

SOlicitudinem tuam, qua diligenter intendis ad investigandum in partibus Teutoniæ pravitatis hæreticæ sectatores, in Domino commendamus, dum pestis hujusmodi quantò serpit occultiùs, tantò gravius vineam dominicam in simplicibus demolitur; quia verò efficaciùs procedere poteris ad hæresim de illis partibus abolendam, si aliqui a te fuerint in partem hujus solicitudinis evocati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus assumptis ad eandem sollicitudinem, quos noveris expedire, diligenter & vigilanter inquiras hæretica pravitate infectos in partibus memoratis, ut per illos, ad quos pertinet, zizania valeat de agro Domini extirpari. Datum Anagniæ II Idus Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Conrado.*) De quo in præcedenti Diplomate.

Anno 1227 Die 18 Junii.

Magistro Generali, & Prioribus, ut Ordini adscribendos absolvere (1) possint ab excommunicatione latæ sententiæ.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio. Exceptio. Sanctio pœnalis.

AUctoritate vobis præsentium indulgemus, ut si contigerit aliquos Ordinis vestri Religionem intrare volentes, in canonem [3] latæ sententiæ incidisse, ne pium eorum propositum possit ullatenus impediri, si eos ad Sedem Apostolicam laborare oporteat, eis absolutionis beneficium impendatis, dummodo passis injuriam satisfaciant competenter, nisi fortè usque adeò gravis fuerit & enormis excessus eorum, quòd sint meritò ad Sedem Apostolicam transmittendi. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Anagniæ XIV Kal: Julii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Absolvere.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Asservatur Autographum in Cœnobio *Viterbiensi*.
3. *Canonem.*) Idest Excommunicationem.

Ut

Ut F. Conradus (1) dissolutos coerceat Ecclesiasticos, & Monachos, ac Moniales reformet.

Anno 1227 Die 20 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 281.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Prędicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IX.

SUper montem eminentissimum constituti, etsi plenè sufficere non possumus ad supplendas, juxta officii nostri debitum, ejus vices, qui nostram in medio terrę voluit operari salutem, dolemus tamen, cum illi, qui ad pascendos Dominici gregis agnos in partem solicitudinis sunt vocati, sunt eis fętor mortis in mortem suę corruptionis exemplo, quibus in odorem unguentorum suorum currentibus esse deberent odor vitę in vitam & gloriam sempiternam. Sanè relatum est nobis, quòd Parochiales Presbyteri, & alii plures in sacris Ordinibus per Teutoniam constituti dignitatis suę fastigium, & sui nominis interpretationem nullatenus attendentes, suos subditos, quibus deberent honestatis iter prębere, inficientes propria corruptela tanquam aqua effusi, & sicut vas quod operculum, vel ligaturam non habet, ad omnem immunditiam se relaxant, suasque tenent publicè concubinas, castrimargię [a] dediti, & fętore libidinis inquinati, ut sint ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorundem; cumque taliter in suo stercore computrescant, comparandi jumentis insipientibus, & similes illis facti, ut illud propheticum, erubesce Sydon ait mare, in ipsos verè possit ad eorum ignominiam retorqueri, multa perperam attentare pręsumunt, quę laici committerere abhorrent, propter quod sępiùs inter multos nomen Domini blasphematur. Volentes igitur ut ...... per te, qui decorem diligis domus Dei, & quem comedit zelus ejus, prout expedit, corrigantur, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus prędictos Presbyteros & alios in sacris Ordinibus constitutos ad abiiciendas a se penitus concubinas, juxta ea quę statuit venerabilis Fr: noster Portuensis [3] Episcopus contra tales dum in Teutonia Legationis officio fungeretur, monitione pręmissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compellas: super correctione ac reformatione [4] Monachorum & Monialium, prout tibi injunxit Portuensis prędictus, auctoritate Apostolica nihilominus processurus. Datum Anagnię XII Kal: Julii Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium quo Ecclesiasticorum dissolutam licentiam deflens describit.

Laudibus effert zelum Conradi. Ipsi Ecclesiasticos a dissolutis moribus revocandos committit.

Demandet illi reformationem Monachorum & Monialium.

1. *Conradus.*) Legenda *Dissertatio, cui Titulus: Vindiciæ F. Conradi Marburgensis Tomo ultimo.*

2. *Castrimargia.*) Seu *Impudicitiæ*, sic dicitur a voce græca γαστὴρ, id est venter, & μάργος, seu immoderatus. Nonnulli legunt *Gastrimargia*: utrumque bene.

3. *Portuensis.*) Erat *Cisterciensis* Ordinis. Lectu digna quæ de ipso scripsit *Maluenda Annal. Ord. ad Ann. MCCXXII Cap. XIX.*

4. *Reformatione.*) Monasteria *S. Benedicti* Monialium exempta & Canonicas regulares cujuscunque Ordinis vel professionis *Conrado* concreditas testatur *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXVII, num. X.*

Fratrem Guallam (1) ad Fridericum (2) Imperatorem legat.

An. 1227 Die 22 Julii.

Ex Arch. (3) Ord. lib. A fol. 283.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Friderico Romanorum Imperatori illustri semper Augusto, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. X.

AD ostendendam viam ligni vitę errantibus in invio mundi hujus posuit te Dominus quasi Cherubim, & versatilem gladium; cum enim diligenti meditatione pensatur ratio in te illuminata dono intelligentię naturalis, & imaginatio defęcata in rei comprehensione sensibilis, quę quasi versatilis, una facie respicit rationem, alia naturam sensibilium intuetur, in te virtus motiva manifestè conspicitur, qua possis inconveniens ab inconvenienti (4) distinguere, & comprehensiva, qua facilè valeas conveniens & licitum obtinere. Donum sanè (5) tibi scientię desuper attributę, & virtus perfectę imaginationis in manu opificis resultantis, quasi duo luminaria magna, duo dona cęlestia, viam ligni, in quo vita nostra pependit, & terram promissionis ostendunt. Ista duo vexilla, quę Dominus erexit in animę tuę corporeis (6) instrumentis, tota sequitur militia christiana, quin potiùs sequitur totus mundus a Paradiso purę conscientię merito suę pręvaricationis exclusus, & ideo est (7) summopere pręcavendum, nè vexillum, quod habes commune cum Angelis, intellectus videlicet & affectus, inclines ad id quod habet homo commune cum brutis scilicet & arbustis, sensum & nutrimentum, quod & amor sensibilium minuit intellectum, & affectum deformat delicati corporis nutrimentum, ac per hoc luminaribus, quod absit, cogitationis & dilectionis extinctis, & in terram nutricibus (8) aquilis sic prostratis, ac voluptatibus terrenis implicitis, quomodo poteris te sequentibus viam demonstrare salutis? Absit a te hoc, fili carissime, a quo videtur modo vita mundi hujus sensibilis dependere. Illius itaque recorderis historię, quòd in columna ignis & nubis (9) de jugo Pharaonis populus Hebręorum eductus in terram promissionis inducitur, quam in zelo justitię & in nube, quę refrigerat, misericordię, coneris, virtute divina superatis interioribus hostibus, obtinere; ut hęc in archivo memorię valeas jugiter intueri, quinque insignia Imperialis celsitudinis culmini deputata, cum ipsorum mysteriis cupimus stylo ferreo in cordis tui ungue adamantino depingere, quòd nulla possit oblivione deleri. Crux ubi est lignum Domini, & lancea ubi clavus ejus consistit, ante te in processionibus solemnibus deportantur, coronam auream cum lapidibus pretiosis gestas in capite, sceptrum in dextera, pomum tenes aureum in sinistra, ut Crux Dominicę passionis, & memoria acerbissimi cruciatus sint semper ante oculos mentis tuæ in contumeliis verborum, iniuriarum opprobriis, flagellis & plagis, laceratione spinarum, transfixione clavorum, prudenter attendens in quantis te oporteat Domino respondere. Lanceam considera diligenter, cujus acumen latus ejus aperuit, de quo Christus largitor (10) sacramenta tuę

Exordium.

Ex insignibus Imperatoris nonnulla documenta præscribit.

Quid significet Crux.

Quid lancea.



tuę salutis effudit. Ista est porta angusta, quę te ducit ad vitam, de qua non substantia solida, sed liquor tantùm exivit, ut dolor acutus in te sit; & verę contritionis acumen, quod est clavis, quę portam tibi aperuit paradisi, quam non potest intrare solidum aliquod, nec anima indurata, sed liquefacta in fornace amoris, & camino fervidæ caritatis; corona autem triplici coronaris sicut & Christus extitit triplici diademate coronatus, a Matre, Noverca, scilicet, & Patre; a Matre corona gratię, per quam infirmitatem nostrę mortalitatis assumpsit, a Noverca corona justitię, per quam genus humanum Sanguinis sui pretio redemit, a Patre corona glorię, qui ad dexteram suam ipsum in Regno glorię collocavit. Tu autem similiter in Germania coronaris a Matre, cuius lacte nutritus es, & feliciter educatus, corona gratię, quam non ex debito justitię, sed ex libera electione Principum nosceris assecutus: a Noverca coronatus es in Liguria, (11) quę solet aliquando Imperio novercari (12) corona justitię, quę debetur juris necessitate: tertio (13) coronaris a Patre, scilicet summo Pontifice, corona, quæ est glorię, quę te omnibus mundi Potestatibus anteponit, ut gloria & honore super omnes mundi Principes sublimeris. Coronam igitur gratię ita portes in hoc exilio, ut corona justitię tibi in judicio reponatur, & examinandus a Judice, sermones tuos in pręsenti disponas, quibus ad arguentem te valeas respondere, & tandem corona immarcescibilis glorię coroneris in Regno, quod nunquam ullo tempore corrumpetur. Sceptrum justitię portas in dextera, quę gravis est ad puniendum iniquos, in sinistra pomum aureum initio carens & fine, quod est misericordię, cui Regnum promittitur sempiternum, quę extenta debet esse ad liberandum oppressos & miseros consolandos, quia judicium sine misericordia multùm destituitur, si unum sinè altero teneatur. Ad hoc de animę tuę, quam sincera & ardenti diligimus caritate, salute soliciti universis mundi hujus transitoriis pręferenda, ex prerogativa dilectionis, qua in minori officio sumus Imperialem celsitudinem amplexati, ut nihil de contingentibus amittamus (14) quę ad mortis ęternę periculum evitandum, & recuperandam gratiam Crucifixi fuerint opportuna. Latorem pręsentium Fratrem Guallam (15) de Ordine Predicatorum duximus destinandum, cui tanquam Nobis fidem indubiatam super his quę ex parte nostra duxerit proponenda (16) velis habere, Datum Anagnię (17) XI Kal. Augusti Pontificatus nostri Anno Primo.

De triplici corona.

Sceptrum Justitiam denotat. Pomum aureum misericordiam designat.

Fratri Gualla fidem indubitatam habendam declarat.

1. *Guallam.*) Ille est insignis pietate vir *F. Gualla Bergomensis* Antistes, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.* Hunc *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. II pag. 23 col. II ex Bzovio Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXVII num. III IV & V*, & *Bzovius ex Sigonio de Regno Italiæ lib. XVII.* Fratrem *Guillelmum* mendosè vocant. Idem nomen indit ipsi *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXVII num. III*: *Odoricus* autem *Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad eundem Annum num. XXIII* ipsum nuncupat Fratrem *Gualonem*.
2. *Fridericum.*) *Secundum*; De quo sæpiùs infra.
3. *Archivo.*) Idem exscripsit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXVII num. XXI &c.*
4. *Inconvenienti.*) *Odoricus* legit: *a convenienti.*
5. *Donum sanè.*) Idem sic: *obtinere donum, Sanè.*
6. *Corporeis.*) Ex eodem: *Corporis.*
7. *Et ideo.*) Hæc desiderantur apud *Odoricum.*
8. *Nutricibus.*) Ille sic: *Vitricibus.*
9. *Nubis.*) Ex *Odorico*: *Nubibus.*
10. *Largitor.*) *Odoricus* scribit: *Largiter.*
11. *Liguria.*) *Italiæ* Regio.
12. *Novercari.*) Seu adversari ad instar Novercæ.
13. *Tertiò.*) *Odoricus* legit: *Tertia.*
14. *Amittamus.*) Ex *Odorico*: *omittamus.*
15. *Guallam.*) Ille scribit: *Gualonem.*
16. *Proponenda.*) De his *Bzovius* supra laudatus.
17. *Anagniæ.*) *Non consignati sunt in his literis dies ac locus*, inquit *Odoricus*: ex quibus liquet, quod exemplar exscripsit ille, non Autographum *Vaticanum*, quod transcripsit Amanuensis noster.

Anno 1227 Die 31 Julii.

Creat Archiepiscopum Strigoniensem Legatum a latere in Cumania (1) &c. declarans Fratres Prædicatores messis Dominicæ operarios in terra illa.

Ex Arch. Ord. libro A. folio 282.

XI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Strigoniensi Archiepiscopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

GAudemus in Domino, magnificam & mirificam Salvatoris nostri clementiam laudum preconiis extollentes, quòd nihil odiens eorum quę fecit, sed omnes salvos fieri & neminem perire volens, homines jacentes in tenebris ignorantię de gentilitatis errore ad viam veritatis dignatur per suam ineffabilem misericordiam revocare; nuper siquidem per literas tuas nobis transmissas accepimus, quòd Iesus Christus Deus ac Dominus noster super gentem Cumanorum clementer respiciens, eis salvationis ostium aperuit his diebus; aliqui enim nobiles gentis illius per te ad Baptismi gratiam pervenerunt, & quidam princeps Bort (2) nomine de Terra illorum cum omnibus sibi subditis per ministerium tuum fidem desiderat suscipere christianam, propter quod unicum filium suum unà cum Fratribus Predicatoribus messis Dominicę operariis (3) in terra predicta ad te specialiter destinaverit, attentiùs obsecrans, ut personaliter accedens ad ipsum & suos, viam vitę ostendas ipsis, per quam ad veri Dei notitiam valeant pervenire.... Datum Anagnię II Kal. Augusti Pontificatus nostri Anno Primo.

Declarat ut supra.

1. *Cumania.*) Legendus *Theodoricus de Appoldia Vita S. P. Dominici lib. VIII Cap. I. Strigoniensem* hunc Antistitem ex FF. Prædicatorib. non fuisse, certa res est. Hinc, non quæ ad ipsum, sed quæ ad Fratres spectant, exscripta sunt.
2. *Bort.*) A *Bernardo Guidonis* Princeps ille vocatur *Bribroth*; A *Leandro Alberto* dicitur *Bribrech*; Ab *Odorico Raynaldo Borix* appellatur: *Theodoricus* autem *de Appoldia* mox laudatus ipsum nuncupat *Bemborch*. *Ducem Bemborch*, inquit *Theodoricus*, loquens de Fratribus nostris, *cum mille fere ex familia ejus converterunt, quem e sacro Baptismatis fonte non absque magno gaudio suscepit Serenissimus Hungariæ Rex.* Hinc *Cumanos Hungaris* conterminos fuisse discimus.
3. *Operariis.*) Fratres ergo Prædicatorum Ordinis ad populum illum de rebus Divinis jam jam dixerant, & non armis, sed Verbo vitæ subegerant gentem truculentam.

In-

Inscius Præpositis ab Ordine discedentes, excommunicatos declarandos decernit.

Anno 1227 Die 3 Augusti.

Ex Archivo (1) Ord. lib. A. fol. 523.

XII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prȩlatis ad quos literȩ istȩ pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm dilectorum filiorum Magistri & Fratrum Ordinis Prȩdicatorum precibus inclinati, per nostras inhibuerimus literas [2], ne quis post professionem eidem Ordini factam, ab Ordine ipso sinè sui Prioris discedat licentia, & discedentem absque cautione communium literarum Prioris & Fratrum ipsorum, auctoritate alicuius privilegii ab Apostolica Sede indulti nullus audeat retinere, universitati vestrȩ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quoslibet contra inhibitionem nostram ab ipsorum Fratrum Ordine discedentes, & propter hoc excommunicatos ab ipsis, usque ad satisfactionem condignam arctiùs evitetis, & faciatis ab omnibus evitari. Nulli ergo &c. Datum Anagniȩ III Nonas Augusti Pontificatus nostri Anno Primo.

Decernit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Archivo.*) Autographum extat in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.* Asservatur aliud ejusdem tenoris a Conventu *S. Dominici Senarum* datum *III Nonas Novembr. Pontificat. Gregorii IX Anno secundo*, seu *Die III Novembr. Anno MCCXXVIII.*

2. *Literas.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo XII.*

Aquæductus Donationem Monasterio Sanctæ Catharinæ a Mutinensibus (1) concessi ratam habet, & firmat.

An. 1227 Die 13 Augusti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, Fratribus, & Sororibus Sanctȩ Catharinȩ Mutinen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IUstis petentium desideriis dignum est Nos facilem prȩbere consensum, & vota, quȩ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati, de Mundaria Ronchis, & Collegarola Aquȩductum, quem Mutinen. Commune pia vobis liberalitate donarunt, sicut illum iustè, ac pacificè possidetis, & in literis exinde confectis pleniùs dicitur contineri, vobis, & per vos domui vestrȩ auctoritate Apostolica confirmamus, & prȩsentis scripti Patrocinio communimus. Nulli ergo omnino &c. Dat: Anagniȩ Idib: Aug. Pontificat. nostri Anno Primo.

Confirmat ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Mutinensibus.*) Ut suprà, *V. Maji MCCXXVII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum asservatur in Cœnobio nostro *Mutinensi*. Plumbum sericis filis appenditur.

F. Joachim, ac ejus sociis Monasteria & Cœnobia trium Episcopatuum committit (1) visitanda omni anno semel, vel pluries, Cistereiensibus, & Pauperum Monialium inclusarum Cœnobiis exceptis.

Anno 1227 Die 4 Septemb.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 286.

XIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Joachim Sanctæ Mariȩ, & Jordano Ordinis Fratrum Prȩdicatorum Prioribus, & Ganduipho Fratri ejusdem Ordinis Paduan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUccensa est quasi ignis inopinatȩ prȩvaricationis impietas, quȩ non solùm vepres & spinas devorat, carnalibus scilicet operibus servientes, sed quasi cedros libani jam consumit, nonnullos videlicet regularis Ordinis professores, prȩsertim Sedi Apostolicȩ immediatè subjectos, quorum correctioni, prementibus undique curis universalis Ecclesiȩ, per se nequit, ut expedit, Romanus Pontifex imminere. Verùm quoniam a capite membra nutrimenta suscipiunt, & membra suo tenentur capiti deservire, ut mutuis vegetata subsidiis in sua possint integritate persistere, vobis, de quorum religione, zelo & sinceritate confidimus, Monasteria exempta Ordinis Sancti Benedicti, & Canonicos Regulares cujuscunque (2) professionis vel Ordinis, Humiliatos [3] quoque, & Hospitalia Paduan., Venetiarum, & Tarvisin. Civitatum & Diȩcesum, Monasteriis Cistercienfis [4] Ordinis & Monialium Pauperum [5] inclusarum duntaxat exceptis, omni anno, donec nobis placuerit, semel, vel pluries, sicut videritis expedire, privilegiis & indulgentiis eorum nequaquam obstantibus, committimus visitanda prȩsentium auctoritate, in virtute obedientiȩ districtè prȩcipiendo mandantes, quatenus omni mora, gratia, & timore postpositis, corrigatis, appellatione remota, intrepidè ac efficaciter tam in capite, quàm in membris quȩcunque videritis corrigenda, contradictores & rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione posthabita, compescendo, correctionibus factis in Generali Capitulo in suo robore duraturis. Rescribatis autem quȩ feceritis plenè nobis, qui ad hoc, auctore Deo, vobis dabimus consilium & auxilium opportunum. Si verò circa hujusmodi animas redemptas Sanguine Nazareni fueritis, quod non credimus, negligentes, Deus ultionum Dominus & Redemptor requiret eas de manibus vestris in die animadversionis extremȩ, quando creatura armabit se ad ulciscendam injuriam Creatoris; Nos quoque negligentiam hujusmodi non poterimus sub dissimulatione transire. Quod si non omnes &c. Duo vestrum &c. Datum Anagniȩ II Nonas Septemb. Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium a Pastorali sollicitudine.

Quæ Cœnobia sint visitanda declarat.

Quædam excipit.

Derogationes.

Mandat ut supra.

Sanctio pœnalis in ipsos Visitatores, si negligentes fuerint.

Ne

1. *Committit.*) *Sacrarum Virginum*, inquit *Fontana Monument. Dominic. Parte I Cap. II pag. 23*, *reformationi consulturus* (Gregorius) *Sanctimonialibus Diœcesum Patavina, Veronensis, & Tarvisinæ a Religioso instituto deviis, reformatores constituit Patres Joachimum S. Mariæ & Jordanum Priores, necnon Patrem Gandulphum Patavinum, ut eas Apostolica auctoritate visitarent, corriperent, atque ad religiosam vivendi normam revocarent; Idque singulis annis ad beneplacitum Sedis Apostolicæ præstarent; quod illi exequenter, regularis observantia juxta tenorem Regulæ earundem, in dictis Monasteriis fuit restituta.* Hæc ille, cui assentior quidem; sed addendum, non Moniales tantùm, verùm etiam Religiosos viros reformandos & corripiendos Nostratibus concredidisse *Gregorium*.

2. *Cujascunque.*) Etenim variæ sunt Canonicorum Regularium Congregationes, immo Ordines Varii. De his eruditus noster *P. Amat de Graveson Tomo IV Histor. Ecclesiasticæ Colloquio VI.*

3. *Humiliatos.*) Quorum Ordinem sub Regula *S. Benedicti* Anno MCC confirmarat *Innocentius III.* Verùm propter insidias *S. Carolo Berromæo* paratas Ordinem *Humiliatorum* Anno MDLXX extinxit *S. Pius V.*

4. *Cisterciensis.*) De quo inferiùs ad *Diem V April. Anno MCCXXXIV.*

5. *Pauperum.*) Nom de Monialibus Ordinis *S. Francisci*, quas *Clarissas* dicunt, quæque *Sorores pauperes* vocantur in Regula approbata ab *Innocentio IV*, cujus initium: *Incipit Regula ... Ordinis Sororum pauperum &c.*, an verò de aliis loquatur Pontifex, diligentiùs expendant *Veneti*, *Patavini*, ac *Tarvisini*.

Anno 1227 Die 5 Septembr.

Ne Bononiensis Episcopus (1) se admisceat electionibus Priorum Conventus Sancti Nicolai.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Bononiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

CUm Fratres Ordinis Prędicatorum professi voluntariam paupertatem, evangelizationi Verbi Dei se totaliter dedicarint, & omni confusione contempta elegerint despectos esse in domo Domini magis quam sequi hujus seculi vanitates, graviter oculos Divinę Majestatis offendit, qui eos aliquibus pompis involvere, vel solemnitatibus proposito eorum contrariis nititur implicare. Cum igitur iidem Priores suos sinè alicujus solemnitatis (3) observantia instituere, ac destituere consueverint, & etiam confirmare, prout eorum Religioni & animarum saluti expedire cognoscunt, Fraternitati tuę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus Fratres dicti Ordinis Bononię commorantes, Priorem in Ecclesia S. Nicolai. non obstante alicujus extorsionis abusu, liberè instituere, destituere, ac etiam confirmare permittas juxta sui Ordinis observantiam regularem, jure [4] Dięcesano tibi & tuis successoribus in his quę non sunt eorum Ordinis institutis contraria reservato. Mandatum nostrum taliter impleturus, quòd iidem hac occasione nullius inquietationis molestiis perturbentur, & Nos devotionem tuam possimus in Domino meritò commendare. Datum Anagnię Nonis Septembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Inhibet ut supra.

1. *Episcopus.*) Quis ille fuerit qui suæ Diœceseos oneri pondus addere non recusans, electionibus Fratrum se admiscere cogitabat, nullus ex nostris, quem legerim, scripsit; nec mirum, de adversantibus enim altum silentium semper egere.

2. *Archivo.*) Autographum est in Cœnobio *Bononiensi*.

3. *Solemnitatis.*) Legendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo III.*

4. *Jure.*) Ibidem de hac materia *Titulo V.*

An. . . . . .

Ne in exhibendo Episcopis reverentiam & obedientiam, aliquid contra instituta Ordinis *maximè circa institutiones & destitutiones Priorum* (1) fiat, inhibet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Salvis Ordinis institutis Fratres obediant Episcopis.

NE pro eo quòd Dięcesanis Episcopis debitam obedientiam & reverentiam exhibetis, statuta vestra subverti contingat in grave vestri Ordinis detrimentum, volumus, ut Episcopis vestris impendatis obedientiam & reverentiam debitam & devotam, salvis vestri Ordinis institutis, & maximè circa institutionem ac destitutionem Priorum vestrorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Constitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud . . . . (3).

Sanctio pœnalis.

1. *Priorum.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *Viterbiensi*.

3. *Apud.*) Licèt dies adscripta sit expuncta, videtur tamen, eodem tempore ac præcedens datum esse Diploma.

Anno 1227 Die 26 Novembr.

Liberam esse decernit Sepulturam (1) Ecclesiæ Sancti Nicolai Bononiensis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum Sancti Nicolai Bononien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur quod justum est &c. (3). Datum Laterani VI Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Sepulturam.*) Quia *Bononiensis* Antistes privilegia Fratribus ab *Honorio III* concessa ægrè ferens, ipsis exhibebat molestias, circumspiciens *Gregorius* procellas, quæ impendebant, nisi provideret, duplici Diplomate renovavit illa.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *Bononiensi*.

3. *Justum est &c.*) Quæ hic desiderantur, habes in sequenti Diplomate.

Se-

Anno 1227 Die 30 Novembr.

Sepulturam (1) in Ecclesiis Fratrum liberam, esse sancit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, sepulturam Ecclesiarum vestrarum liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremę voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo &c. nostrę concessionis infringere. Si quis autem &c. Datum Laterani II Kal. Decembris, Pontific. nostri Anno Primo.

Decernit, ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Sepulturam.*) Ut in praecedenti, de his insuper in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. 1. X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1227 Die 22 Decembr.

Fratres (1) Militiæ Jesu Christi, quorum Institutum probat, laudibus effert, & cum ipsos, tum Sorores suo, Sanctæque Sedis Apostolicæ præsidio tutatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis fratribus Militię Iesu Christi per Italiam Constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab infidelium, & hæreticorum perfidia.

EGrediens Hęreticorum ab Ismaele perfidia cum gentibus testamentum disposuit, & malè agendi potentiam a superbo Rege recipiens secundùm leges eorum, scilicet gymnasium in Jerosolymis ordinavit, ab ipsa enim introductus, Templum Antiochus ingreditur. Qui aureum Catholicæ Fidei Altare diripere, & Christi Ecclesiam bonorum ornamentis operum nititur spoliare, filios incircumcisos relinqui, hęresum pręcipiens excoli, ac in Templo Dei sacrificia, & oblationes prohibens celebrari. Porro vos mori potiùs, quàm pati hujusmodi mala cupientes, in vobis Machabęos revivíscere facitis, dum hęreticos, ac hostes Ecclesię, Dominici (3) effecti milites, expugnatis. Hinc est, quòd cum de vana, & seculari Militia ad servitium Iesu Christi conversi, Apostolicę Sedi, & Dięcesanis Episcopis promiseritis obedientiam, & Ecclesię libertatem contra omnes pro nostra, & successorum nostrorum voluntate defendere, & hęreticorum insaniam spoponderitis totis viribus expugnare, vestris justis petitionibus clementer annuimus, & personas vestras cum omnibus Bonis, tam Fratrum, quàm Sororum, quę in pręsenti rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis pręstante Domino poteritis adipisci, sub Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & nostra protectione suscipimus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nihilominus statuentes, ut omnes, qui secundùm propositum vestrum Deo adhęrere voluerint perpetuis temporibus sub Apostolicę Sedis, & nostra defensione consistant. Paci quoque, & tranquillitati vestrę paterna solicitudine inposterum providere volentes, auctoritate Apostolica inhibemus, & pręcipimus, nè quis aliquem ex vobis capere, rapinis, & injustis collectis, vel exactionibus fatigare, vel ad aliqua illicita juramenta, aut injusta pręlia cogere, aut aliàs indebitè molestare pręsumat; Episcoporum, & Ecclesiarum iure in omnibus semper salvo. Adhuc quia dignè illis Apostolicę Sedis favor impenditur, qui ad eius servitium, qui servus pro salute hominum voluit effici, conjunguntur: omnibus servantibus propositum antedictum, & in vera pęnitentia persistentibus, qui mortis periculum pro Fide Catholica & Ecclesię libertate subierint, ea, quam Nobis Dominus in D. Petro concessit auctoritate confisi, peccatorum omnium veniam indulgemus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Perusii XI Kal. Januarii Pontificatus nostri Anno Primo.

Laus Fratrum.

Quæ eorum sint instituta.

Probat, & tutatur ut supra.

Inhibet, nè quis eos molestus afficiat.

Indulgentiam Plenariam ipsis concedit.

Sanctio pœnalis.

1. *Fratres.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo XIV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Dominici Senarum*.

3. *Dominici.*) *Dominici Milites effecti*, quia Militiæ a S. Patriarcha *Dominico* instituræ nomen dederant.

Anno 1228 Die 12 Februar.

Ut tempore Interdicti (1) Fratres Divina celebrare possint, servatis servandis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

Quænam servanda.

Exceptio.

Sanctio pœnalis.

PReeibus vestris benignum impertientes assensum, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut cum Generale terrę fuerit Interdictum, liceat vobis in Oratoriis vestris clausis januis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissà voce Divina Officia celebrare, dummodo causam non dederitis Interdicto. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Laterani II Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Interdicti.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Ibi etiam aliud asservatur ejusdem tenoris, Datum *Perusii II Kal. Ianuarii Pontificatus Gregorii IX Anno Octavo*, seu *XXXI Decembris Anno MCCXXXIV*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1228 Die 10 Martii.

Confirmat donationem Ecclesiæ, claustri, viridarii, & horti, factam Ordini ab Episcopo Bergomensi (1) de assensu Capituli.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Confirmatio donationis. Sanctio pœnalis.

SAcrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles ex assueto pietatis officio propensiùs diligere consuevit, & nè pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suę protectionis munimine confovere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus inclinati Ecclesiam Sancti Stephani Pergamensis cum claustro, viridario, & hortis, quam Venerabilis Frater noster Pergamensis Episcopus Capituli sui accedente consensu, vobis provida liberalitate concessit, sicut eam justè & pacificè possidetis, auctoritate vobis Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Laterani VI Idus Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Bergomensi.*) *Bergomum* aliàs *Pergamum* ut ex *Bernardo Guidonis* dicetur infra *Anno MCCLI Die XIII Junii*, Urbs est *Italiæ*. Consulendus *Piò in libro*, cui Titulus *Della progenie di S. Domenico lib. II Cap. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *S. Stephani Bergomen.*

Anno 1228 Die 17 Martii.

F. Gualle (1), ut de quibusdam negotiis agat cum Lombardis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 274.

XXII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Gualle Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Monet ipsum de his, quæ ad Rectores scribit. Mandat, ut ipsos solicitet ad literas iteratò dandas Imperatori, & ad cogendos milites Cruce signandos inducat.

REcepimus literas, quas ad Sedem Apostolicam direxisti, & notata earum continentia (2), diligenter scripsimus Rectoribus Societatis Lombardorum secundùm quod expedire cognovimus, vt literarum nostrarum inspectio te poterit edocere. Monemus igitur probatam solicitudinem tuam, & per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus Rectores ipsos solicites incessanter, vt literas Imperiali Celsitudini dirigendas per manum publicam scribi faciant iteratò, &, sicut nunc mandamus, & a principio fuit mandatum eisdem sui, & Nobilis Viri Marchionis Montis-Ferrati (3), ac singularum Civitatum de ipsa societate sigillorum appensione muniri, ac ad faciendum inter se divisionem Militum in Terrę Sanctę subsidium mittendorum, cessante dilatione, procedant: quę cum perfecerint ad nostram pręsentiam revertaris, ut totus processus negotii per te Nobis pleniùs innotescat; ad cautelam autem formam literarum ipsarum eisdem iterum sub Bulla nostra destinamus inclusam. Datum Laterani XVI Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Gualle.*) Dixi ad *Diem XXII Julii Anni MCCXXVII.*
2. *Continentia.*) Sic Jurisperiti Summam Epistolarum vocant.
3. *Montis-Ferrati.*) In *Italia*.

Anno 1228 Die 21 Martii.

Priori, seu Magistro Generali Ordinis, ut ad Cumanos (1) mittat illos omnes, quos deposcent Archiepiscopus Strigoniensis & Theodericus (2) Episcopus.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 286.

XXIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab Ordinis fine, zelo nempe salutis animarum. Vt in mittendis Fratribus ad Cumanos, præbeat se facilem. Fratrum zelus.

CUm Venerabili Fratri nostro Strigoniensi Archiepiscopo, Apostolicę Sedis Legato, juxta suum desiderium Dominus fructum dederit, conversionem videlicet non parvę multitudinis Cumanorum, & in partibus illis idem Archiepiscopus Venerabilem Fratrem nostrum Theodericum de Ordine tuo, per Christi gratiam in Episcopum jam pręfecerit, tu, & Fratres Ordinis tui, qui ex Ordine ipso tenemini Salutem gerere animarum, parati esse debetis toto mentis affectu in partem solicitudinis hujus accedere, ac collaborando Archiepiscopo & Episcopo supradictis, tam pium & sanctum negotium promovere. Quare devotioni tuę per Apostolica Scripta mandamus, quatenus in mittendis ad Cumanos Fratribus, qui magis idonei videbuntur secundùm conscientiam ejusdem Archiepiscopi, nec non & ipsius Episcopi, qui cum fere per quinquennium Prior fuerit ejusdem Ordinis in Hungaria magis utiles plenè novit, & eorum qui se ad hoc sua offerunt voluntate, te non difficilem sed facilem debeas adhibere, maximè cum ad hunc laborem, sicut accepimus, plures pro Christo se offerant ex Fratribus supradictis. Datum Laterani XII Kalend. Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Cumanos.*) De quibus supra in *Bulla* - Gaudemus - *Data Die XXXI. Julii Anno MCCXXVII.*
2. *Theodericus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Lau-

Anno 1228 Die 21 Martii.

Laudat Archiepiscopum Strigoniensem Legatum a latere, quòd Fratrem Theodericum Ordinis Prædicatorum Episcopum in partibus Cumanorum (1) præfecerit.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 288.

XXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi, Apostolicę Sedis Legato in partibus Cumanorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Gaudet, quòd Cumani convertantur, & F. Theodericus ipsorum sit Episcopus.

Cumani gens vaga.

GAudemus in Domino, quòd labori tuo juxta tuum desiderium fructum dedit, conversionem videlicet non parvę multitudinis Cumanorum, jamque in partibus illis per Dei gratiam venerabilem Fratrem Theodericum de Ordine Fratrum Prędicatorum eruditum in lege Domini, & vita pręclarum, auctoritate concessa tibi super hoc a Sede Apostolica in Episcopum pręfecisti. Cum autem gens pręfata vaga (2) & instabiliter hactenus nusquam certas habuerit mansiones, & nunc ędificare Civitates & Villas in quibus habitent, & Ecclesias fundare, desiderent: Nos audita super hoc petitione tua, pręsentium tibi auctoritate concedimus, ut fidelibus, qui personaliter iverint, vel miserint subsidium ad construendum ibidem Ecclesias & ędificia, peccatorum Indulgentiam, quę tamen centum dierum spatium non excedat, & proficiscentibus ad recuperandum terras Christianorum Cumanis vicinas, quas Soldanus (3) de Iconio, vel infideles alii occuparunt, ac euntibus contra illos qui Cumanos conversos impugnant, & prohibent alios ad Fidem Christianam venire, remissionem, biennium tamen non excedentem, juxta devotionis affectum, quantitatem subsidii, & laborem quem propter hoc sustinuerint, largiaris, & Indulgentiam & remissionem hujusmodi denunties & denuntiari facias, ubi videris expedire, &c. Datum Laterani XII Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Cumanorum.*) Legenda mox laudata in præcedenti Diplomate.

2. *Vaga.*) Hinc, quinam fuerint *Cumani* ad quos convertendos missi sunt Fratres, haud planè compertum. Arridet tamen nonnullorum sententia, qui ex *Comania Asiæ* Regione *Georgiam* inter & *Tanaim* fluvium sita, suis forsitan sedibus expulsos, ad fines *Hungariæ* profectos, ibi tandem consedisse *Cumanos*, autumant.

3. *Soldanus.*) De quo inferius ad *Diem XVI Februarii Anno MCCLIV.*

Anno 1228 Die 30 Martii.

Immunitatem juramenti præstandi Rectoribus Civitatum super eorum sequela, & alia privilegia, quæ Fratribus de Pœnitentia Honorius III concesserat, confirmat (1).

Ex Bullario (2) *F. Ususmaris pag.* 10.

XXV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Universis Fratribus de Pęnitentia per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a Laude Fratrum.

DEtestanda humani generis hostis invidia tantò pertinaciùs persequitur servos Christi, & armans suos satellites contra ipsos ab ejus servitio dolosis illos adinventionibus nititur amovere, quantò perspicaciùs intuetur ipsos, hujus mundi vanitatibus derelictis, adhuc existentes in corpore in terrenis, jam mente in cęlestibus habitare, ac abnegantes secularia desideria propter Deum, jam frui non perituris, sed ęternis deliciis, & gaudiis sempiternis; Unde secundùm Evangelicam veritatem, cum immundus Spiritus exiret ab homine, ipsum in exeundo plus solito discerpebat, & exeuntem Dei populum de Ægypto, non priùs Ægyptii persequi desierunt, quàm omnes nutu Divino uno genere mortis extincti, dignum suis actibus meruerunt interitum invenire: Ipsum etiam omnium Redemptorem, cum esset post Baptismi lavacrum in deserto, cum quadraginta diebus & totidem noctibus jejunasset, idem malignus Spiritus aggredi non expavit: propter quod quicunque ad Dei servitutem accedit, juxta sententiam Sapientis, in justitia & timore debet ad tentationem animum prępararę. Sanè fe. rec: Honorius [3] Papa prędecessor noster, attendens vos fructus pęnitentię facientes, ab hujus seculi filiis angustiis inexquisitis affligi, per hoc invendos esse, laudabili actione Religionem vestram amplexans in visceribus Iesu Christi, prosequutus est gratia speciali, mandans universis Archiepiscopis & Episcopis per Italiam constitutis, ut vos servarent immunes a juramentis, quę civitatum & locorum Rectores super eorum Sequela [4] extorquere a vobis illicitè contendebant, defendentes vos, nè Officia publica recipere, vel nova exactionum, vel alterius gravaminis subire onera contingeret vos compelli. Sed filii tenebrarum, qui humana sapientes, tenebras lucem, & lucem tenebras, ponere didicerunt, per malignę interpretationis calumniam sic vestram Indulgentiam vacuarunt, ut gravioribus injuriis affligamini nunc, quàm priùs cum non eratis tali privilegio communiti: nam cum dicti Rectores a vobis non possent super Sequela exigere juramentum, innumeros quasi casus excogitant, quibus vos jurare compellant, graviora onera vobis, quàm aliis suis civibus imponentes, nec fructus bonorum vestrorum vos permittant pauperibus erogare, licèt debitis oneribus, quę subire tenemini, nihil deperire contingat, aliàs vos plus debito & ampliùs solito molestantes; unde nobis humiliter supplicastis, ut vobis indulgere misericorditer dignaremur, nè aliquod juramentum, nisi forsan pacis, & fidei, calumnię, vel testimonii, facere teneamini, & nè plus quàm vestri cives impositione onerum aggravari possitis, & ut fructus bonorum vestrorum causa pietatis impendere valeatis, personis, quibus expedire videritis, elargiri, & ut injuriam non patiamini propter vestrorum civium debita vel delicta, nec teneamini, cum super his culpabiles non sitis, debita solvere aliorum. Nos igitur attendentes, vos viam perfectionis ingressos, tantò a sectatoribus hujus mundi vehementiùs impugnari, quantò magis iidem dissimiles vestris actibus comprobantur sinistrę interpretationis calumniam machinari, universitati vestrę, de quorum religione plenè confidimus, licentiam super prędictis omnibus, auctoritate pręsentium indulgemus, & concedimus postulata, districtiùs injungentes, ut concessa vobis gratia sic uti laudabiliter studeatis, nè ab aliquo vestrum convertatur forsitan in abusum: quia privilegio vobis concesso contingeret vos pri-

Honorius III declaraverat ipsos immunes a juramentis præstandis super sequela, ab Officiis publicis accipiendis, a novis exactionibus &c.

Narrat quæ contra ipsos, non obstante privilegio, Rectores decernebant.

Petitum exponit.

Ut petitur concedit.

Abusus inhibet.

Sanctio pœnalis. privari, si ejus inveniremini abusores. Nulli ergo &c. Datum Laterani III Kal. Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Confirmat.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo. Tit. XIV.*
2. *Bullario.*) Autographum extat in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.*
3. *Honorius.*) *III.* Hoc autem Diploma, cujus hic mentio, desideratur.
4. *Sequela.*) Est Jus, quo Dominus persequitur suos, cum ipso inconsulto ad alium Dominum transierunt. A Gallis Jurisperitis dicitur *Droit de Suite*.

Anno 1228 Die 9 April.

Ut tempore Interdicti [1] Fratres Divina celebrare possint.

Ex Malvenda Annal: Ord: ad Annum MCCXXVIII pag. 456.

XXVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

FAvorabilibus precibus vestris &c. (2) Datum Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Interdicti.*) Ut supra ad *Diem XVIII Decembris Anno MCCXXIV.*
2. *Vestris &c.*) Illud ibi exscriptum.

Anno 1228 Die 9 April.

Decernit, Ecclesias Fratrum Prædicatorum esse Conventuales [1], & quòd nihilominus possint esse in ipsis Cœmeteria [2] ad opus Fratrum, & Familiæ.

Ex Bullario (3) F. Ususmaris pag. 11.

XXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. CUm tanquam veri & fideles Christi ministri elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, ut habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuamus. Decernit ut supra. Hinc est igitur, quòd vestris supplicationibus inclinati pręsentium auctoritate decernimus, ut Ecclesię vestrę omnes, ubi Conventus existunt, Conventuales vocentur; vobis nihilominus licentiam concedentes, ut in Sanctio pœnalis. ipsis Ecclesiis ad opus Fratrum, & Familię vestrę, habere libere Cęmeteria valeatis. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Conventuales.*) Consulas *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo 1.*
2. *Cœmeteria.*) In eodem *Tractatu de hac materia Titulo IX.*
3. *Bullario.*) Idem habet *Castellanus pag. 6.* Autographum verò tenent Conventus *Barchinonensis S. Catharinæ, & Mediolanensis S. Eustorgii.*

Anno 1228 Die 9 April.

Fratres a commissionibus causarum, vel sententiarum executionibus, suscipiendis immunes facit.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra. QUieti vestrę providere volentes, auctoritate vobis pręsentium indulgemus (2), ut commissiones causarum, vel sententiarum executiones a Sede Apostolica, vel Delegatis ejus, seu a quibuslibet aliis Exceptio. vobis factas, sinè vestra non teneamini recipere voluntate, nisi in literis Apostolicis de concessione Sanctio pœnalis. hujusmodi mentio habeatur. Nulli ergo omnino &c. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem exscripsit *Usumaris pag. 11.* Extat insuper in Archivo Ordinis Autographum ejusdem tenoris *Datum Perusii XI Kal. Januarii Pontificatus Gregorii IX Anno VIII, seu Die XXII Decembris Anno MCCXXXIV.* Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Indulgemus.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo X.*

Anno 1228 Die 11 April.

Quæ de Ecclesiis SS. Eustorgii, & Laurentii Mediolanensis (1) Archiepiscopus sanxerat, confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Conventui S. Eustorgii Mediolanen. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. CUm a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor ęquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque Venerabilis Frater noster Mediolanen. Archiepiscopus, sicut ex suis literis intelleximus, Capitula & possessiones Sancti Eus-

Eustorgii & Sancti Laurentii Ecclesiarum duxerit unienda, & certam ordinationem fecerit super bonis superstantię (3) ipsius Ecclesię S. Eustorgii, sicut in literis ipsius Archiepiscopi pleniùs continetur; Nos vestris precibus inclinati, quod ab eodem Archiepiscopo ritè & providè factum est, tam de unione prędicta, quàm de facto superstantię auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum III Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo. Confirmat ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Mediolanensi.*) Quis iste fuerit Archiepiscopus, & qua occasione, quove tempore Collegium Canonicorum Ecclesiæ *S. Eustorgii* ad Ecclesiam *S. Laurentii* transtulerit, docet *Taegius I Parte Monumentorum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum habes in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanensis.*
3. *Superstantiæ.*) Ergo licèt possessiones tunc abjurassent Fratres, Redditus tamen erant Ædibus sacris Ordinis FF. Prædicatorum.

Provinciali, & Fratribus Lombardiæ, ut quicquid Cluniacensis Abbas in defensionem prædecessoris sui proponere voluerit, admittant (1), & quæ audierint, renuncient. Anno 1228 Die 9 Decemb.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol: 298.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Lombardię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXX.

Licèt super quibusdam excessibus in Monasterio de Charitate commissis, inquisitionem vobis sub certa forma duxerimus committendam, per hoc tamen volumus Privilegiis, & Statutis Sedis Apostolicę, vel juri Cluniacensis, aut Charitatensis Ecclesię in aliquo minimè derogari. Ceterùm discretioni vestrę, pręsentium Auctoritate, mandamus, quatenus, si quid dilectus filius Cluniacensis Abbas proponere voluerit in defensionem processus prędecessoris ipsius, admittatis eundem, & illud Nobis fideliter referatis. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Perusii V Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandat ut supra.

1. *Admittant.*) Ut Provincialis, ac nonnulli *Lombardiæ* Fratres de rebus gestis in Monasterio *Charitatensi* instituerent quæstionem, jamjam decreverat Pontifex alio Diplomate, quod desideratur; hoc autem, ne de Juribus *Charitatensis* Monasterii, ac Ordinis *Cluniacensis* derogent Cognitores, & ut de omnibus certiorem ipsum faciant, cavet *Gregorius*. Ceterùm an *Charitatense* Monasterium sit ille ditissimus Prioratus, quem *Cluniacensis* Ordo tenet in Provincia *Nivernensi in Galliis*, num verò aliud ejusdem nominis *Seculo XIII* fuerit in *Italia*, dicant *Cluniacenses*.

Ut expensas ad quandam inquisitionem [1] necessarias exigant Fratres delegati. Anno 1228 Die 9 Decembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 297.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali & Fratribus Lombardię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXI.

Cum super quibusdam excessibus in Monasterio de Charitate commissis inquisitionem vobis sub certa forma duxerimus committendam, discretioni vestrę pręsentium auctoritate mandamus, quatenus expensas necessarias ad prosecutionem inquisitionis ejusdem, ne ipsarum defectu contigerit negotium impediri, a quibus solvendas esse videritis, faciatis exsolvi. Contradictores per censuras ecclesiasticas auctoritate Apostolica prędicta, compescendo. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Perusii V Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandat ut supra.

1. *Inquisitionem.*) Vide notam in præcedens Diploma.

Univèrsis Ecclesiarum Prælatis Fratres Prædicatores commendat. Anno 1229 Die 5 Martii.

Ex Archivo [1] Ordinis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis .... Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXII.

Quoniam habundavit iniquitas &c. (2). Datum Perusii III Nonas Martii Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. (Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Iniquitas &c.*) Ut supra X *Maji MCCXXVII.*

Anno 1229 Die 18 Julii.

Indulgentiam elargitur porrigentibus manus adjutrices Cœnobio nostro Salmaticensi [1] reædificando.

Ex Arch. [2] *Ord. lib. B. fol.* 494.

XXXIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Cœnobium Salmanticense destructum.

Hortatur fideles ad stipem erogandam pro reædificando Cœnobio.

Subsidia largientibus concedit Indulgentiam.

QUoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive malum, oportet, nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in celis, firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam eternam. Cum igitur, sicut ex parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Predicatorum Salmaticensium fuit propositum coram nobis, iidem domum eorum, que aquarum inundantium impetu destructa extitit, de novo redificare inceperint opere sumptuoso, & ad consummationem ipsius, cum facultates non habeant, suffragia fidelium sint plurimum opportuna; Universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attentè, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus eis de bonis vobis a Deo collatis pias eleemosynas, & grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus inceptum valeat consummari, & vos per hec, & alia bona, que Domino inspirante feceritis ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus verè penitentibus & confessis, qui eis ad hoc manum porrexerint adjutricem centum dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post septennium minimè valituris, quas mitti per questuarios districtiùs inhibemus, eas, si secus factum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Viterbii XV Kal. Augusti Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Salmanticensi.*) In *Hispania*. Legendus *Lopez Histor. Ord. Parte III lib. I Cap. XLI* ubi de his, quæ in præsentia quæri possent, pleniùs agit.

2. *Archivo.*) Autographum est in Cœnobio *Sancti Stephani Salmanticen.*

Anno 1229 Die 9 Octobris.

F. Guallæ (1), Ut Lombardos appellet de promisso militari auxilio.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 302.

XXXIV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Guallæ Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium: de Lombardis conqueritur.

Mandat, ut insistat de promisso auxilio.

UTinam nunquam Lombardi se nostris obsequiis obtulissent, utinam nunquam ab ipsis aliquod auxilium sperassemus, quoniam satis aliàs honori Ecclesie consulere poteramus, nisi quia nolentes eis subtrahere dexteram adjutricem, supplicationibus & provisionibus (2) acquievimus eorundem; sed dum causam eorum in alienis finibus utiliter ageremus, dum refrenaremus impetum inimici aspirantis ad ipsorum exterminium inhianter, ecce Lombardi promissum auxilium adeò distulerunt, ut taceamus qualiter servierint illi, quos in Ecclesie servitium destinaverant, quòd inimicus collectis viribus invalescit, nisi in manu valida & potenti ejus conatibus celeriter obvietur, quomodo ignis, cui non obsistitur, facilè in incendium inexpugnabile dilatatur. Nè igitur dicti Lombardi manus suas, quas debuerant ad fortia mittere, videantur ponere sub axillas in sue confusionis opprobrium sempiternum, nec eas explicare valeant cum voluerint, si nunc, cum valent, velle desierunt, discretionem vestram rogamus & monemus attentè, per Apostolica scripta mandantes, quatenus eos, quos expedire videritis, modis omnibus, quibus poteritis excitetis, & instantissimè inducere satagatis, ipsis in remissionem peccaminum injungentes, ut prosequentes viriliter proprium interesse, nobis sinè qualibet mora succurrant cum quantocunque possunt exercitu bellatorum; quòd si adhuc illud habuerimus tempore opportuno, speramus in Domino, quòd non prevalebit, sed deficiet inimicus; alioquin securè illis protestare potestis, quòd sibi, non nobis poterunt imputare, si desertis desertoribus, honori Ecclesie aliter, auxiliante Domino, curaverimus providere. Datum Perusii VII Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Gualla.*) De quo superiùs ad *Diem XXII Julii Anni MCCXXVII, & XVII Martii Anni MCCXXVIII.*

2. *Provisionibus.*) Legendum videtur *Promissionibus.*

Anno 1229 Die 5 Novembr.

Manfredo Canonico Mutinensi, nè Abbas & Conventus S. Petri Fratres ac Sorores Monasterii (1) S. Catharinæ molestiis afficiant.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

XXXV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Manfredo Canonico Mutinen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DIlecti Filii Prior, & Conventus Monasterii Sancte Catharine Mutinen. Nobis conquerendo monstrarunt, quòd Abbas & Conventus S. Petri Mutinen. ipsos, & predictum Monasterium super usu aque,

que

quę Mundaria vulgariter appellatur, ipsi Monasterio a Communi Mutinen., prout spectabat ad ipsos, collato, necnon & a Nobis etiam confirmato postmodum, ac rebus aliis aggravant, & molestant: Ideoque, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, Abbatem, & Conventum Sancti Petri prędicti, ut a pręmissorum Prioria, & Conventus Sanctę Catharinę super pręmissis indebita molestatione desistant, monitione pręmissa, per Censuram Ecclesiasticam, Appellatione remota, compellas; si quid verò juris se habere contendunt, pręfigas eis terminum competentem, quo nostro se conspectui repręsentent, nam coram Nobis, si voluerint, de jure suo poterunt experiri. Datum Perusii Nonis Novembris Pontificatus nostri Anno Tertio. Mandat ut supra.

1. *Monasterii.*) Vide superiùs *XIII Augusti MCCXXVI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum asservatur in Cœnobio FF. Prædicatorum *Mutinen.* Plumbum filis Cannabinis appenditur.

Manfredo (1) Canonico Mutinensi, ut, sublato quovis impedimento, de lite Monasterio S. Catharinæ intentata, statuat. Anno 1230 Die 22 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio M.... Canonico Mutineo., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVI.

EXhibita Nobis Prioris & Conventus Monasterii Sanctę Catharinę Mutinen. petitio continebat, quòd cum olim Abbas & Conventus S. Petri, & quidam alii Clerici Mutinen. eos super cursu Aquę cujusdam, quę Mundaria vulgariter appellatur, ipsis a Communi Mutinen. concessę coram Pręposito Sancti Prosperi Regien. & suis Conjudicibus per literas nostras traxissent in causam, iidem tandem a Nobis obtinuerunt, tibi per literas Apostolicas demandari, ut prędictos Abbatem, & Conventum, ac alios ab eorum indebita super pręmissis molestatione cessare per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogere procurares. Quòd si aliquid juris super his proponerent se habere, terminum ipsis pręfigeres competentem, quo nostro se conspectui pręsentarent, de jure suo, si vellent, experturi pleniùs coram Nobis. Tu verò quia in dictis literis per simplicitatem Nuncii de prioribus mentio nulla erat, in memorato negotio minimè processisti. Quare a Nobis humiliter postulabant, ut, nè occasione hujusmodi contingat, eosdem sui juris incurrere detrimentum, providere sibi super hoc de benignitate Sedis Apostolicę dignaremur. Nè igitur jura Conventus prędicti occasione pręfata juris sui dispendium patiantur, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi non obstante defectu, in negotio ipso, juxta traditam tibi formam, sublato appellationis impedimento, procedas. Datum Perusii XI Kalend. Februarii Pontificatus nostri Anno Tertio. Factum narrat. Mandat ut supra.

1. *Manfredo.*) Ut supra *V Novembris MCCXXIX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum extat in Cœnobio nostro *Mutinensi*. Plumbum filis Cannabinis appenditur.

Quæ Goffredus (1) S.R.E. Cardinalis in gratiam Bergomensis (2) Cœnobii statuerat, confirmat Pontifex. Anno 1230 Die 24 April.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ecclesię S. Stephani Pergamensis, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam benedictionem. XXXVII.

CUm a Nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor ęquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem Officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Cum igitur, sicut porrecta Nobis vestra petitio continebat, dilectus filius noster Goffredus Tituli S. Marci Presbyter Cardinalis, tunc Apostolicę Sedis Legatus, duxerit statuendum, ut Clerici, qui Beneficia in Ecclesia vestra S. Stephani obtinent, ipsa de cetero sint contenti; ita quòd ipsis Clericis cedentibus, vel decedentibus, alii in hujusmodi Beneficiis non succedant, remotis ab ea filio quondam Uberti de Massello, & D..... filio quondam Antonil Pagani, qui percipiebant ab eadem Ecclesia quandam summam pecunię annuatim, ac Beneficia ipsa juxta dispositionem venerabilis Fratris nostri Pergamensis Episcopi in fabricam ipsius Ecclesię ac Domorum ejusdem, necnon in ornamenta, & libros seu in usus Pauperum convertantur. Nos vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem Cardinali piè, ac providè factum est, & in ipsius literis confectis exinde plenè contineri dicitur, ratum habemus, & illud auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrę confirmationis infringere &c. Datum Laterani VIII Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Quarto. Exordium. Recenset quæ Goffredus statuerat. Confirmat ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Goffredus.*) seu *Gaufridus Castilioneus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II pag.* 80.
2. *Bergomensis.*) De quo supra ad *Diem X Martii Anni MCCXXVIII.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar, cujus asservatur Autographum in Cœnobio *Bergomensi*.

Priori (1) & Fratribus Conventus nostri Rotomagensis (2), ut, si opus fuerit, reforment Monasterium Sancti Audæni Ordinis Sancti Benedicti. Anno 1230 Die 7 Maji.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 303.

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVIII.

AD audientiam nostram noveritis pervenisse, quòd Monasterium Sancti Audęni Rotomagensis, Ordinis Sancti Benedicti, quod olim in spiritualibus florere, ac in temporalibus abundare solebat, propter in- Exordium.

insaniam habitantium in eodem adeò est in utrisque collapsum, quòd nisi ei per Apostolicę Sedis remedium celeriùs succurratur, vix unquam adjiciet ut resurgat. Ceterùm ipsius Monasterii Abbas..... instituta regularia non observat, nec curat, ut ab aliis observentur, sicque subditis suis factus odor mortis in mortem, qui debet esse odor vitę in vitam, eis de se ipso exemplum, per quod periclitentur, ostendit, & non pia vel utili ipsius Monasterii, sed tantùm propria utilitate pensata, tales ibidem in Monachos recipit, per quos in eo scandala sępiùs oriuntur, ac in corrigendis Monachorum suorum excessibus existit, negligens & remissus, bona Monasterii supradicti dilapidans & consumens, ea in usus proprios & illicitos convertendo, aliaque plura committens, quę limam Apostolicę correctionis & reformationis exposcunt. Cum igitur nostrum sit Ecclesiarum indemnitatibus providere, ac descendere & videre, utrum hęc opere compleantur, de vobis plenam in Domino obtinentes fiduciam, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, & non differentes, hujusmodi contra Deum, inquisita super iis diligentiùs veritate, corrigatis & reformetis ibidem auctoritate nostra tam in capite quàm in membris, quę secundùm Deum & dictam B. Benedicti Regulam correctionis & reformationis officio noveritis indigere: contradictores per censuram, appellatione postposita, compescendo. Quòd si non omnes &c. Duo vestrum &c. Datum Laterani Nonis Maii Pontificatus nostri Anno Quarto.

Commissio.

1. *Priori.*) Quanti FF. Prædicatores fecerit *Gregorius* ex hoc Diplomate conjicere licet; quòd autem Jussa Pontificis ad optatum finem perduxerint, attestor *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. II pag. 27.*

2. *Rotomagensis.*) In *Gallia* ad *Sequanam* Fluvium.

Ut in Polonia, & aliis Regionibus Fratres possint celebrare supra Altare Portatile.

Anno 1230 Die 10 Maji.

Ex Archivo [1] *Ordinis.*

XXXIX.

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Prędicatorum in Polonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ratio concedendi. Facultas concessa. Sanctio pœnalis.

NE pro varietate Ecclesiarum in partibus Polonię, & aliarum Regionum, quibus tu, & Fratres tui estis in Evangelio segregati, Missarum solemniis fraudari possitis, devotionis vestrę precibus annuentes, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut, cum necesse fuerit, in Altari Portatili liceat vobis celebrare Divina. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Laterani VI Idus Maii Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Archivo.* In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *Vratislaviensi* in *Silesia*, Provincia *Germaniæ*.

Fratres Prædicatores, ut bellum pro Religione adversùs Pruthenos (1) Catholicis suadeant, mittit.

Anno 1230 Die 13 Septemb.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 305.

XL.

Gregorius Episcopus, Servus servorum Dei, dilectis Filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a misericordia Christi erga homines.

CUm misericors & miserator Dominus Dei filius Iesus Christus, cujus miserationes super omnia opera sunt ipsius, attendens hominem justè damnatum, justitia exigente vindictam, & fugiente misericordię pietatem, de inęstimabili abundantia caritatis pro ipso tradidit semetipsum, & Crucis sustinendo tormentum redemit pretiosi Sanguinis sui pretio, quem creavit, sciensque ipsum pronum nimiùm ad peccandum, nè irreparabiliter, quem ad imaginem, & sui similitudinem condidit, perderet, si jam unde resurgeret non haberet, diversa constituit remedia, quibus posset veniam promereri. Nos ergo, qui, licèt immeriti, vices ejus in terris gerimus, affectantes super omnia desiderabilia commodum animarum, libenter fideles populos ad caritatis opera, quę idem Dei Unigenitus voluit causam esse salutis, inducimus; & ut fortiùs accendantur ad ipsa suffragium impertimur. Ex literis sanè dilecti filii Nobilis Viri Ducis Mazovię (2) intelleximus, quòd pagani Prutheni nomen Christi, quem ignorant, ad cujus cognitionem venire nolunt, exterminare tanquam profanum de suis finibus per exterminium Christianorum ibidem existentium intendentes, ipsos vehementer impugnant, destruentes terras eorum, qui resistere prę paucitate non possunt, & personas etiam miserabiliter trucidantes; & licèt idem Dux Ordinem Fratrum Hospitalis Sanctę Marię Teutonicorum in terram suam ad Christianorum auxilium introduxerit, & cum ipsius Ordinis Fratribus ibi existentibus Dominus misericorditer operetur, conterendo per eos mirabiliter sui Nominis inimicos, quia tamen ad tam arduum negotium sufficere pro (3) se nequeunt, & egent fidelium subsidiis adjuvari, universitatem vestram monemus & hortamur, & per omnipotentem Deum obsecramus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad nimiam caritatem, qua Christus vos dilexit & diligit, respectum habentes, & ei retribuentes aliquid pro omnibus quę retribuit ipse vobis, in quos tanquam viros Christianos & Catholicos cadere opprobria exprobrantium sibi debent, potenter & viriliter accingamini tanquam zelum Dei habentes ad vindicandam injuriam sui Nominis, & ad liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi & acturi secundùm Fratrum consilia prędictorum, ita quòd & vobis pręmium debeatur ęternum, & infideles non possint, quòd impunè Christi nomen impugnaverint, gloriari. Cum autem multa necessitas exigat, ut illuc Fidelium subsidium transmittatur, & dignum sit, ut in tanto negotio laborantes debita pro labore stipendia consequantur; Quare ad instantiam prędictorum Fratrum humiliter supplicantium, ut vobis super hoc Prędicationis officium injungere dignaremur, discretionem vestram monemus & obsecramus in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus alium-

Hortatur ad caritatem erga proximum. Infidelium dignitas. Teutonici cum Pruthenis prœliantur. Catholicos inclamat, ut subsidio currant. Mandat ut supra.

assumpto prędicationis officio propter Deum ad id Fideles prędictos monitis & exhortationibus vestris secundùm datam à Deo vobis prudentiam diligenter & solicitè inducatis. Datum Anagnię Idibus Septembris Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Prutbenos.*) Christiani nominis odio deflagrantes, certam tum *Maxoviæ*, tum aliorum Regnorum Septentrionalium perniciem intentasse *Prutbenos*, docet *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXIII num. V.* Id autem causæ fuit, cur in ipsos sacrum Bellum indixerit Christi Vicarius.

2. *Maxoviæ.*) Est Provincia Regni *Poloniæ*. *Conradum Maxoviæ* Ducem Fratrum *Teutonicorum* tunc invocasse subsidium refert *Bzovius ad Annum MCCXXVII num. XII.* Ceterùm qui fuerint *Teutonici* Fratres, qui piam contra Barbaros militiam professi erant, nemo nescit. Legesis *Duellium Histor. Ord. Equitum Teutonicorum Hospitalis Sanctæ Mariæ Virginis Jerosolymitan. Viennæ MDCCXXVII.*

3. *Pro.*) Legendum: *Per.*

Compositionem inter Conventum S. Petri, & Monasterium S. Catharinæ Mutinen. [1] initam confirmat.

Anno 1231 Die 5 April.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Sanctę Catharinę Mutinen. Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLI.

EA, quę judicio, vel concordia terminantur, firma debent, & illibata persistere, & nè in recidivę contentionis scrupulum relabantur, convenit Apostolico pręsidio communiri. Exordium. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis precibus inclinati compositionem, quę inter vos ex parte una, & Abbatem & Conventum Sancti Petri Mutinen. ex altera super aqua Mundaria, ac ejus alveo, & rebus aliis amicabiliter intervenit, prout in Instrumento publico exinde confecto dicitur pleniùs contineri, sicut ritè sinè pravitate providè facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacificè observata, auctoritate Apostolica confirmamus, Confirmat ut supra. & prȩsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrę Confirmationis &c. Datum Laterani Nonis Aprilis Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Mutinen.*) Vide superiùs, *XXII Januar. MCCXXX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio nostro *Mutinensi*. Plumbum sericis filis appenditur.

Duobus Abbatibus, & Priori Cœnobii nostri San-Jacobei Parisiensis, ut reforment Grandimontense [1] Monasterium.

Anno 1231 Die 5 April.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 320.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis de Firmitate, & Pruliacensi Abbatibus Cistercien. Ordinis, Senonen. (2) & Cabilonen. (3) Dięcef., & Priori S. Jacobi Ordinis Fratrum Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLII.

AD Audientiam nostram noveritis pervenisse, quòd cum olim ad extirpandam materiam jurgiorum, quę quietem Fratrum Grandimonten. Ordinis longo jam tempore turbaverunt, multis modis ac diversis temporibus fuerit per Sedem Apostolicam laboratum, Exordium ab enarratione facti. & tandem procurante Priore Ordinis, qui tunc erat, felicis memorię Honorius PP. prędecessor noster de Fratrum Consilio nonnulla statuta salubria & honesta, quę vidit paci & tranquillitati Clericorum & Ordinis expedire, duxerit statuenda; . . . . . Quia igitur instantia nostra quotidiana est omnium Ecclesiarum solicitudo continua, Ea refert, in quibus modum excesserat Prior Grandimontensis. monemus quatenus ad Domum Grandimontensem personaliter accedentes & habentes prę oculis solum Deum, simpliciter & de plano (4) absque litigiorum strepitu, inquisita super his & aliis, quę corrigenda videritis veritate secundùm Deum & dicti prędecessoris nostri statuta, sublato cujusvis Contradictionis & appellationis obstaculo, corrigatis, & reformetis tam in capite, quàm in membris, quę correctionis & reformationis officio videritis indigere, Mandat ut supra. facientes quod decreveritis &c. Quòd si non omnes &c. Datum Laterani Nonis Aprilis Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Grandimontense.*) Situm in *Gallia Aquitanica*.
2. *Senonen.*) In *Burgundia*.
3. *Cabilonen.*) Ibidem ad *Ararim* Fluvium.
4. *De plano.*) Idest non ad formam Judicii, sed in modum Denuntiationis.

Priori San-Jacobeo, ut censuris [1] solvat Magistros & Scholares Universitatis Parisiensis.

Anno 1231. Die 25 April.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 309.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLIII.

CUm salutem animarum quęrere teneamur, occasiones perditionis cupientes, quantùm Dominus permiserit, amovere, Exordium. discretioni vestrę prȩsentium auctoritate mandamus, quatenus Magistros & Scholares, qui in sententiam latam Parisius in Provinciali Concilio, seu (2) in sententiam bonę memorię R. [3] . . . Tit. S. Stephani in Cȩlio Monte Presbyteri Cardinalis occasione librorum [4] naturalium, qui in eodem Concilio fuere prohibiti, inciderunt, juxta formam Ecclesię absolvatis, & injuncta eis propter hoc pe- Mandat ut supra.

pęnitentia competenti, super irregularitatibus, hujusmodi occasione contractis, providè dispensetis. Quòd si non ambo (5) &c. Alter vestrum &c. Datum Laterani VII Kalend. Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Censuris.*) Audiendus *Rigordus ad Annum MCCIX. Legebantur Parisius libelli quidam ab Aristotele, ut dicebatur* (nota verbum) *compositi, qui docebant Metaphysicam, delati de novo a Constantinopoli, & a Græco in latinum translati, qui quoniam non solum prædictæ hæresi* (Almarici) *sententiis subtilibus occasionem præbebant, immo & aliis nondum inventis præbere poterant, jussi sunt omnes comburi, & sub pœna excommunicationis cautum est in eodem Concilio* (Parisiensi Anno MCCIX) *nè quis de cetero eos scribere, legere præsumeret, vel quocunque modo habere.* Illud idem interdixerat *Robertus Curson, seu De Curteon* Presbyter Cardinalis, qui Legatus a Latere missus in *Gallias*, Universitatem *Parisiensem* reformarat Anno MCCXV. At quia nonnulli cum Discipuli, tum Magistri jussis inobsequentes, in Censuras Ecclesiasticas venerant, quò solvi possent, Fratres nostros præposuit Christi Vicarius.

2. *Seu.*) Hæc disjunctiva particula sententiam *Roberti Antissiodorensis* Monachi, & *Cæsarii Heisterbacensis Dist. V Dialogor. Cap. XXII*, qui ad triennium tantùm libros, de quibus agitur, damnatos asserunt, confirmat. Nec contemptim exploденda sententia; *Gregorius* enim scribens hoc Anno MCCXXXI. ad Magistros & Scholares *Parisienses*, non absolutè, sed ad tempus libros naturales interdictos declarat, dicens: *Libris illis naturalibus, qui in Concilio Provinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum suspicione purgati.*

3. *R....*) *Robertus Curson.*

4. *Librorum.*) De Metaphysica, & de Naturali Philosophia; illos siquidem interdixit *Robertus*, ut habetur ex *Magno Pastorali Parisiensi*. In gratiam tamen Scholæ *Peripateticæ* notandum, non *Aristotelis* genuina opera, sed subdititia, quæ hæretici tanquam *Aristotelica*, quò hæreseon monstra serperent in immensum, prædicabant, esse damnata. Si cui non arridet hæc adnotatio, quæ liquet ex *Rigordo* mox laudato, saltem non diffitebitur, damnationem latam fuisse in *Aristotelem*, antea quàm a *S. Thoma* purgaretur a mendis, ex quo sanè nihil contra nos; noster enim ille non est *Aristoteles*, qui Doctoris Angelici Discipulus non fuit.

5. *Ambo.*) Quid? non ergo uni Priori *San-Jacobeo*, sed & Abbati *Sancti Victoris Parisiensis* inscriptum est hocce Diploma, uti nonnullis placet? Ut candidè loquar; ignotum mihi Diploma *datum XII Kalend. Maii*, quod laudat *Bzovius*. Quale legi, tale exscripsi, nec iota subtraxi. *Ambo* autem dictum crediderim, quò sciret Prior se unum ex Fratribus socium Commissione sibi adsciscere posse. Nec de hoc ambigendum, pertinet enim ad formulam. Sic Diploma *Datum Die XXIV Februar. Anno MCCXXXIII*, Uni Priori *San-Jacobeo* inscriptum, eodem modo loquitur. *Quod si non omnes &c.*

Anno 1231 Die 26 April.

Donationem Ecclesiæ Fani-Jovis [1] Monasterio Pruliano a Fulcone [2] Episcopo Tolosano factam confirmat.

Ex Archivo [3] *Ordinis.*

XLIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Marię de Pruliano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. INter alia, quę Christo pręstantur obsequia, illud est pręcipuè commendandum, cum Mulieres fragilitatem suam in stabilitatem voluntariè convertentes, mundanas spernunt illecebras, & ut cum perenni sponso vivant perenniter, habitaculum ipsi dignum corpora sua parant, & accensis lampadibus eidem obviàm exire festinant, ac pro hoc merito gratis sunt attollendę favoribus, ac congruis pręsidiis muniendę, ut eò devotiùs, quò quietiùs Domino famulantur, sibi per vitę meritum, & aliis proficiant per exemplum. (Confirmat ut supra.) Hinc est, quòd vestris precibus benignum impertientes assensum, Ecclesiam Beatę Marię Fani-Jovis, quàm Venerabilis Frater Noster Fulco Episcopus Tolosanus, utpote ad mensam suam spectantem, Monasterio vestro, quod ipse construxerat, pia & provida liberalitate concessit, prout super hoc confectum publicum indicat instrumentum (4), & in ejusdem Episcopi literis perspeximus pleniùs contineri, vobis, & per vos ipsi Monasterio confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. (Sanctio pœnalis.) Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Fani Jovis.*) Dixi superiùs *ad Diem VIII Octobris Anno MCCXV.*

2. *Fulcone.*) De quo *in Bulla*-Religiosam- *Data Die XXII Decemb. Anno MCCXVI.*

3. *Archivo.*) In quo exemplar, cujus asservatur Autographum in Monasterio *Pruliano*.

4. *Instrumentum.*) Consulendus *Percinus Monument. Conventus Tolosan. Seculo I pag.* 14., & 42.

Anno 1231 Die 9 Julii.

Fratres Pomeranis, & Pozolucensibus, quos ad perseverantiam adhortatur, commendat (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 312.

XLV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus & Gubernatoribus Pomeran., & Pozolucen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. GRatias agimus gratiarum omnium Largitori, qui de tenebris errorum vos eruens, veritatis suę vobis lumen ostendit, in agnitionem Domini Iesu Christi vos misericorditer perducendo, quem, sicut in Christo confidimus, agnitum diligitis, & perfectiùs diligetis. Cum, sicut accepimus, & utique acceptamus, dilectos filios Fratres Ordinis Pręedicatorum vobis salubriter evangelizantes eundem, suscipientes humiliter & devotè, ac benignè tractantes, ipsorum monitis, & exhortationibus, qui vestrarum Salutem sitiunt animarum, intimis affectibus intendatis, quod est otique salutis vestrę optimum argumentum, quòd sacrę pręedicationis alimento sępe refecti nequaquam potestis ęternę vitę formidare defectum, cum illorum verba Divinitus inspirata, spiritus sint, & vita. (Nota verba.) Quia verò Christi Vicarius, licèt insufficientibus meritis, constituti, fideles ejus sincera complectimur caritate, universitatem vestram rogamus, monemus, hortamur, & obsecramus in Domino Iesu Christo per Apostolica vobis scripta in remissionem peccaminum injungentes, (Hortatur ad perseverantiam.) quatenus sicut laudabiliter inchoastis, sequentes gratiam pręeuntem, studeatis Christo inflexibiliter adhęrere, irreprehensibilem legem ejus, animas convertentem, satagendo fideliter custodire. (Commendat ut supra.) Dictos quoque Fratres inconfusibiles Dei operarios, & cooperatores vestrę salutis pro amore venerabiliter am-

amplectentes, non deficiatis ipsorum sanam Doctrinam desiderabiliter amplexari, eorum monitis efficaciter obsequendo. Ut autem gratiam nostram erga vos efficaciùs sentiatis, personas, & alia bona vestra sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus speciali, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ protectionis infringere. Si quis autem &c. Datum Reate VII Idus Julii Pontificatus nostri Anno Quinto.

Nota verba.

Sanctio pœnalis.

1. *Commendat.*) *Emerserant his temporibus*, inquit *Odoricus Raynald. Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXI num. XLII, ex superstitionum erroribus, quibus tot seculis obruti ingemuerant, Pomeraniplures, ac Pozolucenses* (in Germania) *Christique Fidem amplexi ad Ecclesiæ sinum transvolarunt, quin etiam Prædicatorum familiæ alumnos, qui in iis nationibus Evangelii lumine collustrandis operam desigebant, officiis pluribus erant prosecuti, quapropter Summus Pontifex ex Apostolico officio Neophytos illos complexurus, qua par erat paterna benevolentia his scriptis literis in suam clientelam admisit.*

Capitulo Palentinæ [1] Ecclesiæ Fratres Prædicatores commendat, maximum erga ipsos declarans caritatis affectum.

Anno 1231 Die 7 Augusti.

Ex Hist. Ord. F. Lopez III Parte lib. 1 cap. 35.

XLVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, & Capitulo Palentinæ Ecclesiæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilectos filios Fratres Ordinis Prædicatorum in Palentina civitate morantes, quos sinceræ caritatis brachiis amplexamur, universitati vestræ propensiùs commendantes, devotionem vestram rogamus, monemus, attentiùs exhortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Beati Petri, & nostram, vos geratis taliter erga eos, non impedientes, quo minùs iidem Ecclesiam, & Cæmeterium in eadem Civitate pacificè valeant obtinere, nec sustinentes, ab aliis, quatenus opus, fuerit, impediri; in aliis eis consilium & auxilium impendendo, quòd propter hoc apud Deum & homines commendari possitis, Nosque, qui eos quadam prærogativa diligimus caritatis, vobis reddatis favorabiles & benignos. Datum Romæ VII Idus Augusti Pontificatus nostri Anno Quinto.

Exordium.

Fratres commendat.

Prærogativam caritatis in nostros demonstrat.

1. *Palentinæ.*] Videas *Annotationem in Diploma, quod sequitur.*

Palentinum [1] Episcopum objurgatorio Diplomate monet de his, quæ FF. Prædicatoribus concessa vult.

Anno 1231 Die 8 Augusti.

Ex Histor. Ord. F. Lopez III Parte lib. 1 Cap. 35.

XLVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Palentino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Significante dilecto filio Priore Ordinis Prædicatorum Provinciali in Hispaniis, Nos noveritis accepisse, quòd cum Nos dudum per nostras tibi literas districtè dederimus (2) in præceptis, ut Ecclesiam Fratribus ejusdem Ordinis in Civitate morantibus Palentina concedere & Cæmeterium benedicere sinè qualibet difficultate curares, tu id efficere, unde miramur plurimùm, & movemur, non solummodo non curasti, verùm etiam postquam Venerabilis Frater noster Sabinensis Episcopus, tunc in illis partibus Apostolicæ Sedis Legatus, præmissa juxta indulgentiam ab Apostolica Sede Ordini concessam [3] generaliter memorato concessit, eosdem super iis & pluribus aliis, quasi per quandam dissimulationem, pro tuæ voluntatis arbitrio molestasti; ideoque Fraternitatem tuam rogandam duximus attentiùs & monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsos ob reverentiam B. Petri & nostram habeas propensiùs commendatos super prædictis, vel aliis, non solummodo indirectè non molestes eosdem, nec permittas ab aliis quantùm in te fuerit illicitè molestari, verùm etiam, sicut jam per alias literas tibi meminimus, Nos scripsisse, te geras taliter erga eos, quòd apud Deum & apud homines propter hoc valeas non immeritò commendari, & Nos, qui Fratres ipsos sincerè diligimus in Domino, caritate tibi reddas favorabiles & benignos. Datum Romæ VI Idus Augusti Pontificatus nostri Anno Quinto.

Exordium, quo increpat Episcopum.

Quod præceperat Pontifex, Episcopus volens & sciens prætermiserat.

Nec audierat præceptum Legati Apostolici.

Molestus erat Fratribus.

Quid agendum sit, decernit.

1. *Palentinum*) *Palentia* urbs est *Hispaniæ*, eò vel maximè celebris, quòd S. Patriarcha *Dominicus*, adolescens adhuc, discipulum simul in ea egerit, & Doctorem; Discipulum quidem, cum humaniores ibi didicerit literas, Doctorem verò, cum, qua ratione sublevandi sint inopes, docuerit & condiscipulos & Magistros. Factum legesis apud *Jordanum, & Constantinum in Vita S. Dominici*. At proh dolor! quæ singularem in adolescentulo demirata erat, *Palentia* tantam non invenit caritatem in Episcopo, quem Summi Pontifices *Gregorius IX*, & *Alexander IV*, propter ipsius sat difficilem agendi rationem in Fratres Prædicatores, non semel increparunt. Primò quia *Conventualem* Ecclesiam ipsis concedere nolebat. Secundò ex eo quòd Cœmeterium benedicere recusabat. Duo hæc in præceptis dederat *Gregorius*, uti liquet ex præsenti Diplomate. Legatus etiam Apostolicus *Johannes* Cardinalis *Sabinensis* Episcopus non parùm, sed frustra, desudarat pro iisdem componendis dissidiis, quapropter objurgatorium Diploma dedit Pontifex ad Episcopum *Palentinum*.

2. *Dederimus.*) Desideratur hocce Diploma.

3. *Concessam.*) *Bulla* - Religiosam - *Data Die XXII Decembris Anno MCCXVI.*

Anno 1231 Die 8 Septembr.

Ut jure summæ & ultimæ cognitionis causam Grandimontensium (1) judicent, FF. Prædicatores præponit.

Ex Arch. Ord. lib: A. fol. 320.

XLVIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium recenset factum. TRanscriptum literarum, quas super correctione & reformatione Grandimontensis Ordinis tam in capite, quàm in membris, dilectis filiis de Firmitate, & Pruliacensi Abbatibus Cisterciensis Ordinis Senonensis & Cabilonensis Dięcesum, & Priori Sancti Jacobi Ordinis Fratrum Prędicatorum Parisien., Nos recolimus destinasse, sub sigillis eorundem Abbatum presentatum nobis recepimus in hac forma. Gregorius Episcopus, Servus Servorum &c. (2) A quorum duobus, tertio ipsorum collega, ultimo jam dicto Priore Prędicatorum Parisien., legitimè excusato multis de causis, licèt ipsi Judices, sicut ex eorum perpenditur continentia literarum, ultra citationem in negotio non processerint memorato, eo quòd dictas Visitationis, & Inquisitionis literas, quas Petrus & Jordanus (3) Fratres Grandimontenses, causa super his habendi consilium, a dicto Pruliacensi Abbate, pendente citatione, receperant fraudulenter, recuperare minimè potuerunt, quanvis iidem propter hoc ad Grandimontense Cęnobium accedentes, memoratum Priorem Grandimontensem, ut literas ipsas a dictis Fratribus eis restitui faceret, monuerint diligenter, in quemlibet detentorem earum, & in omnes illos, de quorum consilio, vel mandato literę detinerentur prędictę, nisi intra certum terminum ipsis eas restituerent, excommunicationis sententiam promulgando, a supradictis Priore & Fratribus Grandimonten. fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, procuratoribus igitur Prioris, & Fratrum ipsorum ex parte una, & Elia & Rad. qui pro jam dictis Visitationis & Inquisitionis literis obtinendis, ex altera, laborarunt, in nostra presentia constitutis, Venerabilem Fratrem nostrum Sabinensem (4) Episcopum dedimus Auditorem, coram quo, cum super premissis fuisset a partibus aliquandiu litigatum, ac idem Auditor ea, quę coram ipso proposita fuerant, nobis fideliter retulisset, nos nolentes quòd dictum Visitationis & Inquisitionis negotium per tergiversationem alicujus remaneat indiscussum, ipsum vestro duximus examini committendum, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandantes, quatenus in eodem negotio juxta formam superiùs annotatam, sublato contradictionis & appellationis obstaculo, procedentes, sępe dicto Priori Grandimontensi, quòd non mandaverit, nec dederit consilium, vel consensum, quòd prędictę literę reciperentur ab Abbate prefato, vel detinerentur, & non redderentur Judicibus supradictis, purgationem canonicam indicatis; quam si fortè coram vobis prestare noluerit, vel non potuerit, vos ab administratione amoveatis eundem: antedictos autem duos Fratres, qui nominatam fraudem de prętaxatis literis commiserunt, a Grandimontensi Ordine in perpetuum expellatis. Illis verò Fratribus, qui pro negotio Visitationis & Inquisitionis ad Sedem Apostolicam personaliter laborarunt, in quos antedictus Prior excommunicationis sententiam dicitur promulgasse, cum proprium non habeant, ipsis, beneficio absolutionis impenso, moderatas expensas restitui, & eos a Fratribus sępe fatis benignè recipi faciatis, & fraterna caritate tractari. Nihilominus ipsis Fratribus injungentes quod regulariter fuerit injungendum: Contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Indulgentia (5) quam vos, filii Priores, de non cognoscendo de causis vobis a Sede Apostolica delegatis, a Nobis obtinuisse dicimini, non obstante &c. Quòd si non omnes &c. Datum Reate VI Idus Septembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

Commissio.

Derogatio.

1. *Grandimontensium.*) De quibus supra *ad Diem V Aprilis Anno MCCXXXI.*
2. *Servorum &c.*) Hic de verbo ad verbum exscribitur Diploma *Ad Audientiam. Datum Die V Aprilis Anno MCCXXXI.*
3. *Iordanus.*) Nihil aliud de illis compertum, & aliud silere pro votis esset.
4. *Sabinensem.*) *Johannes Halgrin*, seu *Hollegrin*, natione Gallus, Ordinis *Cluniacensis* Alumnus, *Parisiensis* Doctor, S. R. E. Cardinalis.
5. *Indulgentia.*) Consulenda *Bulla* - Quieti - *Data Die IX Aprilis Anno MCCXXVIII.*

Anno 1231 Die 20 Octobr.

Archiepiscopo & Capitulo Neapolitano (1) Fratres Prædicatores commendat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Capitulo Neapolitano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis. QUoniam crescit diei malitia, & pericula temporis invalescunt, attendens Evangelicus ille Paterfamilias, quòd messis erat multa, operarii autem pauci, in messem suam operarios adhuc mittens in hac quasi hora undecima dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, velut novos vinitores suę vineę suscitavit, qui non sua, sed quę sunt Iesu Christi quęrentes, tam contra profligandas hereses, quàm pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt Evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntarię paupertatis. Nos igitur eorum pium, & sanctum propositum, ac ministerium, tam necessarium, favore benevolo prosequentes, universitati vestrę ipsos affectuosè duximus commendandos, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eos ad officium prędicandi, ad quod sunt specialitèr deputati, benignè recipiatis, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum semen Verbi Dei devotè suscipiant, sedulò commonentes, ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram liberaliter eis in suis necessitatibus assistatis. Ad hęc cum in civitate Neapolitana locum aptum non habeant, in quo suorum offerant Domino vitulos labiorum, devotionem vestram rogamus, & exhortamur in Domino, in remissionem vobis vestrorum peccaminum injungentes, quatenus in Civitate ipsa, Locum eis ad hoc aptum provideatis, absque juris prę-

Fratrum commendatio.

prȩjudicio alieni. Ita quòd ex hoc propitiationem Divinam faciliùs mereamini; & Nos devotionem vestram possimus meritò commendare. Datum Reate [3] XIII Kal. Novembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Neapolitano.*) Adeas *Maluendam Annal. Ord. ad Annum MCCXXXI Cap. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum tenet Conventus *S. Dominici Neapolit.*
3. *Reate.*) In Exemplari Authentico, quod in Archivo Ordinis asservatur, mendosè legitur: *Romæ*.

Fratres, quos laudibus effert, commendat Populo Neapolitano [1].

Anno 1231 Die 25 Octobr.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Neapolitano, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

QUoniam crescit in dies malitia, & periculosa tempora iovalescunt, attendens Evangelicus ille Paterfamilias, quòd messis erat multa, operarii autem pauci, in messem suam operarios adhuc mittens in hac quasi hora undecima, dilectos filios Fratres Ordinis Prȩdicatorum velut novos vinitores suȩ vineȩ suscitavit, qui non sua, sed quȩ sunt Iesu Christi quȩrentes, tam contra profligandas hȩreses, quàm pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt Evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntariȩ paupertatis. Nos igitur eorum pium & sanctum propositum, ac ministerium tam necessarium favore benevolo prosequentes, universitati vestrȩ ipsos affectuosè duximus commendandos, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prȩdictis Fratribus vobis seminantibus Verbum Dei, prȩdicationem eorum audientes benignè, ac devotè suscipientes, tanquam bona & fructifera terra pro vitiorum tribulis incipiatis virtutum segetem germinare, & dicti Fratres suscepti ministerii cursum feliciter consummando optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet Animarum. Datum Reate VIII Kal. Novembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

Fratrum commendatio.

1. *Neapolitano.*) Consule præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum habes in Cœnobio *Neapolitano S. Dominici*.

Hortatur Ducem Brabantiæ (1), ut benignè excipiat Fratres Prædicatores, in Alemanniam contra hæreticam pravitatem missos.

Anno 1232 Die 3 Febr.

Ex Archivo [2] *Ordinis*.

LI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro H. [3] Duci Brabantiȩ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a perfidia hæreticorum.

ILle humani generis pervicax inimicus, quem de supremis ad ima superbia sua prostravit, non contentus quòd suȩ fraudis nequitia hominem perduxit ad casum ȩrumnis & miseriis applicandum, callidè nititur cum pestiferis retibus irretire, astutè illi parans insidias, nè resurgat, locum a quo ipse ceciderat obtenturus. Novissimè autem diebus istis Fidem nisus perfidia depravare per ministros suos iniquitatis operarios venena sparsit mortifera; seditiosè considerans, quòd familiaris hostis sit efficax ad nocendum, qui quasi dulcia promittentes cauda pungunt ut Scorpio, ex aureo tandem calice Babylonis virus pestilentiȩ infusuri. Licèt autem hȩretici diutiùs hactenus latitantes sicut cancer serperent in occulto, & velut vulpes latentes niterentur vineam Domini demoliri, jam tamen, peccatis exigentibus in aperto quasi equi parati ad prȩlium prȩsumunt manifestè insurgere contra eam, quȩrentes in cibum simplices, & in prȩdam edoctos, ac illaqueare nihilominus fideles quoslibet suis circumventionibus, cupientes fieri magistri erroris, qui nunquam fuerunt discipuli veritatis. Unde expedit, quòd insurgatur viriliter contra eos, ut eorum omnino hȩresi confutata per totum vigeat Fides Christi, nam corona sequetur prȩmii tentationibus resistentes. Cum ergo dudum resplenduerit io Alemannia fida Fides, ac per hoc formidemus ibi potiùs animalia venenosa, nè fortè simplices ipsorum callidis seductionibus circumventi, & astuti pravis circumventionibus periculosè decepti, in profundum deveniant peccatorum, sicque ibidem violetur Fidei firmamentum; Nos, qui circa horam undecimam inter operarios, immo veriùs super operarios vineȩ Domini sumus a Patrefamilias Evangelico deputati, tacti dolore cordis intrinsecùs, non valentes tantam sustinere injuriam Creatoris, ac volentes animarum periculis obviare, multifariè multisque modis ad extirpandam pravitatem hȩreticam diligenter intendere non cessamus. Cum autem miserator & misericors Dominus, qui neminem vult perire, attendens quòd messis erat multa, operarii autem pauci, dilectorum filiorum Fratrum Prȩdicatorum Ordinem suscitarit, qui non sua, sed quȩ Iesu Christi quȩrentes, tam contra profligandas hȩreses, quàm contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntariȩ paupertatis, Nos ejus instructi exemplo, qui & duodecim Apostolos, & alios septuaginta duos elegit, & binos ad prȩdicandum ante faciem suam direxit, dictos Fratres contra hȩreticos in Alemanniam duximus destinandos, ideoque nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, ac per Apostolica scripta mandamus, in remissionem peccaminum tibi injungentes, quatenus ipsos pro reverentia Divina, & Apostolicȩ Sedis, ac nostra, benignè recipias & honestè pertractes, eis in his & aliis consilium, auxilium, & favorem taliter impendendo, quòd ipsi commissum sibi officium exequi valeant inoffensè, & Nos sinceritatis tuȩ zelum possimus meritò commendare. Datum Reate III Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

Ordo Prædicatorum ad profligandas hæreses suscitatus.

Missio Fratrum.

Commendatio.

1. *Brabantiæ.*) *Belgii* Ducatus.
2. *Archivo.*) In quo exemplar.
3. *H.*) *Henrico*, uti videre est ex hoc Diplomate in Archivo Ordinis asservato. *Henricus Dei gratia Dux Lotharingiæ, universis* Ab-

Abbatibus, Præpositis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Justiciariis, & Burgensibus, necnon omnibus hominibus intra sua constitutis, ad quos præsentes literæ pervenerint, Salutem in Domino. Literas Domini Papæ recepimus in hoc modo: Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Nobili viro H. Duci Brabantiæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ille humani &c. (Inscribit Diploma Pontificium mox exscriptum) *Cum ergo præcepto & Mandato Domini Papæ in omnibus & præcipuè in talibus parere velimus, & debeamus meritò, ideoque vobis omnibus mandamus, rogamus, vobis autem Officialibus nostris districtè præcipientes, quatenus exhibitores præsentium, & Fratres Ordinis Prædicatorum ad prænotatum negotium specialiter missos exequendum, cum ad vos venerint, benignè recipiatis & colligatis, inimicos Jesu Christi, & Fidei Catholicæ rebelles, eorumdemque Fratrum, juxta voluntatem & mandatum ipsorum compescendo, nam hæreticam pravitatem temporibus nostris a finibus terræ nostræ cum omni desiderio & diligentia volumus & affectamus extirpare. Datum apud Miram* (vulgo Mirecourt in Lotharingia superiori) *Anno Domini MCCXXXII IV Nonas Maii.*

Anno 1232
Die 26 Maii.

S. Inquisitionis Tribunal in Aragoniæ Regno instituit (1).

Ex Malvenda Annal. Ord. ad Annum MCCXXXII cap. III.

LII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Tarraconen., & suffraganeis suis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Humana deflet facinora.

DEclinante jam mundi vespere ad occasum, & hominum malitia excrescente, corrupti seculi corruptelam non solùm sentiunt elementa corrupta, verùm etiam dignissima creaturarum, ad imaginem, & similitudinem condita Creatoris, privilegiata privilegio dignitatis, volucribus cęli, & bestiis universę terrę, prelatur. Peccat enim ad extremum homo miserrimus; & qui in sui creatione in Paradisi medio constitutus, ut operaretur, & custodiret eundem, ac de omni ligno, quod in eo erat, excepto ligno boni & mali scientię vesceretur, manere non potuit in eodem, circa fines seculorum degenerat, & variis, ac variis quęstionum nexibus se innectit. Ecce namque, peccatis exigentibus, ova aspidum jam sunt rupta, & telas araneę texuerunt; Quia miseri, & infelices hęretici falsum, & hęreticum intellectum, quem mente conceperant, parientes, in aures sibi credentium effundunt: Sed qui de ovis eorum comedit morietur, quoniam eorum doctrinę, ac consiliis inhęrentes, ęternis incendiis adscribuntur. Ecce de radice colubri egreditur regulus (2), quia sicut hic flatu venefico, sic hęc pestis flatu felleo aves volantes interficit, serpente non degenerante a primęvo, qui primos parentes circumveniens interemit. Non est etiam dissimilis Basilisco (3), qui visu necat, quos aspicit; quia hoc reptile venenosum aspectu seducit, & perimit minùs cautus. Ecce jam ventus urens, qui indecisam, & inconsutilem Domini tunicam, & desuper contextam per totum per frusta discerpit. Ecce jam nova sub novo testamento Acham progenies, quę de anathemate iniquo regulam auream, palliolumque furatur. Abiron quoque, & Datan, & Chore soboles detestandę, novis thuribulis fermentatum thymiama novis volunt Altaribus adolere, dum nox nocti scientiam indicat, dum hęreses pullulant, & vulpes demoliri vineam Domini moliuntur. Hi sunt namque caupones, qui aquam vino commiscent; qui virus Draconis in aureo calice Babylonis propinant; qui juxta Verbum propheticum, arcum rem amaram intendunt, ut sagittent innoxios in occultis, ita quòd nisi botrus in flore lędatur, fructum non solùm amarum, sed etiam pestiferum germinabit. Ecce siquidem, quod dolentes referimus, & referendo dolemus, hęreticę (4) labis morbus, serpens paulatim ut cancer, quędam loca Tarraconensis Provincię, sicut dicitur, jam infecit. Cum igitur, ex injuncto Nobis Apostolicę curę officio, adversùs hęreses invigilare propensiùs teneamur, & moveamur etiam voce Sponsi capere vulpeculas parvulas demolientes vineam, nè per licentiam invalescant, & tractu temporis coalescant in majoris roboris firmitatem, Fraternitatem vestram monemus, hortamur attentè, per Apostolica vobis scripta, sub Divini attestatione judicii districtè pręcipiendo, mandantes, quatenus per vos, & Fratres Pręedicatores, ac alios, quos ad hoc idoneos esse noveritis, diligenti solicitudine perquiratis de hęreticis, & etiam infamatis. Et si quos culpabiles, & infamatos inveneritis, nisi ex animo velint absolutè mandatis Ecclesię obedire, procedatis contra eos juxta Statuta nostra, contra hęreticos noviter promulgata (5), quę vobis sub Bulla nostra transmittimus interclusa, in receptores, defensores, & fautores hęreticorum; secundùm eadem statuta nihilominus processuri. Si verò aliqui, hęretica labe penitus abjurata, ad Ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eis, quod talibus consuevit injungi: Attentiùs provisuri, nè, qui videntur reverti, sub fallaci specie pietatis impietatem committant, & angelus satanę in lucis Angelum se transformet. Propter quod statuta, quę super hoc duximus promulganda, inspicere poteritis, & ab eorum insidiis, secundùm discretionem vobis datam a Domino pręcavere. Datum Spoleti VII Kal. Junii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Hæreticorum perfidiam declarat.

Fratres nostros instituit Inquisitores.

1. *Instituit.*) *Jacobo Aragoniæ* Regi Sacræ. Inquisitionis Tribunalis in ipsius Regnis instauendi auctorem fuisse *S. Raymundum de Pennafort* ex *Bulla Canonizationis* ejusdem demonstrabitur. Illud idem affirmant complures, quos laudat, & sequitur *Malvenda Annal. Ord. ad Annum MCCXXXII*, quem consulas velim.

2. *Regulus.*) Serpentis species, de quo sæpe Scriptura: Hæc autem *De radice Colubri* &c. ex *Isaia cap. XIV v. 29* dicta scito.

3. *Basilisco.*) Alia Serpentis species.

4. *Hæreticæ.*) *Vualdenses* enim & *Albigenses* hæretici ad *Cataloniæ* partes jam jam adrepserant, uti docet *Marsilius Histor. Jacobi Regis Aragon. lib. IV Cap. XLVII.*

5. *Promulgata.*) Statuta *Gregorii IX* exscribentur ad *Diem VII Martii Anno MCCXXXVI*, hanc enim diem adscriptam habet Autographum asservatum in Archivo Ordinis. Cum igitur statuta, de quibus præsens Diploma loquitur, dicantur *noviter promulgata*, videtur, quædam alia in hæreticos *Gregorium IX* sanxisse. Consulendus *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXI a num. XIV ad num. XXIII.*

Fra-

Fratribus Prædicatoribus per Austriam constitutis, ut contra temeratores naturæ insurgant [1].

Anno 1232 Die 3 Septembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 346.

LIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum in Austria constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a vigilantia pastorali.

SPeciosus forma, & plenus gratia, fons virtutum, & ablutio vitiorum sanctę Sponsus Ecclesię Dominus Iesus Christus inter alia sanctitatis insignia, quibus sponsam suam inclytam insignivit, gloriosam constituit castitatem, ut in via sinè qua nullum opus bonum existit, sibi rubicundo, & candido decoris, & pulchritudinis conditori Virgini, nato de Virgine, sicut cynamomum, & balsamum redolente, a fidelibus, quos condidit, & redemit, devotione supplici, & subjectione humili serviatur; ut sic per illam, & alia bonitatis opera felix ęternitas, & ęterna possit felicitas obtineri. Nos igitur, qui licèt immeriti ad suę vicis sumus officium constituti, volentes, ut rosarum floribus, & convallium liliis circumdetur Ecclesię paradisus, nè ubi spiritalium est suous habendus aromatum, ibi sit fimus carnalium voluptatum, inter alia, quę sempiterna inspirante gratia, pro reverentia Redemptoris fieri suademus, Fidelibus continentię sanctitatem observandam consulimus, nè perpetrantes contrarium, ad ęterna supplicia deducantur. Sed si tales, quos quodammodo inconstantia fragilitatis excusat, justus Dominus judicabit, de hostibus naturę usum falsantibus naturalem, quid salutis, & damnationis ęternę arbiter providebit? Nonne ipsos ad tremendum judicium abominabiles accessuros, mundo contemptibiles, & horribiles collegio supernorum, qui brutis immundiores effecti, & fere quibusque viventibus nequiores, rationali sensu carentes, indulgentiam naturę pretereunt, & interno privati lumine, sexus differentiam non attendunt, inscrutabili penarum genere prę aliis perditis pręcipiet in inferis contorqueri? Heu miseri! quid eis tantam dementiam, & cęcitatem induxit, ut reprobę voluntatis arbitrium subeuntes, & voluptatis licitę contemptores, facinus perpetrent tam iniquum, cui semper, & cogitatio advena, & actio deberet fieri omnimodis peregrina; At quia serpentis antiqui seducti suasibus, cujus perditi se membra perdita statuerunt relicto Sole justitię, in sensum reprobum sunt deducti, non mirum si efficiunt opera patris sui principis tenebrarum, in cujus est posse potissimùm, ut hi, quos in puteum putoris addixit servitutis suę compedes non evadant, nisi, qui mortem morte destruxit, ut vita vitę cultoribus pręberetur. tales mortuos in fętoris monumento jacentes, quibus partes Teutonię, Nobis audientibus cum mœrore, non absque grandi detrimento Fidei, & gravi contumelia Creatoris, infectę nimiùm referuntur, dignetur infusione suę gratię, ac prędicationis sanctę clamoribus excitare. Verùm quia pro executione operis tam beati alta Sapientia Dei Patris in Ecclesia Sancta Catholica viros virtutis, & gratię, Divino constituit pollentes eloquio & sanctę conversationis splendoribus emicantes, quibus tanquam fulgore stellarum ejus Sponsa inclyta refulgescit, de quorum numero fratres vestri Ordinis possunt exprimi speciales, universitatem vestram rogamus, & obsecramus per aspersionem Sanguinis Domini IesuChristi, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, & in remissionem vobis peccatorum [2], quatenus induti fortitudine, ac virtute pręcincti, Illius patrocinium implorantes, qui potentia Divinitatis suę Lazarum suscitavit a mortuis, tales immundos, quos aliter exprimere non valemus, velut experti animarum medici, a labe tam pestifera sagaciter expietis, ipsos ad notitiam rationis, & observantiam munditię, necnon ad cultum continentię, vel castimonię conjugalis diligenter, & efficaciter inducendo, curam dantes, & operam, ut in eisdem partibus vestri vigore studii, Satanę repagulum, quo processus in salutem prępeditur fidelium, confringatur, & tota tollatur macula hereticę pravitatis, sicque fiat, cęlesti gratia prospirante, quòd reducta utraque specie talium miserorum ad discernendas specificas vitiorum differentias, & virtutum vitę pręsentis, & perpetuę pręstitori per ipsos devotę laudis sacrificium offeratur, ita quòd eis fieri merentibus claritatis Divinę participes, qui cęcitatis dęmoniacę fuerunt hactenus non expertes, vos benedictionem gentium, & Apostolicę Sedis favorem, necnon supernę glorię bravium habeatis, nosque incessanti gaudio apud Dominum exultemus, eum lęti viderimus, quòd quasi oliva speciosa in campis ejus sancta consistat Ecclesia gloriosa, multiplicatione fidelium insignita. Datum Anagnię III Nonas Septembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Elogium Ordinis.

Commissio.

1. *Insurgant.*) *Friderico* siquidem Imperatore & *Andrea* Rege *Hungaria* de *Austria*, & præcipuè *Vienna*, digladiantibus, externus Miles in *Germaniam* introductus Germanicæ continentiæ candorem niveum denigraverat, infecerat, inquinarat. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXII num. IV.*

2. *Peccatorum.*) Addas velim: *Injungimus.*

Ut contra detestabilia & nefanda flagitia [1] viriliter agant, Fratribus Prædicatoribus in Austria constitutis præscribit.

Anno 1232 Die 3. Septembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 349.

LIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Austria constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Flagitia gemebundus recenset.

REgio Teutonię in virtutum prępeminentia olim ęstimata Regina, quia incedendo via regia, & Religionis opus ac rectitudinis amplexando, Regem Regum Dominum Iesum Christum puritate, Fidei & sanctę caritatis operibus multipliciter honorabat, nunc, sicut dolentes audivimus, & gementes referimus, innaturali vitio, Deo, suisque fidelibus ineffabiliter inimico, peccatis exigentibus, ita in quibusdam par-

partibus, & Austria precipuè, maculata dicitur, quòd quasi lepre perfusa turpitudine reputatur. Verùm quia pro sorde tam horribili vestri virtute sermonis, auctore Deo, sagaciter expianda, vobis scripta nostra direximus confidenter, universitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino Iesu Christo, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus illos, qui noxa labis tam pestiferę laborantes, ut Sodoma, peccata sua prędicant, nec abscondunt, qui viam vitę non vident, nec verbum salutis audiunt obvoluti tenebris peccatorum, nisi vestris salutaribus monitis eruditi resipiscere curaverint, ab hujusmodi perpetratione facinoris omnino detestabilis & iniqui, ipsos comminationibus apertis nostro nomine terreatis, viva voce dicentes, quòd nobis de mandato nostro in scriptis eorum expressa nomina transmittetis, ut in ipsos velut in Crucifixi perfidos inimicos, & Christianę Fidei contemptores ultionis Ecclesiasticę gladium exeramus, & faciamus eosdem ab omnibus sicut hęreticos evitari. Taliter autem quòd in istis & aliis literis duximus exprimendum, vestra diligentia prosequatur, quòd indè sit vobis felicitatis ęternę perceptio, & devotionem vestram Sedes Apostolica favore continuo prosequatur. Datum Anagnię III Nonas Septembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Quomodo contra delinquentes sese gerere debeant dicit.

1. *Flagitia.*) De quibus in *precedenti Diplomate*.

Anno 1232 Die 13 Octobr.

Fratri Conrado [1], ut juridicè perquirat miracula claræ memoriæ Elisabeth [2].

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 352.

LV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Conrado de Marburg Prędicatori, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VT cęci viam, increduli veritatem, mortui vitam invenisse gaudeant, & colere delectentur, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus super gloriosis miraculis, quibus clarę memorię Elisabeth Lantgravia Thuringię, auctore Christo, dicitur refulgere super scripti tenorem, quod vobis sub Bulla nostra mittimus interclusum, habendo prę oculis solum Deum, testes recipere, ac diligenter examinare curetis, ut incredulitatis excussa caligine de dubiis pectoribus & obscuris, miraculorum claritas sinceris mentibus illucescat, & eò sit in gentibus gloriosa virtus Altissimi, quò dignatur in populis Sanctorum splendoribus declarari. Datum Anagnię III Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Conrado.*) De quo in *Dissertatione*, cui titulus: *Vindicia F. Conradi Marburgensis, Tomo ultimo.*

2. *Elisabeth*) Cujus mentio superius *XII Junii Anno MCCXXVII* facta est.

Anno 1232 Die 13 Octobr.

Quonam modo audiendi sint testes super vita, conversatione, & miraculis Venerabilis Elisabeth (1), præscribit.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 352.

LVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Conrado de Marburg Prędicatori, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TEstes legitimi, qui super vita, conversatione, ac miraculis Venerab. Elisabeth Lantgravię Thuringię sunt recipiendi, priùs ab eis pręstito juramento, diligenter examinentur & interrogentur de omnibus, quę dixerint, quomodo sciunt, quo tempore, quo mense, quo die, quibus pręsentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis interpositis, & de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur, & si eos antea cognoscebant, & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quanto tempore fuerunt infirmi, & de qua civitate sunt oriundi, & interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter, & circa singula capitula fiant, ut expedit, quęstiones premissę, & series testimonii, & verba testium fideliter redigantur in scriptis. Datum Anagnię III Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Præscribit ut supra.

1. *Elisabeth.*) Videas præcedens Diploma.

Anno 1232 Die 14 Octobr.

F. Conrado (1), ut de miraculis Venerab. Elisabeth inquirat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 350:

LVII.

Gregorios Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Conrado Prędicatori, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VIsibilium & invisibilium Conditor cunctipotens & ęternus, etsi grata multorum perpetuitate bonorum hominem reficiat quem plasmavit, illum tamen gratorum successiva recreat creatione novorum, eò quòd illa humanę conditionis affectibus sint votiva, prout probat inspectio florum amęna recentium, & exhibet perceptio fructuum gratulia novellorum. Igitur ad ęternas delicias fidelibus exponendas, ad dandum gentibus Fidei, Spei, & Caritatis augmentum, ad dirigendos in viam pacis, & caritatis ęternę pedes in tenebris & mortis umbra sedentium, Solis & Lunę mirificus operator, in cęlesti solio nova producit lumina lucis inextinguibilis emissiva, per quę cordibus devotorum, quęrentium luminis ineffabilis lucidissimas mansiones, immensitas exultationis infunditur, & alia infinita beneficiorum genera conferuntur. Porro lętantur plures in hujus pręsentia temporis solam stellam in die prospicere, qui decursę noctis tem-

Exordium a Divina Misericordia.

tempore innumeras se recolunt inspexisse ; gaudebant & Magi fulgorem siderum, quę ab initio Dei sapientia fecerat, intueri, sed spectantes novam stellam in oriente Regis nati nunciam, gaudio inexplicabili sunt perfusi. Exultat nimirum & Sancta mater Ecclesia, cum in ejus fulgido firmamento diversis Sanctorum splendoribus illustrato, fulget de novo sidus perspicuum singularis & excellentis luminis ostensivum, per quod ignorantium Dominum tenebrę propelluntur, per quod hęreticorum perversum dogma confunditur, & fidelium beata credulitas adaugetur. Sanè cum lętitia dulcium lacrymarum concursibus comitata pridem, dilecte fili Frater Conrade, ex literis tuę devotionis accepimus, quòd ille Artifex gloriosus qui terram in aurum, & aquam alterat in crystallum, clarę memorię ancillam suam Elisabeth quondam carissimam in Christo filiam nostram Lantgraviam Thuringię, jure naturę fragilem & labilem, demum dono gratię in cultu Divini Numinis stabilem & robustam, ac tandem mundanę miserię compedibus expeditam aggregavit collegio supernorum, gloriam concessę beatitudinis signis exprimens gloriosis, nam circa sepulcrum ejus, & in locis aliis, per invocationem sui nominis, & devotionis sincera suffragia, vita mortuis, lumen cęcis, auditus surdis, verbum mutis, & gressus claudis cęlesti dextera conferuntur. Verùm etsi per virtutum insignia, quibus olim jam dicta Lantgravia extitit multipliciter insignita, seu per famosa Miracula, quibus ejus sancta rutilare dicitur sepultura, cęlestis sponsę vocibus esse de sanctorum numero debeat affirmari, tamen quia mentibus ambiguis subitò rei veritas non clarescit, & repentinis non solet miraculorum relatibus quorundam spiritus exultare, eò quòd omne rutilum nomen auri non impetrat, nec ebur quodlibet niveum imitatur, Nos, quos, providentia pręambula, decet festinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus providè attendentes, quòd lux vera Sanctorum Dominus Iesus Christus signis publicis & prodigiis evidentibus trepidantia Discipulorum pectora roboravit, mentes eorum nubilas de resurrectionis admiranda gloria expressę certitudinis clarificans fulcimentis, vitam & conversationem Lantgravię memoratę, quibus Deo & hominibus noscitur placuisse, nec non miracula quę, auctore Deo, de sui corporis sanctitate procedunt, habita pręę oculis sola Divinę reverentia Majestatis, per testes idoneos studeatis inquirere cauta diligentia & solicitudine vigilanti, quę in scriptis redacta sub sigillis vestris fideliter conservetis, illa postquam Mandatum Apostolicum receperitis, per fideles Nuncios & solemnes transmissuri. Datum Anagnię II Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Præconium Sanctæ Elisabeth.

Miracula ejusdem.

Ut inquirat de miraculis, præcipit.

1. *Conrado.*) Cujus mentio in *præcedentibus Bullis.*

F. Alberico [1] Ordinis Prædicatorum, Inquisitori, mandat, ut relaxet sententias in Bergomates [2] latas.

Anno 1232 Die 3 Novembris.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol: 357.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alberico Ordinis Prędicatorum, Inquisitori hęreticę pravitatis in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LVIII.

CUm dilectus filius noster Tit: S. Marci Presbyter Cardinalis [3] fungens tunc Legationis officio in partibus Lombardię, propter intestina bella civitatis Bergomensis, personaliter accedens ad ipsam, solicitè laboravit ad pacem reducere discordantes, cujus exhortationes & monita partes acceptantes humiliter & devotè sub juratoria cautione de parendo mandatis suis super omnibus discordiis in eum compromittere curaverint, cumque Cardinalis prętatus super formam in compromisso expressam pro tranquillitate civitatis ejusdem Nobilem virum Petrum de Turre civem Mediolanensem ad ipsius regimen duxerit providendum, demum, favente incentore malorum & dissensionis actore, homines de Rivola & de Sardis, religione jurisjurandi contempta, in ejusdem Cardinalis injuriam & contemptum non admisso prętato Nobile, R. de Madello, Mediolanensem civem in Potestatem sibi eligere attentarunt; & quod est damnabilius, quosdam hęreticos de carcere civitatis eductos abire libere permiserunt. propter quod prętatus Cardinalis in ipsos & eorum fautores, ac sequaces excommunicationis sententiam promulgavit, Matricem Ecclesiam, & eorum Parochias interdicto Ecclesiastico supponendo. Nunc autem ex parte prętatorum hominum nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum nostris se offerant pręcisè obedire Mandatis, parati Deo & Ecclesię satisfacere competenter, relaxari prędictas sententias misericorditer mandaremus, quia cum redeuntibus ad Ecclesię gremium aperienda sunt viscera pietatis; Nos illius vestigia in hac parte imitari volentes, qui oves perditas venit quęrere, ac salvare, discretioni vestrę per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, si homines illi memorato Nobili pro injuriis, justis damnis, ac moderatis expensis ipsius satisfactionem curaverint exhibere, ac sufficientem cautionem pręstiterint, quòd pro posse suo exterminabunt hęreticos & conservabunt Ecclesię libertatem; auctoritate nostra juxta formam Ecclesię relaxare curetis sententias supradictas. Datum Anagnię III Nonas Novembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Exordium, quid contra Bergomates actum sit, narrat.

Bergomatum pœnitentia.

Nonnullis servatis absolvi potuerunt.

1. *Alberico.*) Hunc non novit *Fontana*, nec in numerum Fidei Censorum retulit ipsum.
2. *Bergomates.*) In *Italia.*
3. *Cardinalis.*) *Gaufridus* nempe *Castilioneus*, De quo *Ciaconius Vit. Roman. Pontif. & Cardinal. Tomo II pag.* 80.

Priorem (1) Ordinis Visitatorem Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis de Campaniola Ordinis Sancti Augustini constituit.

Anno 1232 Die 22 Novembris.

Ex Archivo Ordinis lib: A. fol. 358.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIX.

ETsi Ecclesiarum omnium cura nobis immineat generalis, loca tamen sacra Religioni dedita, & Sedi Apostolicę immediatè subiecta paternę solicitudinis oculo debemus specialiùs intueri, ut degentes in ipsis

Exordium à pastorali solicitudine.

ipsis eò attentiùs Divinis insistant obsequiis, quò munitos se noverint eura Sedis Apostolicę potiori. Indè est, quòd Ecclesiam Sanctissimę Trinitatis de Campaniola Ordinis S. Augustini Regin. (2) Diœcesis, quę ad nos nullo medio pertinere dignoscitur, volentes in Sacrę Religionis vigore perpetuò permanere, discretioni tuę illam duximus commendandam, prę̨sentium tibi auctoritate mandantes, quatenus eidem Ecclesię singulis annis, & quoties intellexeris expedire, officium visitationis impendens, corrigas, & reformes ibidem tam in capite, quàm in membris quę correctione & reformatione videris indigere: indulgentia (3) tibi, vel Ordini tuo facta, per quam te excusare valeas, non obstante. Nulli ergo &c. Datum Anagnię X Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Constituit ut supra. Derogatio. Sanctio pœnalis.

1. *Priorem*.) Provincialem scilicet *Lombardia*.
2. *Regin.*) Nunc in Ditione *Mutinensi*.
3. *Indulgentia*.) De qua in *Diplomate dato die VII Martii Anno MCCXXV*.

Anno 1232 Die 12 Decembris.

F. Conrado, ut molestiam exhibentes Hospitali domui Marburgensi [1] per Censuram Ecclesiasticam deterreat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 353.

LX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Conrado Prędicatori, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

HOspitale in Marburg favore benevolo, quantùm cum Deo possumus, prosequentes, ac ad defensionem ipsius intendentes sollicitè, ut valeat a malefactorum oppressionibus respirare, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus Hospitale ipsum manuteneas, protegas, & defendas, non permittens illud, & degentes in ipso, ab aliquibus indebitè molestari; molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Anagnię II Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Marburgensi*.) In Langraviatu *Hassia* in *Germania* ad *Lanum* Fluvium. Domus illa est, de qua sæpiùs in *vita S. Elisabeth*. *Conradus* autem, cui Pontifex scribit, ille idem est, de quo in *Dissertatione*, cui Titulus: *Vindicia F. Conradi Marburgensis*, *Tomo ultimo*.

Anno 1233 Die 9 Februarii.

F. Bernardo (1) ut in Incestos Trevirensis, & Coloniensis Provinciarum (2) animadvertat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 359.

LXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bernardo Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, quia per incontinentię vitium in Treveren., & Colonien. Provinciis nimis, sicut accepimus, Ecclesię maculatur honestas, prę̨sentium tibi auctoritate concedimus, quòd Clericos illos, quos tibi constiterit incestum cum Monialibus, & sororibus illis, quę se Canonicas (3) seculares appellari faciunt, commisisse, officio, beneficioque, prę̨via ratione, suspendas, donec per Sedem Apostolicam misericordiam consequantur; nè, si excessus talium remanserint incorrecti, tam ipsi, quàm illę in sua turpitudine computrescant, & alii eorum exemplo audaciam sumant similia committendi. Datum Anagnię V Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Bernardo*.) *Teuto* dictus, Vir egregius, in ipsis primordiis Ordinis clarus, quem *Roma* Pœnitentiarii partes agentem novit *Gregorius*.
2. *Provinciarum*) *Trevirensis* juxta *Mosellam* Fluvium, *Coloniensis* verò ad *Rhenum*; utraque in *Germania*.
3. *Canonicas*.) Sunt etiam nunc *Canonica*, seu *Canonicissa*. Sicut autem ubique persæpe generis claritudine gloriantur, ita passim Christi bonus odor habentur. Effrænationis ergo illarum, de quibus in hoc Diplomate, omnem memoriam sempiterna oblivione obruat istarum splendor virtutis.

Anno 1233 Die 10 Februarii.

Compositionem Episcopum Wormaciensem [1] inter & Fratres Prædicatores initam confirmat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 359.

LXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum Vvormacien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD tollendas lites, quas serius plerumque odium comitatur, per quas etiam quies, perfectioque Regularium impeditur speciali sollicitudine intendere Nos oportet; quandoquidem generaliter omnium fidelium amplecti pacem, & quęrere ex injuncto Nobis administrationis officio teneamur. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis, quòd olim inter vos ex parte una, & Venerabilem Fratrem nostrum Episcopum, & dilectum filium nostrum Capitulum Vvormacien. ex altera, super quibusdam areis, quas in civitate Vvormacien. ad ędificandum & habitandum emistis, quęstione suborta, post compositionem quandam inter vos factam per dilectum filium nostrum O..... [2] Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, tunc Apostolicę Sedis Legatum, & ordinationem, quam Decanus Trevereo. (3), & quidam sui (4) delegati a Nobis fecerunt; tandem talis inter vos, & eundem Episcopum amicabilis compositio intervenit ultimò, quòd prę̨fatus Episcopus vobis & successoribus vestris emendi aream, sive locum ad Ecclesiam construendam & claustrum, & habitandi ubicunque volueritis infra muros Civitatis ejusdem, excepto illo loco duntaxat, ubi priores habueratis areas, salva in aliis ordinatione prę-

Exordium. Supplex Fratrum petitio.

prędicta, auctoritatem tribuit, & assensum, censu sibi debito in eodem loco, quem emendum & construendum, duxeritis, reservato, prout in literis confectis exinde pleniùs continetur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut compositionem ipsam Apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, supplentes, si quis est ex eo defectus, quia consensus prędicti Capituli in premissa compositione ultima non accessit, de nostrę plenitudine potestatis compositionem eandem, sicut sine pravitate provide facta est, & sponte ab utraque parte recepta, Auctoritate Apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. nostrę confirmationis &c. Datum Anagnię IV Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Sexto. Confirmat, ut supra. Sanctio pœnalis.

Eodem modo scripsit Pontifex Decano, Cantori, & .... Scholastico Treveren. Conservatoribus.

1. *Vvormacien.*) In *Germania*.
2. O ...) Is erat *Otho*, cujus mentio apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad Annum MCCXXVII pag.* 81.
3. *Treveren.*) In *Germania*.
4. *Sui*.) Legesis: *Alii*.

Provinciali (1) Poloniæ, nè Catholicæ Rutenis [2] nubant.

Anno 1233 Die 24 Februarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol: 360.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Polonię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXIII.

QUęque nobis erronea displicent, sed turbant nimiùm quę vergunt in Fidei detrimentum. Accepimus siquidem, quòd Rutenorum perfidia non contenta, si sola damnationis ęternę tenebris immergatur, sed cupida, quòd participes perditionis suę Christianos efficiat, qui sunt in eorum vicinia constituti, mulieres Catholicas, quas sibi aliquando copulant in uxores, in contemptum Fidei Christianę super ritum ipsorum denuo baptizari faciunt, & eorum errores damnabiles observare. Verùm, quia nec pati volumus, nec debemus, quòd fideles perfidis matrimoniali copula conjungantur, eò quòd lucis ad tenebras conventio non existat, nec deceat, membra Salvatoris Christi membris Satanę perditi sociari, aut picem cum balsamo commisceri; pręsentibus mandamus, quatenus, nè in partibus illis hujusmodi detestanda matrimonia contrahantur, auctoritate nostra firmiter inhibentes, illa deinceps fieri, nullatenus permittatis, contradictores & rebelles &c. Quòd si non omnes &c. Datum Anagnię VI Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Sexto. Exordium. Factum exponit. Commissio.

1. *Provinciali*.) Cui nomen *Gerardus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*
2. *Rutenis*.) Hæretica labe per id tempus infectos fuisse Rutenos, ex eo liquet; quòd Catholicas sibi desponsandas denuo baptizarent. Hujusce mentio apud multos. Cautè ergo talia connubia prohibet Pontifex: nec nova Disciplina; quamvis enim per Ecclesiam quandoque liceat Catholicis hæreticos gravi de causa in matrimonium ducere, secluso tamen scandalo & periculo depravationis, ut concessum scimus; si ergo in discrimen vocentur, optimo jure periculosa conjugia Catholicis interdicuntur. *Causa XXVIII Quæst. I Can. Cave Christiane; & Can. Non oportet cum hominibus*.

Priori Parisiensi, ut in causam Ebroicensis [1] Episcopi de Archiepiscopo Rotomagense [2] expostulantis inquirat.

Anno 1233 Die 24 Februarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 361.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Sancti Jacobi Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXIV.

EX parte Venerabilis Fratris nostri Episcopi Ebroicen. fuit propositum coram Nobis, quòd venerabilis Frater noster Rotomagen. Archiepiscopus in subditos ejus indebitam sibi Jurisdictionem usurpans, de causis eorum in casibus non concessis a Jure, cognoscit, & executiones Sententiarum suarum, & causas committit eisdem pro suę libito voluntatis; & cum a Decanis Ruralibus, & Archidiaconis Ebroicen. Dięcesis, non ad Metropolitanam Sedem, sed ad ipsum Episcopum debeat appellari, idem Archiepiscopus appellationes a Decanis, & Archidiaconis ipsis immediatè interjectas ad ipsum, admittit, in non modicum Episcopi prefati contemptum, & Ebroicensis Ecclesię prejudicium, & gravamen: aliàs sibi gravis, & injuriosus existens. Quare dictus Episcopus ad nostram audientiam appellavit. Fuit igitur Nobis humiliter supplicatum, ut in statum debitum revocari, si quę post appellationem hujusmodi ab ipso Archiepiscopo in prejudicium ejusdem Episcopi temere sunt presumpta, & compesci eundem Archiepiscopum a talibus ejus gravaminibus, & injuriis faceremus. Quia verò Nobis non constitit de premissis, mandamus, quatenus per Censuras Ecclesiasticas &c. Testes autem &c. Quod si non omnes &c. Datum Anagnię VI Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Sexto. Querimoniam Episcopi Ebroicensis exponit. Ut factum diligenter perquirat, Priori præcipit.

1. *Ebroicensis*.) In *Normannia*.
2. *Rotomagense*.) Ibidem.

Ut Principes molestiam pauperibus exhibentes deterreat (1) Provincialem (2) Poloniæ præponit.

Anno 1233 Die 25 Februarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 362.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Priori Provinciali Polonię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXV.

NOvum genus molestię dicuntur circa pauperes Polonię Principes invenisse, videlicet, quòd ipsorum custodię committunt Castores & Falcones, qui si solita nidorum loca reliquerint, sequentes nativę spi- Novum genus molestiæ illatæ describit.

ſpiritum libertatis, vel aliquis de pullis perditur eorundem, pauperes ipſos in ſeptuaginta Marcharum pœnam condemnant, pluribus illorum ex hoc, quod gementes referimus, damnationis ęternę materiam ingerendo; nam cum tam iniquam & inauditam pati non valeant ſervitutem, ad perfidiam Rutenorum [3] & Pruthenorum tranſeunt, cohabitatione fidelium derelicta. Verùm quia hujuſmodi modus injurię prorſus ad metam juſtitię non accedit, eò quòd domeſticę aves aliquando de clauſuris, & ſępe de manibus detentorum aufugiunt, & quia Falcones hujuſmodi, ſeu quęque rationali ſenſu carentia ſcientiam, vel poſſe, non habeant ad plenum humanę diſpoſitionis arbitria ſubeundi, aut a cuſtodibus deputatis, ut ita loquamur, de volatu licentiam poſtulandi, cum illuc alas explicando ſe dirigant, quò ipſas protrahit aereę conditio qualitatis, quia etiam fidelium animas, quas Deus Dei Filius redemit ſui Sanguinis pretio glorioſo avium intuitu, vel ferarum Satanę prędam effici deteſtabile decernimus, & iniquum; pręſertim eum pro ſalute illarum exponendum ſit potiùs quicquid in facultatibus hominum continetur, pręſentibus mandamus, quatenus memoratis Principibus ſuadentes, quòd in conſuetudine tam perverſa, Deo & hominibus offenſę nimietas inferatur, & id pati aliquatenus non poſſimus, eò quòd ſuper afflictione pauperum affligamur, & cura nobis illorum immineat ſpecialis, ipſos ab eorum hujuſmodi vexatione deſiſtere moneatis, & per Cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compellatis, proviſo, nè in terram dictorum Principum excommunicationis &c. Quòd ſi non omnes &c. Datum Anagnię V Kalendas Martii Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandat ut ſupra.

1. *Deterreat.*) *Adeò enim ingraveſcebat in Polonia Procerum potentia, ut in tyrannidem degeneraret, pauperesque ſub illorum jugo miſerè ingemiſcerent, ac nonnulli quadam deſperatione adducti ad Rutenorum potentiam deſciſcerent. Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad Annum MCCXXXIII. num. LVII.*

2. *Provincialem.*) De quo in *Diplomate-Quæque-Dato Die XXIV Februarii Anno MCCXXXIII.*

3. *Rutenorum.*) De iſtis in *Diplomate mox laudato.*

Anno 1233 Die 27 Februarii.

Ut ad mutuam pacem Duces Poloniæ incitet, & eos ab infidelium ſubſidiis depoſcendis abducat, Provincialem Poloniæ præficit [1].

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 363.

LXVI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Priori Provinciali Polonię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIbi graves & moleſti proximis eſſe Duces Polonię referuntur, nam ſedncti arbitrio reprobę voluntatis non contenti, quòd pro exercendo mutuo guerrarum diſcrimine, de quo damna rerum, ſtrages corporum, & pericula proveniunt animarum, utuntur potentia brachii Chriſtiani, verùm etiam in eorum ſuccurſum Saracenos, Rutenos, & alios Catholicę Fidei advocant inimicos, per quos, ut dolentes accepimus, pręter multa, quę proveniunt enormia, velut qui viam Domini non agnoſcunt, & Eccleſias diruunt, & horribiliùs, quàm ut deceat exprimi, tractare Sanctiſſimum Corpus Domini non verentur. Cum igitur tantam ferre Creatoris injuriam non poſſimus, eujus, prob dolor! cauſa videntur exiſtere, qui deberent potiùs ipſum continuę devotionis obſequiis honorare, eò quòd ab ipſo conditi & redempti, noſſe, poſſe, vivere, & valere perceperint de ſuę dexterę largitatis: pręſentibus mandamus, quatenus memoratos Duces ad pacis & concordię gratiam reducere ſatagentes, eos piis monitis, & ſedulis exhortationibus ad hoc efficaciter inducatis, quòd in hujuſmodi guerris ſuis perfidarum nationum ſubſidia expoſcere non pręſumant, pręſertim cum ex illarum perfidia ſinceritas fidelium maculetur, & conſurgant indè multa diſpendia, Deo, & hominibus multipliciter inimica. Quòd ſi non monitis veſtris acquieſcere fortè voluerint, vos eos ab hujuſmodi pręſumptione deſiſtere per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis; proviſo, nè in terram dictorum Ducum Interdictum &c. Quòd ſi non omnes &c. Tu Frater &c. Datum Anagnię III Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandat ut ſupra.

1. *Præficit.*) *Conrado Maxoviæ, & Henrico Vratiſlaviæ* Ducibus inter ſe digladiantibus propter tutelam *Boleſlai* Principis Cognomento *Pudici*, ut ipſos ad pacis fœdera revocaret *Gregorius*, Fratrem *Gerardum* Provincialem *Poloniæ* præpoſuit. Vota Pontificis adimplevit *Gerardus*, rebus inter Duces bene compoſitis. *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad Annum MCCXXXII num XII.*

Anno 1233 Die 8 Martii.

Accedentibus ad ſolemnem prædicationem Fratrum Prædicatorum in Ruſſia (1) concedit Indulgentiam; datque facultatem Fratribus ibidem abſolvendi Incendiarios, & Clericorum percuſſores.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 367.

LXVII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Polonię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum.

UT Fidei veſtrę puritas, ſibi tantùm ęternę vitę adipiſci delicias non contenta, ſed anxia, quòd illarum dulcedinem ceterorum fidelium devotio mereatur, eò faciliùs in hujus invio ſeculi conſtitutos ad vitam dirigat cęlicę manſionis, quò ipſis donantibus Nobis, poteritis de potiori gratia providere, omnibus, qui ad ſolemnem prędicationem veſtram acceſſerint, quandiu fueritis in Ruſſia, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi quadraginta dies de injuncta ſibi pęnitentia relaxamus. Auctoritate vobis pręſentium etiam concedentes, ut pauperibus, debilibus, & infirmis in Ruſſię partibus conſtitutis, qui pro incendiis, & violenta injectione manuum in Clericos Seculares, vel

Indulgentiam concedit.

vel alias personas Religiosas, in Canonem inciderint sententię promulgatę, nequeuntes ad Sedem Apostolicam personaliter laborare, dummodo damna passis & injurias satisfecerint competenter, absolutionis beneficium impendatis, ubi (2) fortè adeò ipsorum difficilis fuerit & enormis excessus, quòd propter hoc meritò ad Sedem Apostolicam sint mittendi: presentibus, postquam Apostolicę Sedis Legatus Russiam intraverit minimè valituris. Datum Anagnię VIII Idus Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Facultas prædicta ad absolvendum.

Exceptio.

1. *Russia.*) Duplex est, alia *Nigra*, quæ *Polonia* Provincia. *Alba* altera, quæ *Moscovia* dicitur.
2. *Ubi.*) Hæsi aliquando, num legerem *Nisi*; apposité tamen dicitur *Ubi*; enim verò in gratiam pauperum, debilium, & infirmorum concessum est privilegium, & sensus est: *Absolutionis beneficium impendatis* LICET *fortè adeò ipsorum difficilis fuerit, & enormis excessus, quòd propter hoc meritò ad Sedem Apostolicam* ESSENT *mittendi.*

Provincialem Apuliæ (1) Visitatorem Monasterii Sancti Johannis Lycien. constituit.

Anno 1233 Die 8 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol: 367.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Apulię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXVIII.

PErvenit ad audientiam nostram, quòd vacante Monasterio S. Johannis Lycien (2) Viginti septem Moniales ipsius, utpote major, & sanior pars, convenientes in unum ad electionem de persona idonea faciendam, Abbatissam Sanctę Trinitatis de Sancto Nicandro [3] per quam credebant ipsum Monasterium in spiritualibus, & temporalibus reformandum, canonicè, & concorditer postularunt, aliis numero, & merito paucioribus per laicalem impressionem eligentibus Auditiam ejusdem Monasterii Monialem; quę, nec examinata electione sua, nec etiam confirmata, administrationi ingerere se pręsumpsit, post appellationem ab eis ad Sedem Apostolicam interjectam. Verùm cum ex hujumodi processibus scandalorum multorum materia in eodem Monasterio sit exorta, volentes, quòd illa exinde vestrę providentię studio deleatur, mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes, inquisita, & cognita super hiis diligenter veritate . . . . . . ut idem Monasterium ad salutaria dirigatur, corrigatis, & reformetis in ipso, quę correctionis, & reformationis officio videritis indigere. Contradictores &c. Quòd si non omnes &c. Tu Frater &c. Datum Anagnię VIII Idus Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Exordium quid actum sit narrat.

Mandat ut agnita veritate decernat quod videbitur expedire.

Visitatorem constituit ut supra.

1. *Apulia.*) In Regno *Neapolitano*.
2. *Lyciensis.*) Ordinis *S. Benedicti in Apulia*.
3. *Nicandro.*) Ejusdem Ordinis, ibidem.

Fratribus in Russia [1] constitutis, ut Clericorum ac Religiosorum vaganti ac immoderatæ licentiæ fræna injiciant.

Anno 1233 Die 15 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 368.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Partibus Russię constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXIX.

EX parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum in Russię partibus nonnulli existant, qui solo nomine Religiosi, Religionem in se penitus absumentes, ac exeuntes, abjecto prorsus Religionis habitu, Monasteria, & alia pia loca, in quibus professi fuerant observantias regulares, in seculo damnabiliter evagando, palliata Religionis specie, iniquis persuasionibus multos decipiunt simplices, & nonnullos seducunt astutos, & tam ipsi, quàm quidam Clerici seculares in minoribus Ordinibus constituti, ac bigami [2], Sacerdotum officium damnabiliter usurpantes, vobis, & aliis ibidem evangelizantibus Nomen Domini Iesu Christi, multipliciter sint infesti, propter quod verendum est, nè ipsorum exemplo, nisi eorum reprimantur excessus, Religiosi alii in similem deducantur errorem, providere super hoc paterna solicitudine dignaremur. Nos igitur ipsorum saluti consulere cupientes, mandamus, quatenus hac vice contra hujusmodi pręsumptores auctoritate Apostolica procedatis, prout saluti animarum suarum videritis expedire. Contradictores per censuram &c. Datum Anagnię Idibus Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

Exordium, in quo supplex Fratrum petitio.

Mandat ut supra.

1. *Russia.*) Quæ ex hoc Diplomate gemebundus audis, de Clericis ac Monachis nuper e Schismate avocatis dictum tene. Cujus verò Ordinis fuerint viri nomine tenus Religiosi, nosse non præstat.
2. *Bigami.*) Ex Bigamia siquidem exsurgit Irregularitas, quæ *ex defectu* dicitur.

Fratri Roberto (1), ut ad extirpandas (2) hæreses diligenter intendat.

Anno 1233 Die 19 Aprilis.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 370.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Roberto Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXX.

GAudemus in Domino & in potentia virtutis ejus, illi, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, laudes quantas possumus & gratias referentes, quòd, sicut ex vestrarum intelleximus continentia literarum, pia Mater Ecclesia, potest his diebus, ac debet meritò congaudere ea pręcipuè ratione, quòd hereticę macula pravitatis, quę homines Infinitos per varias Regiones infecerat ab antiquo, in occulto crescens assiduè, &, quę damnabiliter serpere solebat ut cancer, per Dei gratiam in-

Exordium.

inprę sentiarum mirabiliter detegi, &, quę temporibus retroactis in tenebris latitarant, jam cęperint fieri manifesta, unde qui hactenus incorrigibiles extiterunt reconciliari rite poterunt Ecclesię unitati: alii verò pro facinoris qualitate pęnam debitam reportare: cum enim Nos dudum dilectis filiis Priori Bisuntino, & Fratri Vvallerio (3) de Ordine Fratrum Prędicatorum, ac tibi nostris dedilemus literis in mandatis, quòd in Burgundia super crimine pręnotato sub certa forma cum ipsis perquireres diligenti solicitudine veritatem, tu Prioris ipsius super his vices fungens, nè injuncto tibi officio exequendo negligens appareres, ad Villam Charitaten. Antissiodorensis Dięcesis, de pręscripto pessimè infamatam vitio, accessisti, ibique proponens ac prędicans doctrinam Catholicę ac Evangelicę veritatis, habitatores ejusdem, ut prorsus hujusmodi vitio derelicto redirent ad Catholicam unitatem solicitè monere curasti: quo peracto quamplures ex eis, favente illo, qui non vult mortem peccatoris, sed potiùs, ut convertatur & vivat, quidam a te specialiter evocati, quidam vocatione tua minimè expectata, nonnulli etiam quos vocare nullatenus intendebas, utpote non suspectos ad tuam pręsentiam accedentes, generum species diversorum, & plurimarum genera specierum pręmissi sceleris & erroris, quibus fuerant enormiter involuti, tibi revelare simpliciter procurarunt; ita quòd pater filio, vel uxori, filius ipse patri, uxor propriis liberis, aut marito, vel consortibus ejusdem criminis, in hac parte sibi aliquatenus non parcebant; se insuper offerentes, quòd publicè, si mandares, hoc pene penitùs acclamarent, & immissis nexibus (4) ligneis, sive vinculis voluntate spontanea circa colla, omnimodę satisfactioni ipsis ab Ecclesia indicendę se singuli exponebant, ex quorum testimonio, & relatu, certo certiùs didicisti, & invenisti etiam, in ipsa Villa fętidum esse nidum nequitię supradictę, & eandem ultra infamiam pręlibatam supra opinionem omnium generalem infectam pręfati criminis corruptela; ita quòd vix aut nunquam poterit ad viam rectitudinis revocari, cum ab ea Fide Catholica pene penitus relegata, habitantes ibi ad confusionem ipsius occulta conventicula celebrantes abjecerint a se jugum Ecclesię disciplinę, facti per se Magistri sceleris pariter & erroris, qui nullo unquam tempore extiterunt discipuli veritatis, quorum fallax scientia, vel doctrina, quę potiùs insipientia dici debet, suos extendens palmites circumquaque, non flores protulit, sed fętores mortis pestiferę, immo pellis mortiferę, ac damnatę contagiosa pocula Regionum illarum habitatoribus propinavit, sicque ministri Satanę scelerati messi Divinę semen superseminaverunt iniquum per Bituricensem, Rotomagensem, Turonensem, & Senonensem Provincias [5], per totam etiam Flandriam (6), & alia multa loca, pręcipuè per vicina in Regno Francię constituta, astutos decipiendo, simplices seducendo, habentes speciem pietatis, ejus autem virtutem penitus abnegantes, multitudinem effrenatam pręfata rubigine damnabiliter infecerunt. quorum sermones super oleum sunt molliti, & ipsi jacula sunt pro certo, quia cauda pungunt ut scorpio, ac in fine mordent ut coluber, & ut aspis, venena quasi regulus (7) diffundentes: & qui plures ad tartara secum trahunt, arbitrantur majus obsequium se pręstare Deo, & etiam aliorum judicio plus laudantur; ab eorum autem consortio repellitur ut indignus quisquis iniquitatis suę particeps non existit; prętereа si quis vulpes incipiat prosequi, ut jurisdictionem ejus effugiant, vel evitent, ad aliam se transferunt Regionem. Nè igitur super his mora periculum ad se trahat, dictum negotium tuę prudentię duximus committendum, devotionem tuam rogantes attentiùs, & monentes, & in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus unà cum dictis collegis tuis, vel eorum altero, si ambo non poterint interesse, ac Dięcesanorum consilio, ad extirpandum de Villa pręfata & convicinis Regionibus juxta priorum [8] continentiam literarum hęreticam pravitatem, & hujusmodi vulpeculas capiendas, quę tortuosis anfractibus vineam Domini Sabaoth demoliri nituntur, advocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio seculari, contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, des diligens studium & operam efficacem in receptatores, & defensores, & fautores eorum, Excommunicationis, & in terram eorum Interdicti sententias promulgando, & aliàs, prout expedire videris, procedendo: attentiùs provisurus, nè qui videntur reverti moliantur graviùs vineam Domini demoliri, unde Apostolicę Sedis Statuta (9) quę super hujusmodi duximus promulganda, tibi sub Bulla nostra transmissa inspicere poteris, & ab eorum insidiis per sapientiam tibi datam a Domino pręcavere. Si verò aliqui hęretici labe penitus abjurata ad Ecclesię redire voluerint unitatem, ipsis juxta formam Ecclesię cum Dięcesanorum dictorum consilio beneficium absolutionis impendas, & injungas eis, quod talibus consuevit injungi. Ad hęc ut pręmissis omnibus officium tibi cum prędictis collegis tuis commissum valeas liberiùs & efficaciùs exercere, omnibus qui ad prędicationem tuam & sociorum tuorum accesserint, pręter eos, qui super prędictis vobis auxilium, consilium, pręstiterint vel favorem, semel in hebdomada viginti dies de injuncta sibi pęnitentia relaxamus. Datum Laterani XIII Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Fratres Prædicatores, ut in Burgundia hæreses extirparent, jam præposuerat.

Quid Robertus contra hæreses egerit, narrat.

Sincera quorundam conversio.

Hæreticorum pertinacia, perfidia, & calliditas.

Mandat ut supra.

Indulgentia datur.

1. *Roberto.*) Mentio hujus apud multos, & de eo sæpiùs infra. Consulendum *Diploma datum Die XXIII Augusti Anno MCCXXXV.*

2. *Extirpandas.*) In nonnullis enim *Galliarum* partibus virus suum furtim diffundebat Hæresis *Albigensium*, & inter alia Castra *Charitatensem* Civitatem, quæ est in *Nivernensi* Provincia ad *Ligerim* Fluvium, ita infecerat, ut *Stephanus* Prior *Cluniacensis* FF. Prædicatorum invocarit subsidium. Adfuit *Robertus* suos inter æquales longè præstans id temporis: de illo audivit Christi Vicarius; ut ergo ad hæreses eradicandas sese cum sociis accingeret, præsens Diploma scripsit.

3. *Vvallerio.*) Ergo ante Annum MCCXXXIII factum Inquisitionis Tribunal in partibus *Burgundiæ* fuerat constitutum, Fratribusque Prædicatoribus commissum.

4. *Nexibus.*) Pœnitentiæ genus, quod *Emenda honorabilis*, seu traductio ignominiosa vocatur.

5. *Provincias.*) *In Gallia* omnes.

6. *Flandriam.*) *Belgii* Provincia.

7. *Regulus.*) Serpentis species.

8. *Priorum.*) Desiderantur adhuc hæ literæ.

9. *Statuta.*) De quibus supra ad *Diem XXVI Maii Anno MCCXXXII.*

Ut hæreticorum defensores insequantur, Fratribus Ordinis Prædicatorum præcipit [1].

Anno 1233 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, quibus negotium Fidei contra Hęreticos in Bituricensi, Burdegalensi, Narbonensi, Auxitano, Viennensi, Arelatensi, Aquensi, & Ebredunensi Archiepiscopatibus [3] nuper commisimus (4), ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

LIcèt ad capiendas Vulpes parvulas, Hęreticos scilicet, qui moliuntur in Bituricensi, Burdegalensi, Narbonensi, Auxitano, Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi Archiepiscopatibus, tortuosis anfractibus vineam Domini demoliri, viros providos, religiosos pariter, & discretos, ac Orthodoxę Fidei zelatores, duxerimus deputandos, quia tamen inimicus humani generis, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non stetit, ad perversitatem talium defendendam, quosdam, sicut audivimus, perditionis filios in eisdem Provinciis suscitare non desinit advocatos, illorum versutiis, quantùm cum Deo & honestate possumus, obviare solicitiùs Nos oportet. Hinc est, quòd sinceritati vestrę per Apostolica Scripta pręcipiendo mandamus, quatenus defensores hujusmodi, nisi ad monitionem vestram a talium defensione omnino destiterint, vos, ita quòd quilibet vestrum in locis, in quibus vos prędicare contigerit, Clericos Beneficiis in perpetuum omnino privantes, tam contra ipsos, quàm alios, tanquam contra defensores Hęreticorum, advocato ad hoc, si necesse fuerit, brachio seculari, Auctoritate nostra, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, procedatis. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani XII Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Præcipit*.) Quo tempore Sacrum Inquisitionis Tribunal Fratribus Ordinis Prædicatorum *in Gallia* fuerit assignatum dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) Inter Monumenta Conventus *Arelatensis*, in quo Autographum.
3. *Archiepiscopatibus*.) Illi omnes sunt in *Galliarum* Regno.
4. *Commisimus*.) Desiderantur hæ literæ.

Provinciali [1] Provinciæ, ut mittat Fratres ad prædicandum contra hæreticos, & Fidei Quæsitores constituat.

Anno 1233 Die 22 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab hæreticorum perfidia.

ILle Humani generis pervicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de supremis ad ima superbia sua prostravit, non contentus, quòd suę fraudis nequitia homines perduxit ad casum ęrumnis, & miseriis applicandum, callidè eum nititur pestiferis retibus irretire, astutè illi parans insidias, nè resurgat, locum, a quo ceciderat, obtenturus. Novissimè autem diebus istis Fidem nisus perfidia depravare per ministros suos iniquitatis operarios, venena sparsit mortifera, seditiosè considerans, quòd familiaris hostis sit efficax ad nocendum: qui quasi dulcia promittentes, cauda pungunt ut scorpio, in aureo tandem calice Babylonis virus pestilentię insusuri; Licèt enim hęretici hactenus diutiùs latitantes, sicut cancer serperent in occulto, & velut vulpes latentes, niterentur vineam Domini Sabaoth demoliri; jam tamen, peccatis exigentibus, in aperto, quasi equi parati ad prelium, presumunt manifestè insurgere contra eam, in quibusdam locis publicè prędicando, quęrentes in cibum simplices, & in prędam edoctos, ac illaqueare nihilominus Fideles quoslibet suis circumventionibus cupientes, facti magistri erroris, qui nunquam fuerunt discipuli Veritatis. Unde expedit, quòd insurgatur viriliter (3) contra eos, ut eorum hęresi confutata per totum vigeat Fides Christi; nam corona sequetur premii tentationibus resistentes. Cum igitur dudum resplenduerit in Provincię Partibus fida Fides, ac per hoc formidamus ibi potiùs animalia venenosa, nè fortè simplices eorum callidis seductionibus circumventi, & astuti pravis circumventionibus periculosè decepti, in profundum deveniant peccatorum, sicque violetur ibidem Fidei firmamentum; Nos, qui circa horam undecimam inter operarios, immo veriùs supra operarios vineę Domini sumus a Patre familias Evangelico deputati, moniti voce Sponsi capere vulpes parvulas, quę demoliri vineam Domini moliuntur, & tacti dolore cordis intrinsecùs, non valentes sustinere tantam contumeliam Creatoris, ac volentes tot animarum periculis obviare, discretionem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta, sub Divini obtestatione judicii districtè pręcipiendo mandantes, quatenus aliquos de Fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc idoneos esse noveris, ad partes tibi secundùm tuum Ordinem limitatas (4) transmittas, qui Clero, & Populo convocatis, generalem Prędicationem faciant, ubi commodiùs viderint expedire, & adjunctis sibi discretis aliquibus ad hęc soliciti\u00f9s exequenda diligenti perquirant solicitudine de hęreticis, & etiam infamatis, & si quos culpabiles, vel infamatos invenerint, nisi, examinati, velint absolutè mandatis Ecclesię obedire, procedant contra eos, juxta Statuta (5) nostra, contra hęreticos noviter promulgata in receptatores, defensores & fautores hęreticorum, secundùm eadem statuta nihilominus processuri. Si verò aliqui hęretica labe penitus abjurata, ad Ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis, juxta formam Ecclesię beneficium absolutionis impendant & injungant eis, quod talibus consuevit injungi, attentiùs provisuri, nè qui videntur reverti, sub palliata specie Pietatis impietatem committant, & angelus satanę in lucis Angelum se transformet, propter quod Statuta, quę super hoc duximus promulganda, inspicere poterunt, & ab eorum

In hæreticos insurgendum.

Præceptum, Fratres contra hæreticos mittendi.

Quomodo contra hæreticos agendum.

rum insidiis, secundùm discretionem eis traditam a Domino, pręcavere. Ad hęc ut supra pręmissis omnibus officium sibi commissum, liberiùs possint, & efficaciùs exercere, omnibus, qui ad prędicationem eorum accesserint in singulis Stationibus viginti dies, illis verò, qui ad impugnandum hęreticos, fautores, receptatores, defensores eorum in munitionibus, & castellis, vel aliâ contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium prestiterint, vel favorem, de Omnipotentis Dei Misericordia, & BB Petri, & Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi tres Annos de injuncta sibi pęnitentia relaxamus; & si qui ex his in prosecutione hujus negotii, fortè decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti, ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Nè verò aliquid Fratribus ipsis desit ad prędictum negotium prosequendum, in contradictores, & rebelles Ecclesiasticam proferendi Censuram, tenore pręsentium liberam eis concedimus facultatem; Prędicatores quoquè Quęstuarios (6) quorum interest caritativa tantùm subsidia simpliciter petere, ac Indulgentiam, si quam fortè habent, exponere, a Prędicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi Censura simili, eisdem nihilominus licentiam indulgemus. Datum Laterani X Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Indulgentiam elargitur.

Facultatem dat contradictores & rebelles excommunicandi.

1. *Provinciali.*) Provinciæ *Tolosanæ.*
2. *Archivo.*) Inter Monumenta Conventus *Arelatensis*, in quo Autographum.
3. *Viriliter.*) Quædam exemplaria habent: *utiliter.*
4. *Limitatas.*) *Hispania, Italia*, & Provincia *Franciæ, Tolosana*, seu Provincia *Provinciæ*, tunc erat circumscripta.
5. *Statuta.*) De quibus in *Diplomate dato die XXVI Maii Anno MCCXXXII.*
6. *Quæstuarios.*) Qui fuerint, vel ex ipso nomine patet. Ipsos sustulit *Tridentinum* Concilium *Sessione XXI. De Reformat. Cap. IX.*

Anno 1233 Die 28 Aprilis.

Fratri Johanni (1), ut Florentiam, & Senas petat (2), pro ineunda pace (3).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 373.

LXXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

GRatias agimus Salvatori nostro, Regi omnium seculorum, qui in novissimo maledictionis, & insolentię, qua hęreticorum multiplicata perversitas apertiùs solito Fidei christianę domesticos subsannabat, & regalis sacerdotii, sacerdotalisque regni Dominici Sanguinis privilegio roborati decus ęmulana libidine dominandi, prorsus evertere nitebatur integritatem Fidei, & unitatem scindere catholicę puritatis, suscitavit inter filios Israel sanctum spiritum junioris, ut allegante miraculorum virtute pro Ecclesia sua sancta, sibi mentiatur iniquitas, & contra insontes falsitatis pręsumpta concinnatio puniatur. Jam ad opera pietatis non es jussione trahendus, qui, ut audivimus, & lętamur, libertate spiritus Dominici frueris, & per unctionem ejus de omnibus edoceris. Clamat sanè Florentinorum & Senensium innumerabilium captivorum miserabilis gemitus, & inter vincula & squaliores carceris, inter tormenta famis & sitis pene deficientium ululatus, clamat pleniùs sanguis effusus, & abundantiùs, si pax non intervenerit, effundendus, placeretque nobis, si tibi Dominus inspiraret, ut assumpta legatione pro Christo non tantùm salutem corporum, sed in utraque civitate lucrum quęreres animarum. Pręcipere tibi nolumus, qui Spiritu Dei duceris, cui nos obedire tenemur, sed oramus, ut tibi ab illo, in quo per ministerium tuum languentium multitudo respirat (4), potiùs inspiretur, hanc cum utriusque Civitatis universitate, quę jam periisse videntur, facere gratiam, nè irraparabilem nobiscum pariter compellaris flere jacturam. Datum Laterani IV Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium a laude Divinæ clementiæ.

Fr. Johannem effert laudibus.

Florentinorum & Senensium deflet calamitates.

F. Johannem, ut ad ipsos se conferat, hortatur.

Gratia Miraculorum F. Johanni concessa.

1. *Johanni.*) Quem a patria *Vicentinum* vocamus. Singularis & præstantissimæ virtutis virum illustri laude sæpiùs celebravit *Gregorius*, uti liquet ex sequentibus Bullis. Legendus *Echard De Scriptorib. Ord. Tomo I pag.* 150. Laudat ille coævos auctores, quos consulas velim.
2. *Petat.*) *Florentini* siquidem, ac *Senenses* odiis crudelibus efferati mutuis se cladibus atterebant. Hujusce Belli causas refert *Ricord. Malespina Histor. Florent. Cap. CXIX.*
3. *Pace.*) Nec pacem, nec inducias inire voluisse Prætorem *Florentinum*, testatur *Richard. de S. Germano in Chronicis ad Annum MCCXXXIII.* At optatam pacem firmatam tandem auctore *Jacobo Columna* Cardinali *Prænestino*, & adjutore *F. Johanne Vicentino, cujus indefesso labore ad pacis studium potissima Hetruriæ pars conversa est*, ex *Francisco Bandimontio Bzovius* asseverat *Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXVI num. XII.*
4. *Respirat.*) De gratia Miraculorum F. *Johanni* concessa legendus §. *V Cap. XLII lib. III De vitis Fratrum.*

Anno 1233 Die 29 Aprilis.

Potestati ac Populo Bononiensi, nè Fratrem Johannem ad Florentinos & Senenses proficiscentem detineant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 373.

LXXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestati, & Populo Bononien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI omnis Israelitici populi multitudo, minimam Benjamim Tribum, quam in ultionem immanissimi sceleris, zelo legis, non sinè Divinę jussionis oraculo, in solius Gabaoniticę Civitatis excidio delevisse doluit, tam exacta laboris, & studii diligentia reparavit, quid debet facere Christianę compassionis affectus, cum in exterminio Senen., & Florentin., duarum tam nobilium Tuscię civitatum, cernit animas diabolica tentatione deceptas, cum corporum pariter internecione perire? Cum sit igitur certa spes omnium, & sermo celebris in ore multorum, quòd si dilectus filius Frater Johannes de Ordine Prędicatorum, in quo apud vos Dominus his diebus, ad gloriam sui nominis, & confusionem hęreticę pravitatis exquisita opera in omnes voluntates ejus dignatus est operari, pręfatas Civitates in tumultum versas, pauló post in tumultum, discordia perdurante, vertendas, personaliter visitare decreverit, Deus pacis, per hominem sibi acceptabilem, malis, & malitiis finem dabit. Quapropter universitatem vestram rogamus, & hortamur in

Exordium ab exemplo populi Israelitici.

Florentinorum & Senensium lugenda strages.

F. Johannes clarus miraculis ad componendam pacem accessitur.

Do-

Domino, mandantes, in remissionem vobis peccaminum injungendo, quatenus si dictum venerabilem virum [1] ad occurrendum tantę cladi Spiritus Domini traxerit, nullus ex vobis impediat, sed quilibet merito, & mercedi tam pii operis per participationem bonę voluntatis accedat. Datum Laterani III Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Inhibet, ne Bononienses ipsius discessum moreantur.

1. *Virum.*) *Johannem* scilicet. Videndum præcedens Diploma; de studio autem *Bononiensium* erga Fratrem *Johannem* scripsit Auctor libri de *Vitis Fratrum lib. III Cap. XLII §. V.*

Fratres laudibus effert, & ad Capitulum Generale congregatos ad perseverantiam cohortatur (1).

Anno 1233 Die 29 Aprilis.

Ex Archivo Ordinis lib: A. fol. 374.

LXXV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis FF. Prędicatorum in Capitulo Generali congregatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AB oriente blasphemantibus Saracenis, hereticis ab occidente, de abysso videlicet, & de terra bestiis ascensuris, Judęis autem a montibus, gratia simul & veritate desertis, & exprobrantibus commutationem nominis christiani, zelatus est Dominus pauperculam tempestate convulsam sacrosanctam Ecclesiam, sponsam suam, & bis diebus novissimis illam fundare proposuit, juxta Isaię vaticinium, in saphiris, liberans, sicut quondam ab improperiis Tobiam, & filiam Raguelis: non enim in ęternum projicere voluit, nec in ira misericordias continere, sed adjecit complacitior fieri, & pro confusione maledicentium misereri. Sane in conversione tantę multitudinis, sub brevi spatio temporis, evangelicę dignitatis Ordinem profitentis, mutatio dexterę Excelsi patenter innotuit, & consequenter dante scientiarum vestrarum velut aquarum multitudine sonitum, & excitante nubium voce populi sitientis auditum, adinventiones suas per vos pręsenti seculo Dominum fulcitasse, quilibet sapiens intellexit. Deinde, sagittantibus vobis delicias carnium, & fulgurantibus mentes lapideas ipsorum, omnis peccantium synagoga, omnis hereticorum Secta contremuit: solus in manu Moysi contemplantis, & Aaron eloquentis in proximo grex deducendus per aquas nimias Jerusalem [2] dicit. Lętatur & Mater Ecclesia, tanti luminis illustrata fulgoribus; quia dum de Religiosorum prędicationis tuba canentium, famiis nondum fractis, miraculorum focus egreditur, necesse est, ut omnis Madianitarum fugetur exercitus, omne os iniqua diiudicantium, vel contradicentium obstruatur. Quapropter devotionem vestram rogamus, monemus, & obsecramus in Domino, quatenus ad propositum vestrę vocationis agonem prudentius intendentes, humilitati, quę virtutum omnium est fundamentum altissimum, & durabile firmamentum, & non fictę, sed voluntarię paupertati, quę pręcedentis est custos, inhęreatis ex animo, non habentes aliquod commune cum mundo; perseveret in vobis disciplina Ordinis, & continua sinceritas Caritatis; semper vos possideat Dei metus, seculique contemptus, & victa sunt omnia: quia bello, quod imminet, pugnare nos fortiter oportebit dextera & sinistra; Universitatem itaque vestram rogamus, & hortamur in eo, post quem nudi rejecta syndone Justitię blandientis, paterno scilicet relicto pallio glorię secularis, expediti, deposito terrenę cupiditatis onere, curratis, quia memineritis jugiter orare pro nobis, & statu totius Ecclesię militantis, ut & nobis contingat, quibus pręsumus, verbo, & exemplo proficere, & illam in sanctificatione spiritus cito de suis hostibus triumphare. Datum Laterani III Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Magna laus Ordinis.

Voluntaria paupertas custos humilitatis.

Hortatur Fratres ad perseverantiam.

1. *Cohortatur.*) *Efflorescebant enim hac tempestate ab eo (S. Dominico) condita familia viri, magna Sanctitatis opinione, Christique gloriam in populis e vitiorum cano erigendis, infestandisque hæreticis late circumferebant, quorum eximios labores datis ad eos, qui ad Generalia Comitia convenerant* (Bononiæ celebranda Die XXX Maii Anno MCCXXXIII), *literis commendavit, ac sponte currentibus ad coronam vitæ adipiscendam stimulos admovit.* Hæc Odoric. Raynald. *Annal. Eccles. ad Annum MCCXXXIII num. XL.*

2. *Jerusalem.*) Mutilus hic locus videtur:

Episcopo Parmensi, & F. Stephano [1] Provinciali Lombardiæ, ut Monasterium Sancti Syri de Fontanellis Ordinis Cisterciensis alio transferant.

Anno 1233 Die 4 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 377.

LXXVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Parmen., & dilecto filio Fratri Stephano, Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium, in quo supplex Abbatissæ & Monialium petitio.

EXhibita Nobis dilectarum in Christo filiarum Abbatissę, & Monialium Monasterii Sancti Syri de Fontanellis, Cisterciensis Ordinis, Parmensis (a) Diœcesis petitio continebat, quod, cum domus ipsius Ordinis, juxta propria instituta, per milliare ad minus esse debeant a communi hominum habitatione remotę, pręfata ipsarum Ecclesia Parochialis existens, & secularium habitationibus circumscripta, tot probris appetitur, & inquietationibus fatigatur, quod nec orationis locus esse cernitur, nec quietis; nam ab hominibus dictę Villę, ad concionem, & sacrificium nuncianda, campanam pulsare quotidie compelluntur. Quorum aliqui juxta Monasterii officinas frequenter euntes cum musicis instrumentis, & verba temporalia conclamantes, multipliciter impediunt orationes earum, & Officia Divina perturbant; ita meditationes Divino insistentium operi, vel in lectulis quiescentium, clamoribus abducentes, quod obturare compelluntur manibus aures suas. Unde, cum hęc, & similia, pacem ipsarum impediant, & salutem, & ejusdem Monasterii officinę ruinam propter Priorum nigri [3] Ordinis negligentiam comminentur, Abbatissa, & Moniales pręfatę nobis humiliter supplicarunt, ut occurrentes animarum periculis, & honestati dicti Ordinis providentes, ipsum mutari Monasterium in locum, qui eidem Religioni congruat, man-

Mandat ut supra.

mandaremus. Nos igitur, Ancillarum Christi condolentes angustiis, & plenam de vestra prudentia fiduciam obtinentes, presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si premissis veritas suffragatur, Abbatisse, & Monialibus memoratis, idem Monasterium transferendi, auctoritate nostra, sicut expedire videritis, licentiam concedatis. Datum Laterani IV Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Stephano.*) Natione *Hispanus*; Virtute conspicuus fuit ille, cujus mentio in *Actis Capituli Bononiensis Anni MCCXXXVIII.*

2. *Parmensis.*) In *Italia*.

3. *Nigri.*) Sic Ordinis *S. Benedicti* Monachi passim vocabantur.

Anno 1233 Die 18 Maii.

Archiepiscopo (1) Græcorum, ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ morem gerat; qua de causa mittit ad ipsum Fratres Hugonem & Petrum Ordinis Prædicatorum, ac alios ex Fratribus Minoribus.

LXXVII.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 378.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo Grecorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Signa schismatis Græcorum, ac multitudinis hæreticorum.

Exponit quid per utrumque gladium sit intelligendum.

Cum juxta testimonium Veritatis occasio sit errorum ignorantia Scripturarum, cunctis expedit illas legere, vel audire, quia que in eis inspiratio Divina reposuit pro Doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane sub Jeroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Israelem, presumpta divisio Tribuum patenter signat Schisma Grecorum, & multitudo abominationum Samarie diversas hereses multitudinis a veneratione veri Templi Domini, Romane videlicet Ecclesie reverentia, separate. Quod Chrysostomus, Nazianzenus, magnus Basilius, & Cyrillus emicuerint in cetu dissentientium, eadem fuit celestis altitudo consilii, qua degere voluit inter Idololatras Eliam, Eliseum, & Filios Prophetarum. Nunc igitur, quia in aliis literis (3), quas dudum tibi remisimus, latius hanc, & alias auctoritatum, & rationum, que pro Romane Primatu Ecclesie faciunt, materias explicamus, illud tantum adjicimus, quod utrumque gladium ad Romanum Pontificem pertinere, ex Evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Iesu Discipulis de acquisitione gladii spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet, spiritualis, & corporalis offense. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quod in Matthei Evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum suum: dicendo tuum, materialem significavit gladium, quo percusserat ille servum Principis Sacerdotum. De Spirituali, nemini venit in dubium, cum ei, idest Petro, per quamdam specialitatis apicem ligandi, & solvendi commiserit potestatem. Uterque igitur gladius Ecclesie traditur; sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius pro Ecclesia manu secularis Principis eximendus. Unus a Sacerdote, alius ad nutum Sacerdotis administrandus a Milite. Propter hoc ergo, & alia, que post diligentem veritatis indaginem, ordinatam te sentire facient (4) caritatem, latores presentium Hugonem [5], & Petrum [6] de Predicatorum, Aymonem, & Rodulphum [7] de Minorum Ordinibus Fratres, viros virtute, Religione conspicuos, morum honestate preclaros, & Scripturarum sacrarum scientia preditos, juxta quod tibi per memoratas literas intimare curavimus, ad te duximus destinandos: Ut, si eum eis de omnibus, que in questionem veniunt, tractare fideliter, & socialiter conferre decreveris, in rota, que infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, & in Mari vitreo speculari, quod unus Adam collocatus ad opus, & custodiam Paradisi, unam eit sortitus uxorem unum Dominum Iesum Christum in justitia, & veritatis sanctitate creatum, & unicam sponsam eius Ecclesiam prefigurans; Quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit; quod alia, preter unam, Arca non legitur, que, cuncta vastante diluvio, sub unius Patriarche regiminis potentatu, paucas Animas sub perfectionis numero reservavit; Quod legem Dominus secundo dedit, non alteram, sed eandem; quod duorum Cherubim, qui Propitiatorium obumbrant, non aliorsum versi, sed respicientes erant eorum vultus ad unum; & unam Joseph tunicam fuisse talarem, & Nostri Salvatoris inconsutilem vestem unam. Veruntamen si dubietatis sensum circa augustissimum Eucharistie Sacramentum veller, diversus a Nostro ritus, inducit, attende, quod non sit aliud, nec diversum unius Domini Iesu Christi, prius in assumpta propter nos carne passibilis, post, sicut a morte, sic ab omni passibilitate, prorsus immunis, a Grecis pariter & Latinis nostre Salutis Mysterium frequentatur. Grecus ad Fidem, cum Discipulo juniore precurrens; & tante gratie non ingratus, illius dignationis, qua Deus compassus miserie humane, Homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam offerri constituit fermentatam: ut, Apostolo dicente, quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante Resurrectionem Corpus Dominicum subiacere potuit, ostendatur; Latinus vero, cum Petro seniore secutus litere monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introivit, & linteamina posita, que Sacrosanctum Corpus, quod Ecclesiam signat, involverant, separatumque Sudarium, quod fuerat super caput, aspexit, Sacramentum glorificati Corporis celebrare mirificentius in Azymis sinceritatis elegit; sed utique panis simplex, ante Sacrificium panis est, Transubstantiatione vero facta per verba Dominica, panis non est, & ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest; sed ille potius creditur esse panis vivus, qui descendit de Celo, & tribuit vitam Mundo. Hec, & his similia docuit Petri sedem unctio Spiritus, & sanitas intellectus. Utinam, & tu tandem aliquando juniorem Discipulum, qui vidit & credidit, secutus, introeas, ut omnibus intellectis nobiscum vere psallas illud Davidicum: Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare Fratres in unum. Datum Laterani XV Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Ex Prædicatoribus, & Minoribus quidam destinantur, ut supra.

Unam esse Ecclesiam ostendit.

Declarat diversum ritum circa Eucharistiæ Sacramentum apud Græcos & Latinos non inducere diversitatem mysterii.

Hortatur ad unitatem.

1. *Archiepiscopo.*) *Magna animorum contentione*, inquit *Odericus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num. I, eventuque irrito, de conciliando Romanæ Græcorum Ecclesia, atque exitiali schismate extinguendo agitatum est* (hoc anno) *quo .... Gregorius ad Germanum Patriarcham literas dedit*, & Apocrisiarios suos, seu Responsales Legatos, ad schis-

schismaticos misit. Quam laetanter excepti sint, & quid egerint, docent Acta, quae ex *Vaticano Codice* transcripsit *Odoricus* laudatus: eadem ex *alio MS.* habet *Echard. Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 911. Consulendus etiam eruditus *Lequien* in libro, cui Titulus: *Stephani de Altimura Panoplia contra Schisma Graecorum &c. Parisiis Anno MDCCXVIII pag.* 350.

2. *Archivo.*) Idem habent *Bullarium Romanum Tomo I in Gregor. IX num. XIV. Odoricus Raynaldus* supra laudatus, *Vuaddingus &c.*

3. *Literis.*) Extant in *Bullario Romano* loco citato.

4. *Facient.*) Bullar. Roman. *Faciant.*

5. *Hugonem.*) Adeas *Echard Scriptor. Ord. Tomo I pag.* 102 *&c.*

6. *Petrum.*) Hujusce mentio apud *Echard* mox laudatum.

7. *Aymonem & Rodulphum.*) Legesis *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo I ad Annum MCCXXXIII.*

F. Johanni [1] de Ordine Praedicatorum, ut gratiam, quam magnificavit Dominus facere cum ipso, augeat, & conservet.

Anno 1233 Die 26 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 381.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni de Ordine Fratrum Praedicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXVIII.

Literas tuas celebris fama praevenerat, quod verus Joseph, qui sula super carnem Fratribus non acceptus, venditus, & occisus, malorum, quae pro nobis in terra pertulit, ad caelum, accepto regno, illigata reportavit, tempore hoc, quo inter instabiles miraculorum panem, qui non solus homini vitam tribuit, requirentes, novus Israel famis portabat opprobrium in ea, quae Cariath-sepher [2] alio nomine dici potest, idest Civitas literarum, interclusae omnibus horrea satietatis internae, thesauros gratiae caelestis aperuit, & ad vendicandum iis sibi possessorium ius in Aegyptiis, & eorum bonis, intendit. Revixit spiritus noster, & exultavit audito, quod Divinus Spiritus vivit, & imperat tenebrarum principibus in Aegypto, & professio, cui dudum super supremorum interpretatione fraternitas inhulca detraxerat, manu prodiga, vitalia Jacob filiis alimenta dispensat. Gratias agimus Iesu Christo bonorum omnium largitori, cujus sunt ista miracula, qui Ministros suos ideo in facie Pharaonis, & servorum eius, per signa & portenta mirificat, ut filios Israel de terra Gessen, in qua multiplicati sunt, exire post Dominum detrectantes, per haec ad promissionis certitudinem, & gloriam suae visionis accendat. Quapropter ad orationum vota convertimur, & adorantes super fastigium virgae eius, qui percutit & medetur, fideliter petimus, ut gratiam, quam magnificavit facere in mirabilibus suis tecum, ad laudem sui nominis, & salutem fidelium animarum augeat, & conservet, quia (3) cum iustorum vitam in humilis patientiae servitute servaveris, eorum morte pretiosa in conspectu Domini morieris (4). Datum Laterani VII Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium.

Gaudet super gratia miraculorum F. Johanni concessa.

1. *Johanni.*) De quo supra *XXVIII April. MCCXXXIII.*

2. *Cariath-sepher.*) Sic olim vocabatur Civitas *Dabir* ab *Othoniele* Fratre *Calebi* occupata. *Judicum I* 11.

3. *Quia.*) *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num. X* legit: *Quo.*

4. *Morieris.*) *Spondanus* ibidem scripsit: *Moriaris.* Quid autem sentiendum de *Parisio*, quem laudat *Spondanus*, dicetur inferius *Annotat. I ad Diploma Dat. Die XXIII Augusti Anno MCCXXXV.* De *Monacho* vero *Paduano* ab eodem citato, legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 152.

Quibusdam, ut Fratribus Ordinis Praedicatorum Sancti Audomari molestiam exhibentes compescant.

Anno 1233 Die 6 Junii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 396.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, Poenitentiario, & Magistro S... Canonico Ambianen. (1), Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXIX.

Paci, & quieti Fratrum S. Audamari (2) de Ordine Fratrum Praedicatorum paterna sollicitudine providere volentes, praesentibus mandamus, quatenus molestatores ipsorum & suorum familiarium propter eos, monitione praemissa, per Censuram Ecclesiasticam, auctoritate praesentium, compescatis. Quod si non omnes &c. Datum Laterani VIII Idus Junii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Ambianen.*) In *Picardia.*

2. *Audamari.*) Seu *Audomari in Belgio.*

Magistro Conrado (1), ut in haereticos inquirat, & bellum pro Religione adversus ipsos suscipiendum fidelibus persuadeat (2).

Anno 1233 Die 10 Junii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 383.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Praedicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXX.

O Altitudo Divitiarum Sapientiae, & Scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt Judicia eius, & investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? ut cum jam in conspectu eius nostrae computruerint cicatrices, cum iniquitates nostrae nostra sint capita supergressae, cum refrigescente caritate multorum, iniquitas jam abundet, humanae conditionis miseriam tot errorum laqueis patitur irretiri, tot adversariorum contagiis maculari, quod multi despectis Sion finibus, excelsa Samariae conscendentes suos liniant parietes bitumine dogmatum haereticae pravitatis, non verentes illud incurrere maledictum: vae qui despiciunt Sion, & confidunt in excelsis Samariae, dicentes, non est nobis para in Do-

Exordium.

in domo David, nec hęreditas in Filio Isai. Verum bonorum auctor, & dator omnium, sciens, quod diligentibus se omnia cooperantur in bonum, non ut scientiam sibi per experientiam compararet, cum universa noverit, & pręviderit ab ęterno, sed ut nos de nostra virtute, vel infirmitate redderet certiores, & daret intelligi plenius, qui sunt ejus, Pseudo-christianos, & Pseudo-prophetas, circa mundi vesperam, & temporis senescentis occasum futuros esse prędixit: & Doctor egregius profitetur: oportet esse hęreses, ut qui probati sunt fiant nihilominus manifesti. Sane venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscopi Maguntinen. (3), & Hildesemen. (4) Episcopi, ac tuis literis, grandi męrore plenis, & immenso dolore non vacuis, super abominationibus quorundam hęreticorum Nobis exhibitis, solita benignitate receptis, cor nostrum elanguit, prę stupore turbata est anima nostra valde, inebriati sumus absinthio, & mens nostra amaritudinibus est repleta; quoniam hostis misit ad desiderabilia manum suam, & ad illam infelices homines ignominiam passionis adduxit, ut talia damnabili pręsumptione committant, quę dicere pudet, & utinam eos pudeat commisisse. O quanto dolore turbamur! O quanta turbatione dolemus, cum Sanguine Christi redemptos audimus, a diabolo teneri captivos! Quis de tanta contumelia Creatoris poterit non irasci? Quia de tanta injuria Redemptoris poterit non accendi? Quę ultio de hujusmodi pestilentibus posset sumi sufficiens, sive digna? Ceterum, licet magna sit eorum contritio velut Mare, scientes tamen, quod non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit, & excoquere ad purum scoriam eorundem, & omne stagnum auferre, compatiendo ex intimo cordis super contritione ipsorum prevalida, ne Nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fasciis neglexerimus, & mansuetudinis oleo confovere; ac sperantes quoque, ut ille, qui etiam iratus non desinit misereri, non semper continebit suę pietatis viscera super eos, sed de ipsorum manu transferet calicem irę suę, circa correctionem eorum providimus laborandum. Quia vero in ore tuo, non est Verbum Dei alligatum, & linguam dedit tibi Dominus eruditam; qui, eo infundente gratię suę imbrem, qui dat omnibus affluenter, potens es in opere, ac sermone; quem unctio docuit, & Spiritus, qui a Patre, Filioque procedit, instruxit; pro quo gratiarum omnium largitori quantas possumus, & si non quantas debemus, gratiarum exsolvimus actiones, instantissime supplicando, ut ille, qui cępit in te, perficiat opus bonum, discretionem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino, ac in remissionem tibi peccaminum injungimus, quatenus sumas resinam ad mitigandum dolorem, & vulnera ipsorum sananda. Accingere gladio tuo super femur potentissime, gladio scilicet spiritus, quod est Verbum Dei, ad exhibendum eorum plagę medelam, & ad correctionem eorum diligenti solicitudine, & solicita diligentia studeas laborare. Quod si lucerna Domini, spiraculum hominis, quę investigat secreta ventris (5), & ad diligentem monitionem tuam corda prędictorum pestilentum, non dignabitur illustrare, sed potius eos indurari permiserit, tanquam pro magnitudine culpę Divino Judice reprobatos; quia in tam grandi, & gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, & apponendum ferrum, & ignis vulneribus, quę fomentorum non sentiunt medicinam, putridis carnibus, ne partem sinceram attrahant, amputatis; advoces contra eos, receptatores, defensores, & fautores ipsorum, spiritualis, & materialis gladii potestatem; universos Christifideles monens attentius, & inducens, ut exurgentes in adjutorium Christi sui, contra eos, viriliter se accingant. Nos enim de Omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli Auctoritate confisi, ex illa, quam Nobis, licet indignis, Deus ligandi, atque solvendi contulit potestatem, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui Crucis assumpto charactere ad eorundem hęreticorum exterminium se accinxerint, illam Indulgentiam, idque Privilegium elargimur, quę accedentibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Ut ergo nihil omnino desit ad tam pium, & sanctum negotium prosequendum, prędicta tibi Auctoritate concedimus, ut his, qui pro injectione manuum violenta, & incendiis, vinculo sunt excommunicationis astricti, militantibus duntaxat in pręmisso negotio Regi Regum, juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium valeas impertiri, injuncto eis, quod talibus consuevit injungi; nisi forsan eorum excessus adeo sit difficilis, & enormis, quod propter hoc ad Sedem Apostolicam merito sint mittendi. Ceterum, ut commissum tibi negotium salubrius valeas, & liberius exercere, proferendi Censuram Ecclesiasticam in rebelles, Auctoritate pręmissa facultatem tibi plenariam indulgemus. Datum Laterani IV Idus Junii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Describit hæreticorum perfidiam.

Conradi præconium.

Agenda præscribit.

Sumentibus arma contra hæreticos Indulgentiam elargitur, & privilegium.

Facultatem facit Fratri Conrado absolvendi a censuris eos qui signum Crucis in hæreticos sumpserint, & censuras proferendi contra rebelles.

1. *Conrado.*) De quo in *Dissertatione* cui Titul. *Vindiciæ F. Conradi, Tomo ultimo.*

2. *Persuadeat.*) Breviter & ad historiæ fidem id expedit *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCXXXIII num. XLI dicens Cum Stadingorum hæresis serperet, qua Dæmone magistro utebatur, qui diversis se formis in secretis eorum scholis induebat, ubi turpissima & horrenda auditu flagitia* patrabantur, Pontifex illi pesti exscindendæ intentus literas lacrymis madidas Magistro *Conrado de Marburg*, viro eloquentiæ sacræ laude insigni, scripsit.

3. *Maguntinen.*) In *Germania* superiori.

4. *Hildesemen.*) seu *Hildeshemiensis* in *Saxonia* inferiori.

5. *Ventris.*) Vide *Proverbior.* XX 27.

Anno 1233 Die 13 Junii.

Archiepiscopo Maguntino, Hildeshemiensi Episcopo, & Magistro Conrado de Marburg Prædicatori Verbi Dei, ut contra hæreticos, quorum errores describit, advocent gladium (1) spiritualem & materialem.

Ex Arch.(2) *Ord. lib. A. fol.*386.

LXXXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiep. Maguntino & Episcopo Hildeshemiensi, necnon dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Prędicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab hæreticorum perfidia.

VOx in rama audita est, ploratus multus, & ululatus; Rachel plorat, videlicet pia mater Ecclesia, filios, quos diabolus mactat, & perdit, atque consolationem non recipit; quia filii, more viperę matris viscera lacerantes, ipsam interimere moliuntur; nam multitudo dolorum urgentium, quibus ut parturiens mater ipsa circumdatur, vociferari eam, & dicere, ventrem meum doleo, cum propheta, com-

compellit. Cum enim omnis creatura usque adhuc ingemiscat secundum Apostolum, & parturiat, genitricis Ecclesię lacer uterus, viscerum suorum dolore turbatur, quę ferl singularis morsibus discerpuntur. Ille siquidem coluber tortuosus, quem, obstetricante manu Domini, de cavernis propriis, carnalibus scilicet hominum cordibus, eductum legimus, qui contra eos pugnat extrinsecus, in quibus intrinsecus jam non regnat, & quorum dominium intus perdidit, bella molitur foras, novam persecutionem Ecclesię Sponsę Christi, immo verius Sponso Christo, per ministros suos operarios iniquitatis instaurat. Ipse enim, qui a principio in veritate non stetit, sed mutare nititur in mendacium veritatem, ut latius suę fraudis virus effundat, perdere pręgnantes animas elaborat, ne fętus fidei, quem ex amore Divino conceperant, ad partum valeant consummati operis pervenire. Unde nos, qui curam tenemur suę fęcunditatis habere, quasi secantis perfidię mucrone conscindimur, dum in suis visceribus hęreticorum scindentium ejus uterum venenatis sagittis novi erroris, & confusionis appetimur inauditę. Totus namque in amaritudine funditur spiritus, effusum est in terra jecur nostrum, turbata est anima nostra valde, ac impletus doloribus venter noster; defecerunt prę lacrymis oculi nostri, & super tam nefandis abominationibus contremuerunt renes; omnia viscera sunt commota; reprimere lacrymas, & continere suspiria non valemus. Sicut enim literę vestrę grandi mœrore plenę, & immenso dolore non vacuę, nobis exhibitę continebant, inter diversas hęresum species, quę, peccatis exigentibus, Alemanniam infecerunt, una (3) sicut detestabilior ceteris, sic & generalior universis, quę non solum referentibus, sed etiam audientibus est horrori, in Nobilibus membris Ecclesię, ac valde potentibus jam erupit. Hęc enim omni est dissona rationi, omni pietati contraria, omni cordi odibilis, cęlestium omnium & terrestrium inimica, contra quam, non solum homines ratione utentes, verum etiam ratione carentia, cum hęc pestis eorum excedat insaniam, immo ipsa etiam elementa debent insurgere, & armari. Hujus pestis initia talia perferuntur; nam dum Novitius in ea quisque recipitur, & perditorum primitus Scholas intrat, apparet ei species quędam Ranę, quam Bufonem consueverunt aliqui nominare. Hanc quidam a posterioribus, & quidam in ore damnabiliter osculantes, linguam Bestię infra ora sua recipiunt, & salivam. Hęc apparet interdum in debita quantitate, & quandoque in modum Anseris, vel Anatis (4) plerumque (5)... etiam quantitatem assumit; demum Novitio procedenti occurit miri palloris homo, nigerrimos habens oculos, adeo extenuatus, & macer, quod consumptis carnibus, sola cutis relicta videtur ossibus superducta. Hunc Novitius osculatur, & sentit frigidum sicut glaciem, & post osculum Catholicę memoria Fidei de ipsius corde totaliter evanescit. Ad convivium postmodum discumbentibus, & surgentibus, completo ipso convivio, per quandam scalam, quę in scholis hujusmodi esse solet, descendit retrorsum ad modum Canis mediocris Gattus niger, retorta cauda, quem a posterioribus primo Novitius, post Magister, deinde singuli per ordinem osculantur, qui tamen digni sunt, & perfecti; imperfecti vero, qui se dignos non reputant, pacem recipiunt a Magistro; & tunc singulis per loca sua positis, dictisque quibusdam carminibus, ac versus Gattum capitibus inclinatis: parce nobis, dicit Magister: & proximo, quis hoc pręcipit? respondente: & tertio dicente: summus Magister: quartus ait, & nos obedire debemus; & his ita peractis extinguuntur candelę, & proceditur ad fętidissimum opus luxurię, nulla discretione habita inter extraneas, & propinquas. Quod si forte virilis sexus supersunt aliqui ultra numerum mulierum, traditi in passiones ignominię, in desideriis suis invicem exardentes, masculi in masculos turpitudinem operantur: similiter & feminę immutant naturalem usum in eum, qui est contra naturam, hoc ipsum inter se damnabiliter facientes. Completo vero tam nefandissimo scelere, & candelis iterum reaccensis, singulisque in suo ordine constitutis, de obscuro scholarum angulo, quo non carent perditissimi hominum, quidam homo procedit a renibus sursum fulgens, & sole clarior, sicut dicunt, deorsum hispidus sicut Gattus, cujus fulgor illuminat totum locum; tunc Magister excerpens aliquid de veste Novitii fulgido illi dicit, Magister, hoc mihi datum, do tibi, illo fulgido respondente, bene mihi servisti pluries, & melius servies; tuę committo custodię quod dedisti; & his dictis protinus evanescit. Corpus etiam Domini singulis annis in Pascha de manu recipiunt Sacerdotis, & illud ad domos suas in ore portantes, in latrinam projiciunt in contumeliam Redemptoris. Ad hęc infelicissimi omnium miserorum gubernantem cęlestium pollutis labiis blasphemantes, asserunt delirando cęlorum Dominum violenter contra justitiam, & dolose Luciferum in inferos detrusisse. In hunc etiam credunt miseri, & ipsum affirmant cęlestium conditorem, & adhuc ad suam gloriam, pręcipitato Domino, rediturum, per quem cum eodem, & non ante ipsum, se sperant ęternam beatitudinem habituros. Omnia Deo placita non agenda fatentur, & potius agenda quę odit. Proh dolor! Quis unquam audivit talia? Quis tam nefaria potuit cogitare? Quis tantam poterit non abominare (6) perfidiam? Quis tantę nequitię poterit non irasci? Quis contra hujusmodi perditionis, & proditionis filios poterit non accendi? Unde est zelus Moysi, qui una die Idolatrarum viginti millia interfecit? Unde est zelus Finees, qui Judęum cum Madianitide uno pugione confodit? Unde est zelus Elię, qui quadringentos, & quinquaginta Prophetas Baal ad torrentem Cisson gladio interemit? Unde est Mathathię zelus, cujus furor secundum legis judicium adeo est accensus, ut insiliens trucidaret Judęum immolantem Idolis super aram? Unde est auctoritas Petri, qui in Ananiam, & Saphiram pro eo, quod Spiritui Sancto mentiri non timuerunt, exarsit? Certe si contra tales terra consurgeret, & iniquitates ipsorum cęli sidera revelarent, & manifestarent eorum scelera toti mundo, ut non solum homines, sed ipsa etiam elementa conjurarent in eorum excidium, & ruinam, ipsosque delerent de terrę facie, non parcentes sexui, vel ętati, ut essent cunctis gentibus in opprobrium sempiternum, ultio de ipsis sumi non posset sufficiens, sive digna. Ceterum licet magna sit horum pestilentum contritio velut mare, scientes tamen, quod non est abbreviata manus Domini, ut salvare non possit, & excoquere ad purum scoriam eorundem, & omne stagnum auferre: compatiendo ex intimo cordis super contritione ipsorum pręvalida, ne Nobis valeat imputari, quod eam circumligare correctionum fasciis neglexerimus, & mansuetudinis oleo confovere, ac sperantes, quod, ut ille, qui etiam iratus non desinit misereri, non semper continebit suę pietatis viscera super eos, sed de illorum manu transferet calicem irę suę, circa correctionem eorum providimus laborandum. Quia vero in ore vestro non est Verbum Domini alligatum, qui, eo infundente gratię suę imbrem, qui dat omnibus affluenter, potentes estis in opere, ac sermone, discretionem vestram rogando monemus, & hortamur in Domino, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, qua-

Hæreseos Stadingorum descriptio.

Ut contrà nefandos hæreticos viriliter agant, hortatur.

quatenus sumatis resinam, ad mitigandos dolores, & vulnera ipsorum sananda. Ite Angeli pacis ad exhibendum eorum plagę medelam, & ad correctionem eorum diligenti solicitudine, ac solicita diligentia laboretis. Quod si forte ut ferrum per monitionem vestram extrahatur de vulnere, non fuerit desuper eis datum, & ipsorum computruerint adeo cicatrices, quod, plaga ipsa quasi penitus desperata, noluerint ad sinum Matris Ecclesię prona mente redire, tantam, & talem cautionem de conversione sua, & perseverantia exponentes, quod de recidivo ipsorum de cetero nullatenus sit verendum, quia in tam grandi, & gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, & apponendum ferrum, & ignis vulneribus, quę fomentorum non sentiunt medicinam, putridis carnibus, ne partem sinceram attrahant, amputatis, advocetis contra eos, receptatores, defensores, & fautores ipsorum spiritualis, & materialis gladii potentiam: universos Christi fideles monentes attentius, & efficaciter inducentes, ut exsurgentes in adjutorium Christi sui contra eos viriliter se accingant. Nos enim de Omnipotentis misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex ea, quam Nobis, licet indignis, Deus ligandi, atque solvendi contulit, potestate, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui Crucis assumpto charactere, ad eorundem hereticorum exterminium se accinxerint, illam Indulgentiam, idque privilegium elargimur, quę accedentibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Quod si non omnes &c. Datum Laterani Idibus Junii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Indulgentiam concedit sumentibus signum Crucis ad extirpandos hæreticos.

1. *Gladium.*) Videas *Annotationem in præcedens Diploma.*
2. *Archivo.*) Idem habet *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII. num. XLII.*
3. *Una.*) *Stadingorum* scilicet.
4. *Anseris, vel Anatis.*) Aves escariæ.
5. *Plerumque ...*) *Odoricus* scripsit: *Furni.* Nonne melius: *Sturni?* est etiam avis escaria.
6. *Abominare.*) Eandem vocem activam adhibet *Plautus in Trinummo Actu III, Scena II, versu* 82, ubi hæc habet. *Mullam abomina.* Hinc eodem verbo passive utitur *Verrius* apud *Priscianum Grammaticum Libro VIII. Sevitia*, inquit, *eorum abominaretur ab omnibus.*

Anno 1233 Die 14 Junii.

Archiepiscopo Maguntino, Hildeshemiensi Episcopo, & Magistro Conrado de Marburg, Prædicatori Verbi Dei, ut in hæreticos viriliter agant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 392.

LXXXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Maguntino, & Episcopo Hildeshemiensi, ac dilecto filio Magistro Conrado de Marburg Predicatori Verbi Dei, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

VOx in Rama &c. (1) Quatenus singuli vestrum per Diœceses suas contra predictos hereticos predicantes continue verbum Crucis, subditos vestros tam Clericos, quam laicos crebris monitionibus & sedulis exhortationibus efficaciter inducatis, ut si quis Dei est, jungat se vobis, & ponat gladium super femur ad ulciscendas Dei viventis injurias tam atroces, ut, auxiliante Domino, eliminentur de Templo perfidi, & fermentum heretice pravitatis de massa conspersionis Dominice salubriter expurgetur, ita quod premissę Indulgentię participes esse possint, & in retributionem justorum salutis eterne consequantur augmentum. Datum Laterani XVIII Kalend: Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Rama &c.*) Ut in præcedenti ad hæc usque verba: *Discretionem vestram rogando monemus.*

Anno 1233 Die 17 Junii.

Mindensi, Lubicensi, & Raceburgensi [1] Episcopis; ut contra hæreticos viriliter agant [2], & in partem hujusce ministerii Fratres Prædicatores vocent.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 392. &c.

LXXXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Mindensi, Lubicensi, & Raceburgensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium, quo describitur nonnullorum sævitia.

LIteræ vestrę nobis exhibitę continebant, quod dudum, voce multę lamentationis audita, quod quosdam violentos, & ipsos, qui Schetici [3] vocantur, in Bremen. [4] Provincia Diabolus suscitavit, qui veri luminis fulgore rejecto, detestandę cecitatis obducti caligine, nec timentes Deum, nec hominem reverentes, doctrina matris Ecclesię penitus vilipensa, ipsi libertatem conculcant, & ferino more feris bestiis crudelius sevientes, nulli parcunt sexui, vel ętati, effundendo sanguinem sicut aquam, Clericis, & Religiosis membratim impie laceratis, & quibusdam in modum crucis affixis parieti in opprobrium Crucifixi; & ut singulorum excessus in excessibus suis excedant, & perfidos sua vincant perfidia universos, Divinę patientię abusores, salutis nostrę Viaticum [5] quo vita datur viventibus, horribilius, quam exprimi deceat, pertractantes, querunt responsa Demonum, cerea simulacra faciunt, & in suis spurcitiis erroneas consulunt Pythonissas [6], alia multa committentes tenebrarum opera, quę non solum referentibus, sed etiam stupori sunt audientibus, & horrori. Nos attendentes, quod tam nefandis initiis potenti erat dextera celeriter obviandum, vobis dedimus nostris literis in mandatis, ac in remissionem injunximus peccatorum, ut assumpto sacrę Predicationis officio Christifideles in Padeburnen. [7], Hildeshemien. [8], Verden. [9], Monasterien. [10] Osnaburgen. [11], Minden. [12], & Bremen. Diœcesibus existentes, ad illius exterminium reprobę nationis diligenter & efficaciter inducere studeatis, concessa ipsis fidelibus Indulgentia, quam in eisdem literis nostris duximus exprimendam: literis autem nostris reverenter receptis, ascitisque vobis viris Religiosis de Predicatorum Ordine, necnon, & Clericis, & laicis fide dignis, ad prosecutionem commissi vobis negotii totis viribus laborantes, fideles eosdem crebris monitionibus, ac illectivis premiis, Indulgentiis scilicet, ac remissionibus, contra ipsos reprobos solicite induxistis, & cum jam per Dei gratiam

Fratres Prædicatores in partem ministerii contra hæreses vocatos dicit.

Pre-

Prędicatorum vocibus contra ipsorum perfidiam intonantibus, nonnulli divinitus inspirati Catholicę Fidei tam potenter, & viriliter subvenirent, quod timore, ac tremore concussi, locis suis relictis, fugę presidium flagitarent, sperantes non posse resistere tantę multitudini signatorum, quanquam terram fortissimam & fere inexpugnabilem habeant, quę magnis fluminibus, aquarumve decursibus est munita, dicti fideles postmodum intellecto, quod illa Indulgentia non gaudebant, quę datur euntibus in subsidium Terrę Sanctę, retro respicientes, in executione votorum penitus tepuerunt. Quare impii memorati effecti proterviores solito e protervis, ex hoc audaciam assumentes, ac ponentes omnino sibi Deum contrarium, adversus Fidem Catholicam calcaneum sęvius erexerunt, ac Civitatem Bremen. hostiliter adeuntes, Ecclesias, Monasteria, & loca circumquaque vicina, necnon & quoddam castrum munitissimum Bremen. Ecclesię funditus destruxerunt, propter quod tantum est in partibus Alemannię scandalum suscitatum, quod non solum illi, verum etiam aliarum Sectarum Hęretici, qui prius latebant in angulis hujus mundi, gloriantes contra Dei Ecclesiam, & Fidem Catholicam publice invalescunt, Nomen Domini Iesu, in quo flectitur omne genu, scelestis labiis turpiter blasphemando. Jam enim eorum hęresi damnanda, longe, lateque diffusa miserabiliter, & mirabiliter inficiunt christianum populum, & corrumpunt, capiunt Clericos, & per membra discerpunt, cruciantes eos omni genere tormentorum. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut considerata qualitate negotii, in tantis periculis salubre remedium apponere dignaremur. Licet igitur talia sint pręmissa, quod dolorem afferunt, & męrorem, & ploratus materiam potius offerunt, quam relatus; quia tamen habet hoc proprium Apostolica Sedes, ut in hiis, in quibus est majus periculum, ad inquirendam plenissime veritatem, ne fucato decipiatur errore, cum gravitate procedat. fraternitati vestrę per iterata scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo mandamus, quatenus, si constiterit, pestilentes ipsos in Eucharistia, responsis Dęmonum, cereis simulacris, & detestandis Pythonissarum consiliis, ut pręmissum est, tam graviter excessisse, & diligenter a vobis moniti, in hac damnabili pertinacia damnabiliter perdurantes, acquiescere forte noluerint, & ad sinum Matris Ecclesię prona mente redire, talem, & tantam cautionem de conversione sua, & perseverantia exponentes, ut de recidivo ipsorum nullatenus de cetero sit verendum, quia in tam grandi, & gravi morbo recurrendum est ad validiora remedia, ubi medicamenta levia non proficiunt, & apponendum ferrum, & ignis vulneribus, quę fomenta non sentiunt, putridis carnibus, ne partem sinceram attrahant, amputatis, advocetis contra eos, receptatores, defensores, & fautores ipsorum, spiritualis, & materialis gladii potestatem; Universos Christifideles monentes attentius, & efficaciter inducentes, ut exsurgentes in adiutorium Christi Iesu, adversus eos viriliter se accingant. Catholici vero, qui, Crucis assumpto charactere, ad eorundem hęreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant Indulgentia, illoque privilegio sint muniti, quę accedentibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Alioquin pestilentes moneatis eosdem, ut de illatis damnis, & irrogatis injuriis Bremen., & aliis Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis congruam satisfactionem impendant; illis vero monitis vestris acquiescere non curantibus in commisso vobis negotio procedatis super pręmissarum continentiam literarum. Quod si non omnes. Datum Laterani XV Kalend. Julii Pontificatus Nostri Anno Septimo.

Civitatis Bremensis direptio.

Hæreticorum horrenda crudelitas.

Mandat ut supra.

Indulgentia concessa.

1. *Raceburgensi.*) In *Saxonia*.
2. *Agant.*) Legendus *Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. ad Annum MCCXXXIII num. XLVI, & ad Annum MCCXXXIV. num. XLII.*
3. *Schetici.*) Sic *Stadingenses* hæretici a voce græca Σχετικὸς, id est *unitus*, dicti sunt ob horrenda impudicitiæ flagitia, quibus sese contaminabant.
4. *Bremensi.*) In *Saxonia*.
5. *Viaticum.*) Vides hæreticos in Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum per id tempus impie invasisse. Digni sane qui essent exemplo Calvinistis, & ejusdem furfuris vitis.
6. *Pythonissas.*) seu *Hariolas*. Sic in Gallus hoc ineunte seculo sectatorum *Calvini*, quos in *Occitania Huguenots* & *Camisards* vocant, unaquæque turma suam habebat mulierem fatidicam, cujus consilio palmam dabant. Acerbissimis suppliciis Catholicos excruciarunt, istis auctoribus, Provinciam illam depopulati sunt viri Fanatici. Hujus autem meminisse non abs re sit, quo discat lector, hujus ævi hæreticos priscis consentaneos esse.
7. *Padeburnen.*) In *Germania*.
8. *Hildesbemien.*) In *Saxonia* inferiori.
9. *Verden.*) Ibidem.
10. *Monasterien.*) In *Vvestphalia*.
11. *Osnaburgen.*) seu *Osnabrugen.* Tractus *Germaniæ*.
12. *Minden.*) In *Vvestphalia*.

Ad dubia Inquisitorum respondet (1).

Anno 1233 Die 17 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 395.

LXXXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Bisuntin., Inquisitoribus hęreticę pravitatis per Burgundiam (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

COmmendantes in Domino, a quo bona cuncta procedunt, judicii & ardoris spiritum, quo fervetis contra pestem hęreticam pro puritate Fidei Catholicę conservanda, super dubiis, quę ad nos devotio vestra transmisit, taliter duximus respondendum, quod si qui aliquando suspecti de hęresi sub forma, in sententiis nostris contenta, prestiterant juramentum, & exinde sunt convicti, quod, ut verbis vestris utamur, passi sunt in antedictis postmodum recidivam, occultantes hęreticos in domibus propriis, & in scholis, ubi hęreses addiscuntur, de suis facultatibus ministrantes eisdem, ut ibi contra Fidem arma iniquitatis assumant, ac illi, qui suspecti, & convicti heresim abjurant communionem cum hęreticis ab Ecclesia damnatis habere, de hoc convincuntur, quod bonos eos crederent, & participarent eisdem, quos prodere tenebantur, perpetuo carceri deputetis. Datum Laterani XV Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Septimo,

Exordium a laude Fratrum Prædicatorum.

Respondet ad dubia.

1. *Respondet.*) Consulendus *Franciscus Pegna in Quæstion: LVIII de Relapsis, Commentar. LXXXIII Parte II Directorii Inquisitorum*.
2. *Burgundiam.*) Videas *Diploma* - Gaudemus - *Datum XIX Aprilis Anno MCCXXXIII.*

Archie-

Anno 1233 Die 27 Junii.

Archiepiscopis &c. ut eos, qui invitum detinuerint Fratrem Johannem [1] Excommunicatos denuntient [2].

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 396.

LXXXV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & aliis quibuscunque persoois, ad quos literę illę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. A Muodanę vinculo servitutis exempti, & consecuti a Deo specialem libertatem, qua virtutum cultui cogitationes, & opera deputarunt, ita sunt Sedis Apostolicę gratia consovendi, ut in Divinę voluntatis obsequio, nequeant humanis obstaculis impediri. Alias autem in subditis illam spiritus Domini pati videretur injuriam, quam & terrę Principibus, & personis minoribus efficere debet ęquitas alienam. Dignum etenim est, ut quique nuncii rumorum salubrium delatores, processum explicitum, statum liberum, & regressum habeant expeditum, quia bonorum facta commixtio eo facilius, & melius, votivam per illos efficaciam consequitur, quooihil illorum est justia votis oppositum, seu piis actibus peregrinum. F. Johannis praeconium. Saoe dilectus filius Frater Johannes Ordinis Prędicatorum missus a Domino, ut cęcis via, incredulis veritas, & vita mortuis illucescat, post protractam in locis aliquibus morę debitę quantitatem, a quibusdam, quos adeo devotionis immensitas inflammavit, ut zelum circa detentionem ipsius secundum scientiam non habentes, Ipsum nonnulli detinebant. ultra suę intentionis propositum, oon absque offensa Domini, & jactura multorum, quibus eius pręsentia salutis munera ministraret, aliquando, sicut accepimus, detinetur. Verum, quia nobis non possunt grata consistere, quę credimus gratiarum Domino displicere, jam dictum Fratrem ab hujusmodi detentione hominum reddi volumus absolutum. Quocirca stricte pręcipiendo mandamus, quatenus pro divina, & oostra reverentia, circa Fratrem ipsum sinceram affectionem habentes, & eundem pro illius nomine, quem verbis, & operibus prędicat, & attollit, hooeste tractantes, omnes, qui eum ultra suę Detinentes per Censuras deterrendos decernit. voluntatis arbitrium, quam supernę inspirationis divinę gratia dirigi credimus, & formari, pręsumpserint detinere, per excommunicationis in Personas, & in terras ipsorum Interdicti sententias, appellatione postposita, compescatis, eisdem vivis vocibus comminando, quod vereri poterunt, ne contingat Civitates eorum Episcopali dignitate destitui, si super hoc mandato nostro tentaverint refragari, quia qui Spiritum Sanctum conatur extinguere, cujus donis totum corpus Ecclesię sanctificatur, & regitur, regiminis prędidio merito spoliatur. Datum Laterani V Kal. Julii Pontificatus oostri Anno Septimo.

1. *Johannem.*) De quo supra *XXVIII Aprilis Anno MCCXXXIII.*
2. *Denuntient.*) Legendus *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num. XXXVI.* Notat ibidem *Odoricus*, ejusdem argumenti aliud datum esse Diploma ad omnes, per quorum loca *Johannes* iter erat acturus. Citat *Epistolam CCXX lib. VII Gregor. IX.*

Anno 1233 Die 27 Junii.

Fratri Johanni [1] Tusciam petere, ad Senenses, & Florentinos componendos, mandat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 397.

LXXXVI. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid egerit, narrat. S Cripsimus pridem sinceritati tuę, Nos Potestati & Capitulo Bononien., ac universis nostras inspecturis literas, quas pro te direximus, mandavisse (2), ut te stare, procedere, seu redire permitterent super indultę tibi, & Ordini tuo gratiam libertatis. Verum etsi credimus, quod si te, sicut olim tuę devotioni mandavimus, in partes Tuscię pacis procurare gaudia contulisses, fructus multiplex ex tua pręsentia, pręsertim super sedanda ibi gravi, & dolenda discordia, operante gratiarum Domino, processisset; quia tamen nunc pro constanti, gerimus, & teoemus, cum Florentinorum, & Seneosium motus, & impetus per mutuę impugnationis instantiam sint repressi, quod eorum dura voluntas lenis effecta consistat, & habilis suscipere dona pacis, in Iesu Christi Nomine benedicti devotionem tuam rogantes, & hortantes attente, in Mandat ut supra. virtute obedientię districte tibi pręcipiendo mandamus, quatenus tribulatiooes, & suspiria captivorum attendens, qui de Florentina, & Senensi Civitatibus, in angusto, & angustioso carcere detinentur, ut sic tibi felicitatis ęternę pręceptio, ad partes Tuscię post susceptionem pręsentium veniens personaliter, eorum providere miserię non postponas, pręsertim, cum id placitum divinę misericordię teneamus, & tibi de itineris libertate ita duxerimus provideodum, ut per Archiepiscopos, & Episcopos, ceterosque Pręlatos Ecclesiarum, omnes, qui personam tuam, ultra tuę voluntatis arbitrium pręsumpserint detinere, per excommuoicationis in personas, & in terras ipsorum Interdicti senteotias, appellatione postposita, compescantur, eisdem vivis vocibus comminando, quod vereri poterunt, ne contingat, Civitates eorum Episcopali dignitate destitui, si super hoc mandato nostro tentaverint refragari; quia qui Spiritum Sanctum conatur extioguere, cujus donis totum corpus Ecclesię sanctificatur, & regitur, regiminis prędidio merito spoliatur. Datum Laterani V Kal. Julii, Pontificatus nostri Aono Septimo.

1. *Johanni.*) Cujus mentio supra *XXVIII Aprilis Anno MCCXXXIII.* Literæ autem, quibus hoc Pontifex *Johanni* significavit, desiderantur.
2. *Mandavisse.*) Videas Diploma ad *Diem XXIX April.*

Bono-

Bononiensibus, ut Fratrem Johannem [1], quocunque ipse voluerit, libere abire permittant.

Anno 1233 Die 28 Junii.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 398.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Potestati, & Capitulo Bononiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXVII.

GRata nobis existit fervens illa devotio, quam circa Dominum Iesum Christum Redemptorem nostrum habere noscimini, preconem sui nominis, dilectum filium Fratrem Johannem Ordinis Predicatorum prosequendo reverentia speciali. Verum, etsi per hoc velle possimus, quod ipse apud vos ad animarum vestrarum procurandam salutem assidue commoretur, quia tamen ejus presentiam in partibus illis, & Christo placitam, suisque fidelibus scimus infallibiliter fructuosam, nequeuntes, salva conscientia, tolerare, quin pro ingruenti aliquando necessitatis instantia ejus presentia in locis aliis habeatur, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, in virtute Spiritus Sancti stricte vobis precipiendo mandantes, quatenus Fratrem ipsum, sublato cujusvis difficultatis obstaculo, quocunque illi suggesserit indulte sibi desuper spiritus libertatis, permittatis libere procedere, si divinam, & nostram vultis gratiam obtinere. Ceterum, ne vos lateat, qualiter sibi de libertate itineris duximus providendum, scitote, Nos Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis (2), & Episcopis, & dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Prelatis per Apostolicas literas mandavisse, ut omnes, qui Fratrem eundem ultra sue voluntatis arbitrium presumpserint detinere, per Excommunicationis in personas, & in terras ipsorum Interdicti sententias, appellatione postposita, compescant, eisdem vivis vocibus comminando, quod vereri poterunt, ne contingat civitates eorum Episcopali dignitate destitui, si super hoc mandato nostro tentaverint refragari: quia qui Spiritum Sanctum conatur extinguere, cujus donis totum corpus Ecclesie sanctificatur, & regitur, regiminis presidio merito spoliatur. Datum Laterani IV Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium.

Precipit ut supra.

Que mandavit Ecclesiarum Prelatis, refert.

1. *Johannem.*) Ut supra *XXIX April. Anno MCCXXXIII.*
2. *Archiepiscopis.*) Die nempe *XXVII Junii Anno MCCXXXIII.*

Indulgentiam viginti dierum concedit omnibus accedentibus ad conciones Fratris Johannis (1).

Anno 1233 Die 13 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 400.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Universis Christifidelibus, ad quos litere iste pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXVIII

MUltifarie, multisque modis clementia Divina nos excitat, ut de somno mortis evigilemus ad vitam, & de lacu miserie in spem eterne glorie respiremus. Gaudemus autem in Domino, & in potentia virtutis ejus, quod dilectus filius Frater Johannes Vicentinus de Ordine Fratrum Predicatorum, dilectus Deo, & hominibus, per quem, sicut nobis constat, mirabilis Dominus inter vos mirabiliter operatur, quem unctio docuit, & Spiritus, qui a Patre Filioque procedit, instruxit, vos crebris monitionibus, & sedulis exhortationibus ad divini nominis cultum, confusionem heretice pravitatis, & devotionem Ecclesie, preveniente, ac sequente divina gratia, excitavit. Nos igitur gratiarum omnium largitori propter hec, & alia misericordie sue dona, quantas possumus, etsi non quantas debemus, gratias exsolventes, & cupientes, vos reddere Domino Populum acceptabilem ad complacendum ei, quibusdam illectationis premiis, Indulgentiis scilicet, & remissionibus invitamus, ut curratis libentius ad pabulum Verbi Dei. Nos de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi, atque solvendi contulit potestatem, omnibus, vere penitentibus, & confessis, qui ad solemnem predicationem ejusdem Fratris, moram in Civitate, Villa, vel Castro trahentis, tribus diebus in hebdomada, vel ad singulas predicationes solemnes, quas fecerit per diversa loca se transferens, cum devotione accesserint, viginti dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani III Idus Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium.

F. Johannis Vicentini encomium.

Indulgentiam concedit.

1. *Johannis.*) Videnda quæ ad *Diploma Datum Die XXVIII April. Anno MCCXXXIII.*

Archiepiscopo (1) Bononiensi, & aliis (2) nonnullis, ut inquirant (3) de Miraculis Fratris Dominici, Patris nostri.

Anno 1233 Die 13 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 399.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Archiepiscopo Bononien., *& aliis*, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXIX.

VIsibilium &c. (4) ..... Sane gaudentes pridem accepimus, quod recolende memorie Frater Dominicus Plantator Predicatorum Ordinis, & Magister, Divina misericordia favente, aggregatus existat collegio supernorum, gloriam concessisse Beatitudinis signis exprimens gloriosis: nam circa sepulcrum ejus, & in locis aliis per invocationem sui nominis, & devotionis sincere suffragia, multa miracula circa mul-

Encomium S. Patris Dominici.

multos mirabilis in altis Dominus multipliciter operatur. Verum, etsi per virtutum insignia, quibus olim memoratus Frater extitit multiformiter insignitus, seu per famosa miracula, quibus ejus sancta rutilare dicitur sepultura, celestis sponsę vocibus de sanctorum esse numero debeat affirmari, tamen, quia mentibus ambiguis subito rei veritas non clarescit, & repentinis non solet Miraculum relatibus quorundam spiritus exultare, eo quod omne rutilum nomen auri non imperat, nec ebur quodlibet niveum imitatur: Nos, quos, providentia preambula, decet festinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, discretioni vestrę, de qua in Domino plenam fiduciam obtinemus, mandamus, quatenus provide attendentes, quod lux vera sanctorum Dominus Iesus Christus signis publicis & prodigiis evidentibus trepidantia Discipulorum pectora roboravit, mentes eorum nubilas de Resurrectionis admiranda gloria expresse certitudinis clarificans fulcimentis, vitam & conversationem predicti Fratris, quibus Deo & hominibus noscitur placuisse, necnon Miracula, quę, auctore Deo, de sui corporis sanctitate procedunt, habita prę oculis sola Divinę reverentia Majestatis, per testes idoneos studeatis inquirere cauta diligentia, & solicitudine vigilanti, quę in scriptis redacta, sub sigillis vestris fideliter conservetis, illa nobis, postquam Mandatum Apostolicum receperitis, per fideles, & solemnes Nuncios transmissuri, Quod si non omnes &c. Datum Laterani III Idus Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Archiepiscopo.*) Hæc inscriptio sic legitur in libro A loco mox laudato: videtur tamen, Antistitem *Bononiensem* demandatam provinciam nullatenus suscepisse; enim vero nulla ipsius mentio in Actis quæ ex *MS. Codice Bernardi Guidonis* exscripsit *Echard Tomo I scriptori Ordinis pag.* 44; nulla apud Auctores.

2. *Aliis.*) Quinam sint docet *MS. Codex* mox laudatus in quo sic: *Testes recepti super vita, conversatione, & transitu F. Dominici, Plantatoris, Fundatoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, & primi Magistri, auctoritate D. Gregorii Papæ IX per Magistrum Tancredum Archidiaconum Bononiensem, & Thomam Priorem S. Mariæ de Rheno, & Fratrem Palmerium Ecclesiæ de Campagnola, Bononiensis & Reginæ Diœcesum &c.*

3. *Inquirant.*) Dicta Testium legesis apud *Echard* mox laudatum.

4. *Visibilium*) Exordium ut supra *XIV Octobr. MCCXXXII* ad hæc usque verba: *Fidelium beata credulitas adaugetur.*

Anno 1233 Die 26 Julii.

Fratribus ad terras infidelium proficiscentibus nonnulla concedit privilegia [1].

Ex Arch. [2] *Ord. lib. B. fol.* 524.

XC.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, in terras Saracenorum, & Paganorum proficiscentibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Cum messis multa sit, operarii vero pauci, Evangelicus ille Paterfamilias in messem suam operarios adhuc mittit, & in hac quasi undecima hora vineę suę novos deputat vinitores, quorum laborem pari cum primis denario recompenset. Cum igitur in terris Saracenorum aliorumque infidelium vobis sit animarum solicitudo commissa, ut, illius operante clementia, qui de lapidibus potest Abrahę filios suscitare, verbo & exemplo proficiatis ibidem, & existentes in invio reducatis ad viam, Nos considerantes, quod ministerium vestrum diligenter implentes, vos operarios inconfusibiles exhibetis, vitiorum sentes extirpare de agro Domini satagendo, propter quod indubitatam de vobis fiduciam obtinemus, ut qui spiritu vivitis, spiritu ambuletis, & de doctrina & conversatione vestra flores & fructus proveniant gratiores, devotioni vestrę presentium auctoritate concedimus, ut in terris illis vobis sit licitum Christianorum ibi morantium, de Prelatorum suorum consilio, dummodo sint Catholici, & aliorum illuc accedentium, confessiones audire, ac eis penitentiam injungere salutarem, & ipsis, si aliquibus excommunicationum sententiis sint astricti, congrua satisfactione premissa, beneficium absolutionis juxta formam Ecclesię impertiri; ita tamen quod Christianis ad partes illas accedentibus hujusmodi absolutio nonnisi in necessitatis articulo impendatur, & tunc injungatur eis quod de jure fuerit injungendum. Liceat quoque vobis cum vestri Ordinis Fratribus super Irregularitate, nisi adeo sit enormis & gravis, quod ex notari ad Sedem essent Apostolicam transmittendi, proinde dispensare, ac alia facere quę ad conversionem infidelium & salutem pertinere noveritis animarum. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Anagnię VII Kalendas Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo.

Fratrum missio, & præconium.

Facultas confessiones excipiendi & absolvendi excommunicatos.

De irregularitate Fratrum, quid? Sanctio pœnalis.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Cœnobiis *S. Catharinæ Barchinonen.*, *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* &c.

Anno 1233 Die 5 Augusti.

F. Johanni [1], quem laudibus cumulat, ut nonnullos excommunicatos absolvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 403.

XCI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni Vicentino Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio F. Johannis.

Mirificante super miserationum suarum copiam misericordias Salvatore, cum finus..., in quos fines seculorum fecundum Apostolum devenerunt, gaudio reficimur salutari, devotoque veneramur affectu, quę manus Omnipotentis Dei per tuum ministerium operatur; Fides etiam roboratur Catholica, convertuntur increduli ad justorum semitam, & corda fidelium in sui Conditoris amorem suaviter accenduntur; Unde inter prelibata innumeras, & tędia infinita, quę ferre plus possumus, quam referre, merito consolationis materiam resumentes, gratias, quas valemus, exsolvimus Creatori, quod per insignem gratiam, tibi ab ipso collatam, imprudentium hominum ignorantia obmutescit, ejusdemque beneficia fideles in tuis operibus attendentes, ipsum inenarrabili devotione glorificant, summis eum laudum preconiis attollendo. Sane receptis nuper affectione debita literis tuis, earumque tenore plenius intellecto, quia tibi, cui adest puritas conscientię, non dubitamus adesse judicium rationis, presertim cum pedes sint pacem evangelizantium speciosi. Nos, qui Vicarius, licet immeriti, sumus ejus in terris, qui pacem diligens, eam dedit

dedit suis Discipulis, & reliquit, solutionemque libentius quærimus, quam vinculum animarum, devotioni tuę præsentium auctoritate concedimus, ut illis, qui pro statutis, edictis, vel consuetudinibus introductis contra Ecclesiasticam libertatem excommunicationis vinculum incurrerunt, recepta ab eis cautione [2] idonea, quod statuta, & consuetudines hujusmodi aboleant, & ea, vel similia de cetero non resumant, & eis etiam, qui pro injectione manuum violenta, in Canonem inciderunt sententię promulgatę, possis super formam Ecclesię absolutionis beneficium impertiri, ubi ad mutilationem membrorum, vel mortem non processerint, in quo casu mittantur ad Sedem Apostolicam absolvendi. Illos autem, qui hęc fieri mandaverunt, super prędicta forma absolvas, injuncto eis sub debito juramento, ut cum commode poterint Apostolico se conspectui repręsentent, mandatum nostrum humiliter recepturi. Datum Anagnię Nonis Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo,

Faculcatem ipsi dat absolvendi.

Qui sint ad sedem Apostolicam remittendi.

1. *Johanni.*) Legendum *Diploma Datum XXVIII April.* MCCXXXIII.

2. *Cautione.*) Liquet ex hoc, facultatem datam etiam pro foro externo.

Fratri Johanni [1] Vicentino, ut mandatis S. Pontificis morem gerentes a censuris solvat, inobsequentes [2] excommunicet.

Anno 1233 Die 5 Augusti.

*Ex Arch. Ord. lib. A. fol.*404.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni Vicentino Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XCII.

Mirificante &c. (3) .... concedimus, ut nobili viro Ezelino [4], Civibus Veronensibus (5), & fautoribus eorundem, excommunicatis a dilecto filio nostro J ...... [6] Prenestino electo, & olim Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, tunc Legato Apostolicę Sedis, vel ab aliis judicibus delegatis a nobis occasione discordię, quę hucusque Civitatem Veronen. lacessivit, receptis sufficientibus cautionibus ab eisdem pro pace facienda & servanda, & ut mandatis nostris debeant obedire, possis super forma Ecclesię absolutionis beneficium impertiri, ac in eos, si salubribus mandatis, quę ipsis super prędictis duxeris facienda, resistere forte presumpserint, appellatione postposita, Censuras Ecclesiasticas exercere. Datum Anagnię Nonis Augusti Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut dictum est.

1. *Johanni.*) De quo supra *XXVIII April. MCCXXXIII.*
2. *Inobsequentes.*) Consulendus *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num.X.*
3. *Mirificante &c.*) Ut in præcedenti ad hæc usque verba *Præsentium auctoritate concedimus.*
4. *Ezelino.*) *Gibellinorum* caput, & Antesignanus erat ille.
5. *Veronen.*) In *Longobardia*. Cur essent execratione devincti, docent Auctores, quos laudat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.*152. *&c.*
6. J.....) *Jacobo* nempe Cardinale *Prænestino*.

F. Johanni [1], ut censuris solvat Milantium Civem Bononiensem.

Anno 1233 Die 25 Augusti.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 405.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XCIII.

Devotionis tuę literas benignitate recepimus consueta, & quę continebantur in eis pleno concepimus intellectu. Licet autem a quampluribus, & specialiter ab Ambassiatoribus (2) Lombardię, cum multa fuerit nobis instantia supplicatum, ut Milantio Militi Bononien., per nos super culpis exigentibus vinculo excommunicationis astricto, beneficium absolutionis misericorditer faceremus; quia tamen per ejus malitiam, & contumaciam etiam multa animarum, & corporum pericula, & rerum dispendia fideles nostri Cives Viterbien. [3] sunt passi, necnon et Ecclesia quamplurima damna noscitur incurrisse, illorum precibus non duximus aliquatenus annuendum, nisi idem damno passis satisfacto primitus competenter, ad partes transmarinas (4) ob Iesu Christi servitium se transferret, usque ad finem vitę suę moraturus ibidem. Ut igitur quanti favoris, & gratię apud nos existas, cognoscas plenius per effectum, absolutionem dicti Milantii, tibi, de cujus circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, juxta quod a nobis per dictas literas humiliter postulasti, duximus committendam, per Apostolica scripta mandantes, quatenus a prędicto Milantio de stando mandatis nostris, super hiis, pro quibus in eum fuit dicta excommunicationis sententia promulgata, juratoria cautione, & usque ad summam quingentarum librarum Senen. pignoratitia satisfactione receptis, ei juxta formam Ecclesię beneficium absolutionis impendens, injungas ei sub debito prestiti juramenti, quod dilectis filiis Civibus Viterbien. super hiis, in quibus tenetur, eisdem primitus satisfacto, assumpto Crucis signaculo, in primo generali passagio (5) per Sedem Apostolicam prefigendo, iter arripiat eundi in subsidium Terrę Sanctę, per biennium, vel triennium moraturus ibidem; si vero tuis in hac parte dictus Milantius non curaverit forsitan obtemperare mandatis, tu in pristinam excommunicationis sententiam reducas eundem. Datum Anagnię VIII Kal. Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium ab enarratione facti.

F. Johannis prærogativa.

Commissio.

1. *Johanni.*) Legendum *Diploma Datum XXVIII Aprilis Anno MCCXXXIII.*
2. *Ambassiatoribus.*) Idest Legatis.
3. *Viterbien.*) In Ditione Pontificia.
4. *Transmarinas.*) In *Palæstinam* scilicet ad subsidium *Terræ Sanctæ*.
5. *Passagio.*) seu quando jubente Pontifice naves maritima *Europa* loca percurrent ad colligendos Cruce signatos Milites.

Anno 1233 Die 25 Augusti.

Priori [1] Ordinis Prædicatorum, aliisque, ut ablata restituantur [2] Rotomagensi Archiepiscopo.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 406.

XCIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Saviniacensi Cisterciensis Ordinis Abicen. [3], & Priori Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Regum Franciæ.

REgum clarę memorię, qui diebus nostris aulam Regni Francię felici regimine gubernarunt, tanta, ut lęti recolimus, extitit pręeminentia probitatis, quod ipsi mundo celebres sunt effecti, & ęternis gaudiis, ut de pietate divina confidimus, deputati; Studuit quidem ipsorum excellentia gratiosa notam in populis suam virtutem efficere, multis curando laboribus gloriam divini Nominis ampliare: fuerunt iidem zelatores justitię fervidi, & cultores misericordię non remissi: extitit insuper de tanto ipsorum dextera liberalis, quod nedum Ecclesię Regni Francię, sed in longinquis constitutę partibus, sunt eorum beneficiis ampliatę. Quid ultra? Eisdem Regibus, non solum sibi regnantibus, sed Regnorum omnium Conditori, adeo libertas Ecclesiastica floruit, quod Prelatorum aliquis raro sub illorum regimine suspiravit. Ecce si de pr̨edictis Regibus tanta virtutum processit congeries, & ubertas, quid est nobis de carissimo in Christo filio nostro Rege Francorum illustri jugiter appetendum, nisi ut progenitores suos sequatur operibus, & effigiet in virtute? Porro pati contrarium absque amaritudine nimia non possumus, pręsertim, cum leviter ad hominum patientiam non accedat spinas inde percipere, unde flores credidit obtinere.

Commissio.

Rogamus itaque prudentiam vestram, & hortamur in Domino Iesu Christo, per Apostolica vobis scripta pręcipiendo mandantes, quatenus eundem Regem, quem tanto prę Regibus cupimus existere gratiosum, quanto prę multis aliis est ipse Nobis placitus, & dilectus, ad hoc prudenter, & solicite inducatis, quod Sanctam Romanam Ecclesiam Matrem suam, quę parata est ipsum continuo favore prosequi, dummodo benemeritus, vel mereri solicitus studeat comprobari circa favorem libertatis Ecclesiasticę, continua reverentia prosequatur, & in pręsenti lętificet, depressam Rotomagen. Ecclesiam in statum pristinum erigendo, ita quod gemitus, & suspiria Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Rotomagen. contra ipsum ulterius ad aures superni Judicis non ascendant, nec ad Nos ejusdem querela pluries iteretur, quam cum salva conscientia pati amodo nequeamus, expedit Regis ejusdem utilitatibus, & honori, ut qui Nos pro sui nominis incremento deberet facilius in majoribus exaudire, expressum sibi Apostolicis literis nostrum beneplacitum, sublato cujusque difficultatis, & tarditatis obstaculo, laudabiliter exequatur; prȩsertim cum, actore Christo, possimus ad condigna sibi pręmia respondere; quę ut ipsi temporibus proveniant opportunis, petimus, ut intercessionis vestrę studio vigilanti lętanter audire Nos faciat, quod prȩfatus Archiepiscopus, restitutis sibi sublatis omnibus, in solito gaudio reflorescat; sicque fiat, quod ex alto devotioni vestrę gratiam, & favorem a Nobis exinde comparetis, memoriter habituri, quod si dictus Rex adversus Archiepiscopum memoratum jus aliquod habere confidit, de illo parati sumus exhibere sibi justitię complementum. Datum Anagnię VIII Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Priori.*) Provinciali nempe *Franciæ*.
2. *Restituantur.*) *Cum enim Rotomagensis* (in Normannia) *Archiepiscopus se Romano tantum Pontifici obnoxium contenderet, atque in jus vocatus a Ludovico* (*IX*) *Rege, coram ipsius Tribunali respondere recusaret, bonorum possessione exutus est, qua de re gravissime questus est apud Gregorium, qui suscepto Archiepiscopi patrocinio causam ad Sedem Apostolicam evocavit.* Auctor est *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCXXXII num. XXVI.* Quid plura? Scripsit Regi Christi Vicarius, denuntians a se datam provinciam *Parisiensi* ac *Silvanectensi* Episcopis, quo regios Administros ad fraudata restituenda Archiepiscopo, Censuris cogerent. Nec exinde felix exitus fuit; quorirca præsens Diploma dedit *Gregorius*, cui morem gessit *S. Lodovicus*. Priores literas *Odoricus* mox laudatus exscripsit.
3. *Abicensis.*) Legendum *Abrincensis*, vulgo *Avranches* in *Normannia*, ibi enim sita est celebris Abbatia *Saviniacensis*. Adeas Galliam Christianam Tom. IV Litera S.

Anno 1233 Die 22 Septembris.

Fr. Johannem [1] Vicentinum ad patienter ferendas Adversariorum injurias [2] invitat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 402.

XCV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni Vicentino de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

TUas recepimus literas, & nunciata per eas intelleximus diligenter, ut, qualiter contra quę prȩsumpta sunt adversus Dominum Iesum Christum sit agendum, maturato consilio disponamus. Veruntamen nihil magis metuimus, quam si erubescere te gloriosum Crucis opprobrium sentiremus. Non est super magistrum discipulus, nec super dominum suum servus: si Patremfamilias vocaverunt Beelzebub, quid de Domesticis suis dicturi sunt, & facturi? Ille, cui Pueri hebręorum solemniter obviaverunt ut Regi, & Triumphatori vias straverunt, & pręconio multitudinis cantica laudum ediderant in excelsis, paulo post ab ęmulis voluntarie tulit contraria, confusione contempta, tanquam reus capitur, & ligatur, judici sistitur, cęditur, & condemnatur, & Apostolus imitator ipsius, qui postquam usque ad tertium cęlum rapitur, postquam revelationum magnitudine, ac verbis, quę non est audire licitum, informatur utiliter, vel invitus colaphis Satanę traditur, ne periculosius extollatur: in hoc, inquit, laboramus, & maledicimur, quia in eum, qui Salvator omnium est, & maxime fidelium, speramus, ut recte vox quoque prophetica loqueretur, pro eo, ut me diligerent, detrahebant, & factus sum illis opprobrium, & videntes me, capita commoverunt; & e contrario cernimus Judęos, Hęreticos, & diversos dogmatum sectatores in cęno volutari libidinum, madere sanguine, lupos vincere feritate, & tamen eorum tabernaculo non appropinquare flagellum, nec eos cum hominibus verberari, & idcirco superbire contra Dominum, & os ponere in excelsum. Tu vero, dilecte fili, omne gaudium existimato, si in tentationes aliquas incidisti, cum

Exemplar patientiæ Christus.

Apostolus tentatur.

opor-

oporteat, nos diversa tribulationum genera, ęquo animo perpeti, per quę nobis cęlestis janua promittitur aperiri; credas denique, quod et ad tuam hęc probationem dispensatio divina sustinuit, & improperiorum ejus ultio festinabit. Nos vero Venerabili Fratri nostro Vicentino Episcopo dedisse noveris nostris literis firmiter in mandatis, de iis, quę commissa sunt inquirere diligenter, ut ipsius relatione sufficienter instructi, contra presumptores hujusmodi procedamus, sicut fuerit procedendum. Datum Anagnię X Kal. Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Oportet pati, & ita intrare in gloriam.

1. *Johannem.*) Ille est de quo sæpius supra.
2. *Injurias.*) Inter ea siquidem collata divinitus beneficia, quibus tantam apud populos sanctitatis famam compararat sibi *Johannes*, arcano consilio permisit Deus, nonnullos infuscata malevolentia in eum suffusos, & atro dente petiisse ipsum, & in vincula abripi jussisse. Scribit ergo Pontifex, ut æquo patiatur animo brevem afflictionem, quæ æternæ gloriæ pondus in ipso operabitur. Refert *Bzovius ad Annum MCCXXXIII num. X* quis vellicarat *Johannem*, quem carcerali custodiæ mancipatum, scribit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 153.*

Fratri Jordano [1] Magistro Generali Ordinis, ut Fratres nostri de bello, pro Religione adversus Pruthenos [2] suscipiendo, dicant ad populum.

Anno 1233 Die 6 Octobris.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 409.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Jordano Magistro Generali Ordinis Pręddicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictonem. XCVI.

Fidelium venusta plantatio, quam in Prussię (3) partibus, plantasse dignoscitur sapientia conditoris, odorum fragrantia, quę ad Sedem Apostolicam inde provenit literis, & relatibus plurimorum, Nos attente solicitat, ut ipsam, quę, dante Domino incrementum, latius in ramos extenditur, ut tandem ubertate fructuum decoretur, diligentię plenitudine foveamus. Verum cum viros virtutis, & gratię titulo refulgentes, quos ad cultum suę vineę vera vitis noscitur elegisse, videlicet quosdam ex tui Ordinis Fratribus, Vicarios nostrę solicitudinis statuerimus, in hac parte sibi prędicationis officium in quibusdam Teutonię partibus [4] aliisque Provinciis committendo, devotionem tuam rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus Fratres eosdem ad proponendum ex animo in locis hujusmodi verbum Crucis, prout ipsis per Apostolicas Literas [5] duximus injungendum, sicut diligentius poteris, tuis inducas literis, & pręceptis; sicque fiat, quod ipsis Regis ęterni familię, contra Pruthenorum perfidiam constitutę, succursum procurantibus opportunum, memorata plantatio votivis profectibus amplietur, & tibi, ac eisdem Fratribus, per hęc, & alia virtutum opera, quę tua, & ipsorum procurat devotio non remissa, felicitatis ęternę gloria conferatur. Datum Anagnię II Nonas Octobria Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium a pastorali solicitudine.

Elogium Ordinis.

Fratres Prædicatores vicarii a Summo Pontifice constituti.

Mandat ut supra.

1. *Jordano.*) Cujus mentio supra *XVI Maii MCCXXVII.*
2. *Pruthenos.*) Adversus *Pruthenos* prædicandam crucem voluit hoc Anno Pontifex, quia inaudito furore conjurarant in Christianos impii, ferro & flamma omnia delentes, ac fidelium sanguine sese cruentantes. Eo insuper impietatis devenerant *Pruthent*, ut ejurata suscepta Fide Virgines immolarent dæmoniis. Quo inhumanam coercerent audaciam, aperto marte, nec infelici, strenue bellabant *Teutonici* Fratres, nec tamen numero pares. Hinc, ne tandem aliquando palmam reportarent *Prutheni*, Fratres Prædicatores præposuit *Gregorius*, ut *crucesignatorum* accerserent auxilia.
3. *Prussiæ.*) In Regno *Polonico*.
4. *Partibus.*) Diplomata hæc exscripsimus supra.
5. *Literas.*) Hic de sequenti Diplomate.

Fratribus Ordinis Prædicatorum in Prussiæ partibus constitutis, ut exercitui Crucesignatorum succurrentibus [1] Indulgentiam largiantur.

Anno 1233 Die 6 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 410.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Prussię partibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCVII.

Ut Dei nostri militia in Prussię partibus constituta eo plenius a Pruthenorum insultibus sit immunis, quo fulta fuerit necessariis munimentis, devotioni vestrę digne duximus suadendum, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ad ędificia, & fossata, necnon munitiones alias faciendas, per quas in prędictis partibus Christiani robur exercitus augeatur, fideles in eodem exercitu constitutos piis exhortationibus efficaciter inducatis. Verum, ut, quod vobis scripto suggeritur, intervento pręmii salutaris facilius impetretur, nos de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint, & expensis, viginti dies de injuncta sibi pęnitentia relaxamus. Datum Anagnię II Nonas Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium.

Concedit ut supra.

1. *Succurrentibus.*) Legesis quæ ad præcedens Diploma.

Anno 1233 Die 7 Octobris.

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut caveant a Pruthenorum (1) calliditate, & Crucigeros in ipsos concitent.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 412.

XCVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum in Prussię partibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

GAudium de vinea noviter plantata colligitur, si venusta floribus, & tandem onusta fructibus videatur. Verum si alicujus pravitate pereat accidentis, pro lętitia męstitudo subsequitur, & de labore dispendium suboritur. Sane in gratiarum Domino gratulantes accepimus ex literis, & relatibus diversorum,

Pruthenorum feritas.

quod cum Pruthenorum feritas Redemptoris familiam, in Prussię confinio constitutam, pro majori parte diversis pęnarum generibus desevisset, & residuum continuis abolere conatibus moliretur, tandem, divina providentia disponente, quę, temporibus, & momentis in sua potestate positis, suis reddit hostibus ultionem, & libertatis munere captivos reficit & elisos, dilecti filii Fratres Hospitalis Sanctę Marię Teu-

FF. Teutonici ipsos fugant.

tonicorum in Prussię partibus Fidei negotium magnanimiter assumentes, in tantum fidelium suffulti subsidio, per Christi gratiam profecerunt, quod Pruthenis eisdem fugę terga dantibus locorum incolę vicinorum in pace respirant & requie qui sub illorum tunsionibus, & pressuris cogebantur sępius expirare. Quid ultra? Operante gratia Creatoris usque ad illorum flumina jam suos extendit palmites Religio Christiana, constructis ibi munitionibus, per quas hostium adversitati resistitur, & fidelium prosperitas procuratur. Unde fit, quod cum pręfati Prutheni, dementię spiritu concitati, triumphanti Christi militię solitam resistendi

Pruthenorum fallacia.

non habeant facultatem, quęrentes fraudibus allequi, quod nequit eorum viribus obtineri, ad exquisitas fallacias ingenia convertentes, baptizari postulant, ut ratione similitudinis non jurgati, renatos fonte Baptismatis liberius impetant, & confringant: sicut pridem, sequentes proditionis Judę vestigia, quod dolentes audivimus, & turbati referimus, effecerunt. Nam venerabilem Fratrem nostrum Episcopum Prussię, falsa baptismi specie seducentes ipsum, resumpto veneno perfidię, quod credebatur in eis regenerationis lavacrum extinxisse, in mortem traditis viris illum comitantibus, bellicosis, & sacrilegis manibus capere pręsumpserunt, illas postmodum mittere gestientes ad sortia, si forte, quod absit, populus Domini cedat, vel decidat, violentia eorum incursibus consternatus. Verum cum dolositatibus tam iniquis sit prudenti diligentia salubriter occurrendum, discretioni vestrę per Apostolica scripta in virtute obedientię

Quam caute Prutheni sint admittendi ad Baptismum.

pręsentibus mandamus, ac in remissionem peccaminum injungimus, quatenus gentis perversę fallaciam in speculo providentię contemplantes, illius invocato subsidio, cui clarescunt secreta cordium, & scientiam quorumlibet obtinet occultorum, omne studium, & solicitudinem habeatis, quod in suscipiendis Pruthenis ad Ecclesiastica Sacramenta, quę, ipso solo fallendi prętextu, diebus quęsiisse prętenitis, & pręsentibus quęrere convincuntur, cautela tam diligens observetur, ut lucis filios sibi non statuant in derisum, & fidelibus non inducant perniciem, quę Salvator ipsis disposuit ad salutem; alioquin, ne temerariis pręsumptionibus aliquorum contrarium attentetur, contradictores, si necesse fuerit, monitione pręmissa, per Cen-

Ut Crucigeros in infideles concitent.

suram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Ceterum cum in desideriis habeamus, ut vos provide attendentes, quam gratum in oculis supremę Majestatis existat, si ejus Sapientia ibi celebris habeatur, ubi reverentia terrę nocentibus, & aereis potestatibus exhibetur, quolibet abdicato tędio, in proponendo Crucis Evangelio vigiles existentes, Fideles Christiani exercitus, in memoratis Prussię partibus constitutos, ad ipsorum cornua confringenda, exhortationis sacrę frequentia laudabiliter animetis, ipsos, ut Fratribus memoratis, qui sequentes vestigia Crucifixi, substantiam, & accidens ejus obsequio deputarunt, reverenter intendant, & super eorum consilio dirigantur, efficaciter inducentes, ut ipsis, & illis in Christi negotio procedentibus cum consensu eorum catervam in divinis laudibus congregatam, impetus barbarę feritatis non obruat, & a triumphi bravio satanę malitia non excludat; sicque fiat, quod plantatio dominica, quę nunc florere cernitur, quasi colentibus vobis ad ubertatem fructuum procedat, & vos tandem ad aulę cęlestis atria, jubente Domino, conscendatis, ibi cum ceteris beatitudinis ęternę consortibus, ante Regis faciem constitutis, candorem sicut lilium, & odorem ut balsamum habituri. Datum Anagnię Nonis Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Pruthenorum.*) Induerant enim pietatis larvam perfidi *Pruthens*, cum sese a *Teutonicis* victos lugerent, at brevi fraus patuit; enim vero Episcopum *Prussiæ* suscipiendi Baptismi specie excitum, obtruncatis iis qui stipabant ipsum, vinculis mancipa- runt: quapropter Fratres Prædicatores monitos vult, ut lupos rapaces noverint, si in vestimentis ovium impii *Pruthens* accedant ad fideles. Ex *Odorico Raynaldo ad Annum MCCXXXIII num. LVIII.*

Anno 1233 Die 7 Octobris.

Fratribus in Prussiæ (1) partibus constitutis, ut fideles ad Barbarorum feritatem debellandam inducant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 415.

XCIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Prussię partibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

GAudium de vinea &c. (2) Ad hęc autem, quia noster exultat animus spe in Domino salutari, & in desiderio gerimus, ut in eisdem partibus christiani nominis excellentia jugiter amplietur, devotionem vestram rogantes, & obsecrantes in Domino Iesu Christo, in virtute obedientię pręsentibus mandamus, ac in remissionem peccaminum injungimus, quatenus considerato prudenter, quod gratum in oculis supernę maje-

majestatis existat, si ejus sapientia ibi celebris habeatur ubi reverentia terrę nocentibus & aeris potestatibus exhibetur, quolibet abdicato tędio, in proponendo Crucis Evangelio vigiles existentes, fideles populos vestrę prędicationi commissos in succursum Christiani exercitus in sępe dictis Prussię partibus constituti exhortationis sacrę frequentia laudabiliter inducatis, eis omnium peccatorum suorum veniam juxta formam vobis ab Apostolica Sede traditam pollicentes, sicque fiat, quod prędictum exercitum illorum subsidio roboratum impetus barbarę feritatis non obruat, & a triumphi bravio satanę malitia non excludat, vosque per diligentiam operis tam beati possitis et Apostolicę Sedis gratiam, & retributionis ęternę pręmia promereri. Datum Anagnię Nonis Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Prussia.*) Legesis Diplomata mox exscripta.
2. *Vinea &c.*) Ut in praecedenti ad haec usque verba: *Prosperitas procuratur.*

Fratribus Ordinis Prædicatorum de Bosna (1), ut nobilis viri Ubani (2) filium obsidem dimittant.

Anno 1233 Die 10 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 408.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Conventus de Bosna Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. C.

DIlectus filius noster vir Ninoslavus Dux de Bosna nobis exposuit, & nos libenter audivimus, & gaudemus, quod, vestrę sollicitudinis studio procurante, nobilis vir Ubanus, dictus Priesda, consanguineus ejus nuper ab immunditia pravitatis hereticę rediit ad Catholicę Fidei puritatem, & ut in illa stabilis perseveret, suadente Duce prefato filium suum vobis obsidem assignavit: verum quia de Fide ipsius jam non debet, sicut idem Dux asserit, dubitari, cum puram, & simplicem, & devotionem ejusdem erga Sanctam Ecclesiam, jam non argumenta, sed experimenta demonstrarent, dum in persequendis hereticis fideliter elaborat, nobis pro parte sua fuit humiliter supplicatum, ut dictum obsidem sibi restitui faceremus, ideoque mandamus quatenus, si vobis constiterit, quod dictus Ubanus sit plene conversus ad Fidem, desiderio ejus in parte ista sibi satisfacere curetis; proviso, quod per restitutionem hujusmodi, nihil possit Fidei contrarium provenire. Datum Anagnię VI Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Exordium exponit factum. Ubani sincera conversio. Filius obses restituendus.

1. *Bosna.*) Seu *Bosnia*, quæ etiam *Bossena*. Fuit olim pars Regni *Hungariæ*; habuit postmodum Reges proprios: cecidit jam sub imperium *Turcæ*.
2. *Ubani.*) Optime sic, & ad Historiæ fidem, quæ satis ambigue ab Auctoribus tradita fuit; non enim *Ninoslavi* quem *Bzovius*, *Spondanus*, *Fontana*, &c. *Nicoslavum* vocant, sed *Ubani* filius obses erat.

Universis Ecclesiarum Prælatis Fratres Ordinis Prædicatorum commendat.

Anno 1233 Die 11 Octobris.

Ex Archivo [1] *Ordinis.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus . . . Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis . . . Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CI.

QUoniam habundavit iniquitas &c. (2). Datum Anagnię V Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Iniquitas &c.*) Ut supra X *Maii MCCXXVII.*

Archiepiscopis, Episcopis &c. Teutoniæ, ut interfectores Magistri Conradi [1]. excommunicatos publice denuntient.

Anno 1233 Die 21 Octobris,

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 416.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis Ecclesiarum Prelatis per Teutoniam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CII.

VOx in Rama, idest tonitruo, nuper intonuit, quę christianę sanctificationis concusso pariete, velut fulgur reverberavit intuitum fortium, & tanquam fulmen auditum percutit infirmorum, quia licet sanctorum mors sit in conspectu Domini pretiosa, tamen Catholica Mater Ecclesia de illorum filiorum subtractione magis dolore afficitur, de quorum prędiis, & triumphis amplius lętabatur; nec mirum si Rachel (2), Ovis, verum videns mansueta principium, de illorum nece condoluit, quos ipsa doloris sui Pater dexterę filios nuncupavit; Cum Ægyptus (3) qui sedet in tenebris, & cęlestis panis affligitur egestate, septuaginta diebus defunctum Jacob Patrem fleverit aurescentis sui, famis tempore, Salvatoris. Sed & Israeliticus Populus triginta diebus Aaron, & totidem Moysis luxit occubitum, per quos se de temporali servitute noverat liberatum. Habitatores Jabes Galaad, viri fortissimi, audito, quod coram Philistiim Rex Saul, & ejus filii cecidissent, tota nocte pergentes tulerunt mortuorum cadavera de Civitate Victoruio, & in exequiis sepulturę dierum hebdomada jejunantes a David benedici, & diligi meruerunt, qui

Exordium ab exemplis.

qui scissis vestibus cum omnibus viris suis, lugens similiter super eum, & jejunans usque ad vesperam, etiam filias Israel provocavit ad luctum, non alias proponens causas fletuum, nisi, quod eis ille quędam pretiosa prębuerat ad delicias, & ornatum. Idem quoque multum placuisse legitur Populo, dum Abner Ducis sequens feretrum plangens ad tumulum, coram iniquitatis eum cecidisse filiis, & non sicut ignavi mori solent mortuum lamentatur. In novo denique Testamento, viros timoratos, qui sepelierunt Stephanum, fecisse planctum magnum legimus super eum, qui licet esset ad opus communis ministerii deputatus, tamen per unctionem Spiritus plenus fortitudine paucitatem nascentis Ecclesię tuebatur adversus multitudinem Synagogę. Quid est igitur, o Prelati, quod vos, velut si commissorum gregum minime curaretis, Magistrum Conradum de Marburg Ecclesię Paranymphum, ministrum luminis, interemptum crudeliter a tenebrarum filiis non defletis? Cujus dominici canis lingua majori latratu terruit lupos graves? Quis hodie plus zelatus est libertatem Ecclesiasticam, & utriusque hominis puritatem, ut Israelitam, vel cum Madianitide persoderet pugione, vel immolantem Idolis trucidaret? An non ipse minister veri Moysis malitiam mundialem velut alteram Jericho tubis sacerdotalibus evertebat, ut quilibet vir cordatus agnitis his lunę menstruis, & defectu, perpetuitatem potius justitię veri Solis quęreret, & haberet? Nunquid non exhibuit nobis alterum Mardochęum, qui vertitur in amare contemnens (4), quia multam de contemptu Aman amaritudinem reportavit, Ellher neptem, hoc est, Ecclesiam, per Christi, dignatione fratris, Evangelium generatam, gestiens Assuero, idest, beatitudini, corporare, constanter accusavit Eunuchos in longam, securamque nocendi libidinem superficialiter(5) exsertos hereticos, qui et in excidium Regis glorię fuerant machinati, quos fecit suspendi patibulo, cum patenter de pravitate convictos, solemni voluit interire tormento, & sic se pro suę liberatione gentis exposuit, quod Aman, qui interpretatur iniquitas, nec in articulo discriminis inclinavit? Quocirca, ne scriptura dicente: Viros misericordię, pro eo, quod non est, qui recogitet, de medio tolli, vobis noo persequentibus ex animo tantum scelus, simile quid valeat imputari; Cum & Antiochus, alias iniquus, & impius de Onię viri sobrii, & modesti morte usque ad lacrymas contristatus, & accensus animo, homicidam purpura fecerit exui, & circumductum vita privari, vos, filii Israel, Sacerdotes Domini, & Reges fidelium animarum pro vindicta mortis ipsius, & relevatione negotii, ad extirpandum hereses, roborandam Fidem Catholicam, & Ecclesiasticas sanctiones, decebat accingi Simeonis, & Levi gladiis, concrepare buccinis, cum vasis procedere bellicis, vel cum Machabęo Duce divinę legis persugas, canes reversos ad vomitum, sues in volutabro lutulentos, per omnes perversitatis, & confidentię suę latebras perscrutantes, dejectionem populi fidelis erigere: & debito judicio condemnare impios deberetis. Quia igitur, licet contra viros sanguinum memoratos, rebelles luminis, filios desertores, qui, quod relatu horrendum fuerat, & stupendum auditu, prędictum Magistrum Conradum, virum consummatę virtutis, & pręconem Fidei Christianę sacrilegis teoere manibus, & ferina mente perimere pręsumpserunt, ac contra eorum complices severitate condigna procedere nequeamus, cum vix excogitari pęna valeat temporalis, quę digne sufficeret ad tam immanis facinoris ultionem, ne tamen Petri gladius, cujus sumus immeriti successores in manu nostra videatur omnino torpere, vel illi iniquitate potentes de sua valeant malitia gloriari, universitatem vestram rogsndam duximus attentius, & hortamur, ac per Apostolica vobis scripta firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus eos, ipsorum desensores, complices, & fautores, singulis dominicis diebus, & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, tandiu excommunicatos publice nuncietis, & per vestras Dięceses nunciari singuli faciatis, ac ab omnibus arctius evitari, Castra, Villas, & alia loca, in quibus receptati fuerint supponentes nihilominus Ecclesiastico Interdicto, donec de tanto excessu satisfaciant competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi; eos quoque qui excommunicatos ipsos receptare, vel manutenere pręsumpserint, ut eosdem abiiciant diligenter, monitione pręmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, Datum Anagnię XII Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Laudes Magistri Conradi de Marburg.

Conradi patricidas excommunicandos decernit.

1. *Conradi.*) De quo in *Dissertatione*, cui Titulus: *Vindiciæ Fratris Conradi*, *Tomo ultimo*.
2. *Rachel.*) Scopulosus locus, intento sis animo, quid valeat Hebraismus perpende: *Rachel* enim Hebraice, Latine dicitur *Ovis*. Dum autem legis: *Ipsa doloris sui pater*, cave quicquam ibi mutes: illud siquidem ex Hebraismo dictum crediderim: Immo nec Grammaticis omnino displiceret, ut ex sequenti notatione videre est.
3. *Ægyptus.*) Ob rem significatam, *Ægyptios* nempe, Masculinum genus hic obtinet *Ægyptus*. Sic alicubi *Cicero*. *Duo importuna prodigia, quos egestas*.
4. *Contemnens.*) *Mardochai* siquidem Hebraice, Latine dicitur *amara contritio*.
5. *Superficialiter.*) Forsitan: *Supervincent*.

Anno 1233 Die 21 Octobris.

Archiepiscopo [1] Maguntino, Episcopo Hildeshemiensi, & F. Conrado [2], ut in hæreticos (3) inquirant.

Ex Arch. Ord: lib. A. fol. 415.

CIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Maguntino, Episcopo Hildeshemiensi, & dilecto filio Fratri Conrado Provinciali Ordinis Prędicatorum in Teutonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab enarratione gestorum in Teutonia.

Commissio.

DOlemus, & vehementi commotione turbamur, quod Teutonia, quę erat hortus spiritualium voluptatum Catholicę viriditate Fidei, est fędata sordibus vitiorum, & nisi Dominus reliquisset in ea benedictionis semen, viros sincerę fidei zelatores, negotium correctionis ipsius esset ambiguum & forsan desperandum. Nunc vero cum, sicut in veritate comperimus, vos, & alii Ecclesiarum Prelati, ac personę, Fratres quoque Ordinis Prędicatorum tollentes resinam ad dolorem ejus, & cauterium ad tumorem, ac cum Evangelico Samaritano vinum & oleum vulneribus infundentes, vigilanter instatis, si forte sit sanitas, nec non viri nobiles, vere fortes veri lectulum Salomonis gladiis ambiunt, dum vobis efficaciter assistentes opus Dei, & utilitatem publicam operantur, unde non immerito prosperari jam in talium manu Fidei negotium credimus, quod pro immanitate scelerum & multitudine perversorum timere contrarium poteramus. Quocirca mandamus, quatenus, assumptis vobiscum viris Religiosis & Deum timentibus, ac jure pe-

peritis in examinatione, condemnatione, & reconciliatione juxta formam concilii (4) Generalis, & statuta (5) nuper a nobis edita procedatis, attentius provisuri, ut puniatur sic temeritas perversorum, quod innocentię puritas non lędatur, universis auctoritate nostra mandantes quibus hoc negotium fidei est commissum, ut super formam & statuta pręscripta procedere non postponatur. Contradictores &c. Quod si non omnes &c. Datum Anagnię XII Kal. Novembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Archiepiscopo.*) Ut supra *ad Diem X Junii MCCXXXIII.*
2. *Conrado.*) Istius mentio apud *Cantipratanum de Apibus lib.II Cap.LVII §. XXIII, & in Vitis Fratrum Lib.V Cap.II §.III.*
3. *Hæreticos.*) *Condormientes*: de quibus *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num.XIII.*
4. *Concilii.*) *Lateranen.IV.*
5. *Statuta.*) De quibus supra *ad Diem XXVI Maii MCCXXXII.* Videntur tamen *Bzovio* mox laudato quædam in *Condormientes* hæreticos hoc Anno promulgata fuisse statuta.

Archiepiscopo [1] Maguntino, Episcopo Hildeshemiensi, & Provinciali Ordinis Prædicatorum in Teutonia, ut inducant fideles ad extirpandam hæreticam pravitatem.

Anno 1233 Die 31 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 419.

CIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Maguntino, Episcopo Hildeshemiensi, & dilecto filio Provinciali Fratrum Prędicatorum in Teutonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab inimici hominis insidiis.

QUerit assidue perfidia perditorum singulis, quos odio persequuntur, per illorum domesticos & dilectos procurare discrimina, eo quod in cunctis partibus familiaris inimici jacula sint nociva. Sane humani generis inimicus continuę perversitatis officio deputatus, perplures de gentis collegio gratiosę, in partibus Teutonię constitutę, quas inter ceteras fidelium nationes reputavit, & reputat mater Ecclesia spirituales Christianę Fidei professores, atterere nititur, & illius prorsus evacuare gloriam multipliciter experitur. Ipse quidem, sicut dolentes audivimus, & referimus conturbati, pridem bonę memorię Magistrum Conradum de Marburg pręconem pręcipuum summi Regis, & Fratrem Gerardum (2), quos eadem Fides & passio vere fecit esse germanos, suorum manibus ministrorum extinxit, & ex hoc iniquitatis suę participes ad perditionis opera solito fortius instigavit. Quid ad ista? Nonne satis evidenter innuitur, quod ille actor perfidię perditionis filius Satan tumidus & elatus, qui sedem ad Aquilonem ponere voluit & Altissimi similitudinem obtinere, velit & nunc Sapientię Dei Patris obsistere, ac ne possit electorum restaurari numerus, impedire? Quid est enim fideles a cultu seducere Conditoris, nisi quod cęli atrium careat futura pręsentia Beatorum? Quid est sanctę doctores Ecclesię & alios in gentibus nomen Domini nunciantes mortis delere suppliciis, nisi quod fidelibus via vitę non pateat eorum salubribus documentis? Ergo Fratres, quibus consiliis, quibusve remediis hujusmodi perversionis periculis obsistetur? Porro non est abbreviata manus Domini, quin suę sponsę studio, quam virtutum insignibus redimitam triumphanti fortitudine communivit, fraudibus principis superborum, quem de summis ad ima propulit, & inferorum miserię deputavit, possit potenter accurrere, ac perfidię tenebris involutos de collegio fidelium abolere. Vobis igitur, quos virtus Divina constituit exaltare in populis suis magnitudinem Majestatis, per Apostolica scripta in virtute obedientię districte pręcipiendo mandamus, ac in remissionem injungimus peccatorum, quatenus provide attendentes, quantum possit fidelibus imminere periculum, si, quod absit, pestis hęretica majus suscipiat incrementum, pręsertim cum leprę contagium quanto grandius redditur, tanto gravius toleretur, vos promptis affectibus, ad proponendum contra illam Crucis Evangelium in Teutonię partibus, quibus potius expedire videritis, accingentes, assumptis in partem solicitudinis (3) quibus digne congrua supernę pręconium veritatis, super dona prudentię, quę de cęlesti plenitudine, vos, tribuente Domino, credimus accepisse, Regis ęterni populum in eisdem partibus constitutum, ad hoc sacris & attentis exhortationibus inducatis, ut suscepto cum reverentia signaculo sanctę Crucis, constantis animi fulcimenta suscipiant, & ad perdendas vepres, quę familiam quęrunt extinguere Conditoris potenti virtute se dirigant & procedant, sicque fiat, quod illarum confusa congerie possit Christiana Religio pręsentis & ęternę salutis gaudiis exultare. Verum, ut quod a nobis scripto suggeritur, sacrorum impensa munerum ad effectus gratiam, actore Domino, perducatur, Nos de omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus & confessis, qui ad spinas hęreticę pravitatis, ęternę punctionis aculeos producentes, extirpandas de vinea Redemptoris laborem subierint in personis propriis, vel expensis, omnium peccatorum suorum veniam, sicut euntibus Jerosolymam, indulgemus. Datum Anagnię II Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Magister Conradus & Frater Gerardus occisi propter Fidem.

Commissio.

Crucigeris Indulgentiam elargitur Plenariam.

1. *Archiepiscopo.*) Ut in præcedenti Diplomate.
2. *Gerardum.*) Quis iste fuerit, dicetur in *Dissertatione*, cui Titulus: *Vindiciæ F. Conradi. Tomo ultimo.*
3. *Solicitudinis.*) Supple: *Illis.*

Fratres Prædicatores, & Minores laudibus efferens, Mediolanensibus (1) gratulatur, quod bellum indixerint hæreticæ pravitati.

Anno 1233 Die 1 Decembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 421.

CV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Clero Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum Prædicatorum, & Minorum.

BEnedicimus Deum cęli, & ei coram cunctis viventibus confitemur, laudes, & gratias referentes, quod hujus nostri tempore incolatus Evangelicus Paterfamilias per dilectos filios Fratres Prędicatores & Minores, operarios in vineę suę cultum undecima diei hora conductos, mirabilium suorum memoriam inno-

innovat, & nobis expressa suę signa misericordię repręsentat. Vestrorum quoque profectui meritorum paterno congratulamur affectu, quod sicut per Fratris Jacobi (2), prędicti Ordinis, in Mediolano Prioris, literas nobis innotuit, bello adversariis patenter indicto, cum filiis Mathathię prelia aiacriter agitis, & in Dei castris pro Fidei negotio Christianę jugiter excubantes, ad extirpandam de medio Mediolanen. multitudinis pravitatem hęreticam, & Fidem Catholicam roborandam, dedistis, & datis operam efficacem: propter quod sinceritatis vestrę zelum, & puritatem Fidei dignis in Domino laudibus commendantes, ac prosequentes actionibus gratiarum, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, & in remissionem vobis injungimus peccaminum, quatenus sagaciter attendendo, quod in universis vestrę salutis operibus perseverantia quęritur, cum nonnisi qui legitime certaverit, & in finem usque perseveraverit, coronetur a Domino, & salvetur, finem curetis continuare principio, vespertinum sacrificium matutino, ceptum negotium exitu tam laudabili concludentes, quod a Deo digna possitis premia consequi, & a nobis non immerito commendari. Datum Laterani Kalendis Decembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

Hortatur ad perseverantiam.

1. *Mediolanensibus*.) In partibus enim *Lombardiæ* vigebat tunc fœdissima hæresis *Catarorum*, de quibus *Bonacursus in Vitis hæreticorum apud Dacherium Tomo XIII Spicilegii*. Omnibus nervis hæresi repugnabat *S. Petrus* Ordinis nostri decus: cum ergo suppetias ipsi tulissent *Mediolanenses*, & aperto marte persequerentur impios, ut in sancto proposito confirmaret ipsos, scripsit Pontifex.

2. *Jacobi*.) *De Castro Alquadro*, seu *Arquata*. Fuit ille Provincialis *Lombardiæ*. Num *Mantuanæ* præfuerit Ecclesiæ, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Anno 1234 Die 4 Februarii.

Provinciam Senonensem (1) a jurisdictione Inquisitorum retrahit, & Fratres Prædicatores, quos laudat, vocandos in auxilium contra hæreticos sancit.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 421.

CVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Senonensi, & suffraganeis suis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab hæreticorum perfidia.

OLim intellecto, quod in quibusdam Provinciis inconsutilia vestis Christi, cui manus crucifigentium pepercerunt, rumpebatur ab illis, qui eum in membris suis iterum crucifigunt, & reptilia, quę dudum insidiantia calcaneo, ut cum equo prosternerent ascensorem, occulte in pulvere latitabant, nunc insurgebant in faciem, & Catholicę Fidei insidias moliebantur apertas, necnon animalia pusilla, quę vineam Domini latenter consueverant demoliri, patenter messem dominicam, ligatis ad caudas facibus, comburebant, Fratribus Ordinis Prędicatorum, habentibus zelum Dei, & in opere potentibus, Apostolica scripta direximus (2), ut ad caput hujusmodi reptilium conterendum, vulpes parvulas capiendas, & maxillas eorum, qui Christi Ecclesiam lacerabant, in fręna cohibendas & camo, potenter assurgerent, & oves errantes ad ovile suis humeris reportarent, necnon personas infectas scabra rubigine vetustatis lima suę prędicationis eraderent, ut mundę in Sanctuarium Domini, & cęlestem patriam introirent, nec enim decuit Apostolicam Sedem in oculis suis, cum Madianita coeunte Judęo, manum suam a sanguine prohibere, ne si secus ageret, non custodire populum Israel, nec super grege suo noctis vigilias vigilare, sed dormire, seu dormitare potius videretur. Porro nec fuit mandantis intentio, nec scribentis voluntas hoc habuit, ut super aliis Provinciis, pręterquam de hęresi infamatis, ad eos scripta hujusmodi emanarent, sed si forte contrarius fuerit subsecutus eventus, credimus, quod hoc ignara occupatio fuerit, vel dolosa subreptio procurarit, ac ideo ea volumus effectu carere, quibus causa non fuit efficiens intentio mandatoris. Verum, quia inter ceteras Provincias, vestra sinceritatem Catholicę Fidei, vestra & vestrorum prędecessorum sollicitudine, perpetuis temporibus observavit, mandamus, quatenus, non obstantibus literis super premissis Priori Proviciali Fratrum Prędicatorum in Francia destinatis, quas, quantum ad ipsam Provinciam, revocamus, singuli vestrum in Dięcesibus suis opponentes vos murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, contra hęreticos hujusmodi studeatis solicite debitum Pastoralis officii exercere, & eos reconciliare Domino, quorum mentes Angelus tenebrarum excęcans, a cognitione veri luminis reddidit alienas; ut non, sicut servus, qui sibi talentum creditum non tradidit nummulariis ad usuras, sed in sudario religavit, possitis redargui; quinpotius, sicut ille, quem invenit Dominus super pauca fidelem, super multa constitui & ad ęterna mereamini gaudia sublevari. Ceterum, quod dicti Fratres eo sunt ad confutandos hęreticos aptiores, quo magis in eis vivificat vita doctrinam, & doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod sermonibus explicatur, negotio Fidei credimus utile, ut eos ad extirpandos errores perversorum dogmatum, sicut expedire videritis, advocetis. Datum Laterani II Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno Septimo.

Fratres Prædicatores ad fugandos, & convertendos hæreticos missi.

Ne provincia Senonensis Inquisitorum juris ac potestatis sit, cavet.

Ut contrà hæreticos advocentur Fratres Prædicatores, præscribit.

1. *Senonensem*.) Ut inferius *ad Diem XXI Augusti MCCXXXV.*

2. *Direximus*.) Literas lege superius *ad XIX, XX, & XXII April. Anno MCCXXXIII.*

Anno 1234 Die 5 April.

Priori & Fratribus Cœnobii Prædicatorum Pisan., ut Monialibus S. Cerbonii habitum Cisterciensis Ordinis concedant [1].

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 423.

CVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum de Pisis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab enarratione facti.

OPus continentis Societatis benevolo favore prosequi delectantes, tanto libentius illis finem laudabilem procuramus, quanto prę ceteris vacare tenemur officio pietatis. Hinc est, quod dilecta in Christo filia Abbatissa, & conventus Monasterii Sancti Cerbonii Ordinis S. Benedicti Lucanę Dięcesis nobis humiliter supplicarunt, ut cum ad frugem transire vitę cupiant melioris. eis conferri habitum Cisterciensis Ordinis mandaremus, presertim cum & ipsę liberius per hoc se credant Divino posse cultui desudare, ac plures nobiles Mulieres Lucan. & Pisan. Civitatum, & Dięces., cum adimpletum fuerit, paratę sint illuc ad Redemptoris obsequia se transferre. Nos earum pium desiderium in Domino commendantes, ac ipsarum supplicationibus benignius annuentes, mandamus, quatenus ipsis prędatum habitum tribuatis, juxta ejusdem Ordinis instituta. Nos autem compensationem, super hoc Lucan. Episcopo faciendam, nostrę dispositioni servamus. Ceterum, si aliquę recipere noluerint habitum memoratum, eas auctoritate nostra in aliis Monasteriis sui Ordinis collocetis. Contradictores &c. Datum Laterani Nonis Aprilis Pontificatus nostri Anno Octavo.

Mandat ut supra.

1. *Concedant.*) Cum inter universas Ordinum varietates, quibus Sponsa Christi decorata est, *Cisterciensis* Ordinis professores tanto differentius præ ceteris triumphales Sanctitatis titulos referrent, quanto expressius Religionis Apostolicæ vestigiis inhærebant, Moniales *S. Cerbonii*, Ordinis *S. Benedicti* vetustata, doctrina, & pietate percelebris, *Lucanæ* Diœceseos in *Hetruria*, ut ad Ordinem *Cisterciensem* transferrentur omnibus precibus petiere. Piis votis annuit Pontifex, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Pisis in Italia commorantibus, præsens Diploma dedit.

Anno 1234 Die 3 Julii.

S. Patriarcham Dominicum Cælitibus annumerat (1).

Ex Codice (2) Canonizationum ad Annum MCCXXXIV.

CVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Prępositis, & aliis Ecclesiarum Pręlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

FOns sapientię Verbum Patris Dominus Iesus Christus, cujus natura bonitas, opus misericordia, redimens & renovans quos creavit, qui vineam, quam de Ægypto transtulit, usque ad consummationem seculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innovat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat; dum in Ecclesię nascentis exordio, post obitum Moysis, videlicet finem legis, ascensurus equos, & in Evangeliorum quadrigis, quę vere sunt sanitas, arcu sacri eloquii, quem, donec Judeus infirmaretur, intenderat, & juramentis, quę in patribus nobis disposuerat. suscitatis, confidentiam Jerico, gloriam mundi, quem prędicationis fremitu. obstupefactis gentibus, vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret, & in Raab salutem latitudinis gentium signo coccineo figuraret. In prima quadrigarum quatuor egredientium, in Zacharia, de medio duorum montium ęreorum, protulit equos rufos, populorum Principes, fortes terrę, qui per obedientiam Fidei, Deo Abraham, patris credentium, in fundamentum novi fęderis adhęrentes, ad Ducis instar tinctis de Bosra, idest tribulationis angustia, vestibus, cuncta sueę signa militię rubricarunt, ut pro futurę glorię gaudio pręsentem gladium non timentes, effecti Martyres, idest testes, novę legis libro confessionis voce subscriberent, & forinsecus miraculorum signis adstipulationum robur appositis, librum, & tabernaculum, quod Deus, & non homo, fixit, ac evangelici vasa ministerii, non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent, & in universam spatiosi maris faciem sagena prędicationis expansa, multiplicatam super numerum, de cunctis, quę sub cęlo sunt, nationibus, Ecclesiam congregarent. Sed quia pręsumptio multitudinem, & malitia subsecuta est libertatem, in quadriga secunda sub colore, qui lugentibus, & pęnitentibus congruit, equestrem cuneum deputavit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum sub novi Israelis auriga, Sanctissimo Benedicto, velut sub altero Eliseo, filii prophetarum, communis vitę bonum, occasione multitudinis perditum, in jucundę cohabitionis grata societate restituit, & sic unitatis scissum rete reficiens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, unde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros nivis, & contritis corde quiescere; qui dedignatur in corpore peccatis subdito habitare. Post quos, quasi lassum renovaturus exercitum, & redditurus jubilum post lamentum, applicitis ad quadrigam tertiam equis albis Fratribus Cistercien. Ordinis, & Florensis, velut tonsarum greges geminę caritatis fętibus uberes, de pęnitentię lavacro fecit ascendere, Sancto Bernardo ariete ovium in virtute spiritus, qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti vallium pręeunte, ut transeuntes liberati per eum, in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant castra Dei exercituum super mare. Novo igitur Israele his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philistiim fecerant, occurrente, hora undecima, cum dies jam declinasset ad vesperum, & propter iniquitatis abundantiam, caritate plurimum frigescente, vergeret Justitię radius ad occasum, quia vineam, ad quam Paterfamilias operarios diversis temporibus, denarii conductos conventione, pręmiserat, & quam sua dextera plantarat, non solum vitiorum vepres, & spinę pervaserant, sed jam propemodum vulpeculę demolientes, convertere in alienę vitis amaritudinem intendebant, adversus infestissimam multitudinem, militiam adunare voluit promptiorem. Et, sicut in

Abraham pater Credentium

Martyres testes Evangelicæ veritatis.

Ordo S. Benedicti laudibus celebratur.

Cisterciensis Ordinis encomium.

Prædicatorum & Minorum Fratrum Ordines laudat.

inpręsentiarum cernimus, post trium signis differentium tyrocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios, & robustos, Prędicatorum & Minorum Fratrum agmina, cum electis Ducibus, simul in prelium directurus, spiritum Sancti Dominici suscitavit, & ei velut equo suę glorię prębens Fidei fortitudinem, & fervorem, divinę Prędicationis hinnitum circumdedit collo ejus. Qui gerens a pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitę requisivit auctorem, & Deo deditus, ac in Nazarenum sub Beati Augustini Regula consecratus, sedulum circa sancta, Samuelis imitatus obsequium, in castigatione desiderii, piissimum Danielis continuavit affectum, justitię semitas, & sanctorum vias strenuus Athleta custodiens, & velut ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis Ecclesię magisterio, ac ministerio non discedens, carnem spiritui, & sensualitatem subiiciens rationi, & factus unus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & sobrię compassionis studiis a caritate proximi non recessit. Quo sagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hereticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultavit. Ætate crescente crevit & gratia, quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit animum, & per Evangelium Christi multos generans, in conversione tam strenuę multitudinis, Evangelicę dignitatis officium profitentis, nomen & opus in terra meruit obtinere majorum. Pastor & Dux inclytus in Populo Dei factus, novum Prędicatorum Ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis confirmare desiit evidentibus, & probatis. Nam inter opera sanctitatis, & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diversorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cęcis, surdis auditu, gressu paraliticis, & sanitate pristina multarum generibus invalitudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in ejusdem Sanctissimi gleba corporis habitavit. Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis officio habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insigni vitę testimonio constiterint, eisque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides, Nos cum commisso nobis grege Domini confidentes, ejus posse suffragiis per Dei misericordiam adjuvari, ut cujus in terris solatium gratiosę familiaritatis habere meruimus, ejus in Cęlis potenti patrocinio gaudeamus, ipsum de Fratrum nostrorum consilio, & assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Prelatorum, Catalogo Sanctorum ascribi decrevimus: Statuentes firmiter, ac universitati vestrę pręsentibus injungentes, ut Nonis [3] Augusti, ante diem (4), quo, posita carnis sarcina, dives meritis penetravit in sancta, similis sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, & faciatis solenniter celebrari, quatenus ipsius precibus Deus, quem vivens coluit, exoratus, gratiam in pręsenti seculo, & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos vero tanti Confessoris venerabilem sepulturam, quę Miraculorum fulgoribus generalem illustrat Ecclesiam, cupientes dignis Christianę devotionis honoribus frequentari, vere penitentibus & confessis, illam in festivitate prefata, annis singulis cum devotione, ac reverentia debita visitantibus, de Omnipotentis Dei Misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum Annum de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Reate V Nonas Julii Pontificatus nostri Anno Octavo.

Virtutes S. P. Dominici.

Miracula.

Inter Sanctos refertur.

S. P. Dominici Festum Nonis Augusti celebrandum.

Indulgentia concessa visitantibus sepulcrum ejusdem.

1. *Annumerat.*) Ubinam, qua Die, quo Mense, quo Anno *S. Patriarcha Dominicus* inter Sanctos relatus sit? Dicetur in *Dissertatione V Tomo ultimo*.

2. *Ex Codice.*) Typis nunc editur. Ipsius Auctor *Illustrissimus D. Justus Fontanini, Archiepiscopus Ancyranus*, vir eruditione juxta, & laboribus ad Ecclesiæ utilitatem impensis clarissimus. Diploma transcripsit collatum cum Autographo *Tabularii Vaticani Lib. VIII Epistol. CXLII*; Qua collatione eo vel maxime opus erat, quod, uti notat mox laudatus Antistes, crebrioribus mendis scatet apud Auctores. Adeas *Castellanum pag. 3*, *Usus marem pag. 11*, *Cherubinum in Gregor. IX num. VIII*, *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIV*, *Malvendam Annal. Prædicator. ad eundem Annum pag. 527*, *Consettium in collectione Privilegior. pag. 4 &c.* Asservantur Autographa *Tolosæ*, *Parisiis &c.* Quædam data dicuntur *Reate*; alia *Romæ*; nonnulla *Perusii*; aliqua *Spoleti*: nec unam & eandem Diem habent adscriptam. Hinc ea de re sententiæ diffident, sed de his in *Dissertatione laudata*.

3. *Nonis.*) Ne scilicet *Sanctissimi Patriarchæ* Festum cum *Dominica Transfiguratione* concurreret, si *Die VI Mensis Augusti* celebraretur. Nunc *Die IV* fit ob Festum *S. Mariæ ad Nives*.

4. *Ante Diem.*) Cælum siquidem petiit *S. Patriarcha Dominicus* Die VI Augusti, Feria VI, hora Meridiana, ætatis Anno LI, Christi MCCXXI, natus cum erat Anno MCLXX.

Anno 1234 Die 5 Septembris.

Fratribus Ordinis Prædicatorum in Prussiæ (1) partibus constitutis, ut Teutonicis quædam legata persolvi curent.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 425.

CIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm, sicut accepimus, in Prussię partibus, favoris divini munere, ampliata sit gloria Fidei Christianę; Nos exinde in virtutum domino gratulantes, ac ex intimo cupientes, ut quod ibi laudabiliter inceptum esse dignoscitur, fine prospero concludatur, libenter studium nostrę provisionis apponimus, & efficaciter in Domino procuramus. Hinc est, quod, sicut accepimus, cum a fidelibus, in commissis prędicationi vestrę Provinciis constitutis, plura bona sint in Prussię legata, vel promissa subsidium, per quę Christiano Exercitui grandis poterit utilitas procurari, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus illos, quorum fidei legata hujusmodi sunt commissa, nec non alios, qui de bonis suis prefatę Prussię subventionis auxilium promiserunt, ad hoc vestris exhortationibus inducatis, ut tam legata, quam bona promissa dilectis filiis Fratribus Hospitalis Sanctę Marię Teutonicorum Jerosolimytan., qui supernę obtentu Patrię, quam sua vestigia sequentibus scitur Dei veritas promisisse, assumpserunt Fidei negotium in Prussię partibus magnanimiter promovendum, pia solvere liberalitate procurent. Sicque fiat, quod memorati Fratres, hujusmodi roborati subsidiis, libere perficere valeant, quod sit ad laudem, & gloriam Redemptoris. Datum Spoleti Nonis Septembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Nonnulla in Prussiæ subsidium vel legata, vel promissa erant.

Ea Teutonicis Fratribus danda decernit.

1. *Prussiæ.*) Legendum *Diploma Datum VI Octobris MCCXXXIII.*

Do-

Doctoribus & Scholaribus universis Parisiis (1) commorantibus, ut omnes in judiciis, ac in scholis utantur compilatione (2), seu epirome Decretalium, concinnata a F. Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum.

Anno 1234 Die 5 Septembris.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol: 424.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Doctoribus, & Scholaribus universis, Parisius commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CX.

REx pacificus pia miseratione disposuit, sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos, sed effrenata cupiditas sui prodiga, pacis ęmula, mater litium, materia jurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut, nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret, & questiones ipsius implicitas explicaret, jus humani fęderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudii, concordia extra mundi terminos exularet; Ideoque lex prodiit, ut appetitus noxius sub Juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non lędat, jus suum cuique tribuat, informatur. Sane diversas Constitutiones, & Decretales Epistolas Prędecessorum nostrorum in diversa dispersas volumina, quarum aliquę propter nimiam similitudinem, & quędam propter contrarietatem, nonnullę etiam propter sui prolixitatem confusionem inducere videbantur, aliquę vero vagabantur extra volumina supradicta, quę tanquam incertę frequenter in judiciis vacillabant, ad communem, & maxime studentium utilitatem, per dilectum filium Fratrem Raymundum Capellanum, & Pęnitentiarium nostrum in unum volumen, resecatis superfluis (3) providimus redigendas: adiicientes Constitutiones nostras, & Decretales Epistolas, per quas nonnulla, quę in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis, & in scholis, districtius prohibemus, ne quis pręsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicę speciali. Datum Spoleti Nonis Septembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Exordium. Cur lex data sit. Mandat ut supra.

1. *Parisiis.*) In nonnullis exemplaribus legitur *Bononiæ*; In aliis vero *Bononiæ*, & *Parisius*: Vaticanum autem quod exscripsit Amanuensis libri *A.* de solis *Parisiensibus* loquitur.
2. *Compilatione.*) Consulendus *Vincentius Bellovacensis* Specul. Doctrinal. lib. VII cap. XLIX.
3. *Superfluis.*) *Cum enim prius essent quinque Volumina, in quibus XXV Distinctiones habebantur, hodie per Gregorianam providentiam ad volumen unicum sunt redacta, in quo solummodo V Distinctiones reperiuntur. Decurtavit in Titulis, nam cum in veteribus quinquies centum & viginti Tituli comprehenderentur, ad novies viginti sunt redacti. Item in Capitulis, sed non multum, nam cum in antiquis bis mille & sexaginta duo essent, ad mille & nongenta reducuntur.* Hæc Bellovacensis laudatus.

Episcopo Comensi, ut Lantelmus Mediolanensis Civis F. Rolando pro injuria satisfaciat (1).

Anno 1234 Die 3 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 430.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Comen. [a], Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXI.

EXaltari Fides orthodoxa dignoscitur, cum demolientes vineam Domini vulpes parvulę capiuntur, & in suis fraudibus capti profligantur heretici, quorum laqueis animę simplicium pereunt irretitę. Hinc est, quod ad confutandos hereticos eo fortius intendentes, quo Fidem nostram occultius, immo crudelius persequuntur; per dilectum filium G... (3) Subdiaconum, & Capellanum nostrum super injuriis, quas Lantelmus civis Mediolanen. Fratri Rolando Ordinis Prędicatorum, qui ob hoc in eum excommunicationis sententiam promulgavit, & super eo quod idem Lantelmus de heresi proponitur infamatus, inquiri mandavimus plenius veritatem, qui mandatum nostrum fideliter executus, ipsum Lantelmum, obsidibus datis ab eo, cum attestationibus super hoc contra ipsum receptis, & literis eidem Capellano a Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mediolanen. & Episcopo Lauden. [4] transmissis, in quibus, se prefatum Lantelmum pro eo excommunicasse fatentur, quod hereticorum fautor existit, & eos in quodam Castro suo Lauden. Dięcesis pluries receptavit, ad nostram duxit pręsentiam destinandum. Licet autem a sententia excommunicationis in eum a dicto Fratre prolatę, per Pęnitentiarium nostrum ipsum absolvi fecerimus; quod tamen per predictas literas de prędicta excommunicatione, qua per pręfatos Archiepiscopum, & Episcopum dicitur fuisse ligatum coram nobis non potuit fieri plena fides: fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus pręfatos obsides, ab eo per nobilem virum Marchionem Montis-ferrati (5), vel Communitatem Civitatis alicujus, fidejussoria sub pęna duarum millium librarum imperialium cautione pręstita, quod eosdem obsides sine difficultate restituat, cum ab Ecclesia requisitus fuerit, reddas eidem, & inquisita super premissis plenius veritate, si tibi ipsum per annum in dicta excommunicatione, in eum a pręfatis Archiepiscopo, & Episcopo promulgata, stetisse constiterit, contra ipsum secundum Concilii generalis statuta (6) procedas, &, si canonice se purgaverit, nihilominus eundem, quod hereticos non foveat, vel receptet, jurare compellas. Ceterum, si tibi de hoc constare non poterit, eodem a pręfato Lantelmo pręstito juramento, tu ipsum nudum per aliquam Civitatem, posita corrigia circa collum, incedere publice faciens ad pręsentiam Fratris prędicti, sibi super illatis pariturum injuriis, cui per dictum Fratrem nihil injungi sine consilio nostro, volumus, transmittas eundem. Datum Perusii V Nonas Octobris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Exordium. Capellanus Pontificis pro hoc negotio jampridem missus. Quid agendum sit præscribit. Pœnam constituit infligendam.

1. *Satisfaciat.*) Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad An. MCCL. pag. 125*, ubi ex priscis Monumentis refert, quod *cum F. Rolandus Placentiæ in platea Ecclesiæ majoris ad magnam hominum frequentiam, quæ confluxerat, prædicaret, ingentique spiritu adver-*

adversus hæreticos ex Scripturis sacris, & Patrum sententiis disputaret, id non ferentes hæretici, adjuncto sibi assasinorum & grassatorum cuneo, impetu facto, eundem Sanctum virum ex urbe perpulere.

2. *Comensi.*) Comum urbs est *Insubriæ*, *Novocomum* sæpius dicta.

1. *G....*) *Gregorium e Monte-longo* Apostolicæ Sedis Legatum.

4. *Laudensi.*) In *Italia*.

5. *Montis-ferrati.*) *Italiæ* Ducatus.

6. *Statuta.*) Concilii *Lateranensis IV*.

Anno 1234 Die 17 Octobris.

Provinciali Tusciæ, ut deleget Fratres, qui Bellum pro Terra Sancta suscipiendum fidelibus suadeant.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Tuscia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Commissio.

Pium & sanctum propositum, quod de subventione Terrę Sanctę pro communi salute, Deo inspirante, concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus literis poteris advertere manifeste. Cum ergo Fratres Prędicatores reputemus idonens ad fungendum pro Christo Legationis officio in hac causa, devotionem tuam monemus, & obsecramus in Domino, per Apostolica tibi scripta districte pręcipiendo mandantes, quatenus duobus de Fratribus tui Ordinis, quos ad hoc magis idoneos videris, ex parte nostra injungas, ut per Tusciam portent in humilitate cordis, & corporis Verbum Crucis, & ad vindicandam injuriam Crucifixi fideles ipsius, prout in generalibus literis continetur, inducant, cum solicita, & accurata solicitudine, exponentes diligenter, & efficaciter universa, quę ad subsidium Terrę Sanctę sunt in eisdem literis comprehensa. Si quid autem pro Terrę Sanctę succursu fuerit eis oblatum, faciant illud apud aliquem religiosum locum studiose reponi, significaturi nobis in fine anni processum, & profectum suę solicitudinis, ut cognoscere valeamus, apud quos profecerint in personis, aut rebus, ad hoc salutare negotium deputatis, nostrumque illis beneplacitum rescribamus. Datum Perusii XVI Kalend. Novembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Oblata pro Terræ Sanctæ subsidio deponenda in aliquo religioso loco.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1234 Die 17 Octobris.

Episcopo (1) Bosnensi, ut hæreticos insectetur, nec usquam consistere patiatur.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol.434.

CXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Bosneo., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Gratulatur Episcopo.

Exultamus in Domino, & ei gratiarum exsolvimus actiones, quod dilectus Filius noster J..... (2) Prenestinus electus, tunc Apostolicę Sedis Legatus, ad purgandam terram Bosnę, quę velut terra deserta, & invia diu luxit, & languit, spinis eam replentibus, & ...... (3), factaque cubile Draconum (4), & pascua struthionum, in tenebris, & umbra mortis versabatur fere totaliter, prudenter intendens, quondam Episcopo Bosnen. exinde culpis suis exigentibus de mandato nostro amoto, te, de quo sinceram in Domino conscientiam obtinemus, genti ejusdem terrę auctoritate nostra pręfecit (5) in Episcopatu tuo, quam locis adjacentibus heretica pravitas extirpetur, Fraternitatem tuam monemus, & hortamur in Domino per Apostolica scripta tibi serio mandantes, quatenus assumpta virtutis constantia, & spiritu ad fortitudinem roborato, ad hoc sic efficacius, & solertius intendas, quod de sparso semine colligere valeas manipulos fructuum ęternorum. Ut autem officii tui debitum contra pestilentes hujusmodi liberius & efficacius prosequaris, universis catholicis per Regnum Hungarię constitutis, qui ad commonitionem tuam Crucis assumpto charactere ad hereticorum exterminium se accinxerint, illam Indulgentiam, illudque privilegium elargimur, quę accedentibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Datum Perusii XVI Kalendas Novembr. Pontificatus nostri Anno Octavo.

Mandat ut supra.

Indulgentia concessa.

1. *Episcopo.*) Is erat *F. Johannes Teutonicus*, de quo *in Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

2. *I....*) *Jacobus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad Annum MCCXXVII pag.* 86.

3. *Et....*) Urticis.

4. *Dragonum.*) *Draconum.*

5. *Præfecit.*) Sic legerem: *Præfecit. Ut igitur tam in Episcopatu tuo, quam &c.*

Anno 1234 Die 14 Novembris.

Belæ (1) Regi, ut Vvalachos (2) Schismaticos coerceat, & Episcopo (3) Cumanorum suppetias ferat.

Ex Arch. (4) Ord. lib. A. fol. 436.

CXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto in Christo filio, illustri viro B.... Regi, primogenito Regis Hungarię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Vvalachi tunc Schismatici.

In Cumanorum Episcopatu, sicut accepimus, quidam Populi, qui Vvalathi vocantur, existunt, qui, etsi censeantur nomine Christiano, sub una tamen fide varios ritus habentes, & mores, illa committunt, quę huic sunt nomini inimica. Nam Romanam Ecclesiam contemnentes, non a venerabili fratre nostro Episcopo Cumanorum, qui loci Diœcesanus existit, sed a quibusdam Pseudo-episcopis, Gręcorum ritum tenentibus, universa recipiunt Ecclesiastica (5) Sacramenta, in grave orthodoxorum scandalum, & de-

derogationem non modicam Fidei Christianę. Ne igitur ex diversitate rituum pericula proveniant animarum, Nos volentes hujusmodi periculis obviare, ne præfati Vualathi materiam habeant, pro defectu Sacramentorum ad Schismaticos Episcopos accedendi, eidem Episcopo nostris damus literis (6) in mandatis, ut catholicum eis Episcopum, illi nationi conformem, provida deliberatione constituat, sibi juxta generalia statuta Concilii Vicarium in prędictis, qui ei per omnia sit obediens, & subjectus. Contradictores &c. Cum autem tu tanquam Princeps Catholicus ad commonitionem dilecti filii nostri I ... (7) Prenestini electi, tunc Apostolicę Sedis Legati, prestito juramento promiseris, te omnes inobedientes Romanę Ecclesię in terra tua ad obediendum eidem Ecclesię compulsurum, prout confectę super hoc tuę literę continebant, ac eidem electo viva voce promiseris, quod prefatos Vualathos compelles ad recipiendum Episcopum, quem eis Ecclesia ipsa concesserit, & assignare (8) sibi de redditibus tuis, quos ab eis percipis, sufficientes redditus, & honestos, sicut idem electus Nobis exposuit; Regalem Excellentiam rogamus, monemus, & hortamur attente, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus, cum te non deceat in Regno tuo hujusmodi schismaticos sustinere, ac ea, quę promisisti, Deo grata, & hominibus sint accepta, ne facias irrita, quę de tuis labiis tam laudabiliter processerunt, ea studeas efficaciter adimplere, ita quod ex hoc placeas Regi Regum, & Nos sinceritatis tuę zelum possimus dignis in Domino laudibus commendare. Datum Perusii XVIII Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Ipsis Episcopum præficiendum mandaverat.

Jubet ut supra.

1. *Belæ.*) Is erat *Bela IV Andreæ* Regis *Hungariæ* major natu filius.
2. *Vualachos.*) Qui *Vualathi* hoc in Diplomate nuncupantur. Fuit *Vualachia* pars antiqui Regni *Hungariæ*.
3. *Episcopo.*) Fratri nempe *Theoderico*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*
4. *Archivo.*) Illud idem exscripsit *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCXXXIV num. XXXVIII.*
5. *Ecclesiastica.*) sic apud *Odoricum Raynaldum* loco laudato legere est: *Ecclesiæ Sacramenta, & nonnulli de Regno Hungariæ, tam Hungari, quam Teutonici, & alii Orthodoxi, morandi causa cum ipsis, transeunt ad eosdem, & sic cum eis quasi populus unus factus, cum eisdem Vualachis, eo contempto, præmissa recipiunt sacramenta in grave &c.*
6. *Literis.*) Desiderantur.
7. *I ....*) Jacobi, de quo sæpius supra.
8. *Assignare.*) *Odorici* librarius scripsit: *Assignasse.*

F. R.... [1], ut nonnulli hæreseos infamati pristinæ libertati restituantur, si culpa careant.

Anno 1234 Die 20 Novembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 443.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri R.... Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXV.

RElatum est auribus nostris, quod tu Feriabente, & Capsum mercatores Florentin. capi cum rebus suis, & detineri fecisti pro eo, quod a quibusdam heretici dicebantur. Quocirca discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si per probationem, vel confessionem ipsorum, eos hereticos invenisti, vel poteris invenire, contra ipsos procedas, prout per aliud tibi mandatum injunximus contra hereticos procedendum; alioquin, cum securitatem duarum millium Marcharum argenti, & juratoriam cautionem receperimus a Frankecto, Raynerio, Gerardino, Mainerio, Juda, & Radulfo Mercatoribus Florentinis, quod, quandocunque voluerimus, Nobis prȩsentabunt eosdem, & facient illos nostris in omnibus parere mandatis, quę per Nos, vel Nuncium, aut per literas faciemus, eos cum prędictis rebus restituas libertati, significaturus nobis per literas tuas, quod in eis ante, vel post captionem ipsorum de vitio pravitatis hereticę invenisti. Datum Perusii XII Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Factum refert. Quid agendum sit, præscribit.

1. *R....*) *Rolando*, cujus mentio supra *III Octobris MCCXXXIV.*

Archiepiscopis, & Episcopis per Italiam constitutis, ne quis molestias exhibeat Fratribus de Pœnitentia (1).

Anno 1234 Die 21 Novembris.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol: 446.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXVI.

Exordium.

UT cum majori libertate Dominica Israel adimplere posset Precepta in exitu de Ægypto, ei Dominus adfuit, & persequentem Pharaonis exercitum unda demersit; de facili enim sacrę robur Religionis infringitur, quę adversę malignitatis flatibus conquassatur. Cum igitur dilecti filii Fratres de Penitentia, mundi delicias aspernentur, & eorum Religio Deo, & hominibus sit accepta, Apostolica Auctoritate mandamus, quatenus ad visitationem, & correctionem eorum quilibet in sua Diecesi sollicite intendentes, & habentes ipsos, ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, propensius commendatos, non molestetis, nec permittatis eosdem, quantum in vobis fuerit, indebite molestari. Ita quod eorum Ordine in vigore debito permanente, vos retributionem Divinam possitis exinde promereri, & Nos devotionem vestram non immerito commendemus. Datum Perusii XI Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Commendat Fratres de Pœnitentia.

1. *Pœnitentia*) Videas *Tractatum de consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo XIV.*

Prio-

Anno 1234 Die 23 Novembr.

Priori Parisiensi, & F. Raynerio (1), ne quis Accursio (2) civi Florentino molestiam inferat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 445.

CXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratri Raynerio de Ordine Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium, quid actum sit refert.

ACcursius, filius Aldebrandini, Civis, & Mercator Florentin., in nostra presentia exposuit, quod olim in Francia quosdam hereticos, quos catholicos esse credebat, pluries allocutus, decem solidos Turonen., cuidam eorum servienti concessit, & eis in signum reverentię caput sępius inclinavit [3], quos postmodum hereticos esse intelligens, & timens ex hoc sibi corporis, & animę periculum imminere, Apostolicam Sedem adiit, ac sibi a Nobis super hoc provideri humiliter postulavit; Quare Venerabili Fratri nostro Episcopo Florentin., suisque collegis, nostris dedimus literis in mandatis, ut de sinceritate Fidei, vita, moribus, & fama ipsius inquisita plenius veritate, & recepta super his ab eo, quod super hoc in omnibus nostro mandato pareret, fidejussoria, juratoria, & alia, quę videretur idonea, cautione, inquisitionem ipsam sub suis sigillis inclusam ad nostram presentiam destinarent; Idem vero Episcopus cum altero collegarum suorum, tertio excusato legitime, id fideliter executos, Inquisitionem habitam circa ipsum, cautionibus ipsis sub forma predicta receptis, cum literis suis rei seriem continentibus, ad nostram duxit presentiam remittendam; Quibus per dilectos filios nostros Hostien., & Prenestin. electos de mandato nostro apertis, nihil contra ipsum potuerunt invenire, propter quod incurrerit famę dispendium, vel alterius mereatur periculi detrimentum; verum cum dicto mercatori, per dilectum filium nostrum Raymundum [4] Pęnitentiarium nostrum, imponi fecerimus pęnitentiam salutarem, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum, occasione hujusmodi, non permittatis ab aliquibus molestari, &, si quę alia circa eum poteritis invenire, Nobis fideliter rescribatis. Datum Perusii IX Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Octavo.

Mandat ut supra.

1. *Raynerio.*) Illum crediderim, de quo scripsit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXLVIII pag.* 121.
2. *Accursio.*) De quo *Bzovius ad Annum MCCXXXIV num. XIV.*
3. *Inclinavit.*) Vides in *Galliis* crimini datum, si quis contra Apostolica instituta vel *Ave* dixisset hæreticis.
4. *Raymundum.*) *De Pennafort.*

Anno 1234 Die 27 Novembr.

Magistro Ordinis, & Fratribus, ut non teneantur obedire Episcopis contra Ordinis instituta.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

NE pro eo quod Diocesanis Episcopis debitam obedientiam & reverentiam exhibetis &c. (2). Nulli ergo &c. Datum Perusii V Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Sanctio pœnalis.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Exhibetis.*) Ut supra *V Septembris Anno MCCXXVII.*

Anno 1234 Die 29 Novembr.

Qui de suo Fratribus Ord. Prædicatorum contulerint, ut Ædes sacræ, & Cœnobium Perusii (1) perficiantur, iis Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 457.

CXIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christifidelibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

SI plebs Hebręa &c. [2] Cum igitur in Perusinę suburbio Civitatis, loco ab ipsius Populo Ordinis Prędicatorum Fratribus assignato fundari ad honorem Dei & B. Dominici Ecclesiam & Claustrum juxta prędictum Ordinem cęperint &c. (3) Annum unum & quadraginta Dies de injuncta eis pęnitentia relaxamus. Datum Perusii III Kalend. Decembr. Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Perusii.*) In *Italia.*
2. *Hebraa &c.*) Ut inferius *VI Februari MCCXXXV* ad hæc usque verba; *Numerum pervenire.*
3. *Cœperint, &c.*) Ibidem ad hæc usque: *Personale præstiterint.*

Magi-

Magistro, & Prioribus, ut adsciscendos in Ordinem absolvere (1) possint ab excommunicatione majori. — Anno 1234 Die 22 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CXX.

AUctoritate vobis pręsentium indulgemus &c. (3). Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Perusii XI Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Octavo. — Concessio. Sanctio poenalis.

1. *Absolvere*.) Legendus *Tractatus de consensu Bullar*. Tomo Ultimo *Titulo IV*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Indulgemus &c.*) Ut supra *XVIII Junii MCCXXVII*.

Fratres Prædicatores laudibus celebrat, & ipsos universis Ecclesiarum Prælatis intime commendat. — Anno 1235 Die 12 Januar.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Pręlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CXXI.

QUoniam habundavit iniquitas &c. (2). Datum Perusii II Idus Januar., Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Iniquitas &c.*) Ut supra *X Maii MCCXXVII*.

Indulgentiam concedit Christifidelibus, qui Fratribus adfuerint, ut Cœnobium & Ecclesia Urbevetana [1] a fundamentis excitata perficiantur. — Anno 1235 Die 6 Februar.

Ex Archivo [2] *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christifidelibus, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CXXII.

SI plebs Hebręa, legi subdita, sub Moyse de sola servitute corporum liberata, licet ad promissa festinans, sub nube tamen, ac umbra literę per invium solitudinis ambulans, in opus tabernaculi mente devota legitur plura necessariis obtulisse; populus, quem tempore gratię per Jesum Christum de potestate tenebrarum principis erutum, & civilitati (3) Patrię Cęlestis adscriptum, in viam pacis, & beatitudinis animarum Evangelica lux direxit, tanto liberalius debet ad Oratoria construenda, in quibus tantę dator gratię colitur, & data sibi gratia frequentatur, manum pię subventionis apponere, quanto certius didicit, se per sinceritatem Fidei, & opera pietatis, ad filiorum Dei posse numerum pervenire. Cum igitur Fratres Ordinis Prędicatorum in Civitate Urbevetana ad honorem Dei, & Beati Dominici, Ecclesiam, & Claustrum juxta prędictum Ordinem fundare cęperint, nec per eosdem Fratres, qui nichil possident, perduci ad debitum finem possint, caritatem vestram rogamus, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis collatis vobis ex divini abundantia muneris, eidem operi pias eleemosynas, & grata caritatis subsidia impendatis, ut per hęc, & alia bona, quę feceritis, ad ęterna gaudia pervenire possitis. Nos vero de Dei misericordia, & BB. Apostolorum Petri ac Pauli auctoritate confisi, omnibus fidelibus, qui ad ipsius ędificii fabricam subventionis auxilium, consilium pietatis, vel adjutorium personale pręstiterint, quadraginta dies de injuncta eis pęnitentia relaxamus. Datum Perusii VIII Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo. — Exordium. Concedit ut supra.

1. *Urbevetana*.) *In Italia*, in Ditione Pontificia.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Civilitati*.) Sic in Autographo: legendum forsan videbitur: *Civitati*: sed nota, quod *Civilitas* idem est ac jus Civium.

Fratribus Ordinis Prædicatorum in terris Infidelium & Schismaticorum constitutis varia concedit privilegia (1). — Anno 1235 Die 15 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 458.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Vuillelmo (2) de Monteferrato, sociisque (3) ejus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CXXIII.

CUm hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus usque ad mundi vesperam deputati, & illud Apocalypsis Eulogium cito credatur cum Matris Ecclesię consolatione complendum, vide- — Exordium.

videlicet, oportere viros ſpiritualis vitę munditiam, & intelligentię gratiam cum Johanne ſortitos, populis, & gentibus, linguis, regibuſque multis denuo prophetare: quod non ſequitur reliquiarum Iſrael per Iſaiam prophetata ſalvatio, niſi juxta Paulum Apoſtolum prius introeat gentium plenitudo: Nos, licet

Fratres, quos laudat, ad Infideles, & Schiſmaticos, mittit.

inſufficientibus meritis, conſtituti ſuper Apoſtolicę ſpeculam dignitatis, fideliter, ac prudenter diſpenſandis Dei myſteriis, & operibus coadiuvandis intendimus, ſi urgente plenitudine temporis poſt pia priorum ſtudia, in vineam Domini ſabaoth, novos, & pene noviſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur, quos juxta profeſſę Religionis officium zelus comedit animarum, & qui in quadriga quarta, quam variis chariſmatum donis, & fidei fortitudine trahitis, ubique diſcurrere, ac vexillum Regis glorię procul levare geſtitis, ad gentes, quę Ieſum Chriſtum Dominum non agnoſcunt, & ad ſubverſionis filios, qui Sacroſanctę Romanę Eccleſię non obediunt, deſtinamus; vobis in plenam remiſſionem peccatorum omnium injungentes, quod, ſeminaturi ſuper aquas multas, immiſſo cum Propheta pede bovis, & aſini, & in eo tantum, qui mundum dixit ſe viciſſe, confiſi, ad illam nationem cęcę multitudinis, & correctionem hereticę falſitatis, ad confirmandos nutantium animos, & fidelium confirmandos in luce ſermonis, & rectitudine operis, propoſitum vobis iter ſine quorun-

Concedit ut ſupra.

libet offenſione curratis. Ut autem Miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, pręſentium vobis auctoritate concedimus, quatenus in terris, quę Sedis adhuc Apoſtolicę magiſterio non intendunt, proponere Verbum Dei, & ejuſmodi homines per exhortationem veſtram converti ad unitatem Chriſtianę Fidei cupientes, baptizare, ac aggregare filiis Eccleſię ſacroſanctę, audire confeſſiones, injungere pęnitentias ſalutares, ſed & cum conſilio Diœceſanorum, ſi Catholici, & pręſentes fuerint, Excommunicatos, juxta Eccleſię formam abſolvere, cum Irregularibus, in illis caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicę, diſpenſare, & eos, qui quomodolibet a Fide, vel Unitate Romanę Eccleſię diſceſſerunt, ſi redire voluerint, & prout animabus eorum expedire videritis, ſatisfacere pro commiſſis, reconciliare, & ab anathematis vinculo, quo tenentur, abſolvere valeatis; a Catholicis inſuper Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Ordines, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, Veſtes Sacerdotales, Altaris, Pallas, & Corporalia, cum vobis neceſſe fuerit, benedicere, ubi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur, necnon alia facere, quę ad Dei gloriam, animarumque ſalutem videantur pro loco, & tempore pertinere. Datum Peruſii XV Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Privilegia.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.VIII.*

2. *Vuillelmo.*) Seu *Guillelmo*. Secundus eſt inter Teſtes ad *Canonizationem S. Patris Dominici* evocatus. Conſulas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Seculum XIII pag.47*, & *Epiſtolam F.Philippi ad Gregorium IX*, quam exſcripſit *Echard mox laudatus ad Annum MCCXXXVIII pag.*104.

3. *Sociiſque.*) Virtuti Fratris *Guillelmi* reſpondebant certe præcones Evangelii, quibus præerat ille in partibus Orientalibus. Quo numero fuerint, incertum; ubique celebres & fama ſua majores fuiſſe, liquet ex *Epiſtola mox citata*. Anno MCCXXXVII, quo ſcripta videtur, cum ex ea mortem *Jordanis* audierit *Gregorius*, Evangelium prædicabant illi in *Syria*, *Palæſtina*, *Armenia*, *Ægypto*, *Chaldæa*, *Meſopotamia &c.* Legendus *Echard citatus*, *pag.*105.

Anno 1235 Die 15 Februarii.

Chriſtifidelibus in terris Saracenorum &c. conſtitutis, ut benigne excipiant Fratres [1] Ordinis Prædicatorum.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 459.

CXXIV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Perſonis Eccleſiaſticis, Mercatoribus, & univerſis Chriſtifidelibus in terris Saracenorum, & aliorum Infidelium conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm hora undecima &c. [2] procuramus. Attendentes igitur, quod Ordinem Fratrum Prędicatorum juxta profeſſę Religionis officium pręcipue zelus comedit animarum, Fratrem Guillelmum de Monteferrato, & ſocios ejus, qui, abnegantes ſe ipſos, animas ſuas pro Chriſto ponere cupiunt, ut lucrifaciant

Mandat ut ſupra.

animas aliorum, ad gentes, quę Ieſum Chriſtum Dominum non agnoſcunt, & ad ſubverſionis filios, qui ſacroſanctę Romanę Eccleſię non obediunt, deſtinamus; univerſitatem veſtram monentes, & hortantes in Domino, & per Apoſtolica vobis ſcripta firmiter injungentes, quatenus Prędicatores ipſos, pręſentium portitores, devote ſuſcipere, caritative tractare, necnon in omnibus quę ad Fidem & mores Chriſtianę Religionis pertinent, eis tanquam Apoſtolicę Sedis Nunciis pro ſalute multorum, & veſtra conſolatione directis, intendere diligenter, & humiliter acquieſcere debeatis, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, conſilium & auxilium pro poſſe pręſtantes eiſdem, prout ab ipſis fueritis requiſiti. Datum Peruſii XV Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Fratres.*) *Guillelmum* ſcilicet *de Monteferrato*, ac Socios ipſius, de quibus in præcedenti Diplomate.

2. *Undecima &c.*) Ut in præcedenti, ad hæc uſque verba *operarios mittere procuramus*.

Anno 1235 Die 15 Maii.

Archiepiſcopo Neapolitano, & Magiſtro Roffredo, ut quoſdam excommunicatos denuntient.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CXXV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitano, & dilecto filio magiſtro Roffredo Canonico Teanen.[2] Neapoli Commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium Factum narrat.

NOn abſque mentis amaritudine Nobis dilecti filii Fratres Prędicatores, commorantes apud Neapolim, nunciarunt, necnon ſine turbatione didicimus nunciatum, quod quidam filii Belial, cives Neapolitani, fau-

fautores Hereticorum, ut creditur, occasione cujusdam Novitii, qui Ordinem ipsorum intraverat, cum consanguineis ejusdem Novitii, In Domum eorum nequiter irruentes, fractis Ecclesię januis, quosdam de Fratribus ipsorum lethaliter vulnerarunt, & nisi Conversi Domus ejusdem, & quidam alii eis presidio adfuissent, occidissent plures de Fratribus, devastassent Domum incendio, & asportassent inventa ibidem omnia, prout prius fuerant terribiliter comminati. Ne igitur excessus hujusmodi tam enormes pęnam effugiant debitę ultionis, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictos sacrilegos tandiu, appellatione remota, excommunicatos, pulsatis campanis, & candelis accensis, singulis diebus dominicis, & festivis publice nuncietis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam satisfecerint competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi; Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis, Datum Perusii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono. *Mandat ut supra.*

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur. Autographum in Cœnobio *S. Dominici Neapolitan.*

5. *Teanen.*) In Regno *Neapolitano*;

Provinciali Teutoniæ, ut nonnullos Fratres delegetad Crucem [1] prædicandam, cum facultatibus hic assignatis, in subsidium Terræ Sanctæ.

Anno 1235 Die 15 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 460.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum in Teutonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXVI.

QUantum nos urgeat negotium Terrę Sanctę is novit plenius, qui renes scrutatur & corda, cum ad liberationem ipsius totis desideriis aspiremus. Cupientes ergo multos accingi per Crucis gloriam ad corporale tirocinium exercitus Iesu Christi, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus aliquos Ordinis tui Fratres, quos ad hoc idoneos esse prospexeris, in quorum ore non sit Verbum Domini alligatum, juxta tenorem literarum, quas super hoc tibi direximus [2] pro negotio Crucis, Prędicationis officio studeas deputare; qui, ut fideles prędicti libentius, & ferventius currant ad Verbum Domini audiendum, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad solemnem prędicationem eorum accesserint, moderatam, auctoritate nostra, aliquot dierum Indulgentiam largiantur, sicut viderint expedire. Et ut nihil omnino desit ad hujusmodi officium exequendum, absolvendi juxta formam Ecclesię manuum injectores in Ecclesiasticos, & incendiarios, ac excommunicatos pro decima, vel vigesima (3) deputata pacis, & fidei, ac Terrę Sanctę negotio, non soluta; necnon sacrilegos, & eos, qui Sepulcrum Dominicum post prohibitionem Apostolicam visitarunt: illos quoque qui in partibus Albigen. [4], hereticis contra Catholicos adhęserunt, auxilium impenderunt, ac eos, qui portaverunt ferrum, arma, ligna, & merces prohibitas Saracenis, vel alias eis contra Christianos dederunt consilium, auxilium, & favorem: ac reconciliandi pęnitentes, Crucesignatos duntaxat, & qui voluerint assumere signum Crucis: ac commutandi vota alia in votum hujusmodi pietatis, auctoritate prędicta concedimus potestatem. Proviso, quod hii qui pro violenta injectione manuum excommunicationis vinculo sunt ligati, passis injuriam, & incendiarii, quibus damna intulerunt per incendia, satisfaciant competenter, ac detentores aliorum bonorum debitam satisfactionem impendant, dummodo non fuerit adeo gravis, & enormis excessus, quod dicti manuum injectores merito sint ad Sedem Apostolicam transmittendi: quantitatem autem, quam pro satisfactione prędictorum, decimę receperint, deponendam, & consignandam in aliquibus certis locis, nobis studeas tuis literis fideliter intimare. Datum Perusii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Commissio prædicta.

Absolvendi a Censuris, nec non vota commutandi facultatem dat prædicantibus Crucem.

1. *Crucem.*) Legendum Diploma *Datum XVII Octobris MCCXXXIV*, & consulendus *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXV num. VIII.*
2. *Direximus.*) Desiderantur hæ Literæ.
3. *Decima vel vigesima.*) De his ad Calcem Concilii *Lateranen. IV Anno MCCXV celebrati.*
4. *Albigen.*) In *Occitania.*

Comiti [1], necnon Capitulariis (2) Tolosanis, ut Fratribus Ordinis Prædicatorum, ceterisque suppetias ferant.

Anno 1235. Die 15 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Nobili Viro .... Comiti, & Capitulariis Tolosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXVII.

PAlmites vitis verę sustentaculis indigent, quę botros ejus a lęsione conservent, & qui orationi, meditationi, prędicationique deserviunt, intantum sine beneficentię secularis adjutorio non subsistunt, ut causa levaminis mercedem capiat Prophetantis, & qui justum & Prophetam nomine justi, & Prophetę, recipiunt, justitię, prophetięque cum ipsis merita partiantur. Quocirca devotionem vestram rogandam duximus, & hortandam, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Fratribus Ordinis Predicatorum, & aliis, qui Fidei negotium prosequuntur, in iis, quę pro Deo faciunt, libenter & liberaliter impendatis consilium, auxilium, & favorem, quia ęqua sors erit ferentis spiritalia, & temporalia ministrantis. Datum Perusii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Exordium.

Injungit ut supra.

1. *Comiti.*) *Raymundo* scilicet Juniori.
2. *Capitulariis.*) Seu Consulibus.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur *Tolosæ*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1235 Die 18 Maii.

Provinciali Hispaniæ, ut mittat Fratres Ordinis Prædicatorum, qui Monasterium de Guarmatio Ordinis S. Augustini Oxomensis (1) Diœceseos, reforment.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Hispaniç Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUia cum Religiosis de sanctitate tractandum est, & dilectę in Christo filię Priorissa, & Moniales S. Stephani de Guarmatio, Ordinis S. Augustini, Dięcesis Oxomensis, propter eloquium Domini vias duras, & perfectionis semitas ęmulantur; Nos, habere te zelum Dei, & Animarum lucra sitire credentes, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus per aliquos de tuis Fratribus, ad hoc aptos, eas juxta sui formam Ordinis visitari facias, & informari regularibus disciplinis, sine juris pręjudicio alieni. Datum Perusii XV Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Oxomensis.*) In Regno *Castellæ Veteris* in *Hispania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio nostro *Salmanticen.*

Anno 1235 Die 11 Junii.

Urbevetanis (1), ut stent promissis, stipem erogantes, ad Cœnobium Fratrum Prædicatorum, quos laudibus effert, construendum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestati, & Consilio Urbevetano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Elogium Ordinis.

Quid estum sit refert.

CUm Paterfamilias in hora quasi undecima miserit Fratres Prędicatores operarios in vineam Domini Sabaoth, ad profligandas ab ipsa demolientes vulpeculas, & eam solicitudine vigili excolendam, vos desiderantes olim esse culturę participes eorundem, & ipsorum Fratrum capitulum ad hoc pluries interpellantes, ut providi, obtinuistis tandem, quod quidam ex eis fuerunt ad Urbem veterem quasi *quendam angulum vineę destinati*, & ut haberent ubi caput possent iidem vocati ad operam reclinare, in statuto vestro, deliberatione provida posuistis, quod daretur certum subsidium, ad ipsorum domum in loco idoneo construendam, quod adhuc ad effectum, sicut iidem Fratres asserunt, perducere non curastis, licet hoc bis posueritis in statuto. Quocirca universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, ut a Patrefamilias recipere possitis denarium retributionis ęternę, adimpleatis liberaliter, & benigne vestrum promissum, gemino statuto obligati; alioquin pręter mundanę confusionis opprobrium, animarum vestrarum dispendium non immerito poteritis formidare. Utrumque igitur a vestra facie celerius abstergentes, quę de vestris labiis divini amoris intuitu processerunt, perficere hilariter studeatis. Datum Perusii III Idus Junii Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Urbevetanis.*) *Urbs-vetus*, De qua in hoc Diplomate, in Ditione Pontificia sita, non illa est, quam vulgo *Civita-vecchia* vocant, sed ea quæ nuncupatur *Orvieto*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbam filis cannabinis appenditur.

Anno 1235 Die 21 Junii.

Procuratori Tarvisino (1) Ordinis Prædicatorum, ut pessimam quandam consuetudinem rescindat in Sclavoniæ (2) partibus.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 461.

CXXX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Procuratori Ordinis Fratrum Prędicatorum Tarvisin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm in Sclavonię partibus consuetudinem pessimam, quę dicenda est verius corruptela, esse proponas, juxta quam sub ea conditione mulier conjungitur viro, si sibi placuerit in Matrimonio retinenda, alioquin reddenda parentibus sine mutilatione, vel fractionę membrorum; Nos tibi super hoc propter animarum periculum consilium postulanti, taliter respondemus, quod cum contra substantiam Matrimonii talis conditio inferatur, pro eo quod ad tempus nec debet, nec potest Matrimonium celebrari, sic contrahentes monendi sunt propense, & hortandi, ut de novo inter se matrimonialiter contrahant secundum formam Ecclesię consuetam: quod si forte non fecerint, denuntiari debet eisdem, quod non matrimonia sed contubernia sunt potius inter eos, nec legitime, sed fornicarie commiscentur. Datum Perusii XI Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Tarvisino.*) *Tarvisium* Urbs est Episcopalis *Veneti Status* sub Patriarcha *Aquileiensi* ad *Silim* Fluvium.

2. *Sclavoniæ.*) Late hic sumitur *Sclavonia* (uti sæpius apud Auctores), & *Illiricum*, *Dalmatiam* nempe, *Croatiam*, & *Bosnam* complectitur, ac *Sclavoniam* propriam.

Abba-

Abbatibus Cistercienfis Ordinis, ne Fratres noftros accipiant [1] in fuos.

Anno 1235 Die 21 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerfis Abbatibus, & Conventibus Ordinis Ciftercienfis, ad quos literę iftę pervenerint, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem. CXXXI.

QUo vos in Chrifto finceriori caritate diligimus, eo plenius, ut in eunctis providi fitis, & vigiles, affectamus, turbationis non modicę fpiritum affumentes, fi de vobis quandoque contrarium ad Nos relatu perveniat aliquorum. Sane mirantes accepimus, quod cum a bonę memorię Honorio [3] Papa Prędeceffore noftro fuerit demandatum, ut nullus de Ordine Fratrum Prędicatorum in veftrum, aut ex vobis aliquis in eorum collegium, fine fpeciali mandato Summi Pontificis, admittatur, vos, qui quanto cariores eftis Ecclefię, tanto, quod ipfa pie providiffe dignofcitur, tenemini propenfius obfervare, contra mandatum hujufmodi venientes, non abfque offenfa rectitudinis, quę in veftris actibus debet haberi continue fpecialis, quofdam ex ipfis Fratribus ad veftrum Ordinem admififtis. Verum cum ex hoc turbationis, & fcandali poffit exoriri materia, quę folatium pacis ęternę quęrentibus debet omnibus modis conftitui peregrina, univerfitati veftrę per Apoftolica Scripta, in virtute obedientię pręcipiendo mandamus, quatenus Fratres eofdem ad fui reaffumptionem habitus, fublato cujuslibet difficultatis obftaculo, remittentes, de cetero nullum ex ipfis pretextu indulgentię alicujus, nifi prius Sedis Apoftolicę, vel Prioris fui petita fuerit, & obtenta licentia, recipere prefumatis: alioquin, quantumcunque in his deferre vobis, quę funt ad Redemptoris gloriam cupiamus, cogemur fuper hoc illud ftudium provifionis apponere, per quod contemptum obedientię, pateat, nobis, vel Deo potius multipliciter difplicere. Datum Perufii XI Kalendas Julii Pontificatus noftri Anno Nono.

Exordium.

Ab Honorio idem inhibitum.

Prohibet, ut fupra: & Fratres admiffos remittendos decernit.

1. *Accipiant.*) Confulas *Tractat. De Confenfu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Extat Autographum in Cœnobio *Tolofano* Ord. Prædicatorum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Honorio.*) III, uti videre eft *VII Februarii MCCXVII.*

Provinciali Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, ut Monafterium S. Venerii [1] de Tyro, Ordinis S. Benedicti, reformet.

Anno 1235 Die 23 Julii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 461.

Gregorius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem. CXXXII.

SUa Nobis [2] alterios Monafterii S. Venerii de Tyro ad Romanam Ecclefiam, ficut dicitur, nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti petitione monet, quod cum idem Monafterium Monachorum grandi Collegio decoratum fuerit, & ubertate bonorum florere confueverit ab antiquo, & in eo fatis viguerit laudabiliter obfervantia regularis, nunc, peccatis exigentibus,.... fere in fpiritualibus & temporalibus irreparabiliter eft collapfum.... Ceterum quanquam olim fuper prǫmiffis omnibus corrigendis, & reformandis Venerabilis Frater nofter Januenfis Archiepifcopus Apoftolicę Sedis fcripta receperit, quia tamen idem in ipforum correctione fuit nimium tepidus & remiffus, Monachis affumentibus inde majorem audaciam delinquendi, prędictum Monafterium ad extremam inopiam eft redactum, & de duodecim Monachorum Conventu, qui effe folebant in ipfo, tres ibidem tantummodo Monachi remanfere, quibus vix poteft de bonis in eo manentibus in neceffariis provideri. Quocirca difcretioni veftrę per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus perfonaliter accedentes ad locum, & habentes prę oculis folum Deum, inquiratis fuper prǫmiffis omnibus diligentius veritatem, & fi rem inveneritis ita effe, ipfo Abbate, ac prefatis Monachis exinde prorfus amotis, & in aliis Monafteriis ejufdem Ordinis collocatis, Monafterium ipfum de eodem Ordine, fi fieri poterit, alioquin illud de Fratribus Mortarien. [3] reformetis, & in eodem, fi vobis conftiterit ipfum effe Sedis Apoftolicę, inftitutionem, deftitutionem, correctionem, & vifitationem fecundum Mortarien. Monafterii inftituta ipfi Monafterio concedatis, jure Sedis Apoftolicę, & libertate prefati Monafterii Sancti Venerii femper falvis. Contradictores per Cenfuras Ecclefiafticas Apoftolica poteftate compefcendo. Quod fi non omnes &c. Datum Perufii X Kalendas Augufti Pontificatus noftri Anno Nono.

Abbatis fupplex petitio.

Mandat ut fupra.

1. *S. Venerii.*) In *Italia.*
2. *Nobis.*) Sic Amanuenfis. Legendum: *Sua Nos Abbas Monafterii &c.*
3. *Mortarien.*) In *Longobardia fuperiori* fitum eft hocce Cœnobium, in quo Canonici Regulares degunt.

Anno 1235
Die 26 Julii.

Objurgatorium Diploma, in quo Pontifex queritur de his, quæ periculo Fidei, ac recolendæ memoriæ Conradi (1) damno gesta sunt in Germania, & quid agendum sit in sicarios ejusdem Conradi decernit.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 462.

CXXXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Archiepiscopo Salseoburgen. [2], Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a pastorali sollicitudine.

VIneę Domini cultores, licet immeriti, constituti, juste in desiderio gerimus, ut illius latitudinem gratitudinis fructu semper venustam existere propendamus, turbationem non modicam subeuntes, si forte aliquę plantarum, quę in illa evidentibus exiltunt indiciis grandiores, sint sterilitate notabiles, vel nocivorum productione fructuum displicentes. Sane dudum mirantes audivimus,

Refert factum.

& referimus conturbati, quod cum olim post obitum recolendę memorię Magistri Conradi de Marburg, Prędicatoris Verbi Dei, de quibusdam, quorum Infectionem labe pravitatis hęreticę tenebat assertio plurimorum, oriretur materia quęstionis, quibusdam proponentibus, quod processus contra illos per eundem Magistrum habitus iniquitatis maculam habuisset, aliis vero inferentibus ex adverso, quod pius extitisset & providus, ac incremento Catholicę Fidei plurimum opportunus, ad dubitationes hujusmodi declarandas, certi locus & terminus sunt prędixi. Demum congregato Concilio, ad quod plures Ecclesiarum Prelati & Principes Seculares, & alii, quorum pręsentia tanto competebat negotio, convenerunt, exsurgente nullo pro tuitione Fidei, quam saltem, tot pręsentibus, sub nulla debebat negligentia pręteriri, memorati infecti, ut dicitur, rationis inconsulto speculo, quod potissime in talibus haberi decebat pre oculis, sunt absolutionis beneficium assecuti. Illi vero perditionis filii, qui dicti Magistri sanguinem innoxium effuderunt, omissis prolatione sententię, ac inflictione pęnę, quam contra ipsos, pro excessu tam detestabili,

Episcoporum agendi ratio, cujus exitus timet, Pontifici non probatur.

& digno non brevibus deplorari lamentationibus, ... (3) debebant, ac satisfactione aliqua non recepta, sunt ad pręsentiam nostram pro absolutionis obtinenda gratia destinati. Quare nobis, & aliis opinandi, vel potius pro firmo tenendi materia tribuitur, quod in hoc & modicus fuerit zelus Catholicę Fidei, & exilis attentio Sedem Apostolicam reverendi. Unde fit, quod & minoribus, quorum affectioni celebre redditur quod a superiorum providentia derivatur, exemplum validum pręsumendi contraria devotioni conceditur, & productis hęreticis cumulatur audacia vacandi frequentię pravitatis, dum tanti sceleris patratores ex illorum damnato collegio procedentes immunes, a stipendio meritorum evasisse conspiciunt, & eos, quos inter pręeminentes plantas Ecclesię providit Dominus locum magnitudinis obtinere, in extremę necessitatis articulo produxisse fructus, ęquitatis odorem, & saporem justitię non habentes, damnabiliter gloriantur, non levem subsannationis habendo materiam, quod, inconsultis Nobis, ad tanti consummationem, ne dicam confusionem, negotii sit processum. Quare in pectore nostro non levi consurgente

Judices increpat.

turbatione pro vobis, Viri Fratres, quęrere cogimur, quod super memorato processu causę pręsidium, vel rationis fuerit fulcimentum; Porro quod prorsus nullum extiterit, patet argumento multiplicis veritatis. Scitis enim, quod dilectus Deo Moyses de peculiari Populo Creatoris, sibi singulis nationibus prędilecto, curam gerens, & inter ipsos judicans, cum aliqua ejus disceptatio accidebat, etsi fretus salutari consilio a virtutum Domino inspirato, ne consumptus labore deficeret, duxerit statuendum, ut eo in his, quę ad Deum pertinebant, existente, viri strenui, quos de cuncto Israele elegerat, Populum Domini judicarent, tamen ipsi faciliora tantummodo judicantes, ad eum quicquid erat grave referebant: pręterea nostis, ut credimus, dixisse Dominum, prout in Divinę legis serie continetur, si difficile & ambiguum [4] apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas verba variari videris, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quęresque ab eis, qui indicabunt tibi Judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint qui pręsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, non declinabis ad dexteram, vel sinistram, qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur. Qua igitur temeritate causam Fidei, dignam quibuslibet anteferri, quę potissime Summi Pontificis examini competebat, avertentes a debita nobis reverentia faciem, pręsumpserunt aliqui terminare, quasi auctoritatis pręmissę nescii, vel ejusdem intellectu perspicuo peregrini? Quo consilio iidem ad transgressionem mandatorum Domini processerunt? Quo jure, quod est in Canonica sanctione pręcipuum, ab ipsis tam notabiliter extitit pretermissum? Nunquid facultas eis aberat Sedem Apostolicam consulendi, cum & locorum longinquitas, vel anfractus itineris, aut tremenda elario pelagi sevientis, pro qua cęli claviger non expavit, quin Salvatori diceret, ut sibi, quod per aquas ad eum procederet, imperaret, nullum temporis afferret obstaculum, nunciorumque penuria nullum excusationis tribueret fulcimentum? Nunquid illorum memorię capacitas non habebat, quod ad Sacrosanctam

In ambiguis recurrendum ad Apostolicam Sedem.

Romanam Ecclesiam, cujus fundamentis supra Petram positis quisque cedit impetus tempestatis, in ambiguis & fluctuosis quęstionibus, per quas imminet naufragium Fidei, si non contingat, easdem pro spe terminari, sit assidue recurrendum, pręsertim cum dictus Claviger, cujus arbitrio orbis universitas solvitur & ligatur, cujusque judicia a Conditore justitię confirmantur, audire meruerit, ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos, cum etiam dubium non existat, quod qui secum non colligit, spargit, & nemo unquam sub diluvio seculi, non in Arca positus,

Quid agendum, jam præscripserat Pontifex.

conservatur. Quid ad ista? Cur studio exaggerationis intendimus? Cur quęstionum cumulis immoramur? Porro nedum provectis & prudentibus, sed parvulis & ignaris potest esse liquidum, quod de pręmissis multum sit devotionis & obedientię pretermissum, pręsertim cum literarum nostrarum series, per quas mandavimus, ut processus contra hujusmodi pestilentes, secundum formam canonicam generalem, & statuta nuper a nobis edita haberetur, mandati transgressionibus excusationis suffragium non acquirat,

quia

quia cum post processum habitum auctoritate Apostolica contra ipsos, si criminosi, vel immunes a macula hereticę pravitatis existerent, dubietas immineret, ad examen nostrum.....(5) occasione postposita, properandum. Nos igitur, etsi hactenus ista dissimulationi dederimus, super eisdem tamen inposterum, prout expedire viderimus auctore Domino, procedemus. Interim autem homines miseros, qui humanitatis affectui, & miserationis effectui, Christum perdendo, Domino se reddiderunt omnimode alienos, sine condigna nolentes provisione remittere, presentium vobis auctoritate committimus, ut circa ipsos, Deum habentes prę oculis, juxta formam, quam vobis sub Bulla nostra inclusam mittimus, auctoritate nostra, omni contradictione & appellatione cessantibus, procedatis: presentes in primo colloquio generali, in quo carissimum in Christo filium nostrum F....(6) Romanum Imperatorem &c., & alios Principes Ecclesiasticos, & mundanos adesse contigerit, publicari & exponi solemniter facientes &c. Quod si non omnes &c. Datum Perusii VII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

Præsens Diploma legendum in primo colloquio Generali.

1. *Conradi.*) De quo sæpius supra. Gestorum autem, de quibus in hoc Diplomate, notitiam aperiet *Dissertatio*, cui Titulus: *Vindiciæ F. Conradi, Tomo ultimo.*
2. *Salsenburgen.*) Seu *Salisburgensi*. Vulgo *Saltzburg* in Bavaria.
3. .....) Legendum videtur: *Subire*.
4. *Ambiguum.*) *Deuteron. Cap. XVII a v. 8 ad* 13.
5. .....) Adde: *erat, dilationis*.
6. *F....*) *Fridericum II.* De quo sæpius infra.

Priori, ac FF. Viterbiensibus quædam circa hæreticos præscribit [1].

Ex Archivo Ordinis.

Anno 1235 Die 12 Augusti.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum S. Marię ad gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXXIV.

Quia dignum est illis intime januam aperire, qui ab heretica cęcitate, per spiritum consilii discedentes ad lucem, quę Christus est, humiliter revertuntur; auctoritate nostra presentibus indulgemus, ut universis, qui de Viterbien., & Tuscanen., Ortanen. (2), Balneoregien., Castren. [3], Suanen [4], Amelten. (5), & Narnien. Episcopatibus ad vestrum sanctę Prędicationis ministerium, quod implere credimini, & probamini, corde compuncti, synagoga peccantium, secta hereticorum, & infidelitatis errore penitus abjuratis, cautionibus idoneis exhibitis, sponte ad Christianę Fidei redeunt unitatem, nec sunt publice infamati, una cum Diœcesanorum consilio absolutionis, & reconciliationis munus impendere, ac salutarem penitentiam injungere valeatis; attente provisuri, ne sub conversionis specie, sicut pluries facere consueverunt, gravius valeant vineam Domini demoliri. Circa alios vero secundum formam statutorum [6] nostrorum curetis procedere, quę vobis sub Bulla nostra duximus, transmittenda. Quod si non omnes &c. Datum Perusii II Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

Exordium.

Quinam, & quomodo reconciliandi.

1. *Præscribit.*) Liquet ex hoc, apud *Viterbienses*, ac finitimas gentes hæresim tunc pullulasse. Ne igitur serperet latius, immo ut eam radicitus extirparent, Fratres Prædicatores præposuit *Gregorius*.
2. *Ortanen.*) *Seu Hortanen.* in *Italia*, ubi ceteræ Diœceses, de quibus in hoc Diplomate.
3. *Castren.*) *Castrum* fuit Urbs *Hetruriæ*, nunc funditus est eversa; & Episcopatum ipsius accepit *Acula*. Est in Agro *Urbevetano*.
4. *Suanen.*) In Ditione *Senensi*.
5. *Amelten.*) Sic Amanuensis. Nonne melius *Amelin.*, vel *Amerin.* Episcopatus est *Umbriæ*: *Ameltensis* autem Diœcesis ubinam sit, quis dicet?
6. *Statutorum.*) De quibus supra *ad XXVI Maii MCCXXXII.*

Priori Viterbiensi, & F. Radulpho [1], ut censuris solvant hæreticos.

Ex Archivo Ordinis lib: A. fol. 465.

Anno 1235 Die 12 Augusti.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratri Radulpho Ordinis Fratrum Prędicatorum S. Marię ad Gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXXV.

Quia dignum est &c. [2] Quod si non ambo &c. Datum Perusii II Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Radulpho.*) Hujusce meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Annum MCCL pag.* 125. *col.* 1.
2. *Dignum est &c.*) Ut in præcedenti.

Hortano Episcopo, ut Priori Viterbiensi ac F. Radulpho [1] Ordinis Prædicatorum suppetias ferat.

Anno 1235 Die 12 Augusti.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 466.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Hortano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXXVI.

Quia dignum est &c. (2) dilectis filiis Priori, & Fratri Radulpho Ordinis Prędicatorum S. Marię ad Gradus Viterbien. Auctoritate Apostolica indulgemus, ut universis, qui de civitate vel Diœcesi Hortan. ad sanctę prędicationis &c. [3] Quocirca fraternitati tuę per Apostolica Scripta mandamus, qua-

Mandat ut supra.

quatenus ad extirpandam de Civitate, ac Diœcesi supradictis pravitatem hereticam prudenter assurgens, Priori & Fratri jam dictis super his efficax impertiri studeas consilium, auxilium, & favorem, ita quod Sponsam Christi aperte diligere te ostendss, & Nos sollicitudinem tuam possimus etiam merito commendare. Datum Perusii II Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Radulpho.*) Videas præcedens Diploma.
2. *Dignum est &c.*) Ut in penultimo Diplomate ad hæc usque verba: *humiliter revertuntur.*
3. *Prædicationis &c.*) Ut ibidem ad hæc usque: *Nec sunt publice infamati*; ubi addas velim: *Absolutionis & reconciliationis munus impendant, tuo accedente consensu. Quo circa &c.*

Anno 1235 Die 21 Augusti.

Provinciali Franciæ, ut Fratres præficiat, qui per universum (1) Franciæ Regnum inquirant in hæreticos.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 468.

CXXXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno Francię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

DUdum ad aliquorum murmur, qui non patiebantur, te, aut Fratres tuos in partibus Gallicanis ad inquirendum super heretica pravitate procedere, quę, ut ajebant, de heresi non fuerant infamatę, scripsimus dilecto filio Fratri Roberto [2], & sociis etiam, ut supersederet isto cępto negotio, ne, ubi non precellerat infamia heresis, nota perquireretur erroris. Verum, quia postmodum, eo revelante interiora parietis, qui tenebrarum producit opus in lucem, & ad vindictam, cum vult, exigit umbram mortis, tanta de universis Regni Francię partibus ebullire dicitur venenatorum multitudo reptilium, & heresum sanies scaturire, quod amodo sic non possunt hęc salva tolerari conscientia, sicut nec aliqua tergiversatione celari, vidimus (3), eidem Fratri denuo injungendum, ut adversus manifestas insidias, tanquam miles strenuus aggressionis in Inquisitionis negotio laxet habenas. Sed quia non solet Dux solus ad bella procedere, ac velut urbs fortis est Frater, qui adjuvatur a Fratre, presentium tibi auctoritate precipimus, quatenus dicto Fratri Roberto, & aliquibus aliis Fratribus, quos ad hoc idoneos videris, negotium Inquisitionis dictę committas, qui per universum Regnum Francię passim contra hereticos cum Prelatorum, & aliorum Fratrum Religiosorum, sapientum quoque consilio, ea cautela procedant, ut innocentia non pereat, & iniquitas non remaneat impunita. Datum Perusii XII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Commissio.

1. *Universum.*) Cum *Senonensis* Archiepiscopus Summo Pontifici questus esset de Fratribus, qui in hæreticos suæ Provinciæ quæstiones instituebant, Nostratibus certos fines constituerat Christi Vicarius, uti videre est Diplomate *Dato IV Februar. MCCXXXIV.* Verum ingravescente morbo nulla ipsius occultatio erat, quapropter ne tandem fieret insanabilis, nostris totum *Galliæ* Regnum permittit Pontifex.
2. *Roberto.*) De quo infra *XXIII Augusti MCCXXXV.*
3. *Vidimus.*) Mox laudatum Diploma legendum. *Datum IV Februarii.*

Anno 1235 Die 22 Augusti.

Archiepiscopo Senonensi [1], ut cum ipse, tum F. Robertus, cujus laudes celebrat, ac ceteri Fratres inquirant in hæreticos.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 468.

CXXXVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Senonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ecclesiæ Gallicanæ.

QUo inter ceteras mundi Provincias Apostolica Sedes plus dilexit, & diligit Gallicanas, utpote quę puritatem Fidei, & devotionem Romanę Ecclesię semper inconcusso fędere servaverunt, eo fortiori dolore percellimur intellecto contrario, & auditioni sinistrę remedio celeriori nitimur obviare. Sane, dudum audito, quod in Regno Francię heretici subrepebant, Provinciali Ordinis Prędicatorum in eodem Regno dedimus [2] in mandatis, ut aliquibus Fratribus suis, aptis ad hoc, Inquisitionem contra illos committeret in Regno prefato, sed, multorum postmodum ascendente murmure [3], astruentium, de quibusdam Provinciis, quod in eis hujusmodi non deberet inquisitio fieri, cum de heresi non fuerint infamatę, scripsimus (4) Fratri Roberto, & aliis, qui in commisso sibi negotio procedere ceperant, quatenus in locis, in quibus, non devenerat alicujus infamia heresis, notam non persequerentur erroris. Quia vero post hęc, eo revelante interiora parietis, qui tenebrarum producit opus in lucem, & ad vindictam, cum vult, exigit umbram mortis, tanta de universis Regni Francię partibus ebullire dicitur venenatorum multitudo reptilium, & heresum sanies scaturire, quod amodo sic non possunt hęc salva tolerari conscientia, sicut nec aliqua tergiversatione celari, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, omni mora, & occasione cessantibus, per te ipsum, & Fratrem Robertum Ordinis Prędicatorum, cui tam specialem gratiam contulit Dominus, ut omnis venator extimeat cornu ejus, ac per alios Fratres Prędicatores nostros, & per alios, qui ad hoc idonei videbuntur, festines secundum statuta Concilii (5) generalis, & alia (6) noviter contra hereticos edita procedere in Inquisitionis negotio, & ad Dominicum certamen accingi, prestans Fratribus memoratis in eadem prosecutione consilium, auxilium, & favorem. Datum Perusii XI Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

F. Roberti encomium.

1. *Senonensi.*) Legendum præcedens Diploma.
2. *Dedimus.*) Superius ad *XIX, XX, & XXII Aprilis An. MCCXXXIII.*
3. *Murmure.*) Videndum Diploma *Datum IV Februar. An. MCCXXXIV.*
4. *Scripsimus.*) Desiderantur Literæ.
5. *Concilii.*) *Lateranensis IV.*
6. *Alia.*) De quibus ad *Bullam Dat. XXVI Maii An. MCCXXXII.*

Fra-

Fratri Roberto [1], ut in hæreticos Regni Franciæ quæstionem instituat.

Anno 1235 Die 23 Augusti.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol.467.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Roberto Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXXIX.

Exordium.

Dudum ad aliquorum murmur, qui non patiebantur, te, aut Fratres tuos in partibus Gallicanis ad inquirendum super heretica pravitate procedere, quę, ut ajebant, de heresi non fuerant infamatę, scripsimus tibi, & aliis Fratribus tecum, ad hoc negotium deputatis, ut supersederetis a cępto negotio, ne ubi non precesserat infamia heresis, nota perquireretur erroris. Verum, quia postmodum, eo revelante interiora parietis, qui tenebrarum producit opus in lucem, & ad vindictam, cum vult, exigit umbram mortis, tanta de universis Regni Francię partibus ebullire dicitur venenatorum multitudo reptilium, & heresum sanies scaturire, quod amodo sic non possunt hęc salva tolerari conscientia, sicut nec aliqua tergiversatione celari: discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus illum imitans, qui usque ad mortem obedientiam non intermisit injunctam, & illum, qui vitam propriam se pretiosiorem facere noluit, sed pro fidelium animabus, impensis omnibus, corpore quoque superimpendi per eminentem scientię viam caritatis elegit, aliumque veteranum, & emeritum Militem, qui et in extremis agens, non timuit recusare laborem, eligas illo vitam finire martyrio, & quandiu spiritus proprios regit articulos in remissionem peccaminum per Senonen.(2), Semen.(3) & alias Provincias Regni Francię, passim contra hęreticos, cum Prelatorum, & Fratrum tuorum Religiosorum, Sapientumque consilio, ex cautela procedas, ut innocentia non pereat, & iniquitas non remaneat impunita. Datum Perusii X Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Roberto.*) Ex hæresi *Patarenorum* ad Catholicam convolasse Fidem, & hæreticorum malleum fuisse *Robertum*, docet *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCVII num. III.* Bene optime habet: Sed non audiendi *Spondanus*, & *Odoricus* ipse qui in probando *Parisii*, famam *Roberti* inquinantis, testimonio, plus satis faciles sese præbuere; ille quidem *ad Annum MCCXXXV num. 1*, iste vero *ad Annum MCCXXXVIII num. LXI*. Fuisse *Parisium* coævum *Roberto*, non ambigendum. At *Parisius*, qui de *Roberto* dure dicens a *Spondano* laudatur, is ipse est, qui, *Spondano* judice *ad Annum MCCXXXIX num. IV, ineptias & inanes rumores scriptis suis infarsit*. Ille est, cui *in nonnullis vel paucissima, vel penitus nulla fides adhibenda venit*. Ex *Spondano ibidem num. VII*. Ille ipse est *Parisius Ecclesia Romana, & Pontificum osor ...., cujus commenta frequentissima sunt ...., cui quicquid effingere, etiam effari libuit, licuitque*. Hæc *Spondanus ad Annos MCCLIV num. V, MCCXLV num. IX, MCCXXXIX num. XIII.* Cur igitur in hæreticorum malleum, *Robertum* dico, cujus laudes tot Summorum Pontificum Diplomata celebrant, *Parisium* testem dat Venerandus Antistes? Quid plura? Ex sexcentis sententiis a *Spondano* latis, ut elevaret fidem *Parisii*, unam audiat Lector ut *Faber compedes, quas fecit, ipse gestet*, & viri de Religione optime meriti, *Roberti* virtutem nec minima suspicio violare possit. Sic autem loquitur *Spondanus* ad Annum MCCXXXIX num. XIII. *Hæc diffuse blaterat Parisius, quæ meras nugas esse hominis cerebro laborantis, tam nullus dubito, quam omnino mihi persuadeo, nullum fore sanæ mentis, qui putidam ejus* (Parisii) *narrationem, & futilem dialogismum inspicere voluerit, qui non idem mecum sentiat; cum etiam tantæ rei, ne per somnium quidem ullus prorsus alius auctor meminerit*. Et hæc de *Parisio* laudatus *Spondanus*. Cum igitur calumniæ *Roberto* intentatæ *ne per somnium quidem ullus prorsus alius auctor meminerit*, nihil nos utique movet narratio *Parisii*, seu potius Interpolatoris, qui opera *Parisii* passim adulteravit, ut alicubi notat *Baronius*. Nunc *Odoricus* de *Parisio* dicat. *Mira res*, inquit *Odoricus Raynaldus An. MCCLIX num. XLVI, ut omnium Pontificum famam laceret* (Parisius), *omniam gesta in adversam partem detorqueat, mendacia consarcinet, calumnias ubique instruat, aspergatque, si quod ulcus in iis appareat, illud laniare improba exaggeratione contendat. Quæ omnia imbutum odio animum ostendunt, ac suspicionem justam movent, adulteratam..... auctoris* (Parisii) *historiam ab aliquo hæreseos labe infecto, qui suum in Ecclesiam odium sub alterius nomine, quo plus noceret, evomere voluerit*. Idem docet *Odoricus ad Annum MCCXXXIX num. XXXIX. Hæreseos veneno imbutus*, inquit, *pro innato contra Ecclesiam odio, Parisii opera quædam corrupit*. Uno igitur loquente *Parisio* nec accusare, nec damnare *Robertum* debuisset *Raynaldus*. Enim vero si vitiata sint ab hæretico *Parisii* opera, profecto contaminata veritas eorum, quæ de Inquisitoribus scripserat ille. Aliunde se ipsam obterit jejuna frigidaque calumnia; *Robertus* siquidem, in crimen adductus a *Parisio*, fertur in æterna vincula conjectus a Pontifice Anno MCCXXXVIII, uti videre est ex *Histor. Anglic. ad hunc Annum*, e vivis tamen excesserat *Robertus* in cœnobio nostro *San-Jacobeo Parisiensi* hoc Anno MCCXXXV, ut liquet *ex priscis Monimentis ejusdem Conventus*. Explodas ergo fabulam sine capite.

2. *Senonen.*) In *Burgundia*.

3. *Semen.*) *Semensem* Provinciam in *Gallia* quis novit? Nonne melius *Cemen.* seu *Cemenium* Tractum; sub quo comprehenduntur Provincia *Vivariensis* superior, & *Gabalium* cum parte *Ruthenorum*?

Potestatibus (1) Tusciæ, & Spoleti, Fratres Ordinis Prædicatorum, Fidei censores commendat.

Anno 1235 Die 25 Novembr.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Nobilibus Viris Comitibus, Baronibus, & Justitiariis, Potestatibus, & aliis Civitatum, Castrorum, seu aliorum locorum Rectoribus, & universis Christifidelibus per Tusciam, & Ducatum Spoletanum constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXL.

Serpentis antiqui perfidia in humanum genus, iniquitatis suę venena transfundens, a Paradiso hominem ejecit, & accessum ad supernę patrię gloriam ejus procuravit posteris interdici; exinde majoris item mens doloris aculeo, quod hominem ad ea regna credebat ascendere, a quibus sua se dolebat superbia cecidisse. Porro Dei benignitas Filium suum Crucis jussit subire patibulum, ut nos Angelorum concives efficeret, & a nobis diabolicę servitutis compedem removeret; Sed hostis ipse ad fallacię recurrens consuetę versutias, & quorundam excęcans oculos, quos a cognitione veri luminis reddidit alienos, ipsos sub Angelorum pacis forma transmittit, qui simplicium fidem evertere, & fideles antiquę nituntur captivitatis retibus implicare. Ipsi quidem in vestibus ovium rapacitatis exercent lupinę intentum, & Judę vi-

Exordium ab hostis antiqui insidiis.

Dei Misericordia.

vicarii, dum pacis osculum porrigunt, deceptas animas ad inferiora deducunt. Tanto igitur fortius, tantoque libentius ad hereticos confutandos, est a fidelibus consurgendum, quanto majoribus nos damnis afficere cupiunt, qui fidem Catholicam heretica pravitate corrumpunt; Quia fidei damnum eo detestabilius creditur, quo fide nihil pretiosius invenitur. Hinc est, quod cum quidam lupi rapaces partes vestras sub ovium vestimentis intraverint, Nos dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Predicatorum Tuscie, & Vallis Spoleti nostris dedimus literis (3) in mandatis, ut tam de receptatoribus hereticorum, quam de aliis de heresi publice infamatis, per se ipsum, vel aliquos de Fratribus suis, quos ad hoc idoneos esse cognoverit, diligenter inquirens, contra eos juxta statuta Concilii (4) generalis, & alia (5) super hoc edita dudum a Nobis, que sibi mittuntur sub Bulla nostra, procedat. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus attentius, & monendam, per Apostolica scripta vobis mandantes, quatenus ad extirpandam de partibus vestris pravitatem hereticam similiter assurgentes, predictis Priori, & Fratribus, super hoc efficax studeatis consilium, & auxilium impertiri, ita, quod persecutione infidelium, vos evidenter doceatis, sicut credimus, esse fideles, & preter retributionem Divinam, gratiam Apostolice Sedis, & Nostram possitis exinde merito promereri. Datum Viterbii VII Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Hæreticorum perfidia.

Mandat ut supra.

1. *Potestatibus.*) Hæreticis pene totam *Italiam* vastantibus, Fratres Prædicatores Pontifex misit, ut vi compescerent pervicaces; quapropter Potestatibus tam *Hetruriæ*, quam Ducatus *Spoleti* commendatos voluit ipsos.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Dominici Senarum*.
3. *Literis.*) Desiderantur.
4. *Concilii.*) *Lateranensis IV.*
5. *Alia.*) De quibus *ad XXVI Maii MCCXXXII*.

Anno 1235 Die 1 Decembris.

Provinciali Tusciæ [1] pro prædicanda Cruce.

Ex Archivo [2] Ordinis.

CXLI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Predicatorum in Urbe, Tuscia, Ducatu Spoleti, Regno Sicilie, & Campania, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUantum Nos urgeat negotium Terre Sancte, Is novit plenius, qui renes scrutatur & corda, cum ad liberationem ipsius totis desideriis aspiremus. Cupientes igitur multos accingi per Crucis gloriam ad corporale tirocinium exercitus Iesu Christi, presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus aliquos Ordinis tui Fratres, quos ad hoc idoneos esse perspexeris, in quorum ore non sit Verbum Domini alligatum, & te ipsum pro Crucis negotio Predicationis officio studeas deputare. Et ut fideles Christi ferventius, & libentius currant ad audiendum Verbum Domini, & accedant, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad solemnem predicationem eorum accesserint, in qualibet Civitate, Villa, vel Oppido semel in septimana, decem, vel viginti, seu triginta dierum Indulgentiam largiantur, prout viderint expedire. Ut autem nihil omnino desit ad hujusmodi officium exequendum, absolvendi juxta formam Ecclesie manuum injectores in Clericos, ac incendiarios, duntaxat Crucesignatos, & assumentes etiam signum Crucis, vel qui juxta facultates suas, propriis expensis alios pro se miserint bellatores, & commutandi vota peregrinationis in votum hujusmodi pietatis, auctoritate presentium eis concedimus potestatem, proviso quod hi, qui pro violenta manuum injectione excommunicationis vinculo sunt ligati, passis injuriam, & incendiarii eis, quibus damna per incendium intulerunt, satisfaciant competenter, dummodo non ita fuerit gravis, & enormis excessus manuum injectorum, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Ceterum quia, sicut accepimus, Predicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus tibi, & aliis, per questuarios impeditur, ne ipsi negotio impedimentum, vel aliquod obstaculum ingeratur, volumus, & mandamus, ut questuariis [3] universis, si qui presentes fuerint, proponendi aliquid populo, dum a te, vel Fratribus, quos ad hoc duxeris deputandos, proponitur Verbum Crucis, licentia interdicatur expresse, eis, si contra presumpserint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendis. Eadem quoque auctoritate concedimus, ut per Plebanos, & alios Ecclesiarum Rectores, necnon & simplices Sacerdotes ad predicationem tuam, & eorundem Fratrum possit populus convocari, per quos etiam, si qui voluerint, poterunt secure recipere signum Crucis. Datum Viterbii Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Fratres Prædicatores ad prædicandam Crucem mittendos sancit.

Indulgentiam concedendam.

Facultates concessæ Crucis Præconibus.

Quæstuarii compescendi.

1. *Tusciæ.*) Tunc enim *Romæ*, in *Tuscia*, Ducatu *Spoleti*, Regno *Siciliæ*, & in *Campania*, Provincia *Tusciæ* obtinebat Cœnobia.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud etiam asservatur in Cœnobio *Sancti Dominici Senarum*. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Quæstuariis.*) De quibus *supra XXII Aprilis MCCXXXIII.*

Anno 1236 Die 27 Januarii.

Archipresbytero, & Priori Perusino (1) Ordinis Prædicatorum, ut debita cuidam Monasterio Perusino solvi curent.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 469.

CXLII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archipresbytero, & Priori Fratrum Predicatorum Perusin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm dilectus filius Odericus Aldobrandinus, Offreducius, & quidam alii Cives Perusini divinitus inspirati elegerint in Monasterio Sancti Salvatoris de Monte Acuto Cistercien. Ordinis, quod ad Nos nullo pertinet mediante, sub regulari habitu Domino famulari, promittentes dare tot possessiones Monasterio noviter construendo Perusii ad opus uxorum, filiarum, & consanguinearum suarum, ac aliarum mulierum, que similiter elegerunt relinquere seculi vanitates; quod eedem, & que ipsis successerint ducentas Cor-

corbes frumenti, & trecentas saumas [2] vini ex ipsis sine expensis percipiant annuatim, & tot redditus in pecunia; quod ad opus cujuslibet illarum, cum ingressa fuerit nunc in principio locum illum, tres libras Monasterium ipsum singulis annis pro indumentorum provisione percipiat; Discretioni vestrę Apostolica auctoritate mandamus, quatenus ea vobis faciatis pro ipso Monasterio assignari, & de consilio bonorum virorum eadem recipere procuretis, rescripturi Nobis fideliter quod fuerit inde factum. Datum Viterbii VI Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono. Commissio.

1. *Perusino*.) In Ditione Pontificia.

2. *Saumas*.) Seu sarcinas aptas jumento.

F. Raymundo [1] de Pennafort, ut Aragonum Regem [2] ab excommunicatione absolvat.

Anno 1236 Die 8 Februarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 482.

CXLIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo, Capellano, & Pęnitentiario nostro, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

REverendissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Aragon. pręsentata nobis petitio continebat, quod in infirmitate gravi detentus, ab excommunicationis sententia, quam incurrit, ex eo quod Venerabilis Fratris nostri Episcopi tunc electi Cęsaraugustan. (3) ad Tarraconen. Ecclesiam pro consecrationis obtinendo munere procedentis per Oscen. [4] Civitatem transitum impedivit, juxta formam Ecclesię extitit absolutus, quare nobis humiliter supplicavit, ut super hoc id ab ipso fieri mandaremus, per quod conscientię quietem habeat, & ęternum Regem sibi reddidisse placabilem hilarescat. Nos igitur dignis exauditione precibus inclinati, discretioni tuę, de qua in Domino fiduciam specialem gerimus, prędicta auctoritate mandamus, quatenus circa ipsum, qui sic dicitur super impedimento pręmisso ductus pęnitudine salutari, si se prędicto reconciliavit electo, & eum personaliter conduxit ad Ecclesiam memoratam, super hujusmodi injuria procedas juxta formam, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam. Datum Interamnę [5] VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Exordium. Mandat ut supra.

1. *Raymundo*.) Ergo ab Urbe jamjam discesserat *S. Raymundus*, & Apostolici Pœnitentiarii munus obibat in patria.

2. *Regem*.) In Canonem ex eo inciderat *Aragonius* Rex *Jacobus I*, quod *Cæsaraugustanum* Electum ad *Tarraconensem* Metropolim, quo inauguraretur Episcopus, properantem, ab aditu Civitatis *Oscensis* arcuerat. In discrimen mortis brevi vocatus Rex absolutionem impetrarat quidem, cum primum tamen convaluit, supplicibus epistolis Christi Vicarium oravit, ut omnibus sententiis absolutus foret. Preces audivit *Gregorius*, & rem integram detulit ad *Raymundum*.

3. *Cæsaraugustan*.) sub *Tarraconensi*, *Hispaniæ* Citerioris Archiepiscopatu, tunc erat *Cæsaraugustana* Ecclesia, a *Johanne XXII* Metropolis postmodum creata.

4. *Oscen*.) In *Aragonia*.

5. *Interamna*.) Vulgo *Terni*, in *Umbria* ad *Narem* fluvium.

Quomodo Jacobus Aragonum Rex ab excommunicatione sit absolvendus [1], F. Raymundo præscribit Pontifex.

Anno 1236 Die 8 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 482.

CXLIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio F. Raymundo, Pęnitentiario, & Capellano nostro, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI Rex Aragon. recognoscat, quod quando super impedito per eum processu venerabilis Fratris Episcopi tunc electi Cęsaraugustan. beneficium absolutionis obtinuit, juraverit stare mandatis Ecclesię, injungas sibi sub debito pręstiti juramenti, quod nunquam de cetero Pręlatum aliquem per violentiam detineri, vel in seculares Clericos, aut Religiosas alias personas manus violentas injici, seu aliquem ex eis capi scienter faciat, vel detineri captivum. Pręterea injungas eidem sub ipsius debito juramenti, quod a pręfato Episcopo in ostio majoris Ecclesię Civitatis Oscen., in qua ipse, ne ad obtinendam Consecrationem suam procederet, impeditus extitit, ab eodem, pręsentibus Clero, & Populo, sibi hujusmodi remitti injuriam humili supplicatione deposcat; postquam vero Rex idem perfecerit, quod mandatur, auctoritate nostra sibi absolutionis beneficium largiaris, eundem secundum datam tibi a Domino prudentiam efficaciter moniturus, ut sicut laudabiliter, inspirante Domino, concepisse dignoscitur, sic Fidei negotium contra Paganos magnanimiter prosequatur, illam ex hoc peccatorum veniam habiturus, quę Jerosolymam euntibus indulgetur. Datum Interamnę VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Præscribit ut supra.

1. *Absolvendus*.) Legendum præcedens Diploma.

Fratribus per Bohemiam constitutis, ut Crucem contra Pruthenos (1) prædicent.

Anno 1236 Die 23 Februarii.

Ex Arch. [2] Ord. lib. B. fol. 24. & 219.

CXLV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, per Regnum Bohemię constitutis, prędicantibus contra perfidiam Pruthenorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUavis Dominus universis, qui nihil odivit eorum, quę fecit, sed omnes salvos fieri, & neminem vult perire, exsurgens propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, per fidem in Sanguine ipsius pro- Exordium.

propitiatorem proposuit Iesum Christum, ad ostensionem Justitię suę propter remissionem pręcedentium delictorum, ut justificati gratia ipsius, secundum spem vitę ęternę efficeremur heredes; Sed princeps mundi hujus quorundam Infidelium mentes adeo excęcavit, ut non agnoscerent verum lumen, nec in eos claritas Evangelii radiaret, quin potius, infidelitatis tenebris obvoluti, non invocarent Dominum, qui prope est omnibus invocantibus eum in veritate, quia omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.

Pruthenorum impietas.

Igitur cum Pruthenorum impietas, visibilia Deo, & cęlorum virtutibus preferentium aereas potestates, quorum plurimi, perceptam Baptismatis gratiam reliquerunt, illa fidelibus in Prussię confinio constitutis inferat jacula tormentorum, quę stupori audientibus, & referentibus sunt horrori, providit pietas Redemptoris, quod contra ipsos, qui & divini sermonis dulcedinem efficaciter non admittunt, & exquisitis fraudibus sępe fallunt, & perimunt tam Pręcones Domini, quam alios sui Nominis laudibus deputatos, dilecti filii Fratres Hospitalis S. Marię Teutonicorum Jerosolymitan., pro reverentia omnium Conditoris, cujus se obsequio devoverunt, in prędictis partibus, fidei negotium assumpserunt ex animo prosequendum, laboribus, & expensis, ac proprii effusioni sanguinis non parcentes, cum quibus Dominus, sicut relatu fide dignorum exultantes accepimus, misericorditer operatur, reprimendo per eos impetum barbarę feritatis; Sed tamen quia ad tam arduum negotium sufficere per se nequeunt, & egent fidelium subsidiis adjuvari, presertim cum Civitates, & Castra, quę in eisdem partibus fundaverunt, nequeant absque festino, & grandi subsidio retineri, devotionem vestram monemus, & obsecramus in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus commissę vobis super hujusmodi negotio ab Apostolica Sede sanctę Prędicationis, officium, eo promptius, & efficacius prosequentes, quo prefatis Fratribus peregrinorum presentia destitutis, hoc in presenti potissime fore dignoscitur opportunum, & spes quasi certa tribuitur, quod per desiderati juvaminis interventum illic intra breve temporis spatium, gloria Christianę Fidei, plurimum, auctore Domino, amplietur, pauperum Crucesignatorum in Regno Bohemię, cum quibus duximus dispensandum, vota peregrinationis in succursum prędictorum fidelium commutetis, & tam eos, quam alios fideles in Regno constitutos eundem, ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit, & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quę tribuit ipse, illos monitis, & exhortationibus vestris, secundum datam vobis a Deo prudentiam informetis diligenter, ac sollicite postulantes, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros christianos, & catholicos, cadere opprobria exprobantium Christo debent, se viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes, ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manu Paganorum, profecturi, & acturi secundum Fratrum consilia prędictorum, ita quod & ipsis premium debeatur ęternum, & Infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Cum autem multa necessitas exigat, ut illuc Fidelium subsidium transmittatur, & dignum sit, ut, in tanto negotio laborantes, debita pro labore stipendia consequantur, quatenus libenter, securi de retributione, procedant; Nos de Omnipotentis *Dei* Misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, tam eis, quam aliis ejusdem regni, qui laborem istum in propriis personis subierint, vel expensis, & eis, qui alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minimum per unius anni spatium substituti, seu illis, qui ad subventionem fidelium de propriis facultatibus ministrabunt, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, peccatorum suorum veniam, sicut euntibus Jerosolymam, indulgemus. Datum Viterbii VII Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Nono.

F. Teutonici contra Pruthenos viriliter agentes.

Ut Fratres Prædicatores Crucem prædicent, mandat.

Indulgentiam elargitur.

2. *Pruthenos.*) De quibus supra *ad XIII Septembris MCCXXX, & VI Octobris MCCXXXIII.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *Brunensi* in *Moravia*.

Anno 1236 Die 26. Februarii.

CXLVI.

Datam ab Episcopo Ecclesiæ S. Stephani Bergomen. [1] immunitatem [2] confirmat.

Ex Archivo [3] *Ordinis.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus S. Stephani Pergamen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum igitur, sicut exhibita Nobis vestra petitio continebat, venerabilis Frater noster Pergamensis Episcopus loci Dięcesanus, Capituli sui accedente consensu, Ecclesiam vestram S. Stephani Pergamensis, in qua divino vacatis obsequio, Parochiale jus ejusdem concedendo Ecclesię S. Jacobi Pergamensis, deliberatione pia, & provida duxerit eximendam, prout in ipsius literis confectis exinde dicitur plenius contineri; Nos vestris justis precibus inclinati, quod super hoc ab eodem Episcopo provide factum est, ratum habentes, & firmum, id Auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii IV Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Immunitas concessa ab Episcopo.

Confirmatur.

Sanctio pœnalis.

1. *Bergomen.*) Vide supra, *X Martii MCCXXVIII, & XXIV April. MCCXXX.*

2. *Immunitatem.*) Legendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo, Titulo X.*

3. *Archivo.*) In quo exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Bergomensis*.

Capi-

Anno 1236
Die 7. Martii.

CXLVII.

Capitula (1) contra hæreticos.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

INcipiunt capitula contra Patarenos edita. Excommunicamus & anathematizamus universos Hereticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Joseppinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Dampnati vero per Ecclesiam, seculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi, Clericis prius a suis Ordinibus degradatis. Si qui autem de prędictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam pęnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hęreticos similiter judicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hęreticorum, excommunicationis sententię decernimus subjacere, firmiter statuentes, ut, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus a sua super hoc non curaverit pręsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur; sit etiam intestabilis, ut nec testamenti habeat factionem, nec ad hęreditatis successionem accedat. Nullus pręterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Qui si forte Judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causę aliquę ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore dampnato dampnentur, & in similibus idem pręcipimus observari: si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur, alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personę, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; Ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc veluti hęretici condempnentur. Item proclamationes, & appellationes hujusmodi personarum minime audiantur. Item Judices, Advocati, & Notarii nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item Clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, aut oblationes eorum accipiant. Similiter Hospitalarii, Templarii, ac quilibet Regulares: alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque Indulto Sedis Apostolicę speciali. Item quicumque tales pręsumpserint Ecclesiasticę tradere sepulturę usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententię se noverint subjacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & proiiciant hujusmodi corpora dampnatorum: & locus ille perpetuo careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicę personę liceat publice, vel privatim de Fide Catholica disputare, qui vero contrafecerit excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hęreticos sciverit, vel aliquos occulta Conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita, & moribus dissidentes, eos studeat indicare Confessori suo, vel alii, per quem credat ad Pręlati sui notitiam pervenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filii autem hęreticorum, receptatorum, & defensorum eorum, usque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum officium, seu beneficium admittantur; quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Datum Viterbii Nonis (3) Martii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Condemnati civili Magistratui puniendi tradantur, prius dimovendi de dignitatis gradu, si Clerici fuerint.
Quinam in æterna vincula detrudendi.
Erroribus hæreticorum credentes declarantur hæretici.
Excommunicantur hæreticorum conscii.
Infames ipsos facit & inhabiles ad Officia.
Nec hæredem instituere, nec hæres esse potest, qui in infamiam sic accessit.
Sententias ab ipso latas irritas esse jubet.
Idem de instrumentis &c.
Animadvertit in suspectos super hæresi.
Nulli laico licet de Fide disputare.
Denuntiandi sunt hæretici sub Excommunicationis pœna.
Filii hæreticorum &c. usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum officium sunt admittendi.

1. *Capitula*.) Quæ hic notatu digna, dicam inferius *XV Junii MCCLIV*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Nonis*.) *Pegna* exscripsit *VI Idus Novembris*. Sicille ex Autographo *Bononiensi ad Calcem Directorii Inquisitorum pag.* 4.

Anno 1236.
Die 14 Martii.

CXLVIII.

Madritensi Monasterio, cujus possessiones confirmat, præsidio est.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. pag.* 313.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum S. Dominici de Mayorico (a) Toletanę Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IUstis petentium desideriis dignum est Nos facilem prębere consensum, & vota, quę a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectę in Domino filię, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo Divino estis obsequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę inpręsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis, pręstante Domino, poterit adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis, & per vos monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii II Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Præsidio est.
Possessiones confirmat.
Sanctio pœnalis.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum extat in Monasterio *S. Dominici Madriten*.
2. *Mayorico*.) Confirmantur ex hoc quæ notata sunt supra *XX Martii MCCXX*.

F. Jor-

Anno 1236 Die 24 Martii.

F. Iordano (1), ut Fratres Ordinis curam gerant Monasterii Pruliani (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CXLIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Jordano, Generali Magistro Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratris Jordani.

Supplex Sororum petitio.

Mandat ut supra.

SCimus, in tuo desiderio geri continuum, ut augmentis assiduis proficias animarum. Igitur pro dilectis in Christo filiabus Priorissa, & Conventu Monasterii Beatę Marię de Pruliano Tolosanę Diœcesis a te petendum assumimus, quod secundum Deum ipsarum competere profectibus ęstimamus. Sane lecta coram Nobis earum petitio continebat, quod cum ipsę, quę Beati Dominici Magistri jam dicti Ordinis inductę faeris monitis, & exemplis, rejecta pompa seculi, elegerunt Domino famulari sub Regula Monialium Sancti Sixti (4) de Urbe, in prędicto loco fuerint (5) collocatę, & idem Sanctus pia dispositione providerit, ut unus Prior (6), & quatuor Fratres Clerici ejusdem Ordinis, in spiritualibus, & temporalibus curam gererent earundem, & id quasi usque nunc fuerit observatum, Prior, & Clerici, qui secundum provisionem hujusmodi pręerant eisdem, occasione cujusdam constitutionis nuper editę in Capitulo (7) Generali, scilicet, ne Fratres supradicti Ordinis curam deinceps habeant Mulierum, memoratis Priorissę, & Conventui pręesse recusant. Verum, etsi laudabilis in hac parte eorum intentio videatur, tamen quia ipsarum institutis non debet derogari pręteritis, quę sumosisse noscuntur originem a perfectę studio caritatis; pręsertim cum, si prędictis Priorissę, & Conventui in paupertate positis, & malignorum injuria multipliciter conturbatis, dictorum Fratrum solita consolatio subtrahatur, timendum sit, quod de ipsarum manibus fructus laboris pręteriti evanescat, & parum proficere valeant in futurum; Devotionem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, institutione hujusmodi non obstante, pro Beatę Virginis, & Sancti reverentia memorati, cujus plantationes ita decet salutis rore compluі, ut nullo possint lęsionis turbine deformari, prędictis Priorissę, & Conventui, quas primas omnium ad dictum Ordinem conversarum, idem Sanctus, doctrinę sacrę ritibus, de fluctibus seculi ad litus deduxisse dignoscitur, in quo mentaliter quietis ęternę suavitas degustatur, Fratres, qui pręmissam curam de ipsis habeant, sicut hactenus habuerunt, deputare, sublata difficultate, procures: mandatum nostrum taliter impleturus, ut, eis consequentibus, quod tam digne deposcitur, tibi benedictionis ęternę gratia cumuletur. Datum Viterbil IX Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

1. *Jordano.*) Cujus mentio in Diplomate Dato *XVI Maii MCCXXVII.*
2. *Pruliani.*) De quo supra *VIII Octobr. MCCXV.*
3. *Archivo.*) In quo exemplar authenticum, cujus Autographum est in Monasterio *Pruliano.*
4. *S. Sixti.*) Dixi ad *XVII Decembr. MCCXIX, & ad XXV April. MCCXXI.*
5. *Fuerint.*) Sub eadem enim Regula *S. Augustini* utrumque Monasterium militat. Id unum docet Pontifex; Non ergo prater historiæ fidem ex hoc Diplomate concludendum, prius Monasterio *Pruliano* a fundamentis excitato fuisse Monasterium *S. Sixti*; Immo Moniales *Prulianæ* informarunt *Sixtinas*, uti videre est *ex priscis Monimentis Archivi Ordinis*, & ex *F. Benedicto De Montefiascone* apud *Echard Tomo 1. Scriptor. Ord. ad Seculum XIII. pagina* 83.
6. *Prior.*) Sub jure siquidem ac potestate Prioris est Monasterium.
7. *Capitulo.*) *Bononiæ* celebrato *Anno MCCXXXV.*

Anno 1236 Die 25 Martii.

Ædes Sacras S. Mariæ ad Gradus Viterbien. visitantibus die Annunciationis Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CL.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratrlbus Ordinis Fratrum Prędicatorum Ecclesię Sanctę Marię ad Gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Concedit ut supra.

LIcet is, de cujus munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne, ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suę, quę merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen desiderantes reddere populum Domino acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis pręmiis, Indulgentiis scilicet, & remissionibus invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores. Cupientes igitur, ut Ecclesia vestra, constructa in honorem Beatę Marię Virginis, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, Ecclesiam ipsam in festo Annunciationis ejusdem Virginis annis singulis venerabiliter visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac ea, quam Dominus Nobis indulsit, auctoritate confisi, unum annum, & quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii VIII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus asservatur Autographum in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* in *Italia.*

Regi

Regi Castellæ, ne quis donationes factas Monasterio Sancti Dominici de Majorico (1) revocet,

Anno 1236 Die 27 Martii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. pag.* 313.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Castellę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLI.

EX parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę, ac Conventus Monialium inclusarum Monasterii Sancti Dominici de Majorico Nobis est obiata querela; quod cum contingat interdum aliquem consanguineum alicujus Monialis ejusdem Monasterii, ipsi donare possessiones aliquas intuitu pietatis, tu tamen Monialis prędictę defunctę donationes hujusmodi ad proprietatem donantium revocas, vel heredum, easque invitas compellis ad restitutionem ipsarum, pro tuę libero voluntatis arbitrio. Cum igitur Religiosis personis te non deceat inferre gravamen, ad quarum defensionem a Domino accepisse dignosceris materialis gladii potestatem, regalem excellentiam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus easdem Priorissam, & Conventum habens pro Divina reverentia, & Apostolicę Sedis, ac nostra, propensius commendatas, ac prędictas donationes eis illibatas faciens conservari, illas, nec tu ipse revoces, nec patiaris ab aliis, quantum in te fuerit, revocari. Datum Viterbii VI Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Inhibet ut supra.

1. *Majorico.*) Ut supra *ad XIV Martii MCCXXXVI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Monasterio *S. Dominici Madriten.*

Potestati ac Populo Placentino (1), ut exequantur, quæ jusserit Asculanus (2) Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus.

Anno 1236 Die 2 Aprilis.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 471.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestati, & Populo Placentino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLII.

CUm super extirpanda hęretica pravitate, & quod dilecto filio G.., Subdiacono, & Capellano nostro noluistis quosdam concives vestros suspectos de hęresi prężentare, ac super extirpatione quondam Ruberti Monachi Sancti Savini, & insultu facto in Fratrem Roiandum de Ordine Prędicatorum, ac quosdam alios Fratres ejusdem Ordinis, & Minorum, necnon quibusdam aliis excessibus, sicut in Instrumentis publicis continetur, de parendo mandatis nostris pręstiteritis juramentum, monemus, quatenus mandata, quę propter hoc vobis ex parte nostra fecerit Venerabilis Frater noster Asculan. Episcopus, quem pro pace Lombardię ad partes illas duximus destinandum, devote curetis recipere, & efficaciter adimplere. Datum Viterbii IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Placentino.*) Fratres Ordinis Prædicatorum injuriis lacessitos *Placentiæ*, & flebili vulnere sauciatos legimus supra ad diem *III Octobr. MCCXXXIV.* Jam obiurgaverat Pontifex & Prætorem, & ipsos *Placentinos*, ut liquet ex *Epistol. CCCXXVIII, CCCXXXV, & CCCLXXVIII Libr. VII Gregor. IX.* Cum ergo legasset in *Longobardiam Asculanum* Episcopum, standum Decreto Legati, decernit Pontifex.

2. *Asculanus.*) In *Piceno*. Nomen ipsi *Marcellinus*, de quo legendus Ughellus *Tomo I Italiæ sacræ*.

Magistro Generali, & Provinciali Hispaniæ, ut non obstante Ordinatione Capituli (1) Generalis Fratres assignent, & delegent, qui curam gerant Monasterii S. Dominici Madritensis (2).

Anno 1236 Die 7 Aprilis.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Generali, & Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum Provincię Hispanię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLIII.

EX parte dilectarum in Christo filiarum Conventus & Monasterii Monialium clausarum Sancti Dominici Madritensis propositum fuit coram nobis, quod cum B. Dominicus Institutor vestri Ordinis posuerit aliquos Fratres pro custodia prędicti Monasterii, & pro audiendis Monialium ipsarum Confessionibus, necnon pro reficiendis ipsis cibo spirituali, vos paucis ab hinc diebus, & Definitores Ordinis vestri voluntarie, & sine aliqua causa ipsos ab ipsarum cura removistis, qua de causa astrictę fuerunt pro earum custodia ad se vocare sacerdotes seculares, a quibus, etsi cum devotione Divina audiant Officia, renuunt tamen sacramenta & directionem spiritualem suarum animarum suscipere, attenta ordinatione ipsis facta per B. Dominicum. Quare Auctoritate Apostolica pręcipimus vobis, ut sine aliqua mora aliquos ex Fratribus Ordinis vestri assignetis & deputetis pro ipsarum cura, qui suis optimis consiliis valeant ipsas in spiritualibus educare, atque instruere in vestra regulari observantia. Datum Viterbii VII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Petitio Monialium Madriten.

Pręcipit ut supra.

1. *Capituli.*) De quo superius ad *XXIV Martii MCCXXXVI.*
2. *Madriten.*) Vide supra *XX Martii MCCXX.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Monasterio *S. Dominici Madriten.*

Pro-

Anno 1236 Die 22 Aprilis.

Provinciali Romanæ Provinciæ, ut mittat Fratres ad reformandam Provinciam Antibaren. (1).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 471.

CLIV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Priori Provinciali Ordinis Pręedicatorum in Romana Provincia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Petitio Archiepiscopi Antibarenis.

LEcta coram Nobis Venerabilis Fratris Nostri Archiepiscopi Antibaren. petitio continebat, quod Episcopi, Abbates, & alii Ecclesiarum Pręlati, necnon Presbyteri, & alii Clerici suę Provincię Dignitates, & Ecclesiastica beneficia de manu receperint laicali, & iidem Episcopi absque Missarum celebratione conferunt Ordines extra Tempora constituta: Et quod idem Archiepiscopus, licet propter hoc quemdam Episcopum ab executione Pontificalis Officii tandiu suspendisset, donec nostro se conspectui pręsentaret, ipse tamen hujusmodi suspensione contempta, nec ab ejusdem Officii executione cessavit, nec se pręsentare voluit coram Nobis, sed persistens damnabiliter in eadem, suspensus diem clausit extremum. Pręfatus quoque Archiepiscopus timorem humanum Divino pręferens, nec attendens, prout convenit, diligenter, quod illum timere oportet, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam, gravissimo metu Domini temporalis, quinta feria quendam cum celebratione Divinorum, Episcopum consecravit: & vivente Abbate cujusdam Monasterii, nec amoto, substituit, & benedixit alium loco ejus, contra Canonicas Sanctiones. Quidam pręterea filii Belial, bonę memorię Dravastren. (2) Episcopum ausu diabolico occiderunt; Et quibusdam Viris Religiosis, qui nuper ad eandem Provinciam accesserunt, pro sua voluntate dicentibus, quod in quarto gradu licite matrimonia contrahuntur, nonnulli Principes sic decepti, in gradu hujusmodi contraxerunt; super quibus omnibus petiit idem Archiepiscopus per Sedem Apostolicam misericorditer provideri. Quia vero talibus abusionibus tanto est celerius obviandum, quanto majora pericula continent animarum; mandamus, quatenus ad dictam Provinciam sine morę dispendio, aliquos de Fratribus tui Ordinis, ad hoc idoneos, studeas destinare. Quod si de hujusmodi manuum injectione constiterit, dictos sacrilegos tandiu ab aliorum consortio evitari faciant, donec Deo, & Ecclesię satisfecerint competenter, & cum eorundem testimonio literarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi. Pręfatum Archiepiscopum, quem, propter senectutem, nolumus ad Sedem Apostolicam personaliter laborare, ad tempus, & jam dictos Episcopos, quousque personaliter compareant coram Nobis, si eos invenerint taliter excessisse, ab executione Pontificalis Officii suspendendo. Et habentes prę oculis solum Deum, corrigant, & reforment interea Provinciam, tam in capitibus, quam in membris, & consimilia fieri de cetero in eadem Provincia districtius inhibendo. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, auctoritate nostra, sublato appellationis impedimento, compellant. Datum Viterbii X Kal. Maii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Antibaren.*) Ad mare *Adriaticum* sita est hæc Provincia, in qua novem Episcopatus. Ibi leges erant eversæ, confusa omnia, omnia perturbata. Fratres ergo Prædicatores præponit Pontifex, ut animadvertant in reos, & in ordinem cogant etiam Episcopos.

2. *Dravastren.*) seu *Drivastensem in Albania.*

Anno 1236 Die 28 Aprilis.

Comiti (1) Tolosano multa exprobrans, ea omnia corrigenda decernit, & jubet, ut ad Jerosolymitana loca, quinquennium in sacro Bello collocaturus, se conferat.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXVI num. XXXIX.

CLV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Nobili viro Comiti Tolosano, spiritum consilii sanioris.

Quid in Partibus Tolosanis actum sit, narrat.

OLim ad Apostolicę Sedis perlato notitiam, quod in partibus Albigensibus Vineam Domini tribulus, & urtica repleverant, & in terram Juda Rex Babylonię veniens Templum Domini vasis aureis Catholicę Fidei spoliaverat, illuc felicis recordationis Innocentius (2), & Honorius (3) Prędecessores nostri cultores, qui ex ipsa herbas pestilentes vomere prędicationis excerperent, clarę memorię Ludovicum, [4] Regem Francię & alios de Regno suo Crucis signaculo insignitos, qui mucrone justitię a Templi sanctuario sordes contaminationis eraderent, destinarunt, sperantes, quod ibi botrus Catholicę Fidei in Calicem Domini comprimendus erumperet, & Jerusalem expurgata, Regem pauperem sedentem super pullum asinę subjugalis cum palmis recipiens & floribus, exultaret. Cum ad id dicti Prędecessores nostri plurimum laborantes non potuissent proficere, & laborem eorum nostrorum peccatorum crederentur merita vacuasse, Nos attendentes, quod omne, quod est ab improbo labore, devincitur, & Pharao, ut liberet Israelem, non nisi plagis contritus pluribus emollitur, humeros nostros hujus laboris fasci subjecimus, & Venerabilem Fratrem nostrum (5) Portuensem Episcopum, tunc S. Angeli subdiaconum Cardinalem, commisso sibi Legationis officio ad partes illas duximus destinandum (6), qui, eo faciente, qui bonum opus aspirando prevenit, & prosequitur adjuvando, maxillas eorum, qui inconsutilem Christi tunicam lacerabant, in freno cohibuit, vulpeculas parvulas, quę dominicam demoliebantur vineam, intercepit, & ut Fides Catholica statui antiquo plene posset restitui, in pace inter Ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum Francię Regem illustrem ex parte una, & te ex altera, ipsius studio reformata, & Concilio (7) propter hoc Tolosę habito, nonnulla statuta edidit, ac ad heresim fortius confutandam Tolosę sacrę paginę, & aliarum artium studium ordinavit. Verum quia immundus spiritus domum, a qua eje-

ejectus fuerat, scopis mundatam rursus ingredi nititur, & Pharao liberatos Hebræos iterum sibi subjugare conatur, post ipsius recessum Venerabilibus Fratribus nostris, primo videlicet Episcopo Tornacensi [8], & postmodum Archiepiscopo Viennensi [9] Apostolicę Sedis Legatis, ut super Catholicorum grege noctis vigilias vigilantes, lupos a Dominico coercerent ovili, duximus Legationis officium committendum. Sed ecce quod verebamur accidit, & timor quem timebamus evenit: Nam sicut ex insinuatione ipsius Archiepiscopi, & aliorum Prælatorum suę Legationis, accepimus, Fratrem Guillelmum (10), Arnaldi Fratrum Prędicatorum, qui Auctoritate nostra & dicti Archiepiscopi, contra hęreticos Inquisitionis exercebat officium, & summo studio laborabat, ut educto, obstetricante ipsius manu, colubro tortuoso prodirent in lucem opera tenebrarum, a civitate Tolosana, Vicarius tuus, & Consules civitatis ejusdem, qui, ne contra hęreticos procedatur, diversa difficultatum obstacula interponunt, post illatas sibi multas injurias non sine turpi violentia ejecerunt ... [11]. Tu [12] vero qui juxta formam prędictorum Concilii, & pacis, Ecclesias & viros Ecclesiasticos defendere, iura & libertates ipsorum integre conservare, ac ad confutandos hęreticos efficax prębere consilium, & eos capientibus certam solvere pecunię quantitatem, necnon Magistris Tolosę regentibus usque ad certum tempus annis singulis exhibere salarium, ac cum pluribus burgensibus, & militibus terrę tuę in Terrę Sanctę transfretare subsidium juramento pręstito tenebaris, salarium ipsum prędictis Magistris, propter quod pręfatum studium dicitur dissolutum, subtrahens, & formas iniquas statutis nostris, & Juri contrarias circa hęreticorum Inquisitionem ad eorum favorem postulans observari, Inquisitionem hęreticorum multipliciter impedis, & plures in terra tua hęreticos condemnatos publice habitare permittis, & eis aliunde ad terram ipsam confugientibus securum refugium exhibens, suspectos, & diffamatos de heresi consiliarios, & familiares tecum habens, ipsos ad publica promovere officia in premissis contra dicta statuta, vel pacem, ac prępositum Juramentum venire; & sicut ex consideratione factorum tuorum colligitur, hęreticorum fautorem, receptatorem, defensorem, & eorum fautoribus non veritus te favorabilem exhibere: super his sępe monitus te corrigere non curasti: ex quo plures iniquitatis filii sumentes audaciam, nonnullos sacerdotes, & alios viros Catholicos, qui zelo fidei persequebantur hęreticos, in injuriam Divini Nominis occiderunt: multi etiam perditionis filii abnegata Fide catholica se constituerunt hęreticos: Nonnulli contumelias, & damna gravia Ecclesiis, Ecclesiasticis, ceterisque Catholicis viris negotium Fidei prosequentibus multipliciter intulerunt; tuque pluries requisitus vindictam justitię noluisti in malefactores hujusmodi exercere. Cumque propter quosdam de prędictis, & aliis excessibus in personam tuam, & dictos Consules tanquam hęreticorum fautores Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopus Narbonensis, Carcassonensis, & Tolosanus Episcopi, & dictus Frater Vv.... [13] auctoritate sua, & nostra diversas excommunicationis sententias protulissent, & idem Frater sententiam excommunicationis in ipsos a se latam per Capellanos Ecclesiarum, & Fratres Minores Tolosanos mandasset diebus Dominicis & festivis publice nunciari, iidem Consules Capellanis ipsis, quia firmiter proposuerant hujusmodi mandato parere, ex pręfata civitate de nocte violenter expulsis, Fratres ipsos, quia juxta formam ejusdem mandati prędictas sententias nunciarunt; exinde atrocibus minis expellere, & quosdam ex ipsis verberare usque ad effusionem sanguinis pręsumpserunt. Quid plura? Tu, & Consules ipsi, ut Divini Nominis adversarios, & Fidei vos exhiberetis Catholicę inimicos, diversa banna, & statuta, vel destitutiones potius edidisse, & ne quis coram Inquisitore hęreticorum compareret de Fide sua vel alterius responsurus, sub pęna rerum & corporum publice inhibuisse, & alia plura fecisse dicimini, quibus Fidei & pacis status evertitur, & libertas Ecclesiastica enervatur. Cum igitur, quo prędicta in majorem attentata sunt perniciem Fidei, eo minus a nobis debent sub silentio pręteriri, mandamus, quatenus pręmissa omnia ad mandatum prędicti Legati per te corrigas, & ab eisdem Consulibus, & aliis hominibus tuis, potestate tibi tradita, facias emendari, ac in dictę Terrę Sanctę subsidium eum eisdem burgensibus & militibus in proximo futuro Martio non differas te transferre, ibi juxta formam pacis per quinquennium moraturus. Alioquin eidem Legato nostris damus literis in mandatis, ut te, ac alios prędictos ad pręmissa per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellat, & pręfatas sententias in singulis suę Legationis Ecclesiis omnibus diebus Dominicis & Festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam faciat solemniter innovari. Datum Viterbii IV Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Comitem objurgat.

Mandat ut supra.

1. *Comiti*.) *Raymundo* Juniori.
2. *Innocentius*.) *III.*
3. *Honorius*.) *III.*
4. *Ludovicum*.) *IX*, Sanctorum albo nunc ascriptum.
5. *Nostrum*.) Ipsi nomen: *Romanus*.
6. *Destinandum*.) Anno *MCCXXV.*
7. *Concilio*.) Anno *MCCXXVIII.*
8. *Tornacensi*.) Cui nomen *Vualterus de Marvis*, Legatus Anno *MCCXXXIII.*
9. *Viennensi*.) *Iohanni* nempe Legato Anno *MCCXXXVI*,
10. *Guillelmum*.) De quo in *Dissertatione VI*, ubi de cultu a Quingentis circiter Annis ipsi, sociisque delato, de Miraculis, & ceteris id genus copiose dicetur.
11. *Ejecerunt*....) Hic nonnulla desiderantur, ubi flagitia a Tolosanis Magistratibus in Fidei Censorem, Episcopum, & Clerum magno dedecore Tolosa depulsos exponit Pontifex.
12. *Tu*.) Comitem *Tolosanum* alloquitur.
13. *Vv*.....) *Guillelmus* scilicet *Arnaldi*.

Melphitensi (1) & Bituntino Episcopis, ne Tranensis Archiepiscopus molestiam exhibeat Fratribus Ordinis Prædicatorum, quos laudat Pontifex.

Anno 1236 Die 22 Maii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib.* B. *fol.* 457.

CLVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Melphiten., & Bituntin. Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ATtendentes, quod illius, cui est proprium misereri semper, & parcere, sumus, licet indigni, divina Providentia Vicarii constituti, excessus delinquentium quantumcunque Nobis ex illis turbationis

Exordium.

materia oriatur, debemus, & silentio quandoque committere, & sub spe penitudinis, qua solent peccantes conteri, misericorditer relaxare, digna providendo remedia, per quę ipsi, & de preteritis doleant, & attentare similia de cetero non presumant. Sane inter cetera gravia, quę de Venerabili Fratre nostro Tranen. Archiepiscopo ad nostram audientiam pervenerunt, mirantes audivimus, quod ipse, cui ratione multiplici, ac pro eo potissime, quod in Ecclesia Dei locum pre multis obtinet excellentem, competit pervigili mente prosequi, quæ divine sunt placita voluntati, predicationi Crucis pro Terre Sancte negotio, ac impugnationis pravitatis heretice, necnon procurandis profectibus eorum, se favorabilem non prebuit, immo, quod est gravissimum, multis comminationibus impedivit. Verum etsi de iis, ac aliis contra ipsum propositis, quę nullus coram Nobis se obtulit probaturus, ad inquirendum possemus ex Officio nostro procedere; Tamen id ex quadam providentia sub spe illa distulimus, quod idem Archiepiscopus operationis studio salutaria edocet, se paratum ad omnia, in quibus, & honor Dei geritur, & Sedis Apostolicę beneplacitum continetur: Ideoque Fraternitati Vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem, quod super iis, quę augmentum Fidei, Terrę Sanctę commodum, & salutem animarum respiciunt, solicitudinem habeat vigilantem, ac dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, & Minorum, aliosque Religiosos suę Diœcesis favore continuo, & assidua gratia prosequatur, eisdem Prędicatoribus super suscepto prędicationis Officio largiendo consilium, & auxilium opportunum, sicut diligentius poteritis, inducatis; injungentes eidem, ut excommunicationis sententiam, quam in Mulieres Civitatis, & Diœcesis Tranen., occasione Velorum simplicis panni linei, quę ad exhortationem dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, honestatis intuitu deferebant (3), promulgasse dicitur, infra octo dies post monitionem vestram, sublata difficultate, totaliter relaxet, velis eisdem causa honestatis utentes ea deferre libere permittendo; alioquin vos dictam sententiam infra prescriptum terminum, juxta formam Ecclesię relaxabitis, inhibentes eidem, quod nec per se, nec per aliquem alium, Fratres eosdem prędicare, seu modis aliis nullis injuriis conturbare presumat, sed eos potius, cum in extrema paupertate positi quęrant assidue, quę ad gloriam faciunt Redemptoris, dignis attollat laudibus, & beneficiis foveat opportunis; nunciantes eidem, quod, si secus efficeret, de propositis, contra ipsum, quasi per se testimonium perhibebit, & sic Nos super his dissimulationis habere materiam nequeuntes, ad inquisitionem, & inflictionem pęnę debitę procedere cogeremur. Ceterum quod super his feceritis, vestris Nobis literis fideliter exponetis. Datum Viterbii XI Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Quid actum sit refert.

Mandat ut supra.

1. *Melphitensi.*) In Regno *Neapolitano*, In quo etiam *Bituntinus* Episcopatus, & Archiepiscopatus *Tranensis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Tranensis* Ordinis Prædicatorum.
3. *Deferebant.*) Optime sane; Scriptum est enim, *si non velatur mulier, tondeatur, si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 1. ad Corinth. XI. v. 6.*

Anno 1236
Die 11 Julii.

Ne invitus (1) admittatur ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, & ne quis Vota solemnia nuncupet annuo Tirocinio non expleto.

Ex Bullar. Ususmaris pag. 13.

CLVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam Monasterii, probationis tempus a Sanctis Patribus est indultum, ut ille asperitates istius, & istud, mores illius, valeat experiri. In Regula, quoque B. Benedicti precipitur, ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut dicit Apostolus, an sit ex Deo Spiritus comprobetur; & dura, & aspera, per quę itur ad Dominum, exponantur. Preterea in eadem Regula subjungitur, ut dicatur, ecce lex, sub qua militare desideras, si eam observare potes, ingredere. Alioquin, liber venisti, liber discede. Insuper Nos ipsi statuimus, ut positi in probatione Novitii, ante susceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante Professionem emissam, ad statum pristinum redire possint libere infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam locis Religiosis, Novitiorum habitus, non distinguatur ab habitu Professorum, Professionis tempore benedicantur vestes, quę profitentibus conceduntur, ut Novitiorum, ac Professorum habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino solicite cupiatis, quia tamen decet, & expedit, ut conscientię puritati, non desit judicium rationis, ne unde spiritalis profectus quęritur, inde salutis dispendium subsequatur, presentium vobis auctoritate districtius inhibemus, ne ad susceptionem vestri Ordinis, ante professionem, aliquem obligare vel infra probationis spatium, quod est maxime in subsidium fragilitatis humanę regulariter institutum, quenquam facto, vel verbo ad profitendum, seu ad renunciandum de necessitate seculo inducere presumatis, nec constitutum, in probatione Novitium, aliquatenus impedire, quominus infra tempus probationis ad aliam Religionem quam maluerit, transeat, sicut de sua processerit libera voluntate. Non obstantibus statuto contrario, si quod a vobis est editum, quod tanquam in elusionem Constitutionis nostrę presumptum, irritum decernimus, & inane, vel aliquibus literis a Sede Apostolica impetratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Reate V Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Cur indultum sit Probationis tempus.

Quid circa recipiendos præcipiat S. Benedictus.

Novitiis infra annum, liber est regressus ad seculum.

Benedicendæ sunt vestes illius, qui vota solemnia nuncupat.

Prohibet ut supra.

Derogationes.

Sanctio pœnalis.

1. *Invitus.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo II.*

F. Raymundo [1] de Pennafort, ad Robertum [2] Comitem, unitati Fidei inhiantem, absolvendum.

Anno 1237 Die 8 Februarii.

Ex Arch. (3) *Ord.lib. A. fol.* 481.

CLVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo Pœnitentiario, & Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Lecta coram Nobis Reverendissimi in Christo filii nostri illustris Regis (4) Aragonum petitio continebat, quod Nobilis vir Robertus de Castro Rossilonis (5), Elenen. (6) Diœcesis de pravitatis hæreticæ labe convictus, & per Ecclesiam condemnatus debitam sibi pœnam carceris violenter effugiens, se in Castro fortissimo receptavit; nunc vero, divina gratia faciente, non concussus necessitate formidinis, sed allectus gloria perpetuæ libertatis, ad Ecclesiasticam redire desiderat unitatem, paratus cum militia, quam juxta proprias facultates habere poterit super beneplacitum Sedis Apostolicæ contra inimicos Fidei militare, necnon sub pœna confiscationis omnium bonorum, quæ possidet offerre congruam cautionem, quod, annuente Domino, in Fide Catholica semper constans habebitur, & nunquam in prædictæ pravitatis contagium relabetur. Nos igitur illius misericordiam attendentes, qui omnem venientem ad se recipit, & aliquem contracti (7) specie a remissionis gratia non excludit, ejusdem Regis precibus inclinati devotioni tuæ mandamus, quatenus, si tibi per debita signa, & conjecturas probabiles de dicti R... conversione constiterit evidenter, prius ab ipso hæresi publice abjurata, & sufficienti cautione recepta, quod semper contagionis hæreticæ maculas devitabit, & si unquam, quod avertat Dominus, convinci poterit de relapsu, quod terra, & omnia ipsius bona in proprietatem, & dominium Regis ejusdem perpetuo transferantur, & quod in obsidione Valentiæ (8), necnon in frontaria (9) Paganorum, cum militibus, quos juxta facultates suas habere poterit, diligenter, & fideliter Conditori omnium per triennium militabit, sibi auctoritate nostra, juxta formam Ecclesiæ, beneficium absolutionis impendens, injungas eidem pœnitentiam salutarem, proviso, quod prædicta cautio præstetur in tenutis (10) Nobilis memorati, quæ ad opus ejusdem, si in Fide perstiterit, conservandæ, per manus Prælatorum, quos ad hoc videris requirendos, dicti Regis custodiæ committantur. Datum Interamnæ VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Raymundo.*) De quo sæpius.
2. *Robertum.*) *Ruscinonensis* Comes erat iste.
3. *Archivo.*) Extat ibidem *Lib. B. fol.* 526 aliud exemplar authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio S. *Catharinæ Barcinonen.*
4. *Regis.*) *Iacobi I.*
5. *Rossilonis.*) Seu *Ruscinonis*. Erat in *Gallia Narbonensi*; nunc excisum est Castrum, a quo Tractus adjunctus *Ruscinonensis* etiamnum vocatur.
6. *Elenen.*) Seu *Helenensis*, quæ in *Gallia Narbonensi*. Episcopatus autem civitatis *Helenæ Perpinianum* translatus est.
7. *Contracti.*) Idest *Contractus*. In Exemplari *Barcinonensi* legitur: *Contriti spiritus*.
8. *Valentiæ.*) In *Hispania Tarraconensi*. A Mauris tunc occupata *Valentia*.
9. *Frontaria.*) Seu, *Confiniis*.
10. *Tenutis.*) Idest *Possessionibus*.

Anno 1237 Die 11 Februarii.

F. Raymundo (1), ut nobilem virum Fulconem [2] ab impedimento matrimonii, ex quarto consanguinitatis gradu veniente, solvat.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 480.

CLIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo Pœnitentiario, & Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ex dilecti filii Nobilis Viri R.... Fulconis. Vice Comitis Cardonæ, petitione collegimus, quod cum ipse cum Nobili Muliere T..... Uxore sua, in Ecclesiæ facie matrimonium solemniter contraxisset, parentelæ nescius, & per multos annos cohabitans prolem susceperit ex eadem, postea per quosdam suos consanguineos ipsis innotuit, quod in quarta consanguinitatis linea sibi ad invicem attinerent. Verum cum ipsi propter hoc, ac ex eo, quod postmodum secundum [3] dispositione Sedis Apostolicæ in hujusmodi matrimonio persistere præsumpserunt, conscientiam habeant remordentem, Nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsis super hoc per te dispensari de benignitate solita mandaremus, præsertim cum, prædictis consanguineis sublatis de medio, nullus sit qui hujusmodi matrimonium impetat, vel inter eos haberi consanguinitatis lineam recognoscat. Nos igitur de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus si præmissa, veritate nituntur, & est occultum ut exinde nullum scandalum generetur, cum prædictis R...& T.... quod, impedimento hujusmodi non obstante, in eodem matrimonio libere perseverent, verbo duntaxat, auctoritate nostra dispenses, prout in Domino videris expedire; attentius provisurus, ut ipsi, si quid Nobis humiliter obtulerunt, quadraginta Milites in exercitu contra Valentiam (4) vel in frontaria [5] paganorum in expensis suis per Annum teneant, ad obsequia Redemptoris. Datum Interamnæ III Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Factum narrat.

Mandat ut supra.

1. *Raymundo.*) *De Pennafort*, de quo sæpius supra.
2. *Fulconem.*) Nobilis hæc & antiqua familia *Cataloniæ*.
3. *Secundum.*) Legendum: *Sine*.
4. *Contra Valentiam.*) Id est: in exercitu expugnante *Valentiam*, quam tenebant Mauri.
5. *Frontaria.*) seu, *Finibus*.

Anno 1237 Die 2 Aprilis.

F. Raymundo [1], ut ab abſolutionis ſententia in gratiam Roberti ferenda ſe ſuſtineat.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. A. fol.* 485.

CLX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo Capellano, & Pęnitentiario noſtro, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Refert factum:

OLim cariſſimus in Chriſto filius noſter Illuſtris Rex Aragon. Nobis ſignificare curavit, quod Nobilis Vir Robertus de Caſtro Roſſilonis &c. [3] Regis precibus inclinati, per literas noſtras tibi mandavimus, ut ſi tibi per debita ſigna, & conjecturas probabiles de dicti Roberti evidenti converſione conſtare valeret, prius ab ipſo hęreſi publice abjurata, & ſufficienti cautione recepta, quod ſemper contagionis hęreticę maculas devitabit, & ſi unquam, quod avertat Dominus, poterit convinci de lapſu, quod terra, & omnia ejus bona in proprietatem, & Dominium Regis ejuſdem perpetuo transferantur, & quod in obſidione Valentię, necnon in frontaria Paganorum, cum militibus, quos juxta facultates ſuas habere poterit, diligenter, & fideliter conditori omnium per triennium militabit, ſibi auctoritate noſtra, juxta formam Eccleſię beneficium abſolutionis impenderes, eidem ſalutarem pęnitentiam injungendo, proviſo nihilominus, quod prędicta cautio in tenimentis prędicti Nobilis prębeatur, quę ad opus ejuſdem, ſi in fide perſtiterit, conſervanda, per manum Prelatorum, quos ad hoc tua videret diſcretio requirendos, committerentur Regis cuſtodię memorati. Poſt hęc Venerabilis Frater noſter Elenen. (4) Epiſcopus ad prę-

Helenenſis Epiſcopi ſupplex petitio.

ſentiam noſtram accedens, Nobis expoſuit, quod idem nobilis hactenus fuit refugium, & quaſi princeps hęreticorum Dięceſis Elenen., & in Caſtris ſuis habuerunt domicilia hujuſmodi homines infideles, ipſe quoque, cum coram Epiſcopo memorato convictus omnem hęreſim abjuraſſet, relapſus poſtmodum extitit in eandem, ſicut teſtibus, & propria fuit confeſſione convictus, & tandem per ſententiam condemnatus; Cumque prę fati Regis carceri traditus fuerit ad pęnitentiam peragendam furtive ab eodem evadens, per ſuppreſſionem veri, & falſi ſuggeſtionem tibi obtinuit prę fatas literas deſtinari. Unde idem Epiſcopus humiliter poſtulavit a Nobis, ut cum nihil aliud eſſet, eum ad bona ſua reſtituere, quam hęreſim in ſuo Epiſ-

Mandat ut ſupra.

copatu plantare, & per hoc tam ipſi Epiſcopo, quam prędictis teſtibus mortis periculum immineret, providere ſuper hoc debita diligentia curaremus. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, literis ſuperſedens eiſdem, per ipſas aliquatenus non procedas. Datum *Viterbii* IV Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1 *Raymundo.*) Legendum Diploma *Datum VIII Februarii MCCXXXVII.*

2. *Archivo.*) Ibidem *Lib. B. fol.* 526 aliud habes Exemplar authenticum, ex Autographo *Barchinonenſi.*

3. *Roſſilonis &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc uſque verba: *Regis precibus inclinati.*

4. *Elenen.*) Seu *Helenen.* ut in *nota VI ad idem Diploma* dictum fuit.

Anno 1237 Die 7 Aprilis.

F. Raymundo, ut ſponſorem det Robertus (1), ne quis moleſtiam exhibeat Helenenſi Epiſcopo.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 487.

CLXI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo Pęnitentiario, & Capellano noſtro, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Helenenſis Epiſcopi ſupplex petitio.

VEnerabilis Frater noſter Elenen. Epiſcopus in noſtra pręſentia conſtitutus expoſuit, quod nobilis vir de Caſtro Roſſilonis ſuę Dięceſis hactenus fuit refugium, & princeps hęreticorum Dięceſis ſupradictę, & in caſtris ſuis habuerunt domicilia hujuſmodi homines infideles; Ipſe quoque cum coram Epiſcopo memorato convictus omnem hęreſim abjuraſſet, relapſus poſtmodum extitit in eandem, ſicut teſtibus, & propria fuit confeſſione convictus, & tandem per ſententiam condemnatus, ac deinde traditus carceri Reverendiſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Aragon ad pęnitentiam peragendam. Unde idem Epiſcopus humiliter poſtulavit a Nobis, ut ei ſuper decimis, & poſſeſſionibus, quas ille ab ipſo tenebat in feudum, cum pro enormitate facinoris inciderit in commiſſum (2), providere miſericorditer curaremus, ne ab eodem ſuper hiis moleſtiam de cetero patiatur. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi res ita eſt, & prę fatus Robertus reconciliari meruerit, ab eo auctoritate noſtra exigas idoneam cautionem, ne inpoſterum Epiſcopum, & Eccleſiam Elenen. moleſtet ſuper decimis, & poſſeſſionibus ſupradictis. Datum Viterbii VII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Mandat ut ſupra.

1. *Robertus.*) Conſulenda præcedentia Diplomata *Data VIII Februar., & II Aprilis MCCXXXVII.*

2. *Commiſſum.*) Ideſt mulctam commiſerit, ſeu confiſcationis pœnam meritus ſit.

Pro-

Provinciali Lombardiæ, ut quædam Cœnobia, Monasteria & Ecclesias, Sanctæ Sedi Apostolicæ nullo medio subjecta, visitet, corrigat, ac reformet (1).

Anno 1237 Die 12 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 487.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXII.

SUccensa est &c. (2) possint integritate persistere: Tibi, de cujus religione, zelo, & sinceritate confidimus, Monasteria exempta Ordinum S. Benedicti, & Sancti Marci (3), & Canonicos Regulares cujuscunque professionis, vel Ordinis: Humiliatos quoque, & Hospitalia, necnon Ecclesias & loca in quibus correctio ad Diœcesanos non pertinet, vel in possessione libertatis existunt, in Provincia Lombardię, Romaniolę (4), Marchię Tarvisinę, & Anconitanę, civitatum quoque & Diœcesium Venetiarum, & Januen. (5) Monasteriis Cisterciensis Ordinis, & Monialium pauperum inclusarum duntaxat exceptis &c. (6) Non poterimus sub dissimulatione transire. Si vero aliqua prędictorum locorum inveneris adeo deformata, quod in Ordine suo nequeant reformari, in illa unum de approbatis Ordinibus, quem magis expedire videris, introducas, personis ibi degentibus nolentibus Ordinem ipsum assumere, in aliis locis sui Ordinis collocatis, vel de possessionibus earum Religiosarum personarum pauperum indigentię, auctoritate nostra studeas providere. In contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, Censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, proferendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Ceterum quia onus divisum in plures levius supportatur, pręsentium tibi auctoritate concedimus, ut ad pręmissorum aliqua exequenda aliquibus Deum timentibus tui Ordinis possis interdum committere vices tuas. Datum Viterbii IV Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Exordium.

Mandat ut supra.

1. *Reformet.*) Quæ hic desiderantur vide supra *IV Septemb. MCCXXVII.*
2. *Succensa est &c.*) Ut in Diplomate noa laudato ad hæc usque verba: *integritate persistere.*
3. *S. Marci.*) Est Congregatio, seu Ordo Canonicorum Regularium, de quo *Onuphrius in Chron Eccles. ad Annum MCCXXXI.*
4. *Romaniolæ.*) *Italiæ* Provincia.
5. *Januen.*) seu *Genuensis in Italia.*
6. *Exceptis &c.*) Ut in Diplomate citato, ad hæc usque verba: *sub dissimulatione transire.*

Fratribus in terra Cheurim (1) constitutis, ut ab excommunicationis sententia possint absolvere.

Anno 1237 Die 16 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 493.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum pro conversione terrę Cheurim prędicantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXIII.

UT facile provenire valeat, quod Redemptoris gloriam, & salutem respicit animarum, Nos tanto procurare decet attentius, quanto in hoc largiente Domino potestatis plenitudinem obtinemus. Hinc est quod intime cupientes, ut multitudo Gentium terrę Cheurim exquisitę diligentię studiis inducatur ad percipiendam notitiam Catholicę puritatis, & in percepta possmodum, faciente Domino, perseveret, prędicta nostra auctoritate concedimus, ut si aliqui gentis ejusdem, postquam Baptismi perceperint Sacramentum, sive Clerici, vel Laici ex aliquo casu sententiam excommunicationis incurrerint, absolutionis beneficium, si humiliter illud postulandum duxerint, juxta formam Ecclesię impendatis. Idem circa fideles, si qui forsan ibidem reperti fuerint, facientes; proviso, quod passis damna, & injurias satisfaciant competenter; illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles, & enormes, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Viterbii XVII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Exordium.

Commissio.

1. *Cheurim.*) Illam crediderim *Daciæ*, & *Transylvaniæ* regionem fuisse, quam alluit fluvius, *Keureux* ab incolis nuncupatus; seu *Coeureux*, latine *Chrysius*. Ibi enim tunc a Fratribus Prædicatoribus, *S. Hyacinthi* discipulis, Fide proseminata, turmatim populi ad Divinam legem cognoscendam confluentes, Christo adjuncti sunt.

Fratribus, ut in terra Cheurim (1) possint vestes Sacerdotales, & cœmeteria benedicere.

Anno 1237 Die 16 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 494.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum pro conversione terrę Cheurim Prędicantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXIV.

SPerantes, quod multitudo Gentium terrę Cheurim eo facilius, exhortantibus vobis, ad notitiam Conditoris omnium convertatur, & conversa stabilior in timore Domini perseveret, quo vos diversę dona gratię a Nobis perspexerint recepisse, devotioni vestrę, in eisdem partibus, in quibus Episcoporum copiam non habetis, benedicendi Pallas Altaris, & Sacerdotales vestes, ac cœmeteria auctoritate prę-

Concedit ut supra.

prędicta vobis concedimus facultatem. Datum Viterbii XVII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Claustrum*.) Consule præcedens Diploma.

Anno 1237 Die 18 Maii.

Provinciali Lombardiæ, ut Monasterium de Columbario cooptet Ordini Fratrum de Campaniola (1).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 488.

CLXV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

CUm Monasterium de Columbario Mutinen. (2) Dięcesis, tum propter longos litigiorum circuitus, quos habuit cum Monasterio de Marola, ad quod nullo medio dicitur pertinere, tum propter malitiam habitantium in eodem, adeo in spiritualibus, & temporalibus, sicut dicitur, sit collapsum, quod nulla spes est de cetero, quod resurgere valeat per se ipsum. Nos attendentes, quod mali debeant male perdi, & vinea Domini locari agricolis, qui fructum temporibus suis reddant, modo quo supra (3) personaliter ad locum ipsum accedens, dictum Monasterium cum juribus, & pertinentiis suis Fratribus de Campaniola concedas, incorporandum ipsorum Ordini, & super statuta ipsius Ordinis reformandum, eosdem Fratres in possessionem prefati Monasterii auctoritate nostra corporaliter inducendo; Monachis, & Conversis ejusdem nolentibus Ordinem ipsorum assumere, in Monasterio de Marola, vel ejus obedientiis collocatis; assignaturus tertiam partem Possessionum prędicti Monasterii de Columbario, seu mille libras Imperiales, prout dicti Fratres magis elegerint, cum Cruce, & textu Evangeliorum deaurato, (4) Antiphonariis, & Breviariis, quę ipsorum Ordini non conveniunt, jam dicto Monasterio de Marola; salvo jure cujuslibet in iis, quę ipsius Ordinis non obviant institutis. Contradictores autem, & rebelles &c. Datum Viterbii XV Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Campaniola.*) *Reginen.* Diœceseos in *Mutinensi Ducatu.*
2. *Mutinen.*) In *Longobardia.*
3. *Supra.*) In Diplomate *Dato XII Maii MCCXXXVII.*
4. *Deaurato.*) *Hæc enim prærogativa Sacrorum Librorum erat, quos pro reverentia literis aureis argenteisque describi curabant*; ut notat eruditus *Mabillonius de Re Diplomatica lib.* 1.

Anno 1237 Die 20 Maii.

Provinciali [1] Lombardiæ, ut accipiat abdicationem Abbatis de Marola [2] in gratiam alterius, vel a Conventu ejusdem cœnobii, vel ab ipsomet Provinciale eligendi.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 490.

CLXVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Abbatis Monasterii de Marola petitio.

EX parte dilecti filii Abbatis Monasterii de Marola Regin. Dięcesis, ad Romanam Ecclesiam, sicut dicitur, nullo medio pertinentis, fuit nobis humiliter supplicatum, ut, cum ipse ad senilem deductus ętatem, adeo debilis, & impotens sit effectus, quod insufficiens ad sui prosecutionem officii habeatur; ne, quod absit, sub ipsius umbra jam dictum Monasterium patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, ejus cessionem recipi, provideri eidem Monasterio de Abbate, ac fieri sibi de bonis ejusdem provisionem congruam mandaremus. Nos igitur Abbatis ejusdem precibus inclinati, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, ipsius resignatione vice nostra recepta, injungas Conventui Monasterii supradicti, ut sibi personam idoneam in temporalibus, & spiritualibus circumspectam, quę hujusmodi congruat oneri, & honori, infra terminum in Generali Concilio (3) definitum, provideant per electionem canonicam in Abbatem, cui tandem, inquisita de ipsius meritis, & eligentium studiis diligentius veritate, si electionem ipsius inveneris de persona idonea canonice celebratam, sibi auctoritate nostra munus facias benedictionis impendi, recepturus ab eo postmodum pro nobis, & Ecclesia Romana fidelitatis solitę juramentum juxta formam, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam, formam autem juramenti quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes literas, suo sigillo signatas per proprium nuncium nobis quantocius destinare procures. Verum si per Conventum eundem supradicta provisio non poterit provenire, tu ipsi Monasterio, de consilio peritorum, Deum habendo prę oculis, juxta prescriptum modum personam idoneam prefícias in Abbatem. Contradictores &c. Datum Viterbii XIII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Provinciali.*) *F. Stephanus*, de quo supra *ad IV Maii MCCXXXIII*, præerat tunc Provinciæ *Lombardiæ*.
2. *De Marola.*) *Camaldulensis* Ordinis, ut habetur in Diplomate *Dato XV Septembr. MCCXXXVII.*
3. *Concilio.*) *Lateranensi IV.*

Pro

Provinciali Lombardiæ, ut Fidei Censores constituat.

Anno 1237
Die 20 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXVII.

ILle humani &c. [a] Datum Viterbii XIII Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus asservatur Autographum in cœnobio *Bononiensi*.
a. *Humani &c.*) Hæc eadem est, ac Bulla superius exscripta *ad XXII April. MCCXXXIII*, quæ igitur ibi de *Gallo-provincia*, hic mutato nomine de *Lombardia* dicta teneas.

Provinciali [1] Lombardiæ, ut Monasteria, cœnobiaque subjecta Comensi Episcopo visitet, ac reformet.

Anno 1237
Die 20 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 489.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXVIII.

PRosequi nequeuntibus, quę salutem respiciunt animarum, per Nos deret provideri subsidium, quod ad hoc fore credimus opportunum. Cum igitur Ven. Frater noster Comen. Episcopus, sicut exhibita nobis sua petitio continebat, Religiosis locis suę civitatis, & Diçcesis, lege sibi Diçcesana subjectis, non possit officium visitationis impendere, pluribus negotiis impeditus, non absque illorum discrimine manifesto; Nos ejus precibus inclinati, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ad hujusmodi Monasteria personaliter accedere non postponens, corrigas, & reformes ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noveris indigere; mandatum nostrum taliter impleturus ut locis eisdem tuo studio statum reassumentibus salutarem, detur tibi consequi, quo Beatorum collegium creditur satiari. Datum Viterbii XIII Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Episcopi Comensis supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *Provinciali.*) *Stephano*, scilicet, de quo sæpius. *Comensis* autem Episcopatus, de quo hic, est in *Insubria*.

Neophytos Cheurim (1) laudat, & hortatur ad perseverantiam, summisque laudibus Fratres Ordinis Prædicatorum effert.

Anno 1237
Die 22 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 492.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Neophytis in Cheurim, & locis adjacentibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXIX.

GAudiorum immensitate perfundimur, quod Patris ęterni Filius natus de Virgine gloriosus, qui tenebras cęci nati luminis claritate perfudit, super vos, sicut exultantes accepimus, suam illustrando faciem, dedit vobis devote percipere Fidei Catholicę puritatem; quę cum perducat ad cęli patriam habentes in timore Domini perseverantiam non caducam, universitatem vestram per virtutem Creatoris omnium obsecramus, quatenus stabilium in Fide vestigia firmis cordibus imitando, vos illius notitiam gloriosam, & cultum felicissimum habere delectet, qui candorem Divinitatis suę nube nostrę mortalitatis operiens, Crucis tormentum subiit, ut quod fuerat astutia Serpentis antiqui perditum, sui virtute Sanguinis gloriam perciperet Angelorum. De iis quidem cum multa inqui literis, fere nihil sit aliud, quam pugilio concludere aquam maris, transire breviter eligentes, pręsertim, cum, sedens ad supernę dexteram Majestatis, sua pietate providerit, ut ad vos per pacis Angelos sui gloria Nominis perferatur, affectum affectui cumulando, vos, sicut attentius possumus, exhortamur, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum de Hungaria, Regis ęterni pręcones, quorum studium est sine culpa vivere, ac sibi, & universis renatis fonte Baptismatis perennis vitę delicias impetrare, ad vestram pręsentiam accedentes, benigne, & hilariter admittatis; cęlestis doctrinę pabulum, quod vobis in Christi nomine more solito duxerint proponendum sic avidis auribus, & attentis cordibus audientes, ut Spiritus Sanctus, qui a Deo Patre Filioque procedit, sua dignatione pectoribus vestris influens, vos dignos efficiat salvos in illius navicula conservari, qui quondam varans capturę piscium, & tandem dispositione divina hominum piscator effectus claves Regni cęlestis obtinuit, per quas sicut ingressus eisdem Catholicis divina miseratione tribuitur, sic & perfidis, ipsius justo judicio, denegatur. Datum Viterbii XI Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Exordium a laude Neophytorum Cheurim.

Fratrum encomium.

1. *Cheurim.*) De quibus supra *ad XVI Maii MCCXXXVII.*

Fra-

Anno 1237 Die 18 Junii.

Fratri Orlandino (1), ut cessionem Abbatis Insularum Vvliterran. Dioeceseos accipiat, & eligendum confirmet.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 494.

CLXX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Orlandino, Priori Fratrum Prędicatorum Senen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hugolini Abbatis supplex petitio.

PRudenter agnoscens dilectus filius Hugolinus Abbas Monasterii Insularum Vvliterran. [2] Dięcesis ad Romanam Ecclesiam ut dicitur, nullo medio pertinentis, Dei misericordiam in flagellis, & attendens, quod longa, & insanabili, sicut creditur, infirmitate gravatus, nequit, ut expedit, curam gerere Monasterii memorati, nobis per suas literas humiliter supplicavit, ut cum regimini dicti Monasterii cedere sit paratus, cessionem ipsius recipere curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus, si tibi constiterit, ipsum Monasterium ad Nos immediate spectare, consideratis circumstantiis universis, si eidem Monasterio videris expedire, recipiens cessionem ejusmodi vice nostra, facias ipsi Monasterio in Abbatem de Persona idonea per electionem, seu postulationem canonicam provideri, & Electo confirmato a te, munus Benedictionis impendi, ac exhiberi obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam; recepturus ab eo postmodum pro Nobis, & Romana Ecclesia fidelitatis solitę juramentum, juxta formam quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam; formam autem juramenti, quod ipse pręstabit, de verbo ad verbum per ejus patentes literas suo sigillo signatas, Nobis per primum nuncium studeas quantocius destinare. Contradictores &c. Datum Viterbii XIV Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Orlandino.*) Prior erat Cœnobii *Senensis* in *Hetruria*. 2. *Vvliterran.*) Vulgo *Volterra* in *Hetruria*.

Anno 1237 Die 26 Junii.

Provinciali Ordinis Prædicatorum in Tarraconensi Provincia constituto, ut Ordinem Catholicorum Pauperum (1) nuper approbatum visitet, ac reformet.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 496.

CLXXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Provincia Tarraconen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a Pastorali sollicitudine.

QUi cęlestia simul, & terrena omnipotenti providentia moderatur, ad hoc B. Petro suo Vicario, & successoribus ejus post ipsum collatis clavibus regni cęlestis ligandi, atque solvendi contulit potestatem, ut Summus Pontifex, non humanę inventionis studio, sed Divinę potius inspirationis instinctu, subtili examine pensare debeat singula, quę ad tribunal deferuntur ipsius, &, quantum judicium permittit humanum, res etiam perscrutari latentes, ne vel damnet innoxios, vel nocentes absolvat, neve dicat bonum malum, aut malum bonum: medentium tenens formam, qui manus prudenter moderantur officium, ne dum pars corrupta, vel cauterio uritur, vel aliter resecatur, cum ea trahatur, vel lędatur etiam pars sincera. Hac siquidem ratione fel: rec: Innocentius (2) Papa Predecessor noster inductus venientes ad Sedem Apostolicam quondam Durandum De Naiac [3] & socios ejus, qui tunc temporis dicebantur Pauperes de Lugduno [4], paterna benignitate suscipiens, & tam de articulis Fidei, & Sacramentis Ecclesię, quam de conversatione vitę illos examinans diligenter, quod ipsos invenit, & fidem sapere Orthodoxam, & Catholicam astruere veritatem, necnon & vitę laudabilis, & honestę. eos de Fratrum suorum consilio reconciliari fecit Ecclesiasticę unitati, ac denuntiari vere catholicos, & fideles, prout in ipsius literis [5] perspeximus, plenius contineri. Verum quia, sicut ex parte Prioris, & Fratrum Prędictorum Pauperum in Tarraconen., & Narbonen. Provinciis existentium fuit propositum coram Nobis, idem Prędecessor noster nullam eis concessit de Regulis approbatis, sed retento Pauperum catholicorum nomine, ipsis, ut procederent in Azymis sinceritatis, & veritatis, injunxit, nobis humiliter supplicarunt, ut vel eis nomen catholicorum Pauperum confirmare, vel unam de approbatis Regulis concedere curaremus. Ne igitur Religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem inducat, mandamus, quatenus de Dięcesanorum consilio, & assensu, personaliter ad loca ipsorum accedens, ac impendens eisdem Visitationis officium, vice nostra corrigendo, & reformando, tam in capite, quam in corpore, quę reformationis officio noveris indigere, concedas eis, ut assumant unam, quam magis elegerint, de Religionibus approbatis, super ipsius Regulam famulatum debitum Domino impensuri, ipsosque ad observationem ipsius postmodum per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, compellas. Datum Viterbii VI Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Commissio.

1. *Pauperum.*) Ineunte Tertio decimo seculo Ordo Catholicorum Pauperum in *Hispania Tarraconensi* fuit institutus, & ab *Innocentio III* Anno *MCCXV* approbatus. Jejuniis, orationibus, & lectioni dediti, rebus omnibus abdicatis, voluntariam paupertatem profitebantur, & erroribus hæreticorum obsistebant viri Catholici. Felices illi si propositi sui fortes & tenaces fuissent; at quam primum male audierunt a multis, nec gratis; mox etenim antiquatus est Ordo.

2. *Innocentius.*) *III.*

3. *Najac.*) Ille est, quem *Durandum de Osca* vocant Auctores, qui de Hæreticis XIII seculi scripsere.

4. *Lugduno.*) Hoc illis nomen quando *Vvaldensium* hæresi erant infecti.

5. *Literis.*) *Libr. XV Innocent. III Epistol. CXXXVII. Incipit. Ne quis.*

Patriar-

Anno 1237 Die 28 Julii.

Patriarchæ [1] Iacobitarum [2] gratulatur, quod ad unitatem S. Romanæ Ecclesiæ redierit hortatu Fratrum Prædicatorum, & ipsorum induerit habitum.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 497.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri nostro Patriarchę Jacobitarum Orientalium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXXII.

Exordium a Christi Redemptione.

CAusam Conditori omnium tribuente malitia perversorum, quod omnem carnem, & universa sub cęlo perderet constituta, de ipsius ineffabili pietate processit, ut a Noe Arca fieret, per quam salus universo semini super terrę faciem proveniret. Idem etiam eunctis de massa prevaricatrice progressis, in carcerem labentibus, quo transgressor deceptus esca fallacię tenebatur, Consubstantialem, & coęternum sibi Filium Spiritus operatione Paracliti, de utero gloriosę Virginis Incarnatum subire voluit mortis angustiam, ut quem ad imaginem, & similitudinem suam plasmaverat, ereptum a tenebris ad patriam reduceret perpetuę claritatis. Preterea quod primę fraudis inventor, & continuę nequitię prosecutor post mirabilem Ascensionem Domini super omnem cęlorum altitudinem exaltati, diversis erat tentationum aculeis, in quibus etiam ipsum virtutum auctorem impetere non expavit, renatos fonte Baptismatis turbaturus, pia miseratione disposuit, quod idem Dominus custodem suo gregi relinqueret, cuius presidio perditionis laqueum devitaret: sic enim animarum nostrarum Pastor, & Episcopus, qui cuncta regit & possidet, Deus benedictus in secula Iesus Christus B. Petro Apostolorum Principi, quem preclara Fides, & immensa dilectio dignum reddebant dignitatis privilegio singulari, absque distinctione aliqua, ter dicens, pasce oves meas, suarum curam commisit ovium, universitatem scilicet fidelium populorum; quibus ex hujusmodi commissione producitur, quod si dicto Principi devoti, & obedientes studeant inveniri, de lacu mundanę fęcis, & miserię ad torrentem voluptatis transeunt sempiternę, testante Domino per se ipsum, qui cum dixerit: Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam. & portę Inferi non prevalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cęlorum; consequenter adiecit: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cęlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cęlis; per quod evidenter innuitur, quod sicut quisquis exclusus ab Arca periit, sic quicunque in commissa Petro quondam piscium nave, dispositione divina hominum Piscatori, Romana non reperitur Ecclesia, quę per Arcam accipitur, in perpetuę damnationis diluvium dilabetur. Digne itaque Nos, immo dignissime, qui licet immeriti Sedi Apostolicę presidentes, vices Regis ęterni tenemus, profusis in Domino gaudiis exultamus, quod cum tu, sicut literis, & relatu fide dignorum accepimus, comitiva (3) Prelatorum, & aliorum tuę Provincie, comitatus, in sanctam Civitatem processeris percepturus ibidem paratam penitentibus Indulgentiam Redemptoria, ad sacram exhortationem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Predicatorum, per quos Dei spiritum locutum fuisse confidimus, relicto invio erroris pristini, te ad veritatis, & vitę semitam convertisti, prestito corporali solemniter iuramento, quod sacrosanctę Romanę Ecclesię studebis humiliter cunctis temporibus obedire; sicut in Chaldęis (4), & Arabicis literis, a te super hoc concessis, contineri dicitur, & dictorum Fratrum testimonio comprobatur; quorum assertio grata Nobis apparuit, quod habitum ipsorum assumpseris, ut positus sub obedientia, cui Petri clavis habetur assidue gratiosa, facilius ad patriam dirigaris. Quid ad ista? Letetur cęlum, & exultet terra, quod vinea Domini Sabaoth a mari usque ad mare protenditur, & sponsę suę gloria per mundi climata magnifice dilatatur; quod Piscatoris nostri rete talem piscem Ecclesię Sanctę protulit, qualem a longis retro temporibus presentandum in Regis ęterni nuptiis appetivit. Utinam, frater carissime, te amodo Apostolicę piscationis officium exercente, prefato pisci consimiles, vel quicunque alii cęlestis mensę deliciis, opportunę predicationis tuę retibus ad litus Catholicę fidei deducantur; sine qua, sicut quis ad vitam non proficit, sic etiam mortis ęternę supplicia non evadit. Hęc igitur de superna gratia, & Apostolicę Sedis pleno favore confisus, loquere, & exhortare, commissos tibi populos solicitans diligentia vigilanti, ut, tui misericordiam consecuti vestigia imitantes, festinent contra potestates aereas sub vexillo dirigi, quod in salutem gentium per orbis latitudinem explicandum, Vicario suo contulit triumphos dextera Crucifixi; sicque fiat, quod dum Ecclesia doctrinę tuę studio fęcundior erit in filiis, tu tandem apud Dominum quasi stella in ęternitates perpetuas habearis, illius tibi ad hoc obligata manente potentia, cujus arbitrio sicut perfidis cęlum juste clauditur, sic & fidelibus misericorditer aperitur. Datum Viterbii V Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

De institutione Christi Vicarii in terris, ejusque auctoritate.

Gratulatur ut supra.

Eundem Patriarcham hortatur ut prædicet verbum Dei

Eodem modo, & eodem Anno, Die XXIX Julii scripsit Pontifex Archiepiscopo (5) Jacobitarum, mutatis mutandās, uti notat Amanuensis Libri A. fol. 499. Sic etiam Die XXIX Julii ad Archiepiscopum Nestorianorum (6) in Oriente, Diploma ejusdem tenoris, mutatis mutandis, dedit Gregorius. Ut habetur libr. A. fol. 499.

1. *Patriarcha.*) Vir venerabilis scientia, moribus, & ætate Patriacha *Jacobitarum*, qui *Chaldæis*, *Medis*, *Persis*, aliisque nonnullis Provinciis præerat, cum amplissimo comitatu Archiepiscoporum, Episcoporum, Monachorum &c. *Jerosolymam* veniens, puram Religionem susceperat, Fidei Catholicæ nomen dando hortatu Fratris *Philippi* Ordinis Prædicatorum, Provincialis Terræ Sanctæ, & in solemni supplicatione Die Palmarum habita sacras Ordinis Prædicatorum vestes induerat. Id audivit *Gregorius* & ex literis ipsius Patriarchæ, & ex Epistola *F. Philippi*, quam exscripsit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXXXVIII pag.* 104., quocirca gratulabundus hocce Diploma dedit.

2. *Jacobitarum.*) Hæretici, de quibus legendus *Vitriacus Histor. Orien. Cap. LXXVI, & LXXVII*, Vide inferius *ad XXII Martii MCCXLIV.*

3. *Comitiva.*) Seu *Comitatu*.

4. *Chaldæis.*) Legenda Epistola *F. Philippi* mox laudata.

5. *Archiepiscopo.*) Iste non *Orientalibus*, sed *Ægyptiis Jacobitis* erat præpositus, uti docet *F. Philippus*.

6. *Nestorianorum.*) Seu hæresim *Nestoris* profitentium in *Phœnice*, ubi erat ille.

Anno 1237 Die 15 Septembris.

F. Stephano (1) Provinciali Lombardiæ, ut reformet Monasterium de Marola Camaldulensis Ordinis, & Abbatem ibi præficiat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 492.

CLXXIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Stephano, Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

CUm Monasterium de Marola Ordinis Camaldulensis Regin. Dięcesis, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio dicitur pertinere, per te mandaverimus visitari, modo quo superius [2], ipsumque in Ordine suo, si fieri poterit, studeas reformare, alioquin inquisito de omnibus circumstantiis diligenter, quod inveneris, Nobis per tuas literas fideliter studeas intimare, ut per tuam relationem instructi, congruum, auctore Domino, remedium apponamus. Ceterum cum, sicut intelleximus, G.... Abbas ejusdem Monasterii suam insufficientiam recognoscens, cum reddant ipsum ad administrandum Abbatię regimen senectus, & debilitas impotentem, eidem cedere sit paratus, tu, si est ita, ejus cessione recepta, ei auctoritate nostra provideri facias de Persona idonea, per electionem canonicam in Abbatem, ac ei a subditis suis debitam obedientiam, & reverentiam exhiberi. Contradictores &c. Datum Viterbii XVII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Stephano.*) Legendum Diploma *Datum XX Maii MCCXXXVII.*

2. *Superius.*) Diplomate *Dato XII Maii MCCXXXVII.*

Anno 1237 Die 15 Septembris.

F. Stephano (1) Provinciali Lombardiæ, ut Rolando quondam Priori Monasterii de Columbario honorarium de bonis ejusdem Cœnobii statuat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 491.

CLXXIV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Stephano Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

CUm Monasterium de Columbario collapsum in Spiritualibus, & temporalibus propter malitiam habitantium in eodem, per te mandemus Fratribus de Campaniola concedi, incorporandum ipsorum Ordini, & super statuta ejus auctore Domino reformandum, modo quo supra [2]: Rolandum quondam Priorem ipsius in alio loco Ordinis S. Benedicti, a Monasterio prędicto remoto, studeas collocare, de bonis dicti Monasterii de Columbario, ne sit onerosus loco, in quo eum locaveris, assignando tantum, quod exinde valeat sustentari, prout tibi visum fuerit expedire. Contradictores &c. Datum Viterbii XVII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Stephano.*) Videas Diploma *Datum XVIII Maii MCCXXXVII.*

2. *Supra.*) Diplomata *dato XII Maii MCCXXXVII.*

Anno 1237 Die 30 Octobris.

Priori Parisiensi, ut Crucesignati subsidio (1) Constantinopolitanis veniant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 500.

CLXXV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

NE Constantinopolitanum Imperium irreparabiliter incurrat, quod absit, ex dilatione subsidii detrimentum, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus eos, qui in succursum pręfati Imperii Crucis assumpserunt signaculum, vel vota sua commutasse noscuntur, ut in proximo futuro Martio in prędictum succursum transire procurent, & illos, qui ex eis propter infirmitatem, debilitatem, & paupertatem, vel aliud impedimentum legitimum sunt inhabiles ad pugnandum, ut vota sua super qualitates, & facultates proprias redimant modo prędicto, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, compellas. Datum Laterani III Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Subsidio.*) Quatiebant siquidem gravi bello *Constantinopolitanum* Imperium Schismatici nonnulli; plures Civitates jam occupaverant, & *Constantinopoli* ferro flammaque imminebant armati: licet enim virtute magna semel liberassent illam *Venetorum* primarii, adhuc tamen properabant *Vataces*, & ipsius impietatis fautores *Bulgari*; ut ergo Crucesignati suppetias ferrent, scripsit Pontifex.

F. Vuil-

F. Vvillelmo de Oleron [1], ut Crucem prædicet ad subsidium Constantinopolitani Imperii (2).

Anno 1237 Die 9 Novembr.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 500.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Vvillelmo de Oleron Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXVI.

AD subveniendum &c.(3) mandamus, quatenus, non obstantibus literis super hoc a nobis de Alba-corona, & de Insulis Calveti Abbatibus, & Clementi Canonico Nanneten.(4) directis, per te, ac alios viros idoneos, quos ad Officium Prędicationis assumpseris, per Britanniam, & Andegaven., & Pictavien. Diœceses proponens publice &c.(5) molestatores hujusmodi per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Si qui vero ex Crucesignatis prędictarum Britannię ac Diœcesum in Terrę Sanctę subsidium, propter infirmitatem, debilitatem, seu paupertatem ad pugnandum reputabuntur inhabiles, illos, ut vota sua super qualitates, & facultates proprias, pręfatam Indulgentiam nihilominus habituri, redimant; & eos, qui ad succursum hujusmodi bellatores, vel aliud subsidium promiserint se missuros, ut suum votum adimpleant, eandem Indulgentiam juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum nihilominus habituri, monitione pręmissa, censura simili, appellatione remota, compellas; ea quę tibi propter hoc exhibenda duxerint, reservans usque ad nostrę beneplacitum voluntatis, de mandato nostro in pręfati Imperii subsidium expendenda. Ceterum si qui &c.[6]. Omnes vero Crucesignatos dictorum locorum, qui a quibuscunque a voto Crucis procuraverint se absolvi, ut ea quę pro redemptione votorum suorum dederunt, tibi exhibeant, & alios, qui metu commutationis, vel redemptionis votorum ante generale passagium iter arripiunt transmarinum, ut ab hujusmodi pręsumptione desistant, simili censura, modo prędicto, appellatione remota, compellas. Et quia, sicut intelleximus, quidam Episcopi, Pręlati, & Clerici dictorum locorum pro posse suo Imperii pręfati succursum impediunt, ipsos auctoritate nostra, submoto appellationis obstaculo, ab hujusmodi impedimento compescas. Datum Laterani V Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

Quædam alia pro eodem negotio præscribit.

1. *Oleron.*) Legendus *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXVII num. II & III.*
2. *Imperii.*) De quo supra *ad XXX Octobr. MCCXXXVII.*
3. *Subveniendum &c.*) Sic legitur *in Libro A*, cujus Amanuensis laudat Epistolam CCLXXXIX, *ut supra*, inquit, *in CCLXXXIX*, *usque ad sequeretur*. At isto numero citatam Epistolam non inveni: Diploma tamen, mutilum licet, exscripsi. Feras, non culpes, quod vitare non potui.
4. *Nanneten.*) In *Gallia*, ubi ceteræ civitates, de quibus in hoc Diplomate.
5. *Publice &c.*) Ut in *eadem Epistola CCLXXXIX*, ad hæc usque verba: *Indebite molestari.*
6. *Si qui &c.*) Ut in Epistola mox laudata, usque ad *Facultatem*.

Indulgentiam (1) concessam Crucesignatis elargitur Fratribus Minoribus ac Prædicatoribus in terra transmarina constitutis.

Anno 1238 Die 4 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 509.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Minoribus, & Prędicatoribus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXVII.

CRedentes quod non minus in oculis Redemptoris habeatur acceptum Infideles ad fidem divini Verbi propositione convertere, quam armis Saracenorum perfidiam expugnare, vobis, qui in terra ultramarina ad conversionem Paganorum, vel aliorum, verbo, seu sanctę laboratis conversationis exemplo, illam concedimus veniam peccatorum, quę in ejusdem Terrę succursum venientibus in Generali Concilio (2) est concessa. Datum Lateran. IV Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Indulget ut supra.

1. *Indulgentiam.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*
2. *Concilio.*) *Lateran. IV.*

Ut Archiepiscopi & Episcopi Fratres Prædicatores absolvant (1) a Censuris, necnon super Irregularitate dispensent.

Anno 1238 Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. & lib. A. fol. 523.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXVIII.

QVia proni sunt ab adolescentia hominis sensus ad malum, & caro semper vergit in culpam, quantumcunque Fratres Ordinis Prędicatorum ob suę sanctę Religionis observantiam, in Ecclesia Dei splendere noscantur, ex humana tamen fragilitate contingit, quod quidam eorum interdum excedant in casibus, in quibus excommunicationis sententiam, & notam Irregularitatis incurrunt. Quare Nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum omnino non expediat talibus, pro absolutionis beneficio, & dispensationis gratia obtinendis, discurrere, vel ne eis detur evagandi materia, vel aliis contra ipsos murmurandi occasio, providere super hoc misericorditer dignaremur. Nos igitur de discretione vestra, plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum, in propriis Diœcesibus Fratribus dicti Ordinis constitutis ibidem, absolutione, ac dispensatione indigentibus, sive

Exordium.

Supplex Fratrum petitio.

Mandat ut supra.

five antequsm ad Religionem bujufmodi convolarint, five poftea exceſſerint in cafibus fupra dictis, cum ab eis fueritis requifiti, auctoritate noſtra impendatis abſolutionis beneficium, & prout fecundum Deum expedire videritis difpenfetis, nifi adeo effet difficilis, & enormis exceſſus, quod merito pro bis deberent ad Sedem Apoftolicam deftinari. Datum Laterani XVII Kal. Maii, Pontificatus noftri Anno Duodecimo.

1. *Abſolvant.*) De his in *Tractat. De Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Extat Autographum in Cœnobiis *Bononienſi*, *Barchinonenſi*, & *Firmano*.

Anno 1238 Die 22 Aprilis.

Provinciali Poloniæ, & Pragen. Prioribus, ut Hoſpitalis S. Franciſci Pragen. curam ſuſcipiant (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 510.

CLXXIX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Provinciali in Polonia, & Pragen. Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VOta devotorum Eccleſię, quę fructum ſalutis ęternę continere perſpicimus, quo potiora ſint omnibus, libenter ad effuſam deduci gratiam, procuramus. Hinc eſt, quod cum dilecti filii Magiſter, & Fratres Hoſpitalis S. Franciſci Pragenſis, nullo medio ad Romanam Eccleſiam pertinentis, doctrinę veſtrę cupiant habere pręſidium, ut facilius proficere valeant ad merenda gaudia Beatorum, devotionem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus, favore benevolo proſequentes pia deſideria eorundem, ipſis, uſque ad quinquennium, bis, vel ſemel in anno viſitationis officium impendatis, corrigentes, & reformantes, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noveritis indigere. Pręterea ſuper inſtitutionibus per Fratrem Johannem Miniſtrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum auctoritate noſtra, ſicut dicitur, factis ibidem, quę in parte ſtudium correctionis, ſeu mutationis expoſcere proponuntur, eadem Auctoritate providere curetis, prout ſecundum Deum ſaluti dictorum Magiſtri, & Fratrum videritis expedire. Contradictores &c. Datum Laterani X Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Magiſtri & Fratrum Hoſpitalis petitio.

Mandat ut ſupra.

1. *Suſcipiant.*) Licet Fratres Hoſpitalis *S. Franciſci Pragæ*, quæ eſt *Bohemiæ* Caput, ad pauperum ſolamen conſtituti, certam vivendi normam a F. *Iohanne* Miniſtro Provinciali Ordinis *Minorum* accepiſſent, quia tamen aliquot ex Fratribus Prædicatoribus Viſitatores ſibi popoſcerant, præſens Diploma ſcripſit *Gregorius*.

Anno 1238 Die 24 Aprilis.

Vvillelmo Arnaldi (1), ejuſque collegæ [2], ut re diligenter expenſa, de his, quæ Raymundus Rogerius proponit, decernant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 512.

CLXXX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Vvillelmo Arnaldi Ordinis Fratrum Prędicatorum, Inquiſitori hęreticorum, & ejus collegę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio Raymundi.

RAymundus Rogerii dictus Minor, civis Toloſanus, Nobis expoſuit, quod cum ipſe olim conſtitutus in patris poteſtate, non ſuam ſed patris ſui, cujus indignationem timebat, voluntatem ſequens, quibuſdam communicaſſet hęreticis, non tamen in hęretica pravitate, nec unquam crediderit in eoſdem; tandemque Venerabilis frater noſter Epiſcopus Portuen. [3] tunc in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legatus, illos, quos invenit de pręʹdicta pravitate ſuſpectos, Crueeſignari mandavit; idem pro eo quod hęreticis communicaverat, ut ſuperius eſt expreſſum, de mandato dicti Legati ſuſcepit cum multis aliis ſignum Crucis; cumque poſtmodum ardore Fidei vehementer accenſus, Inquiſitoribus hęreticorum a Sede Apoſtolica deputatis, in pęnitentiali foro, quę circa hęc ſibi contigerant, revelaſſet, & tanquam catholicus dixiſſet culpas ſuas, & aliorum, in his non deferens conſanguineis, vel amicis, iidem Inquiſitores omnem ab eo ſiniſtrę ſuſpicionis materiam amoverunt, ipſum Catholicum nunciarunt, ut in literis eorum & Venerabilis fratris noſtri..... Epiſcopi [4], necnon Abbatis S. Saturnini, Miniſtri Fratrum Minorum, &.... Prioris Fratrum Prędicatorum Toloſan. ſuper hoc confectis plenius continetur. Unde cum, ſicut aſſerit, non ita deliquerit, quod Jeroſolymitanę peregrinationis teneatur ſubire laborem, ut ſuper hoc providere ſibi de benignitate Apoſtolica curaremus, ſuppliciter oravit. Quia vero nobis non conſtitit de pręmiſſis de diſcretione veſtra plenam in Domino fiduciam obtinentes, devotioni veſtrę mandamus, quatenus, conſideratis diligenter circumſtantiis vniverſis, agatis ſuper hoc auctoritate noſtra cum ipſo, prout ſecundum Deum, injuncta ſibi alia pęnitentia, conferenti ſaluti animę ſuę, noveritis expedire, abſolvendo ipſum ab excommunicationis ſententiis, & pęnis, ſi quas incurrit pro eo quod hactenus non tranſivit. Datum Lsterani VII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandat ut ſupra.

1. *Arnaldi.*) De quo inferius *ad Annum MCCXLIII.*

2. *Collega.*) Quem *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo I. pagina 567 F. Seraphinum* nuncupat. Pace acutiſſimi viri dixerim collegam illum fuiſſe venerabilem ſervum Dei *F. Stephanum* Ordinis Minorum, de quo *in notis* ad Diploma *Datum X Julii MCCXLIII.*

3. *Portuenſis.*) Cui nomen *Conradus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad An. MCCXVI pagina 60.*

4. *Epiſcopi.*) *Toloſani.* Is erat *Raymundus* noſter, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Mini-

Ministro Ordinis Fratrum Minorum, ac F. Petro de Leodegaria Ordinis Prædicatorum, ut in Regno Navarræ inquirant [1] in hæreticos.

Anno 1238 Die 24 Aprilis.

Ex Vvadingo Annal. Minor. Tomo I ad an. MCCXXXVIII pag. 567.

CLXXXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ministro Ordinis Fratrum Minorum in Navarra, & Magistro Petro de Leodegaria de Ordine Fratrum Prędicatorum, Pampilonę commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

RUmor, qui de Regni Navarrę partibus auribus nostris nuper insonuit, amaritudinis absinthio Nos potavit, quia, sicut ad Nos, fama, immo infamia referente, pervenit, inimico homine in Regno ipso semen iniquum messi dominicę seminante, segetes zizania pullulant, & vulpes moliuntur vineam Domini demoliri. Nam hereticę labis morbus paulatim serpens, ut cancer, fere totum prędictum Regnum asseritur graviter infecisse, nec jam heretici latenter, ut vulpes, demoliri vineam Domini Sabaoth contenti sunt, sed quasi equi parati ad prelium manifeste pręsumunt insurgere contra eam; ex qua venenata radice videtur procul dubio processisse, quod in eodem Regno conculcatur libertas Ecclesiastica, & claves Ecclesię contemnuntur. Cum igitur ex injuncto Nobis officio, de Regno Dei colligere scandala teneamur, & quantum in Nobis est, hujusmodi bestias oppugnare; Nos ponentes in manu vestra gladium Verbi Dei, quem juxta Prophetę sententiam non debetis a sanguine prohibere, sed tanquam Phinees Catholicę Fidei zelo succensi, de pestilentibus ipsis, & credentibus [2] acreceptatoribus, & defensoribus eorundem solicite inquirentes, contra illos quos per Inquisitionem super premissis constiterit esse reos, tam juxta sanctiones canonicas, quam statuta [3] nostra, quę ad confundendam hereticorum pravitatem edidimus, procedatis; convocato contra eos ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Laterani VIII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Exordium.

Mandat ut supra.

1. *Inquirant.*) De his *Vvaddingus* supra laudatus, & *Fontana* noster *Parte III Theatr. Dominican. pagina* 606.

2. *Credentibus.*) Vide inferius *XXXI Octobr. MCCXLIII.*

3. *Statuta.*) De quibus supra *ad VII Martii MCCXXXVI.*

Episcopo Cumanorum [1], ut F. Ponsam [2] Bosnæ [3] Episcopum constituat.

Anno 1238 Die 26 Aprilis.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 511.

CLXXXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo Cumanorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INspirationis Divinę gratia faciente, cujus virtute producitur, quod Fidei orthodoxę gloria per mundi climata dilatatur, carissimus in Christo filius noster Coloman. (4) Rex, & Dux Sclavorum Illustris, sicut ejusdem insinuatione percepimus, terram Bosnę, deletis inde hereticę pravitatis maculis, non absque multis laboribus deduxit ad lucem catholicę puritatis. Verum cum summe sit necessarium, ut plantata de novo ibi Christiana Religio, sub idonei Pastoris regimine, in Divini timore, ac amore Nominis suscipiat incrementum, & dilectus filius Frater Ponsa de Ordine Prędicatorum, qui virtutes diligere, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectionis gratiam dicitur obtinere, ad hoc potissime competere proponatur, mandamus, quatenus ipsum dictę terrę, si aliquod canonicum non obsistat impedimentum, provideas auctoritate nostra in Episcopum & Pastorem, administrationem in spiritualibus, & temporalibus sibi committens, & faciens eidem a Clero, & populo debitam obedientiam, & reverentiam exhiberi. Contradictores &c. Si vero idem Frater in hac tibi parte parere neglexerit, eum ad id, monitione premissa, spirituali districtione compellas; procurans sibi, postquam hujusmodi curam receperit, beneficium consecrationis impendi, recepto ab eo postmodum pro Nobis, & Ecclesia Romana fidelitatis solitę juramento juxta formam, quam tibi sub Bulla nostra mittimus interclusam: formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum Nobis per ejus patentes literas, suo sigillo signatas, per proprium nuncium quantocius destinare procures. Preterea sibi, quem soli Apostolicę Sedi usque ad beneplacitum nostrum volumus haberi subjectum, injungas, ut de terra Cholim [5], per ejusdem Regis ministerium a pravitate consimili, nutu divinę potentię depurata, diligentem curam in spiritualibus habeat, quousque de illa, per Romanam Ecclesiam, quod opportunum fuerit, disponatur. Ceterum quid ipse, postquam ioco prefuerit, necnon instituendi per te Prępositus, & Capitulum futurę Cathedralis Ecclesię, ac terrę Clerus, in decimis, & primitiis, vel aliis percipere debeant, deliberatione sufficienti preambula, statuas, prout secundum Deum videris expedire. Si vero memorata provisio de predicto Fratre provenire non poterit, Deum habendo prę oculis, providere de alio studeas, qui tanto competat oneri, mandatum nostrum taliter impleturus, ut sis exinde, & in presenti laudabilis, & in futuro retributionis ęternę premia consequaris. Datum Laterani VI Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Exordium.

Fratris Ponsæ encomium.

Mandat ut supra.

1. *Cumanorum.*) De quibus in Diplomatibus *XXXI Julii MCCXXVII, & XXI Martii MCCXXVIII.*

2. *Ponsam.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

3. *Bosnæ.*) Vide supra *ad X Octobris MCCXXXIII.*

4. *Coloman.*) Rex *Sclavorum*, cujus encomium celebrat Pontifex literis datis *Laterani XI Kalendas Januarii Pontificatus An. XII* habentur *Libro XII Gregorii IX Epist. CCCLIII.*

5. *Cholim.*) *Bosniæ* finitima.

Ædea

Anno 1238 Die 27 Aprilis.

Ædes Sacras S. Dominici die Festo, & per Octavam ejusdem, Bononiæ visitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CLXXXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi Fidelibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apostolus, omnes &c. [2] Ad ea igitur, que Divinum obsequium, & salutem animarum vestrarum respiciunt, vos libenter hortantes, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam B. Dominici Confessoris Fratrum Predicatorum de Bononia in die Festivitatis, vel infra Octavas ejusdem, cum devotione accesserint, veneraturi dicti Confessoris merita, & ejus suffragia petituri (Indulgentia.) Quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Laterani V Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Bononiensis*.

2. *Omnes &c.*) Ut supra *XVIII Julii MCCXXIX* ad hæc usque verba: *Vitam æternam*.

Anno 1238 Die 9 Augusti.

Regi Hungariæ, quem laudat, quædam concedit privilegia, nostrisque Fratribus ac Minoribus mandat, ut Crucem prædicent [1] adversus Assanum.

Ex Vvading. Annal. Min. Tomo I ad Annum MCCXXXVIII pag. 564.

CLXXXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Illustri Regi Hungarie, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

(Exordium a laude Regis Hungariæ.) LIteras, quas Nobis Celsitudo vestra Regia destinavit, gratanter recepimus, & que continebantur in eis tam diligenter intelleximus, quam libenter, dignas agentes gratias Domino Deo nostro, in gratia Dei, que data est tibi in Christo Iesu, quod illo salubriter inspirante, qui habens corda Regum in manu sua, ea ubi voluerit, inclinabit, clare memorie Progenitorum tuorum exempla secutus, quanto eis potentia es, & dignitate sublimior, tanto te illi humiliori devotione substernens, qui exaltat humiles *in salutem*, ipsum reverentius veneraris, & sponsam ejus Ecclesiam venerabilius revereris, prout affectu exhibes, & effectu. Fortitudine namque Spiritus roboratus, ad assumendum negotium contra gentem apostatricem, populum blasphemantem, hereticos videlicet, & schismaticos terre Assani, ipsumque Assanum, Dei & Ecclesie inimicum, illudque cum auxilio Dei, & Ecclesie personaliter prosequendum, te prompta magnanimitate, & magnanimi promptitudine voluntarius obtulisti, ut sicut Dei, & Ecclesie obsequiis totaliter te ascribas. Propter quod, licet adhuc in minori constituti officio, ac demum ad apicem summi Pontificatus assumpti, personam tuam speciali prerogativa dilectionis, & gratie amplectentes, ad profectum tuum, & exaltationem corone Regie intenderimus diligenter, nec tamen quodam modo reputantes Nos ad id tuis meritis debitores, tanto, non solum in his, que in eisdem literis expressisti, quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudire te volumus, sed etiam ad omnia, que tuum respiciunt commodum, & honorem propensius aspiramus. quanto libentius Di- (Supplex Regis Hungariæ petitio.) vinis, & nostris beneplacitis obsecundas, sed & illam de te fiduciam gerimus, & sic puritatis tue zelum discretionis spiritu te credimus moderari, quod nihil tibi a nobis concedi velis, per quod Romana Ecclesia Mater tua notam alicujus detractionis incurrat, vel trahi possit ab aliis in exemplum. Cum enim inductus forsan consilio aliquorum, a nobis petieris, tibi Legationis officium in terram Assani supradicti committi, & concedi etiam potestatem limitandi Diœceses, instituendi Episcopos, & distinguendi Parochias, necnon, & terram, que Zemram [2] nominatur, in qua dudum desolata excrevit populi multitudo, (Concessio.) qui nondum subfuerat cuiquam Episcopo, alicui Episcopatui applicandi; quia serenitati vestre in visceribus Iesu Christi dilecte, ac per hoc negare tibi aliquatenus non valemus, quod secundum Deum cuiquam essemus Principum concessuri, etsi non id, quod ad literam petitur idem tamen tibi de Fratrum nostrorum consilio concedimus in effectu, ut videlicet possis assumere quemcunque malueris de Archiepiscopis vel Episcopis Regni tui, qui nostra fretus auctoritate, premissa de tuo consilio exequatur, cui Venerabilis Frater noster Episcopus Perusin. (3) Apostolice Sedis Legatus, de speciali mandato nostro, quod (Mandat ut supra.) ei dirigimus, eandem exequendi tribuet potestatem. Et quia personam, quam intendis assumere, ignoramus, illam nobis Regia mansuetudo significet, ut ei super hoc nostras literas destinemus. Ad hec, ut ad assumpti expeditionem negotii ex aliquorum subsidiis, licet non indigeas per Dei gratiam, fortius animeris, universis Crucesignatis ejusdem Regni commutandi Vota sua per manus dilecti Filii ..... Prioris Provincialis Hungarie Fratrum Predicatorum, & ... Ministri Fratrum Minorum Provincie Strigonien. quibus super hoc scripta nostra dirigimus, liberam concedimus facultatem. Ipsis quoque Priori, & Ministro per literas nostras injungimus, ut per se, ac Fratres suos contra predictos hereticos, & schismaticos predicent Verbum Crucis, illam eis qui contra eosdem signum Crucis assumpserint, Indulgentiam concedentes, quam habent laborantes in subsidium Terre Sancte; tibique concedant aliquos ex Fratribus, quos in hujusmodi obsequio Iesu Christi provideris eligendos. Ceterum quia indignum esset, ut dum militas (Excommunicat invasores Regni Hungariæ.) Regi Regum, aliquod Regni tui dispendium patiaris, in omnes, qui postquam te accinxeris ad prefatum negotium exequendum, quandiu in prosecutione ipsius fueris, Regnum ipsum invaserint, vel contra te, diabolo conspiraverint instigante, excommunicationis sententiam promulgamus, quam per Archiepiscopos & Episcopos Hungarie, ac Fratres Predicatores, & Minores per totam Hungariam, & Regna, & loca vicina mandamus ex tunc solenniter publicari. Ut igitur inoffenso pede curratur ad prelium Domini pre-

prelimdum, nulloque possit assumptum negotium adverso obice prępediri, universos dicti Regni, qui ad collaborandum tecum in eodem negotio assumpserint signum Crucis, ac alios ab universis excommunicationum sententiis, latis a Ven. Fratre nostro .... Episcopo Perusin. Apostolicę Sedis Legato, per Priorem, ac Ministrum prædictos juxta formam Ecclesię mandamus absolvi. Datum Anagnię V Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Prædicent.*) A Morte *Johannis Brennii* Imperio *Constantinopolitano* in discrimen vocato, eo quod *Assanus Bulgarorum* Dux deficiens a Latinis pro Græcis Schismaticis stabat, scripsit Pontifex & *Belæ Hungarorum* Regi, ut sponte currenti faceret animos, & Fratribus Prædicatoribus ac Minoribus, ut subservirent pio Regi.

2. *Zemram.*) Legerem *Zatmar* In *Hungaria superiori*.

3. *Perusinus.*) Cui nomen *Salvus de Salvis*. De quo Ughellus *Tomo I Italiæ sacræ*. *Ad Perusinum* Antistitem *Gregorium* scripsisse Diploma ejusdem tenoris, Auctor est *Vvadding*. loco supra laudato.

Provinciali Hungariæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac Ministro Fratrum Minorum, ut prædicent [1] Verbum Crucis in Assanum, & terras ipsius.

Anno 1238 Die 9 Augusti.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol.* 516.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum de Hungaria, & Ministro Fratrum Minorum Provincię Strigonien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXXXV.

Sicut literę carissimi in Christo filii nostri Belę Illustris Regis Hungarię, Nobis exhibitę continebant, idem Rex prudenter attendens, quod nihil est amori Divino, & animarum saluti penitus pręferendum, ęternę remunerationis intuitu, ac devotionis obtentu, quam ad Nos, & Romanam gerit Ecclesiam; ad commonitionem nostram se voluntarius obtulit ad assumendum negotium contra hereticos, & schismaticos terrę Assani, ipsumque Assanum, arduum utique, ac implicitum, illudque cum auxilio Dei & Ecclesię personaliter prosequendum. Licet autem dictus Rex promptam gerat in hoc velut Rex christianissimus, & Princeps catholicus voluntatem, ut tamen in tam arduo negotio manus Ecclesię sibi adsit, mandamus, quatenus universis Crucesignatis Regni Hungarię, commutandi vota in hujusmodi subsidium facultate concessa, per vos, & Fratres vestros predicetis contra predictos Assanum, & alios per totam Hungariam & alia loca, ubi expedire videritis, Verbum Crucis; illam iis, qui contra eos signum Crucis assumpserint, Indulgentiam largientes, quam habent laborantes in subsidium Terrę Sanctę; aliquos ex eisdem Fratribus qui intersint regali exercitui ad proponendum Populis Verbum Dei, audiendas confessiones, & penitentias injungendas, ac Sacramenta Ecclesiastica, cum opus fuerit, exhibenda, pręfato Regi nihilominus concessuri. Et ut inoffenso pede curratur ad prelium Domini prelandum, nulloque possit assumptum negotium adverso obice prępediri, universos dicti regni, qui ad collaborandum vobiscum in eodem negotio assumpserint signum Crucis, ac alios, ab universis excommunicationum sententiis, latis a venerabili Fratre Nostro Episcopo Perusino, Apostolicę Sedis Legato, per vos Priorem, ac Ministrum predictos, juxta formam Ecclesię mandamus, ut absolvatis. Ceterum quia idem Rex, de salute animę suę provide cogitans illam desiderat omnibus anteferre, pręsentium auctoritate concedimus, ut postquam se accinxerit ad prędictum negotium exequendum, audita confessione ipsius, ei salutarem penitentiam injungentes, eidem in remissionem peccatorum suorum hujusmodi negotium imponatis, relaxaturi nihilominus juramenta, si quę forsitan in animę suę dispendium eundem Regem contigerit pręstitisse. Super aliis vero juramentis, & constitutionibus, quia, quę sunt constitutiones, & super quibus juramenta sunt pręstita scire nequimus veritatem, illa nobis regia Magnitudo transmittat, ut super illis, auctore Domino, congruum consilium apponamus. Datum Anagnię V Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Exordium refert factum.

Mandat ut supra.

Facultas ipsi data.

1. *Prædicent.*) Legendum præcedens Diploma.

Archiepiscopo Bracarensi [1], & ejusdem Ecclesiæ Decano, ac Cantori, ut Sententias a Portugallensi [2] Episcopo latas in Fratres Prædicatores, irritas faciant.

Anno 1238 Die 24 Septembris.

Ex Maluenda (3) *Annal. Prædicat. ad an. MCCXXXVIII pag.* 616.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Decano, ac Cantori Bracaren., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLXXXVI.

Olim Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Portugallensem, illius esse credebamus industrię, ut perennis obtentu glorię libenter efficeret, per quę Deo, & hominibus complaceret. Sed cogimur opinari contrarium, illis in conspectu nostro clamantibus, quos sine causa persequitur, non absque contumelia Redemptoris. Sane dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Prędicatorum Portugallensium insinuatione percepimus, quod idem Episcopus aliquando pie cogitans, eorum studiis, animarum procurare salutem, & ampliationem Catholicę puritatis, in Portugalliam ad suam vocem intrantibus locum ipsis pro Ecclesia fundanda concessum de sui assensu Capituli liberaliter assignavit, ponens ibidem lapidem primarium, & suę partem hereditatis adiiciens, ut inchoatum ędificium posset magis effici spatiosum, cunctis loci ejusdem per eum nihilominus facta certa remissione peccaminum, qui ad hoc ipsis pręstarent subsidium opportunum. Verum, cum dicti Fratres locum ipsum pacifice possidentes, & ibidem de sua licentia Divina libere celebrantes, pro hujusmodi perfectione operis graves labores subierint, & expensas, ipse subito, de patre commutatus in hostem, eos exinde una cum suis Canonicis amovere nititur, multis ex hoc, ac eisdem Fratribus in gravi scandalo constitutis; pręsertim cum idem ipsis contra indulgentias eis ab Apo-

Exordium ab enarratione facti.

Apostolica Sede concessas, ne prędicent, seu confessiones audiant, vel Divina celebrent, duxerit inhibendum, lata in eos Interdicti sententia, qui eis ad ejusmodi perfectionem operis consilium, vel auxilium largiuntur. Cum igitur prorsus indecens, & detestabile videatur, ut idem Episcopus habeatur de tanta varietate notabilis, & persecutor Deum timentium reputetur, eundem rogamus, & hortamur attente, nostris sibi districte in virtute obedientię dantes literis in preceptis, ut Fratres eosdem prędicti loci possessione pacifica, sine prejudicio juris sui, & etiam alieni, pro divina & nostra reverentia gaudere permittat: latam per ipsum in benefactores eorum Interdicti sententiam infra octo dies post susceptionem harum, sine qualibet difficultate relaxans. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si

Commissio.

dictus Episcopus preceptum nostrum infra prędictum tempus neglexerit adimplere, Vos ex tunc relaxantes eandem, et, si similem in illos de cetero ferre pręsumpserit, eam tanquam contra Inhibitionem Sedis Apostolicę promulgatam, nullam esse penitus decernentes, Fratres ipsos super ejusdem possessione loci, ac eos, ac benefactores suos super construendis ibidem ędificiis eorundem Fratrum usibus opportunis non

Sanctio pœnalis.

permittatis ab aliquo indebite molestari. Molestatores hujusmodi auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse; tu Frater Archiepiscope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Anagnię VIII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Bracarensi.*) In *Lusitania*.
2. *Portugallensi.*) In eodem Regno.
3. *Maluenda.*) Et ex *Johan. Lopez Histor. Ord. Prędicat. III Part. lib. I Cap. LVIII*, ubi quæ hac de re gesta sunt docent.

Anno 1238 Die 23 Decembris.

Episcopum Bosnensem [1] Apostolicæ Sedis Legatum creat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 520.

CLXXXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Ponsę Episcopo Bosnensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

SEdi Apostolicę Pręsidentis ad hoc potissime dirigi debet intentio, ut ubique terrarum, deletis pravitatis hereticę maculis, fulgeat gloria Catholicę puritatis, cujus effectu producitur, quod post decursum in timore Domini pręsentis vitę spatium, Redemptoris operante clementia pervenitur ad gaudia supernorum. Cum igitur carissimi in Christo filii nostri Colomani Regis Illustris Ducis Sclavorum, ac aliorum fidelium circumpositę regionis efficaci diligentia faciente pervenerit, quod ibidem, triumphante Conditoris dextera, consurgit Religio Christiana, Nos qui suscepti ratione officii gerimus in voto precipuum, quod, semper salus proficiat animarum, providere volentes, ut gloria, quę in hac parte prefatę Terrę provenisse dignoscitur, de bono in melius jugiter amplietur, ad hoc debemus adhibere remedia, quę devotio dicti Regis, & aliorum Deum timentium Nobis fore suggerit opportuna. Cum itaque spes nostra sit, & pro constanti teneatur ab ipsis, quod jam dicta terra per te, quem lętanter accepimus & in

Committit ut supra.

Dei timore vigilem, & in promotione Fidei diligentem, a perfidię maculis, divina propitiante gratia, omnino reddatur immunis, plene tibi Legationis officium in Bosnen. Diœcesi committentes, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur in Domino Iesu Christo, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus sollicitudinem hujusmodi, reverentia suscipiens filiali fideles in Regno Hungarię constitutos, super datam tibi a Domino prudentiam exhorteris, ut tanquam zelum Dei habentes, se viriliter, & potenter accingant

Crucesignatos & ipsorum familias sua clientela tutatur.

ad hereticę pestis residuum de prefata Diœcesi penitus abolendum. Nos enim, ut quod tam digne pro nomine Regis ęterni deposcitur, effectu facili compleatur, omnes ejusdem Regni contra hereticos dictę Diœcesis, suscepto propter hoc signaculo Crucis processuros, necnon eorum familias, & bona omnia, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione, ac defensione Sedis Apostolicę admittentes, illis, ac aliis, qui juxta facultatem, & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, vel qui de bonis propriis congrue ministrarint, aut in alienis expen-

Indulgentiam elargitur.

sis illuc accesserint, ibique ad tempus congruum servituri, juxta qualitatem subsidii, & devotionis affectum, de misericordia Divina confisi, suorum concedimus veniam peccatorum. Pręterea ut idem negotium, quo pluribus contigerit juvari remediis, prosperitatis optatę suscipiat incrementum, tibi super ipso

Eidem Episcopo eam concedit facultatem, quam ex Sede Apostolica habuit Frater Johannes Ordinis nostri.

illam, quam dilectus filius Frater Johannes (2) prędecessor tuus ab Apostolica Sede habuisse dignoscitur, concedimus potestatem. Pręsentibus post triennium minime valituris. Datum Laterani X Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Bosnensem.*) Legesis Diploma *Datum XXVI Aprilis MCCXXXVIII*, aliaque ibidem laudata. Consulendus etiam *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXLI pagina* 112.
2. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Anno 1239 Die 4 Martii.

Priori (1) Parisiensi, ut Imperio Constantinopolitano subsidia accersat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 510.

CLXXXVIII

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Mandat ut supra.

CUm tibi nostris dederimus literis in mandatis, ut per te, & alios Fratres tui Ordinis in subsidium Imperii Constantinopolitani prędicares per Regnum Francię Verbum Crucis, mandamus, quatenus eis, qui in ejusdem Imperii Constantinopolitani subsidio sua vota commutant, eam Indulgentiam tribuas, quam haberent, si de novo reciperent signum Crucis; Et Crucesignatis, ac Crucesignandis in dicto subsidio excommunicatis propter torneamenta (2), auctoritate nostra beneficium absolutionis impendas: omnes pa-

pariter Crucesignatos, & alios, qui in hujusmodi succursum aliquid de bonis suis promiserint se missuros, ut vota & promissiones suas tempore passagli (3) adimpleant, monitione premissa, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, compellas, & Crucesignatos ipsos non permitias super personia, familiis, & bonis suis ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per Censuram eandem, appellatione postposita, compescendo. Ceterum quod ad omnia per te laborare non sufficis, & onera divisa per plures facilius supportantur, vices tuas aliis, prout videris expedire, qui super premissis simili auctoritate procedant, de licentia nostra committas, Nos enim Fratribus tuis, & aliis in negotio Crucis laborantibus, & eis, qui a tuo Capitulo Generali Constantinopolim ad inhabitandum inibl transmittuntur, illam concedimus veniam peccatorum, que in Generali Concilio, Terre Sancte succurrentibus, est concessa. Datum Laterani IV Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Priori*.) Legendum Diploma *Datum XXX Octobr. MCCXXXVII.*

2. *Torneamenta*.) Seu Ludicræ pugnæ jure ac merito prohibitæ, uti videre est ex Concilio *Lateran. IV, & lib. V Decretal. Tit. XIII Cap. I.*

3. *Passagii*.) Ut supra *XXV Augusti MCCXXXIII.*

Archiepiscopis per Regnum Franciæ constitutis, ut libros [1] Judæorum teneant, & in custodiam Fratrnm nostrorum, ac Minorum tradant.

Anno 1239 Die 9 Junii.

Ex Echard de Script. Ord. Tomo I ad an. MCCL pag. 128.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibua fratribus Archiepiscopis per Regnum Francie constitutis, ad quos iste litere pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXXIX.

SI vera sunt, que de Judeis in Regno Francie, & aliis Provinciia commorantibus asseruntur, nulla de ipsis esset pena sufficiens, sive digna, ipsi enim, sicut accepimus, lege veteri, quam Dominus per Moysen in scripiis edidit, non contenti, immo penitus pretermittentes eandem, affirmant, legem aliam, que Talmud [2] idell Doctrina, dicitur, Dominum edidisse, ac verbo Moysi traditam, & insertam eorum mentibus mentiuntur tandiu sine scriptis servatam, donec quidam venerunt, quos sapientes, & scribas appellant, qui eam, ne per oblivionem a mentibus hominum laberetur, in scripturam, cujus volumen in immensum excedit textum Biblie, redegerunt (3), in qua tot abusiones, & nefaria continentur, quod pudori referentibus, & audientibus sunt horrori. Cum igitur hec dicatur esse causa precipua, que Judeos in sua tenet perfidia obstinatos, fraternitatem vestram monendam duximua, & hortandam, per Apostolica vobis scripta precipiendo mandantea, quatenus primo Sabbato (4) Quadragesime proximo venture, mane, quando Judei in synagogis conveniunt, universos libros Judeorum vestre Provincie auctoritate nostra capi, & apud Fratres Predicatores, vel Minores faciatis fideliter conservari; invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularia: nihilominus in omnes tam Clericos, quam laicos vestre jurisdictioni subjectos, qui libros Hebraicoa, si quos habent, per vos generaliter in Ecclesiis, vel specialiter moniti, noluerint assignare, excommunicationis sententiam promulgando. Datum Laterani V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio decimo.

Exordium a perfidia Judæorum.

Mandat ut supra.

1. *Libros*.) Liquido narrata res in *Epistola*, quam ad *Innocentium IV* Anno MCCXLVIII scripsit *Odo Tusculanus* Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus. Consulendus *Echard* supra laudatus, & *pag. 129*, ubi ex oculato teste, *Collectis igitur*, inquit, *auctoritate regia de toto Regno Franciæ cunctis libris Talmud, & Parisius deductis, una die combusti sunt ad quatuordecim Quadrigatas, & sex in alia vice*. Legendum videtur *Quadrigas*, seu vehes: licet enim *Quadrigatus* fuerit olim nummorum species, cui currus quadrijugus erat insculptus, vix tamen crediderim, cunctos libros *Talmud* Judæorum, qui tunc erant in *Francia*, non excessisse pretium viginti *Quadrigatorum*.

2. *Talmud*.) Legesis *Epistol. DCLXXXI lib. I Innocentii IV. In Bullario Romano est II.*

3. *Redegerunt*.) Consulendus *Genebrardus lib. III Chronographiæ pag. 388, 455, & 446.*

4. *Sabbato*.) Die nempe X Martii Anni MCCXL. Fuit enim Pascha hoc Anno Die XV April. Quid actum sit docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXII pag. 166.*

Parisiensi Episcopo, ut Literas Apostolicas Archiepiscopis Franciæ, ac Regibus Galliæ, Angliæ, Aragoniæ, Navarræ, Castellæ, Legionum, ac Portugalliæ inscriptas [1] transmittat.

Anno 1239 Die 9 Junii.

Ex Echard Tomo I Script. Ord. ad an. MCCL pag. 128.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Del, Venerabili fratri Parisiensi Episcopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXC.

FRaternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatenus literas nostras, ad negotium super libris Judeorum tibi ac collegis tuis a Nobis commissum, spectantes, tibi ex parte nostra per dilectum filium Nicolaum quondam Judeum latorem presentium presentandas, devote recipiens, ipsas venerabilibus fratribus Archiepiscopis & carissimis filiis nostris Francie, Anglie, Aragonie, Navarre, Castelle, ac Legionum, & Portugallie Regibus illustribus destinatas a Nobis, transmittas, cum videris expedire. Datum Laterani V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Mandat ut supra.

1. *Inscriptas*.) Præcedens, ac sequentia Diplomata legenda.

Anno 1239 Die 20 Junii.

Regi Portugalliæ, ut libros omnes Judæorum teneat, & sub manum Fratrum Prædicatorum ac Minorum tradat.

Ex Echard Tomo I Script. Ord. ad an. MCCL pag. 128.

CXCI. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri Regi Portugallię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI vera sunt &c. (1) Cum igitur hęc dicatur esse causa pręcipua, quę Judęos in sua perfidia retinet obstinatos, serenitatem Regiam monemus attentius, & hortamur, quatenus primo Sabbato Quadragesimę proxime venturę, mane, quando Judęi in synagogis conveniunt, universos libros Judęorum Regni tui, tam tibi, quam Nobilibus Regni ejusdem tuis fidelibus subjectorum, auctoritate nostra capi, & apud dilectos filios Fratres Pręedicatores, seu Minores faciatis conservari. Datum Laterani XII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

1. *Sunt &c.*) Ut supra *IX Junii MCCXXXIX* ad hæc usque verba: *Audientibus sunt horrori*; *Cum igitur &c.*

Anno 1239 Die 20 Junii.

Parisiensi [1] Episcopo, Priori Ordinis Prædicatorum, & Ministro Fratrum Minorum, ut nonnullos Judæorum libros comburant.

Ex Echard Tomo I de Script. Ord. ad an. MCCL pag. 128.

CXCII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Episcopo, & dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Ministro Minorum Fratrum Parisius, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI vera sunt &c. [2] Discretioni vestrę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus universos Judęos in Regno Francię, Anglię, Aragonię, Navarrę, Castellę, & Legionum, ac Portugallię commorantes, ad exhibendos omnes libros suos facientes compelli brachio seculari, illos, quos inveneritis errores hujusmodi continere, faciatis incendio concremari. Contradictores per Censuras Ecclesiasticas apostolica potestate compescendo; nobis quicquid inde feceritis fideliter rescripturi. Quod si non omnes &c. Datum Lateran. XII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Mandat ut supra.

1. *Parisiensi.*) Legesis *Cantipratanum libr. I De Apibus Cap. III §. VI.*

2. *Sunt &c.*) Ut supra *IX Junii MCCXXXIX*, ad hæc usque verba: *In sua tenet perfidia obstinatos.*

Anno 1239 Die 6 Augusti.

Provinciali Hungariæ, ut in Bosniam [1] Fratres mittat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 524.

CXCIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ord. Fratrum Prędicatorum in Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm sicut ex literis carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Colomani, Ducis Sclavonię, intelleximus, divina suffragante gratia, & ipsius Regis studio subsequente, in terra Bosnę extirpari hęreses, & fidei Catholicę inceperint funiculi dilatari; mandamus, quatenus aliquos Fratres Ordinis tui, potentes in opere, & sermone, ad dictam terram ad prędicandum inibi Verbum Dominicum, & cultum Divinum fortius ampliandum destinare procures, mandatum nostrum taliter impleturus, quod exinde devotionem tuam possimus in Domino merito commendare. Datum Lateran. VIII Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Mandat ut prædictum est.

1. *Bosniam.*) Vide superius ad *XXVI April. MCCXXXVIII.*

Anno 1239 Die 24 Augusti.

Provinciali Lunden. [1], ut a reatu simoniæ nonnullos absolvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 523.

CXCIV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum Lunden. Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm sicut venerabilis frater noster Lunden. Archiepiscopus Nobis intimare curavit, laici Lunden. Dięcesis, accedentibus voluntatibus Prelatorum, Ministris Episcoporum in Dedicationibus Ecclesiarum pro labore suo statuerint certum salarium debere persolvi, quod nec exigi ab eisdem laicis, nec exactum recipi potest absque vitio simonię, & quamplures Clerici Lunden. Dięcesis in hujusmodi reatum inciderint, pręsentium tibi auctoritate concedimus, ut cum eis, imposita ipsis ad hoc primitus pęnitentia salutari, eaque peracta, si eorum vita, & conversatio honesta exegerit, hac vice valeas dispensare. Datum Anagnię IX Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Concedit ut supra.

1. *Lunden.*) Seu *Lundensis* Diœceseos nunc in *Suecia* Regno.

Ne

Ne quis alterius Ordinis deferat habitum (1) nostri.

Ex Arch. (2) Ordinis.

Anno 1239 Die 25 Octobris.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem, CXCV.

Quia confusio habitus semper confusionem inducit Ordinum, & etiam animorum, auctoritate Apostolica districte duximus inhibendum, ut nulli Ordinum, si quos de cetero creari contigerit, vel hactenus post Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Predicatorum fuere creati, habitum ipsorum deferre liceat absque nostra licentia speciali. Volumus igitur, & fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum in suis Civitatibus & Diecesibus illos, qui dictum habitum contra inhibitionem nostram deferre presumpserint, ad deponendum ipsum, cum a prefatis Fratribus requisiti fueritis, monitione premissa, per Censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Datum Anagnie VIII Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Exordium. Inhibitio. Mandat Episcopis, ut eos, qui habitum nostrum deferre præsumpserint, ad eum deponendum compellant.

1. *Habitum.*) De hac materia fusius differetur in *Tractatu De Consensu Bullaru Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) in quo Exemplar, cujus Autographum tenent Conventus *Barchinonensis*, & *Parisiensis*.

Munere Visitatoris, cura Monialium, &c. levat [1] Fratres Prædicatores.

Ex Arch. [2] *Ord. lib. B. fol. 522.*

Anno 1239 Die 25 Octobr.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXCVI.

INspirationis Divine gratia faciente, vos, quos in lucem gentium Dei Sapientia dedisse dignoscitur, ad hoc continuis desudatis affectibus, ut spiritualem consequendo letitiam, que per quietem contemplationis acquiritur, & Predicationis sacre studio obtinetur, sic decurratis presentis vite spatium, quod, annuente Iesu Christi clementia, vobis tandem, ac proximis, proveniat gloria perpetue claritatis. Digne igitur, quia per ea, que vobis a Sede Apostolica committuntur, principalis vestri propositi nonnunquam executio impeditur, & non modicum saluti detrahitur animarum, Auctoritate Apostolica vobis presentium indulgemus, ut ad correctionis, seu visitationis officium, Monasteriis, vel Ecclesiis impendendum, necnon ad executiones causarum, & denuntiationes excommunicatorum procedere, vel recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet, nulli Fratrum vestrorum de cetero per Literas Apostolicas teneantur, nisi expresse de hac indulgentia fecerint mentionem. Nulli ergo &c. Datum Anagnie VIII Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Exordium a laude Ordinis. Eximit ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Levat.*) Videas *Tractatum De consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. X, & XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus habes Autographum in Cœnobiis *Barchinonensi*, & *Bononiensi*.

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut pecuniam, a Bosniæ Duce pro construendis sacris Ædibus depositam, Episcopo Bosnensi [1] committant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 522.

Anno 1239 Die 27 Decembr.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ord. Prædicatorum Bosnen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXCVII.

INdignum se gratia Dux Bosne constituens, quam in eo circa ipsum clementia Dei fecerat, quando pravitatem contemnens hereticam, ad Catholicam rediit unitatem, in erroris invium, sicut accepimus, damnabiliter est relapsus. Verum, cum idem, quoniam fidelis, & devoti faciem pretendebat, quondam apud vos pro Cathedrali Ecclesia construenda in Bosne partibus deposuerit, ut dicitur, pecunie quantitatem, mandamus, quatenus, si est ita, ipsam Venerabili fratri nostro Episcopo Bosnen. in opus hujusmodi, ac alia, que negotio fidei opportuna fuerint convertendam, postposito difficultatis obstaculo, integre assignetis, alias eidem Episcopo, cui plene legationis officium in Diecesi Bosnen. commisimus, super solicitudine sibi credita, sic efficaciter assistentes, quod Deum vobis reddatis in hac parte propitium, & Nos super hoc providere aliter non coacti, teneamur ad opera gratiarum. Datum Lateran. VI Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Mandat ut supra.

1. *Bosnensi.*) De quo supra *XXVI April, MCCXXXVIII*, & alibi sæpius.

Anno 1240 Die 13 Januarii.

Fratres Prædicatores, quos laudibus effert, ad Rusudam (1) Reginam, & Davidem natum ejus Georgiæ Regem legat.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 525.

CXCVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiis Rusudę Reginę, & Davidi nato ejus Georgianorum Regi illustribus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

VAs admirabile sol, opus excelsi, ex altis orbem illuminat, & in cęli firmamento resplendens Divinam Sapientiam stellarum species gloriosa designat, ut dum quilibet, a magnitudine creaturę apertius excellentiam Creatoris intelligens, &, quod quanto res majori prędita virtute dignoscitur, tanto, quà eam constituit, potentiori celsitudine sublimatur, attendens, tantarum artificem creaturarum ex ipsarum formis agnosceret, super Deitatis & majestatis ęternę notitia, ignorantia neminem excusaret. Spreverunt autem id sapere nonnulli idololatrię dediti, qui Omnipotenti Deo reverentiam subtrahentes, ligna, lapides, & alia munifica pro Diis non dubitant venerari. Spreverunt etiam id sapere, qui Dei filium ex illibata Virgine humani negantes formam corporis assumpsisse, dum plus solitum naturę cursum, quam ejus virtutem, qui naturam, & omnia creavit, inspiciunt, Dei, apud quem nihil est impossibile, opinione contraria potentiam minuentes, in abyssum erroris profundissimam se immergunt; non attendentes, quod ęterno reservati cruciatui, & post hęc in puncto ad inferna demersi, in illud habitaculum inducentur, ubi perenni fletu, & stridore affligentur perpetuo dentium, ubi vermis eos operiet; & subter illos sternetur tinea: sulphur, & ignis ad ipsorum parabuntur incendium sempiternum; quod dignum est, ut diabolum

Ipsis gratulatur.

suarum iniquitatum vindicem sentiant, cui vitę suę obsequia nefarie deputarant. Vobis equidem, Reverendissimi filii, ille, qui suum in sole tabernaculum posuit, qui exultans ut gigas ad currendam viam, egressus de cęlo, tanquam sponsus de thalamo Virginali processit, vestris infudit cordibus sui luminis claritatem, ab ipsis errorum tenebras amovens, & eis inęstimabilem suę notitię gratiam admirabili largitate concedens, ut Omnipotentis Patris admirantes potentiam, ęterni Filii sapientiam venerantes, & in Spiritu Sancto, qui est utriusque connexio, possidentes reginam virtutum omnium caritatem, Deum, quem nunc in ęnigmate per speculum cernitis Catholicę Fidei, tandem exuti corpore mortis hujus, revelata mereamini facie in ęternę glorię palatio intueri: Ibi enim justis coram ipso clarius sole fulgentibus, nulla nox est, sed nitet perpetua claritas; ibi enim omnis supercrescit abundantia, nulla invenitur egestas: ibi nulla adversa prępediunt; ibi ad nutum omnia Beatis optata succedunt, quia oculus non vidit, & cor meditari non potuit bona, quę Deus se diligentibus prępararavit. Gaudemus igitur pro vobis, filii, pro vobis lętitia

Georgianos à prima nascente Ecclesia Christianos fuisse, ferunt.

summa gaudemus; quod caritati vestrę Dei Verbum innotuit; quod in partibus vestris Fides, ut scribitis, a tempore nascentis Ecclesię firma, & sine ruga permansit; Gaudemus & iterum, quod Dei Filius, inclinatis misericordię suę cęlis, vos duxit in sui notitiam nominis, ut sic vobis omne plenum glorię suę largiretur participium bonitatis. Quis ergo hunc (3) Dominum non veneretur, & diligat, qui hominem non pro se, sed, ut eum glorię suę consortem faceret, de terrę limo constituit? Qui ut hominem de catena servitutis eriperet, Filium suum sub forma servi missum in terram subire Crucis opprobrium, & periculum mortis, jussit? Quis ergo hunc (3) Dominum non veneretur, & diligat, qui hoc solum requirit ab homine, ut judicium, misericordiam, & alia salutis opera faciat, ut Deum toto corde diligens, timeat, & cum eo ambulare solicitus non desistat? Congratulamini etiam & vos Nobis, & aliis, ad quos Fides Christi pervenit, dum Deum a nobis debita reverentia excoli, & nos in ejus Fide vitam gaudetis perpetuam promereri; sicque ad nos vestris venientibus, & ad vos nostris recurrentibus literis gaudia vicissim alterna su-

Georgianis damno erant Tartari.

scipimus; Cumque vos in nobis, & nos in vobis Fidem Christi exaltari conspicimus, mutua pietatis lętitia exultamus. Illud quoque in vestris contentum literis, quod Tartari, hostes Catholicę Fidei, vestrum Regnum intraverant, conceptam lętitiam minuit, & quod vobis damna gravia intulerunt, acquisitum nobis gaudium vulneravit: Veruntamen in hoc exultationem resumpsimus, quod, etsi prędictis hostibus

Georgiani Tartaros profligatant.

terga dederitis, victi tamen finalis palmam victorię de victoribus reportastis, graviusque illos afflixit damni periculum, qui arma in vestrum sumere pręsumpserant detrimentum. Decet autem, & vos nobis compati, qui multas persecutiones ab hostibus Fidei hoc tempore patimur, qum pręter Saracenos, qui

Ipsos hortatur ad patientiam, qua possint adipisci Regnum cælorum.

in Hispanię, & Syrię partibus Fidem impugnant Catholicam, nonnulli alii a Fide Christi apostatantes, & Ecclesiam Dei, quibus possunt, impugnantes viribus, novam perditionis Sectam inducere, & Fidem salutis, & redemptionis humanę, de terra exterminare conantur; sed forsan Divina voluntas nos his tentationibus ingerit, quę nonnunquam bonos per improbos tribulari permittit, ut constantiam, & eorum fortitudinem, sicut in fornace aurum, examinet, & omnem de corde justi peccati rubiginem per hujusmodi tribulationem expurget; quod Divini templi ędificium lapides minime recipit, quos manus artificis multis tribulationibus non polivit; & ex frumento panis nequaquam conficitur, nisi prius flagello a paleis expurgetur. Sic enim justi expurgati pręmia ęterna recipiunt; sic probati ad ęternę delicias vitę procedunt. Nam populus Israel prius terram promissionis non ingreditur, quam post longi deserti circuitum, & multorum victorias hostium, dignus ejusdem terrę intuitu censeatur. Veruntamen speramus, quod

Christianus exercitus Georgianis suppetias ferre non poterat.

Redemptor noster post hanc tempestatem tranquillum faciet, & adversarios Apostolicę Sedis sub pedibus suis conterere non omittet. Igitur, filii, desinite admirari, si contra dictos Tartaros Ecclesię Romanę exercitus non venit in vestrum auxilium, quod id interpositorum Saracenorum, quos in dicta Syria expugnari mandavimus, prohibuisset improbitas, & interjacentium, quę vix illos permiserunt ad Nos venire, rumores, non permisissent intervalla terrarum; Nos, quod in succursum vestrum insufficientes extitimus, qui ad defensionem Fidei Christianę in Italia, & dictis Syrię & Hispanię partibus, sine intermissione totis viribus laboramus; Ideoque dum vobis aliter succurrisse nequivimus, nostras sinceritati vestrę duximus literas destinandas: ut qui, nostrum ad vos affectum ex expectatis scire non poteratis auxiliis, saltem ex scriptura vobis nostrę, quam ad vos gerimus, innotesceret indicium caritatis. Super eo vero, quod Dominum vestram

vestram nostrę uniri postulatis, & petitis, tanto digniori in Domino laude magnitudinem vestram efferimus, quanto istud, si quid forsan ad perfectionem salutis vestrę hactenus omissum extitit, salutem ipsam, & nostrum de vobis gaudium juxta mensuram bene confectam, & coagitatam fortius adimplebit. Una est enim Ecclesia Catholica, Christi Sponsa, qui B. Petro Apostolorum Principi ligandi, & solvendi potestatem committens, & Petrum ostendens, super hanc, inquit, petram ędificabo Ecclesiam meam; ut dum ostenderet solum Petrum, & singularem Ecclesiam diceret, plures Ecclesias esse, & diversos Ecclesię pręponi Pastores, apertius prohiberet; propter quod soli Petro, ut ejus oves pasceret perpetuo edicto pręcipiens, & conversionem Gentium futuram esse pędicens, se illas Ecclesię primitivę de Judęis exortę aggregaturum fore pędixit, apertius inferens, ut ex iis unum ovile fieret, & Ecclesię de Judęis, & Gentibus aggregandę Pastor unicus pręsideret. Istud idem Ezechiel Propheta in spiritu pręvidens, palam, inquit, quod Dominus omnes filios Israel, per quos conversos ad Deum intelligimus, ita gentem unam efficeret, quod in duo regna non dividerentur ulterius, & Rex unus eis omnibus imperaret. Ex quo patenter plures Ecclesias esse prohibuit, & plures Ecclesię pręfici universali Pastores, penitus interdixit; quod plura unius esse capita corporis, & uni diversa conjungi corpora capiti non permittit ratio naturalis. Licet enim plures Populi in cultum sint Catholicę Fidei congregati, omnes tamen una censentur Ecclesia, dum uni capiti, Christi Vicario, & B. Petri Successori cervice reverentiam exhibent inclinata. Reliqui vero, qui ejusdem capitis se non membra constituunt, quasi monstra sine capite in viam perditionis ascendunt; quod sicut nec Christus dividitur, nec Deitas in se separatur, sic & Christus ascendens in cęlum unum reliquit in terris Vicarium, cui necesse est, ut ei omnium, qui Christi esse cupiunt, subdantur capita Populorum. Sed nec ex hoc fratribus, & cooperariis nostris debitum honorem subtrahimus, quos a B. Petro, & ejus Successoribus in partem sollicitudinis evocatos, vices Dei, & Apostolicę Sedis gerere minime dubitamus. Quare oportet, filii carissimi, ut & vos, & ceteri vestrę jurisdictioni subjecti, Romanum Pontificem, B. Petri Successorem, & Christi Vicarium, & Caput Fidei vestrę agnoscentes humiliter, & dolentes, quod id bonum pręteritis temporibus non fecistis, ei, & Ecclesię Romanę uniri, & in iis, quę ad salutem animarum vestrarum, quam, & nihil aliud postulamus a vobis, obedire curetis. Cum enim solum ab homine requiramus, ut Deum timeat, & ex tota ipsum mente diligens, in ejus justificatione procedat, non videtur sani spiritum habere consilii, qui suam in hoc negat nobis obedientiam impertiri. In hac quidem obedientia nullius quantumcunque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur, sed ex hac omnium libertas, & potestas augetur; quod illi digne populorum pręsunt regimini, qui sicut ipsi alios pręcellere cupiunt, sic Divinę student excellentię famulari. Hinc est, quod Celsitudinem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, obsecrantes per aspersionem Sanguinis Iesu Christi, quatenus Romanam Ecclesiam Matrem recognoscere, & ipsius Pontifici obedire, ac ad Apostolicę Sedis obedientiam subditos vestros efficaciter inducere studeatis; ita quod ex hoc vobis corona duplicetur in cęlis, dum studio vestro Oriens, & Occidens in unum corpus convenerint Ecclesię unitatis; Scitis enim, quod, sicut pręmisimus, soli Petro a Domino cęlorum clavium potestas conceditur; ex quo sequitur, quod janua Paradisi nonnisi ab eo, vel ejus Successoribus, vel constitutis ab ipsis, credentibus aperitur; quinimmo nec alii ad ipsam eis permittuntur Clavigeris ingredi, qui illorum vestigia sub humili renuunt obedientia imitari. Ad hęc, dilecti filii, Fratres Hugonem (4), Jacobum, Benvenutum, Rubinum, Petrum, Bernardum, Lambertum, & Guizzardum Ordinis Fratrum Pędicatorum potentes in opere, & sermone, in quibus vivificat vita doctrinam, & doctrina vitam informat, dum hoc in eorum moribus legitur, quod sermonibus explicatur, ad vestram pręsentiam venientes, immo Christum in ipsis benigne recipere, & eorum salubria monita exaudire curetis. Datum Lateran. Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Ecclesiam unam esse ostendit.

Obediendum Romano Pontifici, B. Petri successori, Christi Vicario, Fidei nostræ capiti &c.

Fratrum Prædicatorum Missio.

1. *Rufudam*.) Consulendus *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXL num. XXXVIII.*
2. *Archivo*.) Illud partim exscripsit *Odoricus* loco mox laudato. *num. XXXIX. &c.*
3. *Hunc*) *Odoricus* legit; *Hinc*.
4. *Hugonem*.) Librarius *Odorici* vocat ipsum *Huguiclonem*.

Provinciali Franciæ, ut Crucesignati possint redimere vota sua.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 530.

Anno 1240 Die 24 Februarii.

CXCIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Pędicatorum Francię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEsiderantes toto mentis affectu succursum Imperii Romanię (1), cujus defensio eo utilior Ecclesię noscitur, quo sibi ejusdem amissio dispendiosior redderetur, mandamus, quatenus Crucesignatos omnes in Imperii pręfati subsidium, qui voluerint redimere vota sua, de bonis eorum in subsidium ipsum juxta facultates proprias destinando, cum pecunię subventio noscatur ad pręsens eidem Imperio plurimum opportuna, militibus duntaxat exceptis, auctoritate nostra a voto Crucis absolvas illos juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, concedens eisdem veniam peccatorum, quę talibus pro Terrę Sanctę subsidio indulgetur. Ad hęc, pręsentium auctoritate tibi concedimus, ut in Provinciis, & locis, ad quę tuus extenditur Prioratus, illis, qui pro violenta manuum injectione in Clericos, & Religiosos alios, in canonem latę sententię inciderunt, possis juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impertiri, injuncto eis, quod injungi talibus consuevit, dummodo passis injuriam satisfaciant competenter, & expensas, quas essent laborando personaliter, ad Sedem Apostolicam, morando, & redeundo de ipsa facturi pro absolutione obtinenda hujusmodi, fideliter in manibus tuis assignent, dilecto filio nostro V. B.... [2] hęredi ejusdem Imperii, in ipsius subsidium exhibendas, & eorum non sint adeo graves, & enormes excessus, quod merito ad Sedem Apostolicam venire debeant absolvendi. Datum Lateran. VI Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

Mandat ut supra.

1. *Romaniæ*.) Sic *Thracia* etiamnum vocatur. Imperium Ergo *Romaniæ*, idem est ac *Constantinopolitanum*, seu *Orientis* Imperium.
2. *B...*) *Balduino* nempe, de quo legenda *Epistola LI lib. III Gregorii IX apud Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXIX num. XLVII.*

Pro-

Anno 1240 Die 23 Martii.

Provinciali Hungariæ, ut Fratres Ordinis Prædicatorum Crucem prædicent, ac vota Fidelium commutent, ad subsidium Imperii (1) Constantinopolitani.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 531.

CC.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

QUia per subsidium Imperii Romanię Terrę Sanctę succursus liquido procuratur, oportet, ut ad illius subventionem efficaciter intendamus. Hinc est, quod, cum inimicus Dei, & Ecclesię, Vatacius, imperium ipsum adeo graviter persequatur, quod principales civitates ipsius, & loca funditus jam destruxit; Nos attendentes, quod, si Gręci, qui potius quam pagani videntur abominari Latinos, pręfatum Imperium subiicere sibi possent, ejusdem Terrę periculum sequeretur, mandamus, quatenus per te, ac alios tui Ordinis Fratres, potentes in opere, & sermone, Verbum Crucis ex nunc usque ad triennium in Hungarię Regno proponens, vota Crucesignatorum, & aliorum, qui bellatores, vel aliud congruum subsidium in pręfatam Terram transmittere promiserunt, dum tamen ad id consentiant, in succursum Imperii pręfati commutans, ipsos, & alios viros catholicos, ut eidem succurrant Imperio. & ad hoc festinanter, & viriliter se accingant, moneas, juxta datam tibi a Deo prudentiam, & inducas; eis spe firma proposita, quod, dum in eodem Imperio terrę prędictę subvenlunt, ęternum a Domino pręmium obtinebunt. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, qui in ipsius succursum acceperint signum Crucis, vel commutaverint vota sua, vel in propriis, vel alienis expensis sibi succurrent, seu de bonis suis congruum subsidium destinabunt, illam, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, concedimus veniam peccatorum, ac ea ipsos immunitate gaudere volumus, quę talibus succurrentibus Terrę Sanctę in Generali Concilio conceduntur. Datum Lateran. X Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

1. *Imperii.*) Præcedens Diploma, & aliud *Datum XXX Octobr. MCCXXXVII* consulas necesse.

Anno 1240 Die 29 Septembris.

Archiepiscopo (1) Consentino, ut Ecclesiam S. Matthæi concedere valeat Ordini nostro.

Ex Archivo [2] Ordinis.

CCI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Archiepiscopo Cosentino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

LIcet ad humilem supplicationem dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum, ut eisdem concederes Ecclesiam Sancti Matthęi, sitam juxta Cosentiam (3) ad Archiepiscopalem mensam spectantem, ad domum sui Ordinis construendam, animum inclinaveris, prout tuę pręsentatę Nobis literę continebant, tu tamen super hoc nostram per easdem literas duxisti licentiam postulandam. Nos igitur tuum in hac parte laudabile propositum commendantes, fraternitati tuę licentiam concedimus postulatam: Ita tamen, quod eisdem Fratribus ad construendas domos, & faciendum claustrum, & hortum, sufficiente per te spatio assignato, reliquę possessiones omnes, & redditus eidem Ecclesię ad proprietatem mensę prędscriptę integrę serventur. Datum apud Cryptamferratam [4] III Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

1. *Archiepiscopo.*) Is erat *Opico*, De quo *Ughellus in Italia sacra.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *Consentino.*
3. *Cosentiam.*) Seu *Consentiam*, alias *Brutiorum*, nunc *Calabriæ* Caput.
4. *Cryptamferratam.*) In Ditione Pontificia, XV Milliaribus ab Urbe, prope *Tusculum.*

Anno 1240 Die 6 Novembris.

Provinciali Franciæ, ut Crucesignati in subsidium Terræ Sanctæ, vel Imperii (1) Constantinopolitani veniant, aut redimant vota sua.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 532.

CCII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Singula expendit quæ gesta sunt in Galliis ad subsidium Terræ Sanctæ.

OLim, ut fortius Terrę Sanctę subvenire possemus, nonnullis Nobilibus Regni Francię in certis locis redemptionem votorum Crucesignatorum Terrę prędictę, pauperum, infirmorum, & debilium, ac legata, in ejusdem Terrę subsidium duximus concedenda; In aliis vero locis Regni prędicti, & in Tullen. [2], Verdunen. [3]. Meten., Leodien. [4], & Cameracen. [5] Civitatibus, & Dięcesibus medietatem redemptionum, & legatorum ipsorum Imperii Constantinopolitani subsidio deputantes, reliquam partem reservari mandavimus, usque ad nostrum beneplacitum voluntatis. Verum eum exercitu Crucesignatorum in Terrę prędictę transeunte succursum, sicut intelleximus, quamplures in Regno, & Dięcesibus prędictis, & Viennen. (6). & Bituricen. (7) Provinciis, qui Crucis assumpto signaculo, voverant in Terrę pręfatę subsidium proficisci, vota sua redimere, seu prosequi, non curarint, quin potius quidam ex eis signaculum ipsum ab humeris suis temere abiecisse dicantur, mandamus, quatenus universos Crucesignatos dictorum Regni, Dięcesum, & Provinciarum, ut in Terrę prędictę vel Imperii subsidium in proximo passagio (8) Martii transire procurent, aut, quod eundo in Terram pręfatam, morando ibi, & recedendo de

Mandat ut supra.

ipsa

ipsa expensuri forent, sine diminutione qualibet tibi per nuncios, & Procuratores Reverendissimi in Christo filii nostri B.... [9] Imperatoris Constantinopolitani, in ipsius Imperii subsidium transmittendum, assignent, Indulgentiam, quę talibus in Generali Concilio conceditur, habituri, salvis hujusmodi concessionibus, nobilibus factis, eosdem, monitione premissa, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, compellas; non obstantibus Constitutionibus de duabus dietis (10) editis in Concilio Generali, dummodo ultra quartam, vel quintam extra suam Dięcesim aliquis non trahatur. Datum Lateran. VIII Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

1. *Imperii.*) Legendum Diplomata *Data XXIV Februar. & XXIII Martii An. MCCXL.*
2. *Tullen.*) In *Gallia Belgica*.
3. *Verdunen.*) Seu *Virodunen.*, ibidem: ubi etiam *Metensis* Civitas in *Lotharingia*.
4. *Leodien.*) In *Belgio*.
5. *Cameracen.*) Ibidem.
6. *Viennen.*) In *Gallia Narbonensi*.
7. *Bitaricen.*) Vulgo *Le Berri*: Provincia Regni *Franciæ*.
8. *Passagio.*) Ut supra *XXV Augusti MCCXXXIII.*
9. *B....*) *Balduini II.*
10. *Dietis.*) Legendum Concilium *Lateran. IV Capit. XXXVII.*

Barensi (1) Archiepiscopo, & Episcopo Bireten. (2), ut Brundusinum (3) Archiepiscopum a molestiis exhibendis Fratribus nostris deterreant. Anno 1241 Die 26 April.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 534.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Barensi, & Episcopo Bireten., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCIII.

DE homilium depressore Archiepiscopo Brundusino mirantes accepimus, quod ipse dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum Brundusii commorantes gravius solito perlequi non veretur, eorum famam dignam piis attolli laudibus offuscare gestiens, & opponens obstaculum, quod ipsi apud Christi fideles devotionis, & benevolentię non consequantur augmentum. In illos etenim ex benefactoribus dictorum Fratrum, qui ad eos aliquando hospitalitatis causa declinant idem Archiepiscopus, etiamsi non existant de Brundusin. Dięcesi, ac in Fratres ipsos, si tales recipiant, excommunicationis precipitare sententiam non formidat. Cum igitur eorundem Fratrum, quos Religionis suę merita, non injuriis affici, sed speciali gratia exigunt confoveri, pati tam graves injurias non possimus, mandamus, quatenus, si est ita, dicto Archiepiscopo, ut in Fratres ipsos, ac benefactores eorundem de cetero similem non ferat sententiam, firmiter injungatis; et si forsan idem in eos ipsam propter hoc ferre presumpserit, eam tanquam contra inhibitionem Sedis Apostolicę attentatam, inanem, & irritam nuncietis; alias eosdem, ut Fratres ipsos super sepultura, necnon super exactione census, quem ab eis de ipsorum Ecclesia Brundusin. de novo extorquere nititur, ac aliis indebite non molestet, auctoritate nostra, monitione premissa, remoto appellationis obstaculo, compescentes. Ceterum quod pręfati Fratres, quos idem Archiepiscopus, sicut dicitur excommunicationis vinculo innodavit, si benefactorem ipsorum Abbatem Herdonen. (4), tunc Brundusium accessurum, in domo sua reciperent, ab eo tali pacto absoluti fuerunt, quod nec eundem Abbatem, nec aliquem de ipsius Monachis de cetero recipere attentarent, volumus, ut denuntietis, eosdem ad observantiam pactionis hujusmodi non teneri. Non obstantibus Constitutionibus de duabus dietis (5) editis in Concilio Generali. Quod si non ambo &c. Datum Lateran. VI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

Exordium ab enarratione facti, & laude Fratrum.

Mandat ut irritas declarent sententias in nostros latas, & a molestiis exhibendis Fratribus Archiepiscopum deterreant.

1. *Barensi.*) In *Apulia*.
2. *Biretea.*) Seu *Bitetensi*, vulgo *Bitetto* in Provincia *Bariana*.
3. *Brundusinum.*) In Regno *Neapolitano*.
4. *Herdonen.*) Seu *Erdonen.* in Provincia *Capitanata* ejusdem *Regni*.
5. *Dietis.*) Ut in Diplomate *Dato VI Novembr. MCCXL.*

Compositionem a Monasterio Pruliano [1] cum Cœnobio S. Hilarii contractam confirmat. Anno 1241 Die 25, Maii.

Ex Archivo [2] Ordinis.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii de Pruliano Ordinis S. Augustini, Tolosanę Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCIV.

EXhibita Nobis vestra petitio continebat, quod cum inter vos ex parte una, & Abbatem, & Conventum S. Hilarii Ordinis S. Benedicti Carcassonen. Dięcesis ex altera, super Ecclesia de Limozo [3] Narbonensis Dięcesis, suborta fuisset materia questionis, tandem, mediantibus bonis viris, amicabiliter inter Partes compositio (4) intervenit. Quare fuit ex parte vestra Nobis humiliter supplicatum, ut eam Apostolico curaremus munimine roborare. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, compositionem prefatam, sicut sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus, pacifice observata, auctoritate Apostolica, confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VIII Kalend. Junii, Pontificatus nostri anno Quintodecimo.

Supplex petitio sororum.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Pruliano.*) De quo supra *VIII Octob. MCCXV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Monasterio *Pruliano*.
3. *De Limozo.*) Consulendus *Percinus* noster *Monument. Convent. Tolosan. Secul. I ad An. MCCXVI pag. 16 col. I num. XXX.* Non abs re tamen sit, quædam hic Instrumenta tran-

transcribere, quæ missa fecit ille. Sequens enim Diploma firmat, quæ supra dicta sunt *Annot. XIV in Bull. - Justis - Dat. Die VIII Octobr. An. MCCXV.* Sic legere est in Autographo quod extat in Monasterio *Pruliano*. *Anno Domini Millesimo Ducentesimo Octavo, Feria Quinta, Decimoquarto Kalendas Aprilis, Rege Philippo regnante, ego Ysarnus de Aragone, mandato, & auctoritate Domini Berengarii Archiepiscopi Narbonen. tradidi Priorissæ, & Monialibus, conversis monitis & exemplis Fratris Dominici, Sociorumque ejus, commorantibus, & in perpetuum commoraturis in Castro Fani-Jovis in Ecclesia B. Mariæ de Pruliano Tolosanæ Diœcesis, Ecclesiam S. Martini de Limozo Narbonen. Diœcesis, quæ est in Redesio, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, cum decimis, primitiis totius territorii B. Martini de Limozo, & Territorii de Saxo eidem contigui, & oblationibus, & omnibus obventionibus, & nomine dictarum Monialium Fratrem Guillelmum Claretti in corporalem possessionem misi, ut dictam Ecclesiam habeant, & possideant in perpetuum. Actum Anno, & Die quibus supra, in præsentia Domini Bernardi Raymundi &c.*

4. *Compositio.*) Cujus hic tenor. *Anno Domini Millesimo Ducentesimo Vigesimo Quarto, Sexto Kalendas Aprilis, cum controversiæ essent inter D. Abbornum Abbatem, & Conventum Monasterii S. Hilarii Carcassonen. Diœcesis, ex una parte, & Fratrem Guilelmum Claretti Priorem, & Bernardam Priorissam, & Conventum Monasterii de Pruliano Diœcesis Tolosanæ ex altera, tam super Monasterio S. Hilarii & membris suis quam super Ecclesiam de Limozo, & Decimis ejusdem, quam etiam super omnibus quæstionibus, & querelis, quæ inter partes easdem motæ sunt, vel moveri possint usque in præsentem diem, de omnibus compromissionem dictæ partes fecerunt in Dom. B.... Abbatem S. Policarpi Narbonen. Diœcesis, & Ysarnum de Aragone, Archidiaconum Carcasson., tenentem locum Domini Archiepiscopi Narbonen. in Redesio, promittentes sub pœna centum Marcharum argenti se tenere, & servare quicquid per eos ordinatum, vel concordatum fuerit quocunque modo. Præfati vero Dom. B.... Abbas S. Policarpi, & Ysarnus de Aragone Archidiac. memoratus, visis, auditis, & intellectis petitionibus, responsionibus, juribus, & rationibus utriusque partis prædictas controversias terminaverunt hoc modo. In primis de voluntate & consensu utriusque partis, ordinantes, & definientes, quod Dom. Abbornus Abbas, & Conventus dicti Monasterii S. Hilarii, tam ipsi, quam successores sui habeant in perpetuum Monasterium S. Hilarii cum pertinentiis suis. Item ordinaverunt, de voluntate, & consensu utriusque partis, quod dictus Frater Guillelmus Claretti Prior & Procurator, & Bernarda Priorissa, & Conventus Monasterii de Pruliano, tam ipsi, quam successores ..... habeant Ecclesiam S. Martini de Limozo cum omnibus pertinentiis suis in perpetuum, ita quod deinceps prædictæ partes, super præmissis, nullam altera alteri, moveant quæstionem, sed sopitis omnibus quæstionibus, & querelis, quæ usque in hodiernum diem oriri possent, præsens compositio, & ordinatio perpetuam obtineat firmitatem. Actum fuit hoc in Villa de Limozo in Capella S. Martini in præsentia &c. Anno, & die ut supra, & præfati duo Arbitri sigillis suis roboraverunt.* Asservatur Autographum in Monasterio *Pruliano*.

Anno 1241 Die 20 Junii.

Fratribus Prædicatoribus, ut in terris excommunicatorum degere, & ab eis ad victum necessaria rogare queant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Conceffio fupradicta.

Sanctio pœnalis.

Vobis extremam patientibus pro Christi nomine paupertatem, digne conceditur ab Apostolicæ Sedis gratia, per quod & necessitati vestræ consulitur, & benefactoribus vestris salutis meritum procuratur: hinc est, quod Nos, quorum deposcit officium justis annuere desideriis devotorum, vestræ precibus humilitatis inducti; ut vos, qui exhortationis piæ studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc etiam quando vos per ipsas transire contingit, necessaria vitæ deposcere, ac recipere valeatis, vobis auctoritate præsentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Lateran. XII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Quintodecimo.

1. *Queant.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titul. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Gregorio IX Summo Pontifice, promotos exhibens.

PATRIARCHÆ.

Anno 1240 F. Elias Robertus Regiensis, ex Episcopo Brixiensi, uti videre est inferius, Patriarcha Antiochenus. *Onuphrius in Chronici. Spondanus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIX num. XVII. Echard in Addendis ad Tomum I de Scriptor. Ord. Prædicator. ex Roderico de Acuña in Catalogo Patriarchar. Antioch. Tract. de Primatu Bracaren. Ecclesiæ pag. 202.*

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1233 F. Bernardus Polonus, Archiepiscopus Haliciensis in Russia nigra. *Leander Albertus de Viris illustribus Ord. Prædicator. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXIII num. IV. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. II pag. 33, & Theatro Dominicano Parte I Tit. XLVIII. pag. 77. Auctor Anni Dominicani I Parte Septembr. pag. 64 Præfationis. Cavaler. Tomo I pag. 2. num. III. Minorelli Annal. Mus. Ord. Prædicator. ad An. MCCXXXIII.* Serra dilectus, & flammis absumptus felix ille Martyrii palmam assecutus est.

F. Ste-

F. Stephanus Hispanus, Archiepiscopus Arborensis in Sardinia. *Talgius in Monument. Ord. ad Annum MCCXXXVI. Plodius lib. I Parte II, apud Fontanam Theatr. Dominican. Parte I Tit. VI pag. 53. Cavaler. Tomo I pag. 11. num. IV.* — Anno 1236.

F. David Mac-Kellius Cœnobii Corkagiensis alumnus, ex Episcopo Clonensi, seu Cluanensi, sub Cassiliensi in Hybernia, Archiepiscopus Cassiliensis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XXIV pag. 65, ex Ughello in Ms. Cavalerius Tomo I pag. 16. num. XXIV. Echard in Indice Episcopor. Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 27. Col. I.* — Anno 1237.

F. Stephanus Archiepiscopus Turritanus, seu Turris Libyssonis, in Sardinia. *Talgius ad An. MCCXXXVII. Fernandez in Catalogo Archiep. Plodius Parte II lib. I apud Fontanam Monument. Dominic. Parte I Cap. III pag. 41, & Theatro Dominic. Parte I Tit. CIX pag. 108, & Part. II Tit. IV pag. 368. Cavaler. Tomo I pag. 13 num. X.* Hujus *Stephani* mentio in Actis Capituli Generalis *Bononiensis* Anni MCCXXXVIII. *Missi sunt pro Magisterio ipsi* (S. Raymundo de Pennafort) *præsentando F. Hugo Prior Provincialis* Franciæ &c. *F. Stephanus Hispanus, qui in eodem Capitulo fuerat absolutus a Prioratu Lombardiæ, quem diu rexerat* &c. Quibus verbis ilquet emendandos Auctores, qui *Stephanum* Anno MCCXXXVII Archiepiscopum fuisse scripserunt. Anno siquidem MCCXXXVIII præerat Provinciæ *Lombardiæ*, uti constat ex Actis citatis. *Sassarim* nunc translatus Archiepiscopatus *Turritanus*, quem Amanuensis *Bernardi Guidonis* vocat *Treucanum*. Sic enim legitur in Ms. Deciniquarti Seculi asservato in Archivo Ordinis. *In Provincia Secilie qui a Romana Provincia derivatur* [vides Amanuensis Incuriam] *fuerunt Archiepiscopi, & Episcopi qui secuntur* .... *Frat. Nycolaus in Sardinia. Frat. Stephanus Spanus Archiepiscopus Treucanus*, — Circa Annum 1238.

F. Vido natione Græcus, Archiepiscopus Colossensis, Metropolis Insulæ Rhodiæ. *Plodius apud Fontanam Monument. Dominic. Parte I Cap. III pag. 42 Col. I. Cavalerius Tomo I pag. 11. & 12. num. V.* — Anno 1238.

EPISCOPI.

F. Dominicus Hispanus, Episcopus Baëcensis, seu Blatiensis in Hispania Bætica, sub Archiepiscopo Toletano. *Martyrologium Hispanum Tomo V pag. 643. Cavalerius Tomo I pag. 12 num. V. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcopor. pag. 21 Col. I.* Giennium translata hæc Sedes. — Anno 1227.

F. Theodoricus Episcopus Cumanorum. *Bulla* -- Cum Venerabili -- *Data XXI Mart. MCCXXVIII, & Bulla* -- Gaudemus -- *Data eodem die.* — Anno 1227.

F. Gualla Bergomas, ex Priori Brixiensis Cœnobii Episcopus Brixiensis, sub Archiepiscopo Mediolanensi in Italia. *Jordanus Vit. S. P. Dominici num. XLI. Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Lombardiæ. Ughellus in Episcop. Brixien. Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 22 Col. I. indicis Episcoporum. Cavalerius Tomo I pag. 13 num. XI*, & alii quamplures, quos laudat, & sequitur ille *pag. 8, 9, & 10.* Ceterum ex Diplomatibus superius exscriptis *XXII Julii MCCXXVII*, & *XVI Mart. MCCXXVIII*, liquet, *Guallam* nostrum Anno MCCXXV nondum ad Episcopi dignitatem promotum fuisse. — Anno 1229.

F. Berengarius Polonus, Episcopus Cracoviensis, sub Gnesnensi Archiepiscopo in Polonia. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXII num. IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCVI pag. 181, & Monument. Dominican. I Part. Cap. II pag. 31. Cavalerius Tomo I pag. 11. num. I.* Lancea confossus Martyrii palmam obtinuit felix ille Præsul. — Anno 1230.

F. Paulus Hungarus, Episcopus in Hungaria. *Johan. Michael Pio Parte II lib. I. Cavalerius Tomo I pag. 11 num. II.* — Anno 1230.

F. Raymundus de Falgario, qui Castrum Mirus-Mons dictum patriam habuit, ex Provinciali Provinciæ Tolosanæ Episcopus Tolosanus in Occitania. *Guillelmus a Podio-Laurentii in Chronicis Cap. XLII. Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Tolosan. Gallia Christiana in Episcop. Tolosan. Percin. Monument. Conventus Tolosani seculo I pag. 47 Col. I num. VI. Echard. Tomo I Scriptor. Ord. Præd. in Indice Episcopor. pag. 23 Col. II. Cavalerius Tomo I pag. 38 num. CIV.* Nunc Metropolis est sedes *Tolosana*. Obiit *Raymundus* Die *XIX Octobr. An. MCCLXX.* — Anno 1231 stylo veteri, novo vero 1232 die 21 Martii.

F. Ugolinus Ariminensis, Provinciæ Lombardiæ Alumnus, Episcopus Ariminensis, sub Archiepiscopo Ravennatensi in Italia. *Seraphinus Razzius de viris illustribus Ord. Prædicator. Ughellus in Episcop. Ariminen. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. LII pag. 131, & Parte II Cap. III Tit. V pag. 368. Cavalerius Tomo I pag. 15 num. XV.* — Anno 1232.

F. Johannes a Vvildeshusen Episcopus Bosnensis. *Bulla* -- Sedi -- *Data XXIII Decembr. MCCXXXVIII. Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Hungariæ. Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. ad Annum* — Anno 1232.

MCCXLI pag. 111, & 112. Ille ipse est Generalis Magister Ordinis, quem *Johannem Teutonicum* nuncupamus; Episcopatus enim abdicandi facultate obtenta Anno MCCXXXVII, Provinciæ Lombardiæ præfuit ab Anno MCCXXXVIII ad MCCXLI, quo ad clavum Ordinis regendum fuit electus.

Anno 1232. F. Gerardus Provincialis, primus Episcopus Ruthenorum in Russia Nigra. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXII num. XII. Spondanus ad eundem An. num. VII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. D pag.* 280. *Cavalerius Tomo I pag.* 21 *num. XXXVIII.* Archiepiscopum *Haliciensem* in *Russia Nigra Gerardum* fuisse, censet *Sovegius* noster in *Anno Dominicano Tomo I Mensis Julii in Præfat.*

Anno 1233. F. Clemens Scotus, Episcopus Dumblanensis, sub Archiepiscopo Andreapolitano in Scotia. *Capitulum Generale Londini celebratum Anno MCCL. Bernardus Guidonis in Indice Episcoporum Provinc. Scotiæ. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 111 *Col. I ad Annum MCCXL, & pag.* 149 *ad Annum MCCLVI.* Laudat *Echard Chronican Maylrossense* quod exscripsi supra ad *XXX Mart. MCCXVIII.*

Anno 1234. Die 3 Aprilis. F. Albertus de Boschetis, Nobilis Mutinensis, Provinciæ Lombardiæ, Episcopus Mutinensis, nunc sub Bononiensi, tunc vero sub Archiepiscopo Ravennatensi, in Italia. *Ughellus in Episcop. Mutinen. Annales veteres Mutinensium pag.* 60. Extant *Tomo XI Rerum Italicarum Scriptorum. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCCCVII pag.* 243, *& Monument. Dominican. Parte I Cap. II pag.* 35 *Col. II. Cavalerius Tomo I pag.* 26 *num. LVIII.* Obiit *Albertus Anno MCCLXIV.*

Anno 1235. F. Dominicus Romanæ Provinciæ Alumnus, Episcopus Reatinus in Italia, immediate subjectus Summo Pontifici. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCCCLXXXVII pag.* 277, *& de Provincia Romana pag.* 324. *Cavalerius Tomo I pag.* 16 *num. XXI. Ughellus in Episcop. Reatin.* ubi laudat *Martinum de Ebulo in formulis. Dominicum* nostrum ablegat *Ughellus ad Annum MCCL.*

Anno 1235. F. Jacobus e Castro Arquato, Placentinus, *Ord. Prædicat.*, Episcopus Mantuanus, sub Patriarcha Aquilejensi, sed ab ejus Jurisdictione exemptus. Ita *Fontana in Monument. Dominic. Part. I Cap. II pag.* 37. At *Ughellus* in *Italia Sacra edit. II Tomo I in Episcop. Portuen., & in Episcop. Mantuan.* Jacobum istum Mantuanum Antistitem, Monachum *Cisterciensem* fuisse scribit, & evincit: cum enim Bullæ Pontificiæ, quas exscripsit *Ughellus ibidem*, probent *Jacobum*, cujus hic mentio, eundem esse ac *Jacobum* Cardinalem *Episcopum Portuensem*, & certo certius sit Cardinalem istum *Cisterciensis* Ordinis Alumnum fuisse, liquet profecto *Jacobum* Episcopum *Mantuanum* in numerum *Cisterciensium* Episcoporum ascribendum esse. Ceterum, ne quis erret in nomine, sciendum, *Jacobum* istum alium esse a *Jacobo Placentino*, de quo inferius *in Appendice ad Pontificat. Innocent. IV in Indice Episcopor. An. MCCXLIV.* Ita enim nomine, cognomine, patriaque similes sunt, ut vix internosci queant. Distinguendus insuper *Jacobus* iste a *Jacobo Bononiensi* Ordinis Prædicatorum, qui *Mantuæ* sedit, *Benedicto XI* Summo Pontifice, & a *B. Jacobo de Benefactis* ejusdem Ordinis alumno, quem *Johannes XXII* Episcopum *Mantuanum* creavit Anno MCCCXX.

Anno 1236. Tertio Kalendas Junias, Pontificatus Anno Decimo, Gregorius IX Guilielmo, quondam Mutinensi Episcopo, tunc S. Sedis Apostolicæ Legato, dedit in præceptis, ut tres ex Fratribus Ord. Prædicat. Episcopos constitueret in Prussia. *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXVI num. LXI.* Citat *Epistol. LXXXVIII lib. X. Gregor. IX.*

Anno 1237. F. David MacKellius Episcopus Clonensis, de quo supra in Indice Archiepiscoporum ad Annum MCCXXXVII.

Anno 1238 Die 26 April. F. Ponsa Episcopus Bosnensis. *Bulla* -- Inspirationis -- *Data XXVI April. MCCXXXVIII.*

Anno 1239. F. Elias Robertus Regiensis, Episcopus Brixiensis, sub Archiepiscopo Mediolanen. in Italia. *Ughellus in Episcop. Brixien. Edit. II*, & alii, quos laudavi *superius, ubi de Patriarchis ad Annum MCCXL.*

Anno 1240. F. Meynardus Polonus, S. Hyacinthi comes individuus, Livoniæ primus Episcopus. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXIII num. III, & in Opere, cui Titulus: Propago S. Hyacinthi, seu de Provincia Poloniæ. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. IV pag.* 45. *Cavalerius Tomo I pag.* 12. *num. VII.*

Anno 1240. F. *Alanus o Sullivan Episcopus Clonensis in Hibernia sub Casselensi* (seu Cassiliensi) *Anno MCCXL consecratus. Hanc Ecclesiam octo Annis rexit, inde ad Lismorensem, sub eadem Casselen. translatus Anno MCCXLVIII, at Anno MCCLII Vita functus est.* Hæc *Echard* noster *Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcopor. pag.* 24 *Col. I.*

Anno 1240. F. Gregorius Florentinus Cœnobii S. Mariæ Novellæ Alumnus, Episcopus Fanensis in Italia, S. Sedi Apostolicæ immediate subjectus. *Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Marchiæ Anconitanæ. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 110 *Col. II ad Annum MCCXL. Ughellus in Episcop. Fanen. ex S. Antonino in Histor. Cavalerius Tomo I pag.* 12 *num. VIII.*

F. Rogerius

F. Rogerius Caleagnus Florentinus, Cœnobii S. Mariæ Novellæ Alumnus, Episcopus Castrensis in Hetru- Anno 1240.
ria. Ughellus in Episcop. Castren. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CXLVIII pag. 159. Cavalerius Tomo I pag. 31 num. LXXXI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 388 Col. I ad Annum MCCLXXXII, Aculam, seu Aquependinm, vulgo Aquapendente, translatus est Episcopatus Castrensis.

F. Raymundus Isnardi Provincialis Provinciæ Tolosanæ, primus Episcopus Grassensis in Gallo-Provincia Anno 1240.
sub Ebredunensi Archiepiscopo. Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Provinciæ, quæ tunc una & eadem erat cum Tolosana. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 160 Col. II ad An. MCCLX, Gallia Christiana Auctore Claudio Roberto, Gallia Christiana San-Marthanorum in Episcop. Grassen.

F. Michael Fabra, Episcopus Valentinus in Hispania Tarraconensi. Diago Histor. Comitum Barchinonen. Anno 1240.
lib. III Cap. IX pag. 283, & Histor. Provinc. Aragon. Parte II Cap. XLV. Echard Tomo I De Scriptorib. Ord. in Indice Episcopor. pag. 21 Col. I. Quod Episcopus designatus sit Michael noster, certa res est; num fuerit inauguratus, incertum, ob controversiam Toletanum inter & Tarraconensem Antistites motam, de qua legesis Bullam -- Olim - Datam XIV Jul. MCCXLIII. Obiit Michael Anno MCCXLVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 16 Col. I. Ceterum Surita, Mariana, Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXXVIII num. X, Fontana Monument. Dominican. Part. I Cap. III pag. 42 Col. II, aliique, de quodam Fratre Ferrerio Primo Episcopo Valentino loquuntur; sed nec noster fuit Ferrerius ille, ut ex Diago probat Malvenda Annal. Ord. Prædicat. ad Annum MCCXXXVIII pag. 613 Col. II, nec inunctionem Episcopalem habuit. Hinc Arnaldus de Peralta jure ac merito secundus Præsul Valentinus passim nuncupatur, licet ordine electionis sit quartus: Primus enim electus fuit Ferrerius; Secundus F. Michael Fabra; Tertius F. Berengarius; Quartus Arnaldus de Peralta; Quintus F. Andreas de Albalete. Quæ notata volui, ut nodum solverem, qui jampridem me, & ceteros alligarat.

F. Ægidius Discipulus S. P. Dominici, Episcopus Tolosanus in Occitania. Antonius Senensis Decade Anno 1240.
MCCXL. Johannes Michael Pio de Viris illustrib. Parte II ad An. MCCL. Verum Cavalerius Tomo I pag. 78 num. CCXLVI. mendum irrepsisse, suspicionem habet, & merito; etenim Raymundus noster de Falgario Tolosæ sedit a Die XXI Mart. MCCXXXI ad XIX Octobr. MCCLXX, ut diximus supra. Cavalerii sententiam, quæ omnium calculo probanda videtur, demonstrat Diploma transcribendum inferius, datum Anno MCCLX; in quo sic loquitur Raymundus de Falgario Tolosanus Episcopus. Exultans sanctæ recordationis Fulco Ecclesiæ Tolosanæ Episcopus, cui immediate, licet immeriti & indigni, successimus, cum nos Fratrum Ordinis antedicti FF. Prædicatorum in Provincia Provincialis essemus, ad locum ubi nunc est Ecclesia Fratrum supradicti Ordinis, qui tunc temporis hortus de Garrigiis dicebatur, personaliter accessit & venit. Hæc ille. Porro si Fulconi, quem ab ineunte seculo XIII Tolosanum Episcopum tot Bullæ Pontificiæ probant, Raymundus immediate successerit, & hujusce facti fidem fecerit Raymundus ipse Tolosanus Antistes Anno MCCLX, itane Tolosæ sedit Ægidius Anno MCCXL? Aliunde nullus Ægidius inter hujus ævi Tolosates Episcopos reperire est.

F. Everardus Episcopus Brixiensis, sub Archiepiscopo Mediolanensi in Italia. S. Antoninus III Parte Anno 1240.
Histor. Tit. XXIII Cap. XI. Antonius Senensis Decade MCCXL. Ipsos excipit Cavalerius Tomo I pag. 82 num. CCLVIII, ægre tamen; suspicatur enim Everardum, cujus hic mentio, illum eundem esse, quem inferius Episcopum Cæsenatem dicemus in Appendice ad Pontificatum Gregorii X.

F. Nicolaus Hungarus, Episcopus in Hungaria. Ferrarius de Hungar. Provinc. Castillus apud Fontanam Thea- Circa Annum 1240.
tro Dominicano Parte III Tit. III pag. 504, & Monument. Dominican. Parte I Cap. IV pag. 47 Col. I. Cavalerius Tomo I pag. 12 num. IX. Huic vivo pellis ob Christi fidem crudeliter fuit detracta.

F. Simon Gliso Episcopus Maglonensis sub Archiepiscopo Narbonensi in Occitania. Fontana in Theatro Anno 1241.
Dominicano Parte I Tit. CCCLIX pag. 222. ex Taegio in Monument. Ordinis, & Fernande. Ut verum fatear multum offensionis habet hæc sententia. Primo siquidem Maglonensis Episcopatus, quem a Magalonensi distinguit Fontana, unus & idem semper fuit, ut in confesso est apud ceteros omnes; Magalona enim & Maglona, nunc aquis absorpta, una & eadem civitas erat olim intra Stagna Volcarum, cui Mons-Pessulanus successit. Secundo Johannes a Monte-Lauro Maglonæ sedit ab Anno MCCXXXIV ad MCCXLVII uti liquet ex Instrumentis quæ laudant San-Marthani in Gallia Christiana. Tertio nullus est ex Episcopis Maglonensibus, cui nomen fuerit Simon Glisa, uti videre est ex serie Episcoporum Magalonensium Auctore Petro Gariello, & ex Gallia Christiana. Videtur igitur dicendum, Simonem istum eundem esse ac Simonem de Glisso Episcopum Macloviensem, de quo in Appendice ad Pontificatum Alexandri IV, seu Maglovienſem, ut vocat ipsum Bernardus Guidonis, ex qua forte nomenclatura hallucinatus est Fontana.

F. Johannes Hungarus Episcopus in Hungaria. Fontana in Theatro Dominicano Parte III Tit. IV, pag. 504, Anno 1241.
ex Castillo Parte I lib. II Cap. XII, Ferraria de rebus Hungar. Provinc. Parte I Cap. IX, Plodio lib. I, & Paramo lib. II Tit. I Cap. I. Cavalerius Tomo I pag. 15 num. XVIII. & Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano I Part. Septembr. pag. 62 in Chronolog. Mission.

LEGATI.

Ann. 1227, 1228, 1229 &c. **F.** Gualla Bergomas, de quo sæpius supra, ad Friderieum, seu Federicum II Imperatorem Legatus Anno MCCXXVII. *Bulla* -- Ad ostendendam -- *superius exscripta, Data eodem Anno Die XXII Julii.* Hunc nonnulli *Guillelmum* mendose vocant, ut ibidem dictum est. Apostolici Legati munus, *Gregorio IX* Summo Pontifice, *Guallam* laudabiliter multoties explevisse, certum. Fœdus enim *Patavinos* inter & *Tarvisinos* ipsius hortatu sancitum fuit. A Civitatibus Lombardiæ, *Gualla* dexteritate, *Mediolani* nova fœdera juncta sunt; *Brixiæque Guelphis & Gibellinis* eam pacis compositionem *scripsit*, inquit *Ughellus* in Episcop. Brixien., *qua deliniti visi sunt inposterum ab excidio patriæ, quod hactenus rediviva pertinacia partium ei fuerat minitata, abstinuisse. Multum conatus est, ut Federicus II in gratiam Pontificis rediret.* Consulendi *Sigonius lib. XVII de Regno Italiæ ad An. MCCXXIX, Bzovius, Odoricus, Spondanus in Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXXVII, Cavalerius supra laudatus &c. Bulla* -- Recepimus -- *Data XVII Mart. MCCXXVIII.* Fratrem *Guallam* primum ad *Genuenses*, dein ad *Patavinos*, tandem ad *Germanos* Legatum a *Gregorio IX Carolus* noster autumat in *Anno Dominicano Parte I Septemb. in Præfat. pag.* 34.

Anno 1233. **F.** Johannes Vicentinus, ut *Florentinos*, ac *Senenses*, in pristinam concordiam reduceret, Legatus Anno MCCXXXIII, uti constat ex *Bullis superius exscriptis ad eundem Annum, XXVIII & XXIX April., XXVII & XXVII. Junii &c.* Alia etiam legatione paulo post functus est *Johannes* ad *Paduanos, Veronenses, Brixienses, Mantuanos* &c. missus a *Gregorio IX*, ut pacem redintegraret. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 150 *Col. II ad Annum MCCLVI ex Chronicis Paduanis lib. III Cap. VII, aliisque Auctoribus Coævis*, quos consulas velim.

Anno 1233 Die 18 Maii **F**Ratres Hugo & Petrus Apocrisarii, seu Responsales Legati de quibus in *Bulla* -- Cum juxta -- *Data XVIII Maii MCCXXXIII.* Adeas Auctores laudatos in *Annotationibus ad hanc Bullam*.

Anno 1234. **F.** Robertum, cujus mentio supra in *Bulla* -- Dudum -- *Data XXIII Aug. MCCXXXV*, & alibi sæpius, in numero Legatorum habet *Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano Parte I Septembr. pag. 34 Præfat.* quia unus fuit ex his, quos ad pacem Reges inter Galliarum & Angliæ coagmentandam, & ad Reges illos auxilio Terræ Sanctæ vocandos, delegavit *Gregorius*, uti videre est ex *Bzovio Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIV num. VII*, & ex *Fontana in Monument. Dominican. Parte I Cap. II pag. 34.* Non *Roberto* tantum, sed & Priori nostro *San-Jacobeo* hac de re scripsisse Summum Pontificem, docet *Bzovius* mox laudatus.

Anno 1236. **F.** Johannes a Vvildeshusen Bosnensis Episcopus, de quo supra *in Indice Episcoporum*, S. Sedis Apostolicæ Legatus, ut liquet ex *Bulla* -- Sedi -- *Data XXIII Decembr. MCCXXXVIII*

Anno 1238. **F.** Ponsa Bosnensis Episcopus, de quo in Indice mox laudato, S. Sedis Apostolicæ Legatus. *Bulla* -- Sedi -- *Data XXIII Decembr. MCCXXXVIII.*

Anno 1240. **F.** Algisius, seu Aloysius, Romanus ad Januenses Legatus, *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXL num. II. Carolus a S. Vincentio supra citatus. Fontana de Provincia Romana pag. 335. Theatr. Dominican. Parte II Tit. II pag. 353, & Monument. Dominican. Parte I Cap. III pag. 45.*

Anno 1240. **F**Ratres Hugonem & Socios ad Rusudam Georgiæ Reginam, & ad Davidem ipsius filium, Georgiæ Regem, legavit *Gregorius IX. Bulla* incipit - Vas - *Data XIII Januar. MCCXL.*

COELESTINUS IV

Septemdecim dierum Pontifex successit Gregorio IX. Nullum, quod viderim, Diploma concessit Ordini nostro. Vacavit Sedes usque ad XXIV Junii Anni MCCXLIII.

SEDE

SEDE VACANTE

Fratribus Tolosanis in laudem Ordinis, & Inquisitorum (1), qui Martyrio coronati sunt Avignoneti (2). Anno 1242.

Ex Vitis Fratrum (3) *Lib. V Cap. I.*

Saerum Cardinalium Collegium Fratribus Ordinis Prędicatorum Tolosani Conventus, Salutem, & in Spiritu Sancto Consolationem. I.

NOstis, Fratres in Christo carissimi, quod Ordo Vester in partibus Tolosanis institutus est a Sancto P. Dominico ad virtutes plantandas, ad Fidem defendendam, ad consolandum, & ędificandum Fideles, & ad hęreses extirpandas, ac ceterorum vepres, ac tribulos vitiorum. Et ne vestrę sanctitati possent inferre aliquid maculę infideles, possessionibus, ac ceteris mundi omnibus relegatis, subjecistis spontanee colla vestra voluntarię paupertati: & ad legem, & testimonium magis, ac magis vestros animos convertentes, obtinuistis a Domino vobis dari linguas cęlitus eruditas. At quidam more phreneticorum insanientium in suos medicos spirituales, quod intelleximus cum dolore, horrendam immanitatem in servos Dei Inquisitores, & eorum Socios, & Ministros exercuerunt. Quibus absque dubio non potuerunt tantum officiendo proficere, quam persequendo gladiis profuerunt. Nam per hęc, ut credimus, effecti Sancti Martyres Jesu Christi, cohęrentibus non solum mortis causa, sed tempore, & modo, & circumstantiis universis &c.

Exordium ab encomio Ordinis.

Laudibus efferuntur Inquisitores, & Socii ac Ministri martyres.

1. *Inquisitorum.*) De his in *Dissertatione VI Tomo ultimo*, & in *nota IV ad Diploma datum X Julii MCCXLIII.*
2. *Avignoneti.*) In *Occitania*.
3. *Fratrum.*) Idem leges apud *Maluendam Annal. Ordin. Fratrum Prædicator. ad an. MCCXLII*, aliosque passim Scriptores ejusdem Ordinis.

INNOCENTIUS IV

Patria Genuensis, Familia Fliscus, ex Comitibus Lavaniæ, electus [a] fuit Summus Pontifex VIII Kalendas Julii, seu Die XXIV Junii Anno MCCXLIII, & Die XXIX ejusdem Mensis Coronatus est. Sedit Annos XI, Menses V, Dies XIV. Omnibus Seculis laudatissimus migravit e vita [b] VII Idus, seu Die VII, Mensis Decembris Anno MCCLIV.

(a) Ciaconius, Richardus, Pagius &c.

(b) Alexand. IV Lib. I Epist. I, & II.

Donationem [1] Templi S. Matthæi juxta Consentiam, nobis ab Archiepiscopo factam, confirmat. Anno 1243 Die 9 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 541.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. I.



REligionis vestrę meretur honestas, ut vos speciali diligentes in Domino caritate, Apostolicę Sedis gratia prosequamur; spe nobis proposita, ut Divinis obsequiis tanto diligentius intendatis, quanto propensiori favore vos senseritis confoveri. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus annuentes, Ecclesiam B. Matthęi, sitam juxta Cosentiam, quam bo: me: Archiepiscopus Cosentinus ad mensam suam spectantem, cum domibus, horto, culturis, & omnibus, quæ sunt infra clausuram, in qua ipsa Ecclesia continetur, vinea duntaxat excepta, vobis de licentia fel. rec. Gregorii Papę Prędecessoris nostri, pia, & provida liberalitate concessit, prout in literis super hoc confectis, perspeximus plenius contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus, ac defectum consensus Capituli Cosentini, qui in hoc non intervenisse dignoscitur, supplemus de nostrę plenitudine potestatis. Ad hujusmodi itaque rei perpetuam firmitatem, tenorem literarum ipsarum duximus pręsentibus inserendum, qui talis est. Nos Opizo Dei gratia Cosentinus Archiepiscopus attendentes, quod Fratres Prędicatores sua in peccatis mortuos doctrina vivificant, & Ecclesiam Dei splendore sanctę conversationis illustrant & nolentes, quod commissus nobis populus a tanti boni reddatur participio alienus, eosdem Fratres ad Cosentinam Dięcesim duximus advocandos; Et quia modicum in ipsa proficerent, si certum locum, in quo Domino servirent, non haberent, Ecclesiam B. Matthęi cum domibus, horto, culturis, & omnibus, quę sunt infra clausuram, in qua ipsa Ecclesia continetur, excepta solummodo vinea, quam reservamus Ecclesię Cosentinę, cum alia, quę sunt intra clausuram eandem, ad construendam Ecclesiam, & ad hortum plane sufficere arbitremur, Ordini Fratrum Prędicatorum, & ipsius Ordinis nomine, Fratri Guillelmo de S. Severo Priori dictorum Fratrum in Urbe, in pręsentia Domini (a) Tituli S. Marię trans Tiberim Venerabilis Presbyteri Cardinalis, concedimus, damus, & tradimus, ab eisdem Fratribus perpetuis temporibus obtinendam, & eum de ipsa per Anulum investimus, ingrediendi corporalem possessionem omnium prędictorum, & construendi Ecclesiam, & Domos prędictas, ac juxta beneplacitum ipsorum, seu dispositionem aliam, quam sibi expedire viderint, construendi, liberam eisdem Fratribus concedimus potestatem. In cujus rei testimonium pręsens scriptum sigillorum pręfati Domini Stephani Card.,

Exordium.

Confirmatio.

Instrumentum donationis exscribit.

Encomium Ordinis.

Sanctio pœnalis.

Cardinalis, & nostri fecimus munimine roborari. Actum Romę anno Domini MCCXL, Pontificatus Domini Gregorii Papę IX Anno XIV, II Kalendas Octobris, Indictione XIV. Nulli ergo &c. Nostrę Confirmationis &c. Si quis autem &c. Datum Anagnię VII Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Donationem.*) Legendum *Diploma Datum XXIX Septembris MCCXL.*

2. *Domini.*) *Stephani* nempe Cardinalis, De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad An. MCXCVIII pag. 37, & ad An. MCCXXVII pag. 83 Col. I.*

Anno 1243 Die 10 Julii.

Fratrum nostrorum S. Inquisitionis munus abdicare volentium petitionem explodit (1), ipsis datam provinciam confirmat, & Martyres nostros illustri laude celebrat.

Ex Percino [2] *Monumen. Conventus Tolosani Parte II pag.* 208.

II.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & FF. Inquisitoribus contra hereticos in Provincia (3) constitutis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

INter alia desiderabilia cordis nostri specialius id optamus, & ad illud potissimum dirigimus nostrę intentionis affectum, per quod salus proveniat animarum, & nomen Domini gloriosum plenius collaudetur. Quia igitur non est Deo acceptabile obsequium sine Fide, ad propagationem, & corroborationem ipsius, & Christianę Religionis augmentum, quanta possumus solicitudine, vigilare debemus, & hoc per nos, & alios indefesse verbo, & opere procurare, ut diffundatur per orbem latius cultus Dei, & messe Dominici agri multiplicata, frumentum in cęlestia horrea ulterius inferatur. In iis vos Deus speciales esse voluit adjutores, qui spretis mundi dissoluti blanditiis, sub Religionis arctę rigore in voluntaria paupertate Christo ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare salubria. necnon muniti spirituali pro defensione Fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione dissimilitudinis conversantes ad unitatem Matris Ecclesię revocare, sedula diligentia laboratis. Unde licet dilecti filii Fratres Ordinis vestri, quos ad Sedem Apostolicam destinastis, a Nobis ex parte vestra, ut exoneremus vos ab Inquisitione facienda contra hereticos, cum instantia, multis rationibus postulassent: quia tamen solertiam vestram, in hoc fore novimus plurimum opportunam, petitionem super his non duximus admittendam. Cum igitur in tanti prosecutione negotii tribulationes sustineatis innumeras, & ab iis persecutiones patiamini graves, quorum satagitis curare languores; & sicut per eosdem Fratres intelleximus, aliqui iam Ordinis vestri Fratres Inquisitores in illis partibus deputati, cum eorum Sociis, propter hoc ab ipsis impugnatoribus Fidei Orthodoxę, horribili fuerint crudelitate perempti (4), quos fuso pro Christi nomine sanguine, firmiter credimus Martyrum Collegio sociatos: Nos super his paterno compatientes affectu, & dignas laudes solventes Altissimo, qui vobis gratiam tribuit, suum negotium in tanta constantia prosequendi, devotionem vestram rogamus, monemus, ac hortamur in Domino Jesu Christo, per Apostolica scripta mandantes, quatenus vos, filii Inquisitores, ad ipsius prosecutionem negotii solicite intendentes, in eo juxta formam a bonę memorię Gregorio (5) Papa Prędecessore nostro editam, & a nobis postmodum innovatam (6), & sicut eidem negotio expedire videritis, tam contra hereticos, credentes, & fautores, receptatores, & defensores eorum, quam contra alios ipsi negotio adversantes, neminem pręter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedatis. Tu vero, Prior, de consilio saniorum, & discretorum Fratrum tui Ordinis, in Provincia commorantium, Inquisitores hujusmodi auctoritate nostra removens, transferas, vel eos supersedere facias, aliosque substituas, cum ex causa rationabili videris faciendum. Datum Anagnię VI Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Landibus cumulat Fratres nostros.

Petitionem rejicit cum Ordinis emolumento.

Inquisitores nostros eorumque Socios Fidei causa peremptos affirmat.

Inquisitores hortatur ad perseverantiam.

Provinciali concedit, ut Inquisitores removeat, transferat, substituat &c.

1. *Explodit.*) Cur *Romam* petierint Fratres, ut Sacro Inquisitionis Tribunale sese abdicarent, ex eo vel maxime fuit, quod *Raymundo* Comiti *Tolosano* de omnia nostrorum inclementia sæpius conquerenti, excusationem vellent omnem præcidere. At Fidei triomphum præ oculis habens Christi Vicarius, nec audivit Fratres, nec audiendum voluit Comitem *Tolosanum*, sed provinciam contra hæreticos nostris denuo demandavit. Hinc emendandus *Ludovicus Mainbourg* qui in Calvinismi Historia Nostrates vituperat, quos Pontifex laudat.

2. *Percino.*) Asservatur Autographum in Cœnobio nostro *Carcassonensi*.

3. *Provincia.*) Non *Gallo-provinciam* tantum, sed & *Occitaniam* hoc nomine designari, dicam inferius *ad XVIII Julii*.

4. *Perempti.*) Certe vix aliud ad fidem Martyrii Venerabilium Servorum Dei, de quibus in *Dissertatione VI Tomo ultimo* dicetur, confirmandam, gravius, & firmius argumentum invenitur est, cum Christi Vicarius asseveret, quod *Ordinis* Prædicatorum *Inquisitores cum eorum Sociis PROPTER HOC* (seu Fidei causa) *ab ipsis impugnatoribus Fidei orthodoxa horribili fuerint crudelitate perempti*, & firmiter credat, ipsos Martyrum collegio sociatos fuisse: *quos*, inquit, *fuso pro Christi Nomine Sanguine, firmiter credimus Martyrum collegio sociatos*. Id uno ore clamant quinquaginta & amplius oculati & auriti testes, ac Scriptores tum coætanei, tum recentiores: Ipsique omnis ordinis viri, doctrina & virtute præstantissimi, quorum nonnullos in numerum Sanctorum adscripsit Ecclesia, alii Fidei Censoribus fuerunt infensi, plures, seu critici, licet quicquid potuerunt, alias vocarunt *in* dubium, omnes tamen Venerabilium Servorum Dei memoriam celebrarunt, ipsosque Fidei causa peremptos affirmarunt, uti videre est in *Dissertatione* laudata. Ceterum Miraculorum, quibus Deus Optimus Maximus Martyres suos celebravit, testimonium cunctis iidem tribuent, & in eadem *Dissertatione* omnibus retro seculis, a die Martyrii ad hanc usque, Venerabilibus illis Servis Dei, sicuti veris Christi Martyribus cultum delatum fuisse, demonstrabitur. Hujusce siquidem Martyrii memoriam sic excepere sequentes anni, ut illius fama nunquam sederit. Quænam sit Metropolis Ecclesiæ *Tolosana*, Fratrumque Prædicatorum, & Minorum traditio ex ipsa *Dissertatione* disces. Age, paucis hic audiamus *Avignoneti*, loci nempe Martyrii, incolas. Hæc habent in Instrumento cujus Autographum asservatur *Tolosa*, in Cœnobio Fratrum Prædicatorum. *Anno Domini MDCC, die IV mensis Novembris, Regnante Ludovico Christianissimo Rege Francia & Navarra, in Urbe Avignoneti, Diœcesis Sancti Papuli, & Senescallia Lauragesii, congregati sumus post meridiem Nos....* (Hic Cleri, Consulum, Nobilium ceterorumque nomina inscribuntur) *quibus sic congregatis in Domo communi, præsens stetit Frater Johannes Percin Presbyter Religiosus Ordinis FF. Prædicatorum Conventus Tolosani a suo Superiore commissus, & deputatus, rogans, & supplicans humiliter, ut declararemus Urbis antiquissimam consuetudinem, & morem usitatum circa annuam memoriam Martyrii Fratris Guillelmi, Ordinem FF. Prædicatorum Tolosa professi, & Inquisitoris, ab Albigensibus hæreticis in odium Fidei, & exercitio S. Inquisitionis immaniter trucidati cum Sociis anno MCCXLII, Pridie Ascensionis Domini, ad hoc ut supplicaretur humillime Sancta Sedi, prout a multis seculis expetitur, pro eorum authentica, & canonica declaratione Martyrii, fieretque officium pro tam dignis Fidei Athletis, tanquam Martyribus ab Ecclesia honoratis, & cultis, cui supplicationi libenter annuentes declaravimus, & declaramus omnibus, quibus intererit, ubicunque*

locorum

locorum in judicio & extra, juramusque, fidem facimus, & attestamur, antiquissima, immemoriali, continua, & nunquam interrupta traditione haberi apud nos, sicut a Majoribus nostris audivimus, & illi ab aliis, istique a patribus suis, citato anno MCCXLII Fratrem Guillelmum Arnaldi Inquisitorem ex Ordine FF. Prædicatorum cum Sociis, scilicet Fratre Bernardo de Rupe-forti Presbytero, & Fratre Garcia Fratre laico ambo ex laudato Ordine Prædicatorum, cum duobus Fratribus almi Ordinis Minorum, scilicet Stephano de Narbona, & Raymundo Carbonerii: Raymundo Scriptore, Canonico insignis Ecclesiæ Tolosanæ, & Archidiacono Lezatensi: Bernardo ejus Clerico: Petro Arnaud Notario Inquisitionis; necnon Fortanerio, & Ademario, Nunciis S. Officii; atque Priore Avignonetti Monacho de Clusa Ordinis S. Benedicti, & aliis, ab impiissimis hæreticis Albigensibus in odium Fidei Catholicæ Apostolicæ, & Romanæ esse peremptos. Ubi enim ex speciali mandato Sanctissimi Domini nostri Gregorii Papæ IX officium Sanctum sibi impositum exercebat strenuissimus Inquisitor, cæterique illi manus auxiliatrices præberent, a furentibus hæreticis in Comitis Tolosani, ipsorum patroni, defensoris, ac fautoris Palatium omnes perducti sunt, ad aulam maximam tracti, jubente Urbis & Comitis Bajulo, fortissima & numerosissima militum armatorum manu stipato, congregati ad victimam, sanguine suo primi munus Inquisitionis sanxerunt, Protomartyres officii Sancti. Plurima quidem vulnera omnes exceperant, nec defecerunt, incipiente enim Fratre Inquisitore (Guillelmo Arnaldi) *qui plus omnibus impetebatur, Canticum Te Deum laudamus, cæterisque, ut ut poterant vulnerati, prosequentibus hymnum, cecidit primo Inquisitor in ipsa aula, cæterique victoriosissimo sanguine persusi ad Parochialem Ecclesiam vicinam pergentes, alii quidem in itinere ad terram mortui sunt prostrati, nonnulli autem, idest omnes residui, ad primum Ecclesiæ Sacellum Sanctæ Magdalenæ dicatum, ad lævam introitus dictæ Ecclesiæ occumbentes, paucos versiculos hymni incoepti perfecerunt. Hos secuta est in Ecclesia plurimorum Christianorum indiscreta cædes, quorum numerum, & nomen Deus scit, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, quos rabies Albigensium interemit .... unde facta urbi in opprobrium permansit polluta Ecclesia per integros quadraginta annos, Interdictoque Ecclesiastico subdita ...., quam postmodum .... solemniter consecravit Reverendissimus noster Sancti Papuli Episcopus .... In memoriam autem Martyrum die prima Martis, mensis Junii, qua die recolitur Ecclesiæ Parochialis reconciliatio, fit post primas vesperas solemnis processio, & ad noctis crepusculum ignes per vicos accenduntur, prout accendi solent in festo Nativitatis S. Johannis Baptistæ, plurimaque lumina ad Domorum fenestras conspiciuntur in signum lætitiæ. Fit pariter processio ante Missam Majorem, post cujus Evangelium gestatur Crux erecta per Subdiaconum, quæ præit tertiam Processionem circumdantem locum agonis Martyrum, intraturque per januam, qua e loco Martyrii morientes ipsi in Ecclesiam intrarunt: sequitur armatorum virorum phalanx, ex qua quilibet miles ad offertorium candelam accensam offert Altaris Ministris ad memoriam rei. Tantæ vero multitudinis, nedum Civium, sed remotissimarum Provinciæ Urbium incolarum fit concursus ad plura millia hominum, qui omnes Sacratissimam Virginem & Martyres apud illam Patronos implorant* (Tabula enim Altaris præcipui illius Ecclesiæ repræsentat formam B. Mariæ Virginis, ad cujus dexteram stat F. Guillelmus prædicans, & infra Imaginem Deiparæ in eadem tabella depictus est idem Inquisitor cum sociis Martyrium patiens, uniuscujusque caput radiis exornatur) *ut Festum B. Mariæ Virginis de Miraculis hæc dies nuncupetur, a qua nullus Fide plenus recedit non exauditus. Unde non unum sufficit volumen in folio, seu ad conscribendum Missarum numerum, seu ad posteritati mandanda gratias, immo Miracula per eorum intercessionem, usque ad hocce nostrum ævum continuo patrata. In quorum fidem, & testimonium præsenti scripto contentorum, subscribimus, a Secretario nostro publico Regio & Urbis tabellione suscribi fecimus, & Urbis sigillum apponi, die & Anno quibus supra &c.*

5. *Gregorio.*) *IX.* Cujus formulam plectendi hæreticos exscripsit *Pegna ad calcem Directorii Inquisit. pag. 3.*

6. *Innovatam.*) Ergo ante Diem X *Julii Innocentius IV* Leges in hæreticos a *Gregorio IX* latas hoc Anno confirmarat, Mihi ut *Eymerico* & *Pegnæ* hocce Diploma ignotum.

Priori Albanensi, ut excipere confessiones Hungarorum [1], necnon eis absolutionem, etiam a censuris, impertiri possit, facultatem concedit ad triennium. Anno 1243 Die 13 Julii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 542.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori de Ordine Prędicatorum Albanen. in Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. III.

Exordium.

AD gloriam Conditoris Innocentię, qui Nos, licet immeritos, Ecclesię suę regimini voluit pręsidere. animarum profectui libenter intendimus, ut eis ad cęli patriam, Dei propitiante clementia, fit transitus expeditus. Nos itaque plenam de te in Domino fiduciam obtinentes, ut in curia Reverendissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Hungarię moraturus, fidelium Christi de Hungaria, cum ab eis fueris requisitus, Confessiones audire, ac pęnitentiam injungere salutarem, necnon ut illis ex eisdem fidelibus qui pro damnis illatis Ecclesiis, ac pro injectione manuum in Clericos, & alias religiosas Personas, excommunicatione ligati ad te cum testimonialibus Pręlatorum suorum literis duxerint recurrendum, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię impertiri valeas, ita quod injuriam, ac damna passis satisfaciant competenter, & ad defensionem Fidei contra Tartarorum sęvitiam diligenter insistant, tibi auctoritate pręsentium concedimus facultatem, nisi adeo gravis, & enormia sit eorum excessus, quod merito debeant ad Sedem Apostolicam destinari. Pręsentibus post triennium minime valituris. Datum Anagnię III Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concedit ut supra.

1. *Hungarorum.*) *Belæ* Hungarorum Regi consolatorium Diploma cum dedisset *Gregorius IX*, & ad Crucem in *Tartaros* prædicandam Fratres Ordinis delegasset, uti sæpius est auditum; nunc *Alba-Græca* (urbs est ad Confluentes Savi in Danubium) a *Tartaris* occupata, *Albanensem* Priorem Aulæ erranti assignavit *Innocentius*, ut dolore fractos levaret, & afflictos Sacramentorum adminiculo recrearet.

Duobus Canonicis, & F. Guarnerio Ordinis Prædicatorum pro Causa [1] Toletanum inter & Tarraconensem Archiepiscopos. Anno 1243 Die 14 Julii.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 543.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro P.... de Bajon Toletan., & P.... Alberti Barchinonen. Canonicis, & Fratri P.... Guarnerio Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IV.

Exponit factum.

OLim in causa, quę inter Venerabiles fratres nostros Toletanum, & Tarraconen. Archiepiscopos super ordinationes Ecclesię Valentinę vertitur, Procuratoribus partium, ob hoc apud Sedem Apostolicam constitutis, fel. record. Gregorius (2) Papa, Prędecessor noster, Nos Auditorem concessit, tunc in minori

minori officio constitutos. Verum, quod de causę meritis plene liquere non potuit, mandamus, quatenus testes, quos super articulis, quos tunc vobis (3) sub sigillo nostro transmisimus introclusos, seu contra personas testium prędictorum partes coram Nobis duxerint producendos, infra quatuor menses post vestrę citationis edictum, recipere, ac diligenter examinare curantes, dicta ipsorum ad Nos sub sigillis vestris introclusa remittere procuretis, prefixo partibus termino peremptorio (4) competenti, quo compareant coram Nobis in causa ipsa quantum de jure fuerit processurę. Non obstantibus Constitutionibus de duabus dietis (5) in Concilio Generali, & indulgentia (6) qua Fratribus Prędicatoribus est concessum, ne de causis cognoscere teneantur inviti, quę sibi a Sede Apostolica committuntur. Quod si non omnes &c. Datum Anagnię II Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Ut testes audiantur, mandat.

Derogationes.

1. *Causa.*) Diffidebant inter se *Toletanus*, & *Tarraconensis* Antistites. Cum enim *Valentiam* diu a *Saracenis* occupatam, tandem aliquando sibi subjecisset *Jacobus* Aragonum Rex, illam Civitatem multo jure suam esse, uterque contendebat Archiepiscopus: quæstionem ergo decernens Summus Pontifex, cognitores constituit hocce Diplomate.

2. *Gregorius.*) IX.

3. *Vobis.*) Ergo de hac re jam cognoverant.

4. *Peremptorio.*) Sic Terminus ultimus Vadimonii denuntiationis vocatur.

5. *Dietis.*) *Concil. Lateran. IV Capit. XXXVII.*

6. *Indulgentia.*) De qua supra *ad IX April. MCCXXVIII.*

Anno 1243 Die 15 Julii.

Facultatem concedit animadvertendi in Apostatas (1) Ordinis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 545.

V.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum in Provincia constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Libenter illas petitiones ad gratiam exauditionis admittimus, quę ut corrigantur vitia, & salus proveniat animarum porrigi dignoscuntur. Hinc est, quod vestris supplicationibus inclinati, vobis capiendi, ligandi, mancipandi carceri, & alias subdendi disciplinę rigori per vos ipsos, & alios Clericos, si necesse fuerit, Apostatas vestri Ordinis de Provincia, & de aliis partibus illuc accedentes, in quocunque habitu eos inveniri contigerit, auctoritate presentium liberam concedimus facultatem. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio.

1. *Apostatas.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo XI.*

Anno 1243 Die 15 Julii.

Archiepiscopo Viennensi [1] ut sententiæ, in Apostatas ab Ordine latæ, serventur.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 544.

VI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Viennensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ex parte dilecti filii Prioris Provincialis Fratrum Prędicatorum Provincię Nobis extitit supplicatum, ut excommunicationum sententias, quas in Apostatas sui Ordinis idem Prior, vel Provinciale Capitulum, vel reliqui Priores Conventuales Provincię, exigente justitia, protulerunt, vel duxerint proferendas, robur faceremus debitum firmitatis habere. Cum igitur dignum sit, ut quos Dei timor a malo non revocat, rigor coerceat ecclesiasticę disciplinę, mandamus, quatenus sententias ipsas, sicut rationabiliter sunt, vel fuerint promulgatę, auctoritate nostra, secundum judicii stepitum usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, facias inviolabiliter observari. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Viennensi.*) In *Delphinatu.* Legendum præcedens Diploma.

Anno 1243 Die 18 Julii.

Inhibet, ne in locis hæreseos suspectis, contra Rhodanum sitis, in Provincia [1] Fratribus Prædicatoribus Provinciæ limitata, promulgentur Interdicti sententiæ.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 543.

VII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Electo Avenionensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Quia, sicut accepimus, ex eo quod interdum pro unius, vel aliquorum delicto generales ab Ecclesia in Terram, vel Civitates, aut Villas Interdicti sententię proferuntur, heretici, & alii Ecclesię ipsius ęmuli eam jaculis detractionis impetunt, asserentes quod proprium in hac parte commodum, non profectum respiciat animarum, interdicendo Ecclesiastica Sacramenta, presentium auctoritate firmiter inhibemus, ne in locis suspectis, aut infamatis de heresi contra Rhodanum, in Provincia Fratribus Prędicatoribus Provincię per suum Ordinem limitata, hujusmodi sententię ab aliquibus ecclesiasticis judicibus, Ordinariis, vel etiam delegatis promulgentur, nisi forsitan ad hoc urgeat publica malitia, vel communis, & pertinax contumacia Villę alicujus, Castri, seu cujuspiam Civitatis. Quocirca mandamus, quatenus, si contra inhibitionem nostram tales sententias proferri contigerit, eas auctoritate nostra denunties non valere, & contra tenorem hujusmodi jam prolatas, omni contradictione, & appellatione cessante, provide studeas revocare; Cum in magnum vergant periculum animarum, & Ecclesiasticorum Sacramentorum irreverentiam, & contemptum. Circa Principes vero, & Potestates, Consiliarios, Judices, Officia-

Inhibet ut supra.

Officiales,& alios quorum consilio,& auxilio mala fient, rigor alius poterit Ecclesiasticus exerceri. Datum Anagniç XV Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

5. *Provincia*.) A *Gallo-provincia* inclusive ad *Lemovicum* usque, *Baionam*, & *Perpinianum*, pertinebat hæc Provincia;

Episcopo Carcassonensi (1), ne quis in Provincia (2), Nostratibus limitata ultra Rhodanum, sententias Interdicti ferat. Anno 1243 Die 18 Julii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 544.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Carcassonensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VIII.

QUia, sicut accepimus &c.(3). De heresi ultra Rhodanum &c.(4) Datum Anagniç XV Kalend.Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Carcassonensi*.) In *Occitania*.
2. *Provincia*.) Dixi ad Præcedens Diploma.
3. *Accepimus &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc usque verba: *Aut infamatis de heresi*.
4. *Rhodanum &c.*) Ut ibidem ad finem usque.

Munere Visitatoris &c. & cura Monialium levat Fratres nostros. Anno 1243 Die 3 Septemb.

Ex Archivo (1) Ordinis;

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IX.

INspirationis &c. [2]. Datum Anagniç III Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobiis nostris *Tolosano*, *Cremonensi*, *Senarum*, *Mediolanensi*, & *Claromontano*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Inspirationis &c.*)Ut superius *XXV Octob. MCCXXXIX.*

Facultas celebrandi supra Altare portatile. Anno 1243 Die 4 Septembr.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. X.

POstulastis &c. (2). Datum Anagniç II Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo exemplar. Autographum tenent Conventus *S. Eustorgii Mediolanensis*, *S. Dominici Senarum*, *S. Romani Lucensis*, & *Tolosanus*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Postulastis &c.*) Ut supra *ad VI Maii MCCXXI.*

Magistro Ordinis, & Fratribus, ut obedientia & reverentia exhibenda Diœcesanis Episcopis, sit salvis institutionibus Ordinis. Anno 1243 Die 4 Septembr.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XI.

NE pro eo quod &c. (2). Datum Anagniç II Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo Autographum. In Cœnobiis vero *Parisiensi*, *Bononiensi*, *Mediolanensi*, *Florentino*, *Claromontano &c.* aliud asservatur ejusdem tenoris *Datum Die XXI Martii*, seu *XII Kalend. Apriles*, *Innocentii IV Anno Primo*. Istud exscripsere *Usuardi pag.16*, & *Castellanus pag.10*. Autographum *Tolosanum* Datum fertur *III Nonas Septembres Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Ne pro eo quod &c.*) Ut supra *ad XXVIII Novembris An. MCCXXXIV.*

Domus nostras Conventuales esse decernit. Anno 1243 Die 5 Septembr.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XII.

CUm tanquam veri &c. (2). Datum Anagniç Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobiis *Bononiensi*, & *Tolosano*. Aliud est insuper ejusdem tenoris *Roma* in Archivo Ordinis, *Datum Kalendis Junii Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*, Christi *MCCXLIV*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Veri &c.*) Ut superius *IX April. MCCXXVIII.*

Anno 1243 Die 5 Septembr.

Magistro, & Prioribus, ut ascribendos Ordini a Censuris solvere (1) possint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AUctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut si contigerit, aliquos Ordinis vestri Religionem intrare volentes &c. (3). Datum Anagnię Nonis Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Solvere.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar: cujus Autographum est in Cœnobiis *Bononiensi*, & *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Volentes &c.*) Ut supra *XVIII Iunii Anno MCCXXVII.*

Anno 1243 Die 23 Septembris.

Provinciali Germaniæ, ut Fratres Crucem prædicent (1) ad Livoniæ, Prussiæque subsidium.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 545.

XIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Alemannia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUi justis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi, quanto Deus hujusmodi pręferendus esse dignoscitur; & omnis sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum, sicut relatu fide dignorum percipimus exultantes, conditor omnium in Livonię, ac Prussię partibus, dilectorum filiorum Fratrum Hospitalis S. Marię Teutonicorum (2), Jerosolymitan. (3), ac aliorum fidelium triumphanti dextera faciente, sit multipliciter exaltatus, & spes sit, quod ibidem magis, ac magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi suę partium earundem favorem, quem in ipso possumus, impendentes opportunum, illi per devotos Ecclesię subsidium procuremus; Devotionem tuam rogamus, & hortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes, quatenus Priores, & Fratres tui Ordinis constitutos in Magdeburgen. (4), & Bremen. (5), Provinciis, Ratisponen. (6), Patavien. (7), Alberstaten. (8), Hildesheimien. (9), & Verden. (10) Dięcesibus, hujusmodi negotio, quacunque postposita difficultate, deputare studeas, & eosdem attentius exhortari, quod, assumpto Sanctę prędicationis officio propter Deum, fideles dictarum Provinciarum, & Dięcesum ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit, & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quę tribuit ipse illis, piis exhortationibus, secundum datam sibi a Deo prudentiam studeant informare diligenter, & solicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros Christianos & Catholicos cadere debent opprobria exprobrantium Christo, se viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandos proximos de manibus Paganorum, profecturi, & acturi secundum Fratrum consilia prędictorum, ita quod, & ipsis premium debeatur ęternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de Provinciis, & Dięcesibus memoratis, qui Crucis signaculo in Livonię, & Prussię subsidium insigniti, propter paupertatem, seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a voto Crucis absolvant, dummodo de bonis suis, juxta proprias facultates, congruam subventionem exhibeant per manus eorundem Fratrum in idem subsidium convertendam. Nos enim, ut quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur effectu facili compleatur, omnes dictarum Provinciarum, & Dięcesum, in succursum eorundem fidelium, suscepto propter hoc Crucis signaculo, processuros, necnon eorum familias, & bona omnia, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione, & defensione Sedis Apostolicę admittentes, illis, & aliis qui juxta facultatem, & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonię, vel Prussię de bonis propriis congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, illam Indulgentiam, idemque Privilegium elargimur, quę transeuntibus, & subvenientibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Pręterea, ut pręfatum negotium quo principalibus contigerit juvari remediis, eo prosperitatis optatę suscipiat incrementum, Prioribus, & Fratribus, per te supradicto negotio deputandis, pręsentium auctoritate concedimus, quod illis earundem Provinciarum, & Dięcesum, qui ad eorum solemnem Prędicationem accesserint, viginti dies de injuncta pęnitentia relaxare, ac eorum singulis illuc, sumpto propter hoc Crucis charactere, processuris, qui pro incendiis, & injectione manuum in Clericos, vel alias Religiosas Personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię valeant impertiri, proviso, ut passis damna, & injurias, satisfaciant competenter, illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles, & enormes, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Anagnię IX Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut est dictum.

In clientelam Sedis Apostolicæ recipit omnes Crucesignatos, eisque Indulgentiam elargitur.

Facultas absolvendi Crucesignatos.

1. *Prædicent.*) Ut cœptæ victoriæ latius proferrentur, & Divina dextera triumphante, *Tartarorum* gens effeta conteri posset, *Livonia*, *Prussia*que validis auxiliis erant confirmandæ. Quapropter Fratres nostros ad prædicandam Crucem in *Tartaros* delegit *Innocentius*.
2. *Teutonicorum.*) De quibus supra in *Diplomate Dato XIII Septembr. MCCXXX.*
3. *Jerosolymitan.*) Qui nunc Equites *Melitenses*.
4. *Magdeburgen.*) In *Saxonia* inferiori.
5. *Bremen.*) In *Saxonia*.
6. *Ratisponen.*) Aliis *Ratisbonen.* in *Bavaria*.
7. *Patavien.*) Vulgo *Passavv.* Inter Ducatum *Bavariæ* ad Occasum, & *Austriam* superiorem ad Ortum.
8. *Alberstaten.*) Seu *Halberstadiensi* in *Saxonia*.
9. *Hildesheimien.*) In *Saxonia*.
10. *Verden.*) Vulgo *Ferden* in *Saxonia* inferiori.

Ex

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 547.

Anno 1243 Die 23 Septembr.

EOdem (1) modo Priori Provinciali Fratrum Ord. Prędicatorum in Polonia, per Regnum (2) Bohemiæ, Poloniam, & Pomeraniam. XV.

1. *Eodem.*) Seu iisdem verbis, mutatis tamen mutandis, eadem die Diploma dedit Pontifex ad F. *Henricum*, socium Sancti *Hyacinthi*, per id tempus *Poloniæ* Provincialem.

2. *Per Regnum.*) Num hæc dicta sint, quia per Regnum *Bohemiæ*, ac per *Poloniam* & *Pomeraniam* Provincialis Poloniæ tunc erat constitutus, an vero quia mandavit Pontifex, ut ad Regnum *Bohemiæ*, ad *Poloniam*, & *Pomeraniam* Provincialis ille Fratres mitteret, qui prædicarent Crucem; prudens judicet lector.

Ex eodem libro ibidem.

EOdem (1) modo Priori Provinciali Fratrum Ord. Prędicatorum in Dacia, per Regna Dacię (2), Suecię (3), & Norvvegię (4). XVI.

1. *Eodem.*) Quæ mox de literis ad Provincialem *Polonię* datis diximus, de istis dicta teue; Eadem quippe difficultas.

2. *Dacia.*) *Transilvaniam*, *Moldaviam* & *Valachiam* complectitur.

3. *Suecia.*) Sub qua sunt triginta quinque Provinciæ: Vide *Baudrand Lexicon Geographicum*.

4. *Norvvegiæ.*) In qua sunt quinque Provinciæ, Consulas eundem Auctorem.

Ex eodem lib. A. ibidem,

Priori (1), & Fratribus Ordinis Prędicat. Magdeburgen.

QUi iustis &c. (2) Injungentes, quatenus in Magdeburgen., Havelbergen. (3) Civitatibus & Dięcesibus, Halberstaten., & Verden. Dięcesibus, assumpto sanctę Prędicationis officio, propter Deum fideles constitutos in illis &c. incrementum prędicationis vestrę auctoritate concedimus, quod illis, earundem Civitatum & Dięcesum, qui ad solennem &c. XVII.

1. *Priori.*) Non Provincialibus tantum, sed & nonnullis Prioribus de prædicanda Cruce scripsit *Innocentius*; maturato etenim opus erat, ut currerent omnes subsidio, & maximum periculum fuisset in mora. Ceterum hæc eadem, de qua supra, ubi de Diplomate ad Provincialem *Poloniæ*, sermo erat, difficultas occurret in his quæ sequuntur.

2. *Justis &c.*) Quæ hic desiderantur, habes in *Const. XIV.*

3. *Havelbergen.*) In Marchia *Brandeburgica*.

Ex eodem lib. A. ibidem (1).

EOdem modo eisdem (2) Hildesheimien., per Hildesheimien. Civitatem & Dięcesim. XVIII.

1. *Ibidem.*) In libro illo A. eo loci habes tcaidem verbis quæ statim usque ad Constitutionem XXXI sequuntur, missis plane constitutionibus ipsis, ne inutiliter repeterentur.

2. *Eisdem.*) Seu *Priori, & Fratribus Ordinis*,

EOdem modo eisdem Bremen., per Bremen., & Verden. Civitates, & Dięceses. XIX.

EOdem modo eisdem Viennen. (1), per Patavien. Civitatem & Dięcesim. XX.

1. *Viennen.*) In *Austria*.

EOdem modo eisdem Halberstaten., per Halberstaten. (1) Civitatem & Dięcesim; XXI.

1. *Halberstaten.*) Quas hic non habes, ex superioribus mutua, Geographicas annotationes.

EOdem (1) modo eisdem Luppicen. (2), Mersburgen. (3), per Mersburgen. & Numburgen. (4) Civitates & Dięceses, Magdeburgen., Halberstaten. & Misnen. (5) Dięceses. XXII.

1. *Eodem.*) Obscura nimis & ambigua est hæc inscriptio ex Amanuensis incuria.

2. *Luppicen.*) Licet *Luppia*, vulgo *Lippe*, sit Urbs *Vvestphaliæ*, legerem tamen *Lipsien.*, vulgo *Leypzig in Misnia*.

3. *Mersburgen.*) Seu *Merseburgen.* Episcopatus *Germaniæ* in *Misnia*.

4. *Numburgen.*) Seu *Naumburgen.* in *Misnia*.

5. *Misnen.*) In *Saxonia* superiori.

EOdem modo eisdem Hamburgen. (1), Tremon. (2) Dięcesis, per Tremon., Raceburgen. (3), & Verden. Dięceses. XXIII.

1. *Hamburgen.*) In *Saxonia* inferiori. Ceterum tam longe dissitum est *Hamburgum* a *Tremonia*, ut ejusdem Dioeceseos hæc loca fuisse, vix crediderim. Legendum ergo videtur *Arensbergen.* Urbs est *Vvestphaliæ* sex Milliaribus a *Tremonia* distans. Vel legesis *Duisburgen.* Est in Ducatu *Cliviensi* prope *Tremoniam*.

2. *Tremon.*) In *Vvestphalia*.

3. *Raceburgen.*) In *Saxonia* inferiori.

EOdem modo eisdem Ratisponen. (1), per Ratisponen. Civitatem & Dięcesim. XXIV.

1. *Ratisponen.*) In *Bavaria* inferiori.

EOdem modo eisdem Lubecen. (1), per Lubecen.; Raceburgen., Svverinen. (2) Civitates & Dięceses, & Verden. Dięcesim. XXV.

1. *Lubecen.*) In *Saxonia* inferiori.

2. *Svverinen.*) In *Saxonia* inferiori.

XXVI. EOdem modo eisdem Olomucen. (1), & Brunen. (2) Olomucen. Diœcesi, per Olomucen. Civitatem & Diœcesim.

1. *Olomucen.*) In *Moravia*. 2. *Brunen.*) In eadem Provincia.

XXVII. EOdem modo eisdem Pragen. (1), per Pragen. Civitatem & Diœcesim.

1. *Pragen.*) In *Bohemia*.

XXVIII. EOdem modo eisdem Fribergen. (1), per Misnen. Civitatem ac Diœcesim, & Numburgen. Diœcesim.

1. *Fribergen.*) In *Franconia*.

XXIX. EOdem modo eisdem Cracovien. (1), per Cracovien. Civitatem & Diœcesim.

1. *Cracovien.*) In *Polonia*.

XXX. EOdem modo eisdem Vvratislavien. (1), per Vvratislavien. Civitatem & Diœcesim.

1. *Vvratislavien.*) In *Silesia*.

XXXI. EOdem modo eisdem De Vvisbu (1) Lingacopen. (2) Diœcesis per Gothlandiam.

1. *De Vvisbu.*) *Vvisbuensis*, seu *Visbuensis*, Civitas est in *Gothlandia*, insula Maris *Baltici*.
2. *Lingacopen.*) seu *Lincopensis* Diœcesis in *Suecia* sub Archiepiscopo *Upsaliensi*. Ex his unum disce, quàm longe fines suos protulerat Ordo Prædicatorum recens confirmatus.

Anno 1243 Die 11 Octobr.

Fratribus nostris, ut in terris excommunicatorum degere, & ab eis ad victum necessaria rogare queant.

Ex Bullario (1) Usufmaris pag. 22.

XXXII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Ordinis Prędicatorum presentes literas iospecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VObis extremsm &c. (2). Datum Anagnię V Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Bullario.*) Habes Autographum in Cœnobiis *Mediolanensi*, *Neapolitano*, *Florentino*, *Remensi*, *Senarum*, & *Claromontano*. Aliud asservatur *Tolosæ Datum V Idus Septembres, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Extremam &c.*) Ut supra *XX Junii MCCXLI.*

Anno 1243 Die 12 Octobr.

Episcopo Salmanticensi (1), Electo Conimbricensi (2), necnon Priori nostro Ulyssipponensi (3), ut inquirant (4) in electionem & nominationem Ulyssipponensis Episcopi.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 548.

XXXIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Episcopo Salmanticensi, Electo Conimbricensi, & dilecto filio Fratri Garcię (5) Priori Fratrum Prędicatorum Ulixbooen., Salutem, & Apostolicam Benedictiooem.

Exordium factum exponit.

SUa nobis dilect: fil: Capitulum Ulixbonen. Ecclesię petitione monet, quod, cum olim Ecclesia ipsa Pastoris solatio destituta, vocatis omnibus, qui debebant, volebant, & commode poterant interesse, ad eligendum certa die in capitulo convenissent, tandem Decano, & Thesaurario ejusdem Ecclesię providendi sibi de Pastore, potestatem unanimiter contulerunt; qui habentes Deum prę oculis, Spiritus Sancti gratia invocata, R... Cantorem ejusdem Ecclesię, in minoribus Ordinibus constitutum, postulandum in Ulixbonen. Episcopum elegerunt; atque venerabili fratri nostro Compostellan. (6) Archiepiscopo loci Metropolitan. per Nuntium, & literas intimantes, ad Apostolicam Sedem, a qua ipsum postulare volebant, ne quid in prejudicium postulationis hujusmodi attentari contingeret, appellarunt. Cumque postmodum dictus Archiepiscopus, asserens, dictam Ecclesiam tanto tempore vacavisse, quod ad eum erat ipsius provisio devoluta, mandasset eisdem, ut coram ipso, prefixo eis ad hoc peremptorio (7) termino, comparerent, illum in Episcopum recepturi, de quo ipsis deceret providendum; iidem attendentes, quod hujusmodi mandato parere minime tenebantur, cum infra tempus a Jure concessum postulationem celebrassent eandem, quam etiam subscriptionibus, & sigillis propriis roboratam, antequam idem Archiepiscopus citasset eosdem, prędictę Sedi transmiserant pręsentandam, ne in elusionem Sedis ipsius, cujus super hoc arbitrium expectabatur, ac eorum, & Ecclesię suę prejudicium super premissis aliquid attentaret, per literas, & Procuratores idoneos prefato Archiepiscopo humiliter supplicavere. At, appellatione contempta, idem Archiepiscopus pro

suę

suę voluntatis arbitrio, spretis Canonicis ipsius Ecclesię, cum principales in ea essent idonei, de quibus ipsi Ecclesię utiliter poterat provideri, & ad quos juxta statuta Concilii Generalis primum debuerat oculos direxisse, si ad eum fuisset providendi devoluta potestas; Spretis etiam aliis de Diœcesi Ulixbonen., & de Regno Portugallię, de quodam extraneo Archidiacono familiari suo eidem Ecclesię quantum fuit in ipso, providit; propter quod a dicto Capitulo tertio extitit appellatum. Quare humiliter petierunt a nobis, ut super iis prędictę Ecclesię providere paterna solicitudine curaremus. Cum igitur instantia nostra quotidiana sit Ecclesiarum omnium solicitudo continua, mandamus, quatenus, Apostolica indulgentia Fratribus Indulta Prędicatoribus, per quam a causarum agitationibus eximuntur, & Constitutione de duplici Dieta edita in Concilio (8) Generali nequaquam obstantibus, vocatis, qui fuerint evocandi, & inquisita super premissa deliberatione veritate, negotium ad nos plene instructum cum Actis & munimentis omnibus, vestris sigillis signatis, remittere procuretis, pręfigentes Partibus terminum competentem, quo per se, vel per Procuratorem idoneum nostro se conspectui repręsentent. Testes &c. Quod si non omnes &c. Duo vestrum &c. Datum Anagnię IV Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Salmanticen.*) In *Hispania*.
2. *Conimbricen.*) In *Lusitania*.
3. *Ulyssipponen.*) In eodem Regno.
4. *Inquirant*.) Factum cum omnibus adjunctis in Diplomate legitur.
5. *F. Garcia*.) Cui cognomen *De Vulcos*. De quo *Sacrum Diarium Ordinis Prædicatorum ad Diem XX Februar.*
6. *Compostellano.*) *Ulyssipponensis* enim Ecclesia, *Ulixbonen.* in Bullis Pontificiis olim nuncupata, a *Bonifacio IX* Archiepiscopalis postmodum effecta, erat adhuc sub *Compostellana*, quæ est primana *Gallaciæ*.
7. *Peremptorio.*) Id est ultimo. *Can. VI, XXIV quæst. III.* Consulendus *Gonzales in lib. I Decretal. Tit. XXIX De Officio & Potestat.* &c. *Cap. XXIV.*
8. *Concilio.*) *Lateran. IV Cap. XXXVII.*

Leges a Friderico (1) in hæreticos (2), eorumque conscios latas, quas exscribit in hoc Diplomate, jubet observari.

Anno 1243 Die 31 Octobr.

Ex Arch. (3) Ord. lib. A. fol. 785.

XXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, Conciliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum Lombardię (4), Marchię Taruisinę, ac Romaniolę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm adversus hęreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator promulgaverit quasdam leges, per quas, ne pervagetur, compesci poterit pestis illa: Nos illas volentes ad robur Fidei, ac salutem Fidelium observari, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus insertos pręsentibus, faciatis singuli in vestris Capitularibus (5) annotari contra hęreticos Sectę cujuslibet, secundum eas exacta diligentia processuri: Alioquin dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Tarvisina, & Romaniola literis nostris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Mandat ut supra.

Tenores autem Legum hi sunt.

Leges Inscribit.

Fridericus Dei Gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus, Jerusalem, & Sicilię Rex, dilectis Principibus suis, venerabilibus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Pręlatis Ecclesiarum, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Potestatibus, Sculteris (6), Burgaviis (7), Advocatis, Judicibus, Ministerialibus (8), Officialibus, & omnibus per totum Imperium constitutis, pręsentes literas inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam, & omne bonum.

Exordium.

Commissi nobis cęlitus cura regiminis, & Imperialis, cui, dante Domino, pręsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a Sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes Fidei, & in exterminium hęreticę pravitatis exigunt exerendum, ut perfidię vipereos filios contra Deum, & Ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores in judicio, & justitia persequamur, maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundus inficitur, & gregi Fidelium per oves morbidas gravior infligitur corruptela. Statuimus itaque sancientes, ut hęretici, quocunque nomine censeantur, ubicunque per Imperium damnati fuerint ab Ecclesia, & seculari judicio assignati, animadversione debita puniantur (9). Si qui vero de prędictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis, redire voluerint ad Fidei unitatem, juxta Canonicas Sanctiones ad agendum pęnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur. Pręterea quicunque hęretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis Imperii per Inquisitores, ab Apostolica Sede datos, & alios Orthodoxę Fidei zelatores, hi, qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum, & aliorum catholicorum virorum insinuationem, eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui Fidei Sacramenta & vitę damnabant. Simili quoque pęna plecti censemus omnes, quos, ad fovendum (10) hęreticorum errorem, callidus hostis suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores; maxime cum facinus quos inquinat, ęquat: nisi monitione pręmissa destiterint, & eorum vitę duxerint consulendum. Eos pręterea, qui convicti in uno loco de hęresi ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus hęreticę pravitatis, debitam censemus subire vindictam, ut super hoc, per viros ab eodem errore conversos ad Fidem, necnon & per alios, qui eos de hęresi convicerunt, quod & in hoc casu concedimus licite faciendum, evidens testimonium habeatur. Item mortis sententię ducimus addicendos, si quos hęreticorum ad judicium tractos, in extremę vitę periculo hęresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit, & Fide mentita convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam [11]: ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, & pęnam debitam mendacium non evadat. Omne insuper proclamationis [12], & appellationis beneficium ab hęreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitus amovemus; volentes, ut de finibus Imperii, in quibus semper debet existere fida Fides, hęreticę labis genimina modis omnibus deleantur. Ceterum, quia quanto majora Divinę nutu miserationis accepimus, & altiorem locum pre filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis, conferenti:

Damnati ab Ecclesia Magistratui assignentur puniendi. Deprehensi in hæresi, si ad Ecclesiæ unitatem redeant, perpetuo carceri mancipentur.

Hæretici Inquisitoribus tradantur & arcto carceri mancipentur, donec capite luant.

Fautores eorundem eandem pœnam dabunt.

Transfugæ severe puniantur.

Simulantes conversionem ad Fidem, Relapsi morte plectantur.

Appellatio eisdem denegatur.

Si

Eorum posteri omnibus officiis, & beneficiis privantur ad secundam usque generationem. Revelantes liberantur a poenis. Commendat Fratres nostros.

Si quando igitur in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit auctoritas: Si reos lęsę majestatis, in personis eorum, & liberorum suorum exhęredatione damnamus; multo fortius justiusque contra Dei blasphematores nominis, & Catholicę Fidei detractores provocamur: eorundem hęreticorum, receptatorum, fautorum, & advocatorum suorum hęredes, & posteros, usque ad secundam progeniem[13], beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis, & honoribus Imperiali Auctoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabescant: vere scientes, quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter ulciscens. Nec quidem a misericordię finibus duximus excludendum, ut si qui paternę heresis non sequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint; quacunque reatus illorum animadversione plectantur, prędictę punitioni non subjaceat innocentia filiorum. Ad hęc notum fieri volumus, Fratres Prędicatores[14], de Ordine Prędicatorum, pro Fidei negotio in partibus Imperii nostri, contra hęreticos deputatos: ceteros quoque, qui ad hęreticos judicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab Imperio fuerint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri Imperii speciali defensione receptos: & quos apud omnes sub ope, ac recommendatione fidelium Imperii esse volumus inoffensos: universitati vestrę mandantes, quatenus quocunque, & apud quemcunque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem, & personas ab incursu hęreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hęreticos vero, quos & ostenderint ipsi vobis, in jurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post ecclesiasticę damnationis judicium, pęnam subeant, quam merentur. Scituri, quod in executione ipsius negotii, gratum Deo, & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii novam, & insolitam hereticę pravitatis infamiam, opem, & operam, una cum eisdem Fratribus prętiteritis efficacem. Et si quis foret exinde negligens, & remissus, ac etiam inutilis coram Domino, & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere. Datum Paduę XXII Februarii, XII Indictione[15].

Hæretici ubique capiantur, & custodia diligenti detineantur.

Fridericus Dei Gratia, &c.

Adversus hæreticos, omnes præsertim Patarenos invehitur.

Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hęretici, & vocabuli vitio servientes, quod significationem divisionis enuntiat, in ipsius indivisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem, & oves a Petri custodia, cui pascendę a Pastore bono sunt creditę, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo usque mansuetudinem prętendentes ovium, quo usque ovile possint subintrare Dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, a patre nequitię & fraudis auctore, ad animas simplices dellinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus evomere: ut vitę cibum ministrare se simulent, a cauda feriunt: & mortis poculum, velut quoddam dirissimum venenum immiscent. Horum Sectę veteribus, vel ne in publicum prodeant, non sunt notatę nominibus, vel, quod est forte nefandius, non contentę, ut vel ab Ario[16] Ariani, vel a Nestorio[17], Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur; Sed in exemplum Martyrum, qui pro Fide Catholica martyria subierunt, Patarenos[18] se nominant, velut expositos passioni. Hujusmodi miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas Divinitatis ęternę, sub uno contextu nequitię insimul tres offendunt: Deum videlicet, proximos, & seipsos. Deum, dum Dei Fidem, & Filium non agnoscunt; decipiunt proximos, dum ipsis sub spe spiritualis alimonię hęreticę pravitatis oblectamenta ministrant, crudelius etiam sęviunt in seipsos, dum post animarum dispendium, corpora denique severę mortis illecebris, quam per agnitionem veram, & verę Fidei possent evadere, vitę prodigi, & necis improvidi sectatores, involvunt: &, quod est ipso dictu dirissimum, superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales sibi, Deo, & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitę ultionis in eos gladium exeramus: tanto ipsos instantius persequentes, quanto in evidentiorem delusionem Fidei Christianę, prope Romanam Ecclesiam, quę caput Ecclesiarum omnium judicatur, superstitionis suę scelera latius exercere noscuntur. Adeo quod ab Italię finibus, prętertim a partibus Lombardię, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, jam usque ad Regnum nostrum Sicilię, suę perfidię rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen hęreseos, & damnatę sectę cujuslibet, quocunque nomine censeantur, Sectatores, prout veteribus legibus[19] est indictum, inter publica crimina numerentur, immo crimine lęsę majestatis nostrę debet ab omnibus horribilius judicari, quod in Divinę Majestatis injuriam noscitur attentatum, quamvis judicii potestate alterum alteri non excellat: Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit damnatorum, & bona; & damnat post obitum memoriam defunctorum, sic & in prędicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus observari. Et ut ipsorum nequitia, qui, quia Dominum non sequuntur, in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, investigari volumus diligenter hujusmodi scelerum patratores, & per Officiales nostros, sicut & alios, malefactores inquiri, ac Inquisitione notatos, etsi levis superstitionis argumento tangantur, a viris Ecclesiasticis, & Prętatis examinari jubemus; Per quos, si inventi fuerint a Fide Catholica saltem in articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosi diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepta instantia perseverent, pręsentis nostrę legis edicto damnatos, mortem pati Patarenos, aliosque hęreticos quocunque nomine censeantur, decernimus, quam affectant, ut vivi in conspectu hominum comburantur[20], flammarum commissi judicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pęnam solummodo, nec fructum alium consequuntur erroris. Apud nos pro talibus nemo intervenire pręsumat; quod qui fecerit, in ipsum nostrę indignationis aculeos non immerito convertemus. Datum Padue XXII Februarii, XII Indictione.

Ecclesia Romana Caput omnium Ecclesiarum. Hæreseos crimen crimine læsæ Majestatis horribilius. Omnibus bonis hæretici privantur &c. Indurati comburendi. Patrocinium hæreticis denegandum.

Imperator Fridericus semper Augustus &c.

Patarenorum fautores, publicatis bonis omnibus, relegantur. Filii ipsorum honoribus privantur. Indicans Patarenum pristinæ famæ restituitur.

Patarenorum receptatores[21], & complices, & quocunque modo fautores, qui, ut a pęna alios possint eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus; Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum hujusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidia manifeste probatur, in Fidei premium, quam agnovit, famę pristinę de imperiali clementia, restitutionis beneficium in integrum consequatur.

In-

Incipiunt Capitula Constitutionis contra Patarenos edita per Dominum Fridericum, illustrem virum, Romanorum Imperatorem semper Augustum, Jerusalem, & Siciliç Regem.

Catharos [22], Patarenos, Speronistas [23], Leonistas [24], Arnaldistas [25]. Circumcisos [26], Passaginos [27], Josepinos [28], Caratenses [29], Albanenses [30], Franciscos [31], Bagnarolos [32], Commixtos [33], Vvaldenses [34], Roncarolos [35], Communellos [36], Varinos [37], & Ortholenos [38], cum illis de Aqua-nigra [39], & omnes hçreticos utriusque Sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus [40], atque bannimus; censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur; ita quod filii eorum ad successionem pervenire non possint, cum longe sit gravius çternam, quam temporalem offendere Majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione [41] notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiç, juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personç, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames, & banniti ab omnibus habeantur, ita quod si per annum permanserint, ex tunc eos sicut hçreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut Potestates, & Consules, seu Rectores, quibuscunque fungantur officiis, pro defensione Fidei prçstent publicum juramentum, quod de terris suç ditioni subjectis, universos hçreticos, ab Ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt; ita quod amodo quandocunque quis fuerit, in perpetuam Potestatem, vel temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum juramento firmare; alioquin neque pro Potestatibus, neque pro Consulibus, seu consimilibus habeantur: eorumque Sententias ex tunc decernimus inutiles, & inanes. Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hçretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hçreticis, absque ulla contradictione possideant, & in Fidei puritate conservent: Salvo jure Domini temporalis: dummodo super hoc nullum prçstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat: eadem nihilominus lege servata, contra eos, qui non habent Dominos principales. Credentes [42] prçterea, receptatores, defensores, & fautores hçreticorum bannimus: statuentes, ut si, postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra Annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis, & ad publica officia, seu consilia, vel ad aliquos eligendos hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hçreditatis successionem accedat. Nullus ei prçterea super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causç aliquç ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, ejus instrumenta confecta per manum ipsius, nullius penitus sint momenti. Adjicimus insuper, quod hçreticus per hçreticum convinci possit; & quod Domus Patarenorum, receptatorum, & defensorum, & fautorum, sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur nullo tempore restituendç. Datum Paduç XXII Februarii, XII Indictione.

Hæretici perpetuæ infamiæ damnantur; & bonis privantur etiam ipsorum filii.

Suspecti puniantur.

Magistratus pro defensione Fidei juramentum præstent.

Fautorum, & receptatorum pœnæ.

Rex Regum. Apostatantes a Fide Catholica penitus execramus, insequimur ultionibus, bonis suis omnibus spoliamus: Et ut a Professione, vel vita naufragantes legibus coarctamus: Successiones tollimus, ab eis omne jus legitimum abdicamus. Datum Perusii pridie Kal. Novembris, Pontificatus [43] nostri Anno Primo.

Lex in Apostatas.

1. *Friderico.*) II. Qui toties Catholicorum offensionem subiit, non semel excommunicatus. In gratiam S. Sedis Apostolicæ restitutum, has Leges promulgasse, ipsius sermo, Annus inscriptus, & ejusdem ad *Honorium* literæ probant. Sermo, qui Fidem vindicat; Annus, quo se tota mente in Orientem profectioni paraodæ incumbere significavit *Fridericus Honorio*; Literas vide apud *Odoric. Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad Ann. MCCXXIV num. IV* &c.

2. *Hæreticos.*) Omnes, & eos præcipue, de quibus infra.

3. *Archivo.*) Illud idem exscripsere *Pegna ad calcem Directorii Inquisitor. pag. 16. Cherubin. Bullar. Roman. Tomo I in Innocent. IV num. I.* &c.

4. *Lombardiæ.*) In *libro A.* sic legitur hæc Inscriptio: *Potestatibus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, & aliorum locorum Italiæ.*

5. *Capitularibus.*) Libris, nempe, in quibus statuta continentur.

6. *Scultetis.*) Idest *Prætoribus, Præfectis, Balliviis*; ex *Teutonica* voce *Scholtaiss.*

7. *Burgaviis.*) Seu *Burgraviis*, id est *Burgi*, Pagi scilicet, Comitibus, ex *Germanico Burg* pagus, & *Grave* Comes. Sic vocantur Præfecti, & Judices alicujus præsidii, & arcis.

8. *Ministerialibus.*) Idest Pro-Judicibus.

9. *Puniantur.*) Consulendum *Directorium Inquisitor. III Part. Commentar. LXXXV in XXXVI. quæst. pag. 608.*

10. *Fovendum.*) Ibidem de hac materia *II Part. quæst. LIII pag. 396.* &c. Legendum etiam *Concil. Narbonen. An. MCCXXXV Cap. XIV Tom. XI pag. 487. Edition. Labbei.*

11. *Recidivam.*) De his *Director. Inquisitor. Part. II quæst. LVIII Commentar. LXXXIII pag. 415.* &c.

12. *Proclamationis.*) Ibidem De *Proclamatione & Appellatione Part. III quæst. CXVII pag. 731.* &c.

13. *Progeniem.*) Cum per paternam, tum etiam per maternam lineam sit hujusce pœnæ propagatio: *Primum & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus; per maternam vero ad primum duntaxat volumus hoc extendi,* inquit Caput *Statutum: De Hæretic. lib. VI.*

14. *Prædicatores.*) Ergo ante Annum MCCXXIV Fratres nostri constituti erant Inquisitores. Maximi momenti hæc Nota. De qua fusius in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

15. *Indictione XII.*) Fuit hæc Indictio Anno MCCXXIV, quo Leges istæ latæ sunt *Patavii Die XXII Februar.* Non ergo ascribendus *Annus MCCXXV*, uti *Bzovius* autumat.

16. *Ario.*) Quis fuerit impius ille nemo nescit.

17. *Nestorio.* Qui Seculo V teterrimam invexit hæresim in *Ephesina* Synodo damnatam.

18. *Patarenos.*) Unde sic dicti fuerint docet Diploma. Hinc non audiendi qui *Patarenos* a *Paterno* Romano hæretico nuncupatos scripsere.

19. *Legibus.*) Vide *Cod. Lib. I Tit. V, a Lege I ad IX* exclusive, & a *Lege XI ad XXII* inclusive. Quo tempore lata sit unaquæque Lex, ne longum sit, silentio prætermitto; sed notet velim, ab anno CCCXXVI, quo prima ex his Legibus, *Constantino* Augusto & *Constantio* Consulibus, instituta fuit, ad Annum circiter DXXXII, quo *Justinianus* scripsit vigesimam secundam, gravissimas pœnas, etiam capitis, Imperatores in hæreticos decrevisse. Quid actum sit postea, paucis dicam Annotatione sequenti. Notandum secundo: Leges mox laudatas tanta cum cura, & diligentia sancitas fuisse, ut auctores ipsarum sigillatim meditati sint, & indixerint pœnas, quas de hæreticis nunc exigit Sacrum Inquisitionis tribunal. Hinc videas nuperrimi cujusdam scriptoris Angli sagacitatem, qui ut odium gentis suæ concitet in Summos Pontifices, Fideique Censores, totis nervis admititur ad probandum, paucis abhinc seculis Romanos Antistites auctores primosque parentes fuisse pœnarum, quas persolvunt hæretici. Quid audis lector? Quid istud ænigmatis est? Agedum, & ut supremus actus addatur fabulæ, probet ille, Summos Pontifices, vel Inquisitores paucis abhinc seculis has posuisse Leges: *Manichæus in loco Romano degere deprehensus, caput amputator.* L. XI. *Manichæi undique expelluntor, & capite puniuntor.* L. XX. Dic, sodes, hic ne stilus Pontificiorum Diplomatum? Hinc Notandum Tertio, quod, licet Sacrum Inquisitionis Tribunal mitioribus pœnis, jam e prioribus Ecclesiæ seculis constitutis, hæreticos afficiat, nunquam tamen petit in ipsos capitis, seu mortis pœnam: civilis enim Magistratus istam semper decernit, & irrogat.

20. *Comburantur.*) Nec nova disciplina, refert enim *Petrus Siculus*, IX seculi Scriptor, *Histor. Manichæor. Tomo XVI novæ Biblioth. Patrum pag. 760. Col. II*, Anno DCLXXXV *Justinianum juniorem*, Augustum, Manichæos flammis extinxisse.

Scribit *Glaber Rodulphus Cluniacensis* Monachus *lib. II Histor. Cap. XII, Tomo IV Scriptor. Francicor. Duchesnii pag.* 22, Anno M. *Vilgardum Grammaticum*, ipsiusque hæreseos sectatores *Ravennæ* combustos fuisse. Testis oculatus est idem *lib. III Cap. VIII*, jussu *Roberti* Regis Francorum *Aureliis* Anno MXVII Manichæos igne consumptos esse. Hoc eodem Anno *Tolosæ* hæreticos ignis pœna multatos, legitur in *Fragmentis Historiæ Aquitanicæ* apud *Duchesnium* mox laudatum *pag.* 81. Anno MCXVIII *Alexius* Imperator *Basilium* hæresis *Bongomilorum* parentem *Constantinopoli* flammis devorandum tradidit. Auctor est *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad An. MCXVIII num.XII.* Teste *Vuillelmo Neubrigensi*, scriptore coætaneo, *lib. I Cap. XIX*, Anno MCXLVIII discipuli hæresiarchæ *Eon* igne in *Galliis* perierunt. Ceteros mitto, quorum justa damnatio omnium sermone percrebuit; ut tamen hujus ævi hæreticorum, feritate catholicos insimulantium, os obstruatur; Notandum, quod *Calvinus* ipse, cum in consilium adhibuisset Helvetios *Tigurí* (Zurich), *Bernæ*, *Scaphusiæ*, *Basileæque*, die XXVII Octobris MDLIII *Michaelem Servet*, de errore damnatum, vivum addixit ignis supplicio. Cum autem de hoc agendi modo querela esset; utraque manu adfuit *Calvinus*, expostulantium improbitatem retudit, factique rationem probavit librum divulgans, quo demonstrat hæreticos morte puniendos. Ceterum licet ut fumi umbram sic floccifaciam *Calvini* placita, domesticum tamen in hæreticos evocasse testem, non abs re sit.

21. *Receptatores.*) Sic a *receptando* vocantur illi qui non solum semel, aut bis, sed frequenter hæreticos excipiunt, qui enim raro, hi, Receptores a *recipiendo* dicuntur. *Director. Inquisitor. Part. II quæst. LI pag.* 191.

22. *Catharos.*) *Albigensium*, vel, ut aliis placet, *Vualdensium* Asseclæ, sic ironice dicti a *Græca* voce Καθαρὸς, id est *Mundus*, cum potius *Immundi* nuncupandi essent, ut de prioribus *Catharis* ajebat *Augustinus*. Legendus noster *Raynerius Tomo XXV Bibliotheca Patrum ad XIII Seculum*.

23. *Speronistas.*) A *Sperono Vualdi* discipulo sic vocatos docet *August. Thuanus Tomo I pag.* 514. Consulendus etiam noster *Stephanus De Borbone*, qui XIII seculo erat Fidei Censor: extat apud *Echard in Summa vindicata pag.* 540.

24. *Leonistas.*) Sic ab Urbe *Lugdunensi*, quæ a *Gallis Lion*, & ab aliis plerisque *Leon* appellatur, vocati sunt *Vualdenses*, unde *Raynerius* noster, seculi XIII Scriptor, librum sic inscripsit: *Summa De Catharis & Leonistis, sive pauperibus De Lugduno*, uti videre est apud *Echard De Scriptorib. Ord. Tomo I ad an. MCCLVIII. pag.* 154.

25. *Arnaldistas.*) Quibus nomen dedit *Arnaldus Brixiensis*, Discipulus *Petri Abælardi*, cujus errores recenset *Otto Frisingensis lib. II De gestis Friderici Cap. XX.* De eodem *S. Bernard. Epist. CCXCVI.*

26. *Circumcisos.*) Turpissimi & fœdidissimi, qui ab Umbilico & infra, inquit *Percinus Opuscul. de hæresi Albigens. Part. I Cap. XIV pag.* 14. *num. VIII.*, sese impeccabiles dictitabant.

27. *Passaginos.*) *Vualdensium* Sectatores, sic denominati a Transitu de una ad aliam Provinciam; *Transitus* enim Gallice dicitur *Passage*, Italice *Passaggio*. Consulendus *Bonacursus lib. De vitiis hæreticor. pag.* 75. &c.

28. *Josepinos.*) Nomen indidit istis *Josephus* quidam, unus ex primoribus asseclis *Vualdi*. Nec audiendi qui *Jossapinos* dictos esse scripserunt.

29. *Caratenses.*) Seu *Carracenses* a *Carrazo*, ut habet *Percinus supra laudatus pag.* 15. *num. X.*

30. *Albanenses.*) *Catharorum* Secta, ut videre est apud *Raynerium Tomo XXV Biblioth. Patrum pag.* 269. *Sunt autem XVI Omnes Ecclesiæ Catharorum ... quorum nomina sunt hæc: Ecclesia Albanensis, vel de Sesano .... Ecclesia Bagnolensium, sive de Bagnolo .... Ecclesia Franciæ.* Hæc *Raynerius*, qui *Capite VI pag.* 267. De propriis opinionibus *Albanensium* disserit, & ex his notitia sequentium comparanda.

31. *Franciscos.*) *Catharos* nempe *Franciæ*, ut ex *Raynerio* mox audivimus. Nec ambigo, *Galli* siquidem, seu *Franci*, passim *Francisci* alias nuncupati fuere. Consulendus *Ducange in Glossario*.

32. *Bagnarolos.*) A *Bagnolo*, territorii *Nemausensis* pago.

33. *Commixtos.*) *Qui non distinguebant in sexu*, inquit *Raynerius*.

34. *Vualdenses.*) *Petri Vualdi*, seu *Vualdensis*, impii Sectatores. Anno circiter MCLIX *Lugduni* hæc hæresis orta est, a variis Conciliis postea damnata. Index errorum *Vualdensium* habetur *Tomo XXV Bibliotheca Patrum pag.* 307. &c.

35. *Roncarolos.*) Seu *Runcarios*, ut proprio nomine signat ipsos *Lucas Tudensis*, qui de *Origine, propagatione, multiplicatione* &c. *Vualdensium* scripsit sedente *Gregorio IX.* Idem censet *Raynerius*, qui *Runcariorum* errores refert *Cap. VI. Hæretici vocantur*, inquit *pag.* 272. *Col. II, quidam ex loco, ut Runcurii a Villa*.

36. *Communellos.*) Qui *Communiati* nuncupantur a *Raynerio*, quia, inquit, omnibus omnia communia esse contendebant.

37. *Varinos.*) A *Varia*, vico *Sabinorum* ad *Anienem* Fluvium.

38. *Orthenelos.*) Seu *Tortolanos qui semel in Anno, & in Cœna solum* (SS. Sacramentum Altaris) *posse confici, dicunt, a Magistro eorum solo perfecto; qui Tortellum faciunt, de quo ab eo Communicantur.* Sæpe citatus *Raynerius*.

39. *De Aqua-nigra.*) A *Lombardiæ* oppido, nomen ipsis impositum. Situm est in Diœcesi *Cremonensi*.

40. *Diffidamus.*) Idest, hostes & inimicos nostros esse denuntiamus.

41. *Suspicione.*) Videas *Emericum Director. Inquisit. Part. II quæst. LV pag.* 401. &c.

42. *Credentes.*) *Credentes hæreticorum dicebantur illi, qui seculariter viventes, licet ad vitam perfectorum hæreticorum imitandam non pertingerent, in Fide tamen illorum se salvari posse sperabant. Divisi siquidem erant in vivendi modo, sed in Fide, & Infidelitate uniti erant. Qui dicebantur Credentes hæreticorum, dediti erant usuris, rapinis, homicidiis, & carnis illecebris, perjuriis, & perversitatibus universis.* Verba sunt *Petri Vallium-Cernai Histor. Albigensium Cap. II apud Duchesnium Scriptor. Francicor. Tomo V pag.* 556.

43. *Pontificatus.*) Idem Diploma *Anno XI Pontificatus Innocentii IV* renovatum fuit, ut Auctores concilies. Vide infra *ad XX Maii An. MCCLIV.*

Anno 1243 Die 12 Decembr.

Fidei Censoribus, ut pœnam, qua utentur in hæreticos nisi præstituto tempore resipiscant, sponte ad deponendos errores comparentibus remittant, & condonent.

Ex Archivo (1) Ordinis lib. A. fol.549.

XXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Inquisitoribus hæreticorum in Provincia Narbonen., & in Partibus Albigen., ac in toto Regno Franciæ constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

INter cetera, quæ Nobis incumbunt, nostra quotidiana instantia existit, ut ad propagationem Orthodoxæ Fidei totis affectibus intendamus. Volentes igitur iis, qui pravitatis hereticæ vitio sunt infecti, omnem occasionem auferre, quominus ad lumen veræ Fidei sine moræ dispendio revertantur, præsentium vobis (2) auctoritate mandamus, quatenus in singulis locis, ad quæ vos causa Inquisitionis hujusmodi pervenire contigerit, omnes hereticos, vel credentes, seu quocunque alio nomine censeantur, qui non condemnati, neque convicti, vel in jure confessi, sed sua spontanea voluntate redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, auctoritate nostra recipiatis, nulla eis pena imposita publica, vel privata, ecclesiastica, seu mundana: idque faciatis per eadem loca, statim cum ad ipsa veneritis, publice nunciari; præfigentes in singulis locis terminum competentem, infra quem redire debeant, si fuerit eis divinitus inspiratum. Si vero post hujusmodi terminum tales fuerint in eodem vitio deprehensi, contra ipsos, utpote salutis propriæ contemptores, asperius, prout expedire videritis, procedatis, invocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachii secularia. Datum Lateran. II Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) Idem habet *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCXLIII. num. XXVI.* De *sponte venientibus* differit *Eymericus Director. Inquisit. III Parte num. LVIII &c. pag.* 439. &c.

2. *Vobis.*) Desideratur apud *Odoricum*.

F. Hugoni

F. Hugoni (1), ut Abbas de Secusia (2) solvatur a scrupulis, sin interdicatur.

Anno 1243 Die 13 Decembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 550.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Hugoni Priori Provinciali (3) Fratrum Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVI.

HIs libenter annuimus, quę salutem respiciunt animarum, cum ipsis nil carius habeamus. Sane, sicut lecta coram nobis dilecti filii Abbatis Monasterii de Secusia Taurinen. Diœcesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, petitio continebat, ex quibusdam habens conscientiam scrupulosam distulit hactenus in Presbyterum promoveri. Unde cum ad pręsens nequeat, propter viarum pericula, & guerrarum discrimina, Apostolicam Sedem adire, nobis humiliter supplicavit, ut administrandi in spiritualibus, & temporalibus, juxta sui Ordinis observantiam, licentiam de benignitate Sedis Apostolicę largiremur. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus auditis, & plenius intellectis, quę super iis tibi voluerit confiteri, nisi tibi constiterit, ipsum graviter, & enormiter excessisse, auctoritate nostra, sibi, quousque ad Apostolicam Sedem accedere secure valeat, tribuas licentiam postulatam. Si vero gravia, & enormis excessus fuerit ipsius, interdicas. Datum Lateran. Idibus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Secusia.*) In *Pedemontio*,
3. *Provinciali.*) Notes, hoc Anno MCCXLIII, Die XIII Decemb. *Hugonem* nostrum Provincialem fuisse *Franciæ*: qua uno nonnullorum, qui *Hugonem* Anno MCCXXXI Cardinalem renunciatum scripsere, exploditur sententia.

Suppriori Parisiensi, ut ab excommunicatione Comitem Flandriæ absolvat [1].

Anno 1244 Die 13 Januarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 550.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Suppriori Ord. Fratrum Prędicatorum Parisiensium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVII.

ILlum ad dilectum filium Nobilem Virum J..... Comitem Flandrię gerimus sinceritatis affectum, ut ipsius petitiones, quem prerogativa favoris prosequimur & gratię specialis, exaudiamus libenter, & benignius admittamus. Cum igitur, sicut ex parte ipsius Comitis fuit propositum coram nobis, idem olim contra quosdam inimicos suos, non tanquam devotos Ecclesię, cum Hentio hostiliter processisset, graves vindicaturus offensas quę illatę sibi fuerant ab eisdem, dilectus filius G.... de Montelongo Subdiaconus, & Notarius noster, Apostolicę Sedis Legatus, occasione duntaxat hujusmodi, sicut fertur, excommunicationis in eum sententiam promulgavit. Quare nobis humiliter supplicavit, ut ipsum absolvi a pręfata excommunicationis sententia per discretos aliquos mandaremus. Nos igitur corde puriori quęrentes, quę ipsius personę statum respiciunt, & honorem, mandamus, quatenus eidem impendas absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię, vice nostra. Nos enim volumus, & mandamus, literas, quas prędictus Comes impetravit a nobis, vires obtinere debitas, excommunicatione hujusmodi non obstante. Datum Lateran. Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Narrat factum. Mandatum.

1. *Absolvat.*) *Hentius Friderici* Secundi Nothus, *Sardiniæ* Rex, & *Johannes* Comes *Flandriæ*, ob *Mediolanensium* regioni illatam depopulationem, execratione devincti erant a *Gregorio* e *Montelongo* Legato S. Sedis. Id ægre ferens Comes *Flandriæ*, & in se reversus, de culpa se purgavit apud Pontificem, quapropter Suppriori *San-Jacobeo* scribit *Innocentius*, ut absolvat eum.

Magistro (1) Ordinis, ut rite electus, hoc ipso plenam habeat in totum Ordinem potestatem, & Fratres auctoritate sua ligare ac solvere possit.

Anno 1244 Die 17 Januar.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo quondam Bosnen., Magistro, & dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVIII.

INter alia, quibus ex injuncto nobis officio Apostolatus intendimus, Religionis sacrę specialiter desiderantes augmentum, & Ordinem vestrum prerogativa favoris & gratię non immerito prosequentes, cum a suę institutionis exordio laudabilibus continue profecerit incrementis, ipsius Ordinis cultum affectione plena diligimus, & cupimus votivis semper in Domino successibus ampliari, eidem Ordini solicite curantes in hiis, quę salubria sibi, & opportuna cognoscimus providere. Cum itaque, sicut nobis exponere curavistis, tu Frater Episcope ac Magister, & Prędecessores tui, juxta ejusdem Ordinis consuetudinem observatam hactenus, & a Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prędicti constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, Magisterii officium plene, ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote, ac humiliter obedierint, & intenderint reverenter, & in eodem Ordine sit statutum, ut Magister (3) ipsius, qui pro tempore fuerit, a Magisterii officio amoveri valeat a Diffinitoribus (4) Capituli Generalis; Nos volentes omnem ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum a Sede (5) approbatum eadem, honestate floridum, preclarum scientia,

Exordium a laude Ordinis. Ex Ordinis consuetudine Magister Generalis rite electus Officium hoc ipso plene exercet. Quid Definitores Generalis Capituli possint.

Ordinis encomium. Nota verba. Decernit ut supra.

ſcientia, & virtute fervidum, privilegio Apoſtolicę gratię attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut ſucceſſores tui, Magiſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi ſecundum Conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis effecti Magiſtri, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare ac ſolvere valeant; necnon in eodem agere Ordine, quę ipſi, & prefati Deffinitores juxta memoratas Conſtitutiones eiſdem Ordini, & Fratribus ſecundum Deum viderint expedire, aliaſque Magiſterii Officium licite in omnibus exercere: iidemque Fratres tibi, Magiſter, & ſucceſſoribus ipſis devote, ac humiliter obediant, & intendant, & prefati ſucceſſores, & tu Magiſter a Deffinitoribus Capituli Generalis ipſius Ordinis, ſecundum Ordinis Conſtitutiones ejuſdem abſolvi, & amoveri poſſitis, auctoritate preſentium, habentes ratum, & firmum quicquid ſuper premiſſis, per te, Magiſter, dictoſque Predeceſſores Fratres, & Deffinitores factum & obſervatum eſt hactenus, conceſſa tibi exequendi Magiſterii officium, quoad premiſſa omnia, & alia, libera facultate, de Fratrum noſtrorum conſilio indulgemus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Lateran. XVI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Auctoritatem abſolvendi Magiſtrum confirmat Definitoribus Generalis Capituli. Sanctio pœnalis.

1. *Magiſtro.*) Is erat F. *Johannes Teutonicus* a Generali Capitulo *Pariſiis* Anno MCCXLI Feria II Pentecoſtes, Die nempe XX Maii (nam Paſcha fuit Kalendis Aprilis) Magiſter Generalis electus. De eo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Extat etiam in Cœnobiis noſtris *Mediolanenſi*, *Lucenſi*, ac *Tranenſi*. Illud exſcripſerunt F. *Uſuſmaris pag.* 14, & alii quam plures. Aſſervatur inſuper *Romæ* in Archivo Ordinis aliud Autographum ejuſdem tenoris, *Datum Laterani V Kalend. Apriles, Die nempe XXVIII Martii, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum ſericis filis appenditur.

3. *Magiſter.*) De cujus auctoritate legendæ Conſtitutiones Ord. noſtri *Diſtinct. II Cap. IV.*

4. *Deffinitoribus.*) De iſtis ibidem *Diſt. II Cap. VI.*

5. *Sede.*) *Uſuſmaris* appingit *Apoſtolica*; verum in utroque Autographo deſideratur.

Anno 1244 Die 21 Januar.

Magiſtro & Fratribus noſtris, ut non poſſint conveniri (1) per literas Apoſtolicas, quæ de hac indulgentia, & de Ordine mentionem non fecerint.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 555.

XXXIX.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & univerſis Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis. Indulget ut ſupra. Sanctio pœnalis.

Cum jam per ejus gratiam, qui, quę mundus abominatur, aſſumit, veſtri titulus Ordinis adeo ſit inſignis, quod vix creditur, ab iis, qui contra vos literas impetrant, ſine malitia ſubticeri; Nos & illorum obviare fraudibus, & veſtram innocentiam favorabiliter confovere volentes, auctoritate Apoſtolica preſentium tenore indulgemus, ut nequeatis per literas Apoſtolicas conveniri, quę de hac Indulgentia, & veſtro non fecerint Ordine mentionem. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis &c. Datum Lateran. XII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conveniri.*) Conſule *Tractat. de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Titulo V.*

2. *Archivo.*) Habes Autographum in Cœnobiis noſtris *S. Euſtorgii Mediolanen.*, *S. Romani Lucen.*, *S. Dominici Senarum*, & *Claromontano*. Adeas *Uſuſmarem pag.* 15. Aliud vero Autographum ejuſdem tenoris, *Datum Kalendis Februar. Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*, Conventus *Toloſanus* tenet. Plumbum ſericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 21 Januar.

Cavet, ne Fratres ab Ordine diſcedant.

Ex Archivo [1] Ordinis.

XL.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum paupertatem &c. (2). Datum Laterani XII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Extat etiam in Cœnobiis *S. Catharinæ Barchinonen.*, *Toloſano*, & *S. Dominici Senarum*. Habes exemplar *lib. A. fol.* 554. Plumbum ſericis filis appenditur.

2. *Paupertatem &c.*) Ut ſupra *XXV Maii MCCXXVII.*

Anno 1244 Die 3 Februar.

Magiſtro, Prioribus, & Fratribus Ordinis, ne quis noſtrum ad pecuniam colligendam [1] cogi poſſit.

Ex Archivo [2] Ordinis lib. A. fol. 553.

XLI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, ac Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Fratrum.

Veſtra ſemper in amore virtutum delectatur humilitas, & cuncta ſolicite refugit, quę ſibi aliquod famę, vel conſcientię illatura diſpendium pertimeſcit. Ob hoc enim, ſicut accepimus, quod a nullo veſtrum alicujus ſpecialis loci, vel perſonę pretextu verbum exhortationis de colligenda pecunia proponatur in Ordine veſtro, laudabiliter ſtatuiſtis (3); pie cogitantes, & provide, quod dum ſimpliciter ab iis immunes vivitis, ad veſtram, & proximorum ſalutem Predicationis officium liberius exercetur. Nos itaque vota ſalubria benignis affectibus proſequi delectantes, quod nullus ex vobis per literas Apoſtolicas de

de cetero impetrandas, seu de mandato alicujus ad pecuniam colligendam cogi possit invitus, nisi ipsę literę de hac indulgentia plenam fecerint mentionem, vobis auctoritate pręsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lateran. III Non. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo. Concedit ut supra.

1. *Colligendam.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) Autographa tenent Conventus *Mediolanensis, Tolosanus, Lucensis, Remensis, Bergomensis, & Claromontanus.* Illud idem Diploma exscripsit *Ususmaris pag. 25.* Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Statuistis.*) In Capitulo Generali *Parisiis* celebrato *Anno MCCXXXIX Die XV Maii, Ordinatione XIII.*

Magistro (1), & Fratribus, ne decimas ex hortis & virgultis nostris aliquis percipiat, & ut domesticis nostris Sacramenta administrare, eosdemque in nostris Cœmeteriis sepelire possimus.

Anno 1244 Die 3 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 552.

XLII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUi Deum tota mente diligitis, & animarum profectui continua diligentia desudatis, debetis ad condignam gratiam experiri promptam & facilem Sedis Apostolicę pietatem. Cum igitur humilitas vestra sibi de latitudine orbis terrę, nihil pręter domos & hortos, cum virgultis, pręmiorum obtentu cęlestium, duxerit reservandum; Nos pie volentes, quod illorum fructus integre vestrę paupertatis usibus applicentur, ut de hortis & virgultis vestris, nullus a vobis Decimas exigere, vel extorquere prę sumat, auctoritate pręsentium districtius inhibemus. Ceterum, ut his, qui vestris immorantur obsequiis, divinę intuitu pietatis, quod in salutem animarum vertitur de vestris manibus assequantur, vobis de speciali gratia indulgemus, ut eis libere, cuncta ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta; & eosdem, cum decedunt, in vestris cęmeteriis sepelire. Nulli ergo &c. Datum Lateran. III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium in laudem Ordinis.
Decernit ut supra.
Sanctio pœnalis.

1. *Magistro.*) De his in *Tractatu De Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulis VII, IX, & X.*
2. *Archivo.*) Autographum invenies in Cœnobiis nostris *Mediolanensi, Tolosano, Lucensi, & Senarum.* Adeas etiam *Ususmarem pag. 23.* Plumbum sericis filis appenditur.

Ut Moniales [1] Monasterii S. Sixti de Urbe sub cura [2] Magistri Ordinis, & Provincialis Tusciæ perseverent.

Anno 1244 Die 3 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 556.

XLIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Monialibus Sancti Sixti de Urbe, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CVm vos inclusę in claustralibus castris, mente tamen libera devote Domino famulantes, Institutiones Ordinis Fratrum Prędicatorum hactenus laudabiliter duxeritis observandas, volumus, & pręsentium auctoritate statuimus, ut sub Magisterio, & doctrina Magistri, & Provincialis Prioris Tuscię (3) dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis: Ipsique Magister & Prior vobis de Fratribus suis in Monasterio vestro sufficientes deputent Fratres, tam Clericos, quam Conversos, & Priorem discretum, & providum ibidem restituant residentem, qui vos, & eos verbo instruat, & exemplo, & corrigat etiam delinquentes, sicut tempore B. Dominici, & Fratrum Jordani, & Raymundi ejusdem Ordinis Magistrorum fieri consuevit; iidemque Fratres prędicti Ordinis beneficiis, & privilegiis, sicut Fratres alii dicti Ordinis libere potiantur, ac eadem, qua vos, omnino gaudeant libertate. Nulli ergo &c. nostrę Constitutionis &c. Datum Lateran. III Non. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Statuit ut supra.

1. *Moniales.*) De quibus supra ad *XVII Decembr. MCCXIX.*
2. *Cura.*) Huc refer illud *Humberti* in Chronicis. *Sub regimine* (F. Johannis Teutonici) *multum laboratum est in Curia, quo Ordo exoneraretur a cura Sororum ... At voluit Pontifex, quod illa, quæ sub cura Ordinis jam erant, remanerent in suo statu.*
3. *Tuscia*) Nunc Provincialis *Lombardiæ* Monasterio Sanctorum *Dominici*, & *Sixti* præest.

Facultatem dat (1) Sacra celebrandi tempore Interdicti.

Anno 1244 Die 4 Februarii.

Ex Archivo [2] Ordinis.

XLIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VObis, assidue regnum Dei quęrentibus, id a Sede Apostolica digne conceditur, per quod spirituale gaudium vestris cordibus oriatur. Nos itaque vestrę precibus devotionis inducti pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut cum ad loca perveneritis Ecclesiastico suppositа Interdicto, Divina in Ecclesiis, in quibus illa ex indulto Sedis Apostolicę celebrantur, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, clausis januis, & voce submissa celebrare possitis, nisi contingat id vobis specialiter interdici. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lateran. II Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio.
Sanctio pœnalis.

1. *Dat.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo X.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Illud exscripsit *Ususmaris pag.26*. Est etiam in *libro A. fol.553*. Aliud Autographum asservatur *Tolosæ*, *Datum Laterani III Nonas Februarii Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 5 Februarii.

Magistro, atque Prioribus Ordinis, ut Apostatas [1], & ceteros delinquentes pœnis afficiant debitis.

Ex Arch. (2) Ordinis lib. A. fol. 554.

XLV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra. — Sanctio pœnalis.

PRovisionis nostrę cupimus provenire subsidiis, ut Religio vestra semper in melius, Deo propitiante, proficiat, &, si quid obstare dignoscitur, solicite corrigatur. Vobis itaque, quos in Divini nominis amore vigiles delectat extirpare vitia, & plantare virtutes, ut Apostatas, vel Insolentes vestri Ordinis, nisi vestris salubribus monitis acquiescant, excommunicare, capere, ac ligare, & carceri tradere, si videbitur expedire, possitis, auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Lateran. Nonis Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Apostatas.*) Dicam in *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo XI.*
2. *Archivo.*) Autographum servant Conventus *S. Dominici Senarum, Tolosanus, & S. Catharinæ Barchinonen.* Adeas etiam *Usumarem pag.16.* Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 5 Februarii.

Magistro, & Provincialibus, ut delegatos ad Crucem prædicandam, & Inquisitores (1), etiam a Sede Apostolica constitutos, revocare, transferre, ipsisque alios substituere possint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Episcopo quondam Bosnen. Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. — Concedit ut prædictum est. — Sanctio pœnalis.

ODore suavi Ordinis vestri continue recreati, eum non immerito favore speciali prosequimur, & ipsius exaltationem plenis desideriis affectamus, quietem ei, & alia diligenti procurare solertia intendentes, per quę semper optatum, auctore Domino, suscipere valeat incrementum. Hinc est, quod Nos, vestris supplicationibus annuentes, ut tu, Frater Episcope, ac Magister, tuique successores, Fratres tui Ordinis, qui ad prędicandum Crucem, vel inquirendum contra pravitatem hęreticam, seu ad alia hujusmodi negotia sunt, vel fuerint ubicunque a Sede Apostolica deputati, removere, seu revocare, penitus transferre, ipsisque, quod supersedeant, injungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, licite, ac libere valeatis, & in eos, si contravenerint, Censuram Ecclesiasticam exercere; ac quilibet Prior Provincialis ejusdem Ordinis idipsum in sua Provincia, circa Fratres ipsius Ordinis, quibus in illa similia contingit ab eadem Sede committi, facere possit, auctoritate pręsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Laterani Nonis Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Inquisitores.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Est etiam in Cœnobiis nostris *Parisiensi*, *S. Eustorgii Mediolanen.*, & *Tranensi*. Conventus vero *Claromontanus* aliud habet ejusdem tenoris *Datum Lugduni Die VII, seu Nonis Julii, Pontificatus Innocentii IV Anno IV.* Illud exscripsit *Ususmaris pag.146*. Extat exemplar in *libr. A. fol. 615*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 6 Februarii.

Archiepiscopo, & Capitulo Tranensi (1), ut sciant, in Ecclesia nostra liberam esse sepulturam (2).

Ex Archivo (3) Ordinis lib. B. fol. 460.

XLVII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Capitulo Tranen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis. — Libera est sepultura in Ecclesiis nostris. — Mandat ut supra.

FRuctum multum, qui per Fratres Prędicatores in Ecclesia Dei provenire dignoscitur, attente pensantes, ipsorum Ordinem non immerito inter alios affectione speciali prosequimur, & gratię prerogativa pręferimus, & favoris; in iis ei solicite providere studentes, per quę fidelium cordibus fortius in ipsius devotionem accensis, uberius in Ecclesia prędicta valeat ad eorundem fidelium fructificare salutem. Cum itaque Fratribus ipsis a Sede Apostolica sit indultum (4), ut liceat eis illos, qui apud ipsorum Ecclesias sepulturam eligunt, in suis cęmeteriis libere sepelire, & vos, dilectos filios Priorem, & Fratres Prędicatores Tranen., sicut, eis intimantibus, Nobis innotuit, non patiamini recipere illos ad sepulturam, qui sepulturam penes eos in ultima eligunt voluntate, licet Ecclesiis, a quibus ipsorum assumuntur corpora defunctorum, canonica justitia nullatenus subtrahatur, sumentes occasionem duntaxat ex eo quod cum ipsi construerent Ecclesiam in civitate Tranen., concessa fuit eis a vobis, filii Capitulum, tantum ędificandi licentia, & Fratrum suorum decedentium sepultura; universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente,

per

per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, attendentes provide, quam sit utilis, & salubris mora eorundem Fratrum in civitate predicta, & ex hoc ipsos favore benevolo prosequimur, permittatis, eosdem ob gratiam, & Apostolicę Sedis reverentiam uti, sicut Fratres alii ejusdem Ordinis, libera sepultura; ut absque impedimento eos, qui apud ipsorum Ecclesiam sepeliri voluerint, valeant sepelire: Ecclesiis, a quibus defunctorum assumentur corpora, canonica justitia semper salva; preces, & mandatum Nostrum taliter impleturi, quod devotionem vestram dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Laterani VIII Idus Februarii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

1. *Tranensi.*) *In Apulia Peucetia.*
2. *Sepulturam.*) Dicam in *Tractatu De Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo IX.*
3. *Archivo.*) Asservatur Autographum in Cœnobio *Tranensi.*
4. *Indultum.*) Supra *ad XXX Novembr. MCCXXVII.*

Ecclesiam S. Romani Lucensis (1) Fratribus Ordinis Prædicatorum confert.

Anno 1244 Die 8 Februar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 555.

XLVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Ordinis Fratrum Prędicatorum Lucen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat;

CUm super Ecclesia S. Romani Lucen. ex eo lęsam conscientiam haberetis, quod in Instrumento collationis factę vobis ab Abbate, & Conventu Monasterii Sancti Pontiani ejusdem loci de ipsa, quędam continentur verba, quę videntur sapere vitium simonię, vel non omnino puram, & Canonicam collationem (2) hujusmodi extitisse, Frater G... Ordinis vestri, habens super hoc a Priore vestro Provinciali, speciale mandatum, prędictam Ecclesiam in manibus nostris libere resignavit. Nos vero postmodum dignę conversationis vestrę inducti meritis, vestroque volentes in hac parte commodo providere, prędictam Ecclesiam vobis de gratia speciali contulimus, & de ipsa Fratrem eundem vestro nomine curavimus investire, vobis, ut eandem perpetuis futuris temporibus licite, ac libere teneatis, auctoritate pręsentium concedendo. Datum Laterani VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio,

1. *Lucensis.*) In *Italia.*
2. *Collationem.*) Cur vitium simoniæ sapere videretur prior collatio, nec omnino pura, & canonica esset, liquet ex his, quæ docet *Fontana de Romana Provincia Tit. IX pag.* 12, ubi hæc habet. *Anno MCCXXXVI Abbas S. Pantaleonis Cisterciensis Ordinis de suorum Monachorum assensu Fr. Johanni Romanæ Provinciæ Provinciali ad inhabitandum a nostris dono dedit Ecclesiam S. Juliani cum annexo parvo Monasterio, nec non & Ecclesiam Sancti Bartholomæi cum unito ei hospitali, omnibus juribus, bonis, ac pertinentiis illius intra Lucen. civitatem existentibus, dato de hac concessione publico instrumento die XIX Julii, Fratribus Orlandino Pisano Priore, ac Ventura, qui postmodum inibi primus extitit Prior, talem donationem, nomine & pro nostro Ordine, ac Romana Provincia acceptantibus. Prope has parvas Ecclesias major altera erat S. Romano Martyri dicata, in qua ejusdem Sancti Martyris corpus quiescebat, Parochiali cura gaudens, & ad Monachos Benedictinos, Abbatemque Sancti Pontiani, cujus Monasterium extra Urbis mœnia erat collocatum, pleno jure pertinens, cum institutione Parochi, & hanc idem Abbas Ordini donavit, cum omni sacra supellectile in ea existente, Fratre Ventura supradicto acceptante, HAC tamen CONDITIONE, ac lege, ut annis singulis Martio mense denarium unum parvæ monetæ in censum suo Monasterio atque Abbati persolveretur a nostris.* En piaculum. Hinc non omnino pura, & canonica collatio, *cum in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones, uti legitur Cap.* — Tua nos — *Tit. III Lib. V Decretal.*

Declarat, liberam esse sepulturam in Ædibus Sacris Ordinis nostri.

Anno 1244 Die 10 Februar.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol. 555.*

XLIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur quod justum est &c. (2). Datum Laterani IV Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) Autographum invenies in Cœnobiis *Tolosano, Parisiensi, Bononiensi, Mediolanensi, Senarum, Lucensi,* & *Remensi.* Aliud insuper ejusdem tenoris asservatur in Archivo Ordinis *Datum III Idus, seu Die XI Aprilis, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo.* Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Justum est &c.*) Ut supra *ad XXX Novembr. MCCXXVII.*

Ut tempore Interdicti Divina celebrare possimus.

Anno 1244 Die 1 Martii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol. 556.*

L.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRecibus vestris &c. (2). Datum Laterani Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) Autographum habes in Cœnobiis *Tolosano, Claromontano,* & *Senarum.* Legendus *Ususmaris pag.* 16. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Vestris &c.*) Ut supra *XII Februar. MCCXXVIII.*

Monaste-

Anno 1244 Die 1 Martii.

Monasterium S. Sixti de Urbe variis privilegiis (1) donat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 557.

LI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę Monasterii Sancti Sixti de Urbe, ejusque Sororibus, tam pręsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrosancta Romana Ecclesia, cui licet immeriti, auctore Domino, pręsidemus, illis Deo dicatis personis adesse propensius consuevit, & eas in suo proposito confovere, quę sexu fragiles, & viribus imbecilles ante facies suas cum sanctis animalibus gradientes, oblitę quę retro sunt, ad anteriora secundum Apostolum laudabiliter se extendunt, proficiendo sibi per vitę meritum, & aliis per exemplum. Eapropter, dilectę in Christo filię, ut sub pennis contemplatio vestra sit pręsidii nostri, mandamus, scientes Nos exinde illi gratum impendere famulatum, cui vos in Ancillas humiles obtulistis, in Regno cęlorum cum Cęlesti sponso feliciter coronandas, vestris postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Sancti Sixti de Urbe, quod constructum per felicis recordationis Innocentium [2] Papam Prędecessorem nostrum de Bonis Ecclesię Romanę, juris & proprietatis Beati Petri esse dignoscitur, in quo Divino estis obsequio mancipatę sub Beati Petri & Nostra protectione suscipimus, & pręsentis scripti patrocinio communimus.

Monasterium suo sanctæque Sedis præsidio tutatur.

In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus [3], qui secundum Deum, & Beati Augustini Regulam, atque Institutiones, quas a Magistro, & Priore Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum habetis in scriptis, & hactenus servavistis, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Pręterea &c. [4]. In quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo pręfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; Omnes vineas, quas habetis in territorio Tiburtino in loco qui dicitur Bassi, & in Porticello, & in Montanara, & etiam tres Domos cum horto in Civitate Tiburtina in contrata [5] Sanctę Margaritę: unum Olivetum positum in Maenan., & aliud in loco, qui dicitur Petraria, in territorio civitatis ejusdem. Turrim, quę est ad Pontem Mammulum, cum terris, pascuis, limitibus, arenariis, juribus, & pertinentiis suis, omnes omnino possessiones cultas & incultas, vineas aquas, silvas quondam Ecclesię Sanctę Marię in Tempore [6], ac unam pedicam terrę sitam in Anguiario, quę fuit quondam Monasterii S. Vivianę, quas felicis recordationis Honorius [7] Papa Prędecessor noster concessit vobis de plenitudine potestatis, prout in literis ejus perspeximus plenius contineri. Turrim positam in eodem loco, scilicet Anguiario, cum pertinentiis suis; Annuum quinquaginta Marcarum redditum, quas de proventibus Ecclesię de Bamburg [8], ad Monasterium Sancti Osvvaldi De Nostle spectantes, de consensu Supprioris, ac Cellerarii [9] Procuratorum ejusdem Monasterii, tunc in Romana Curia existentium, idem Honorius Prędecessor noster pia vobis liberalitate concessit, sicut ipsius literę [10], quas diligenter inspeximus clarius manifestant, cum prędictis vineis, terris, nemoribus, usuagiis. [11].

Possessiones confirmat.

Decimarum immunitas.

Sane Novalium vestrorum, quę propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de hortis, & virgultis vestris, seu de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis Decimas exigere, vel extorquere pręsumat. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere.

Sorores Monasterio ascribere licet.

Ne ex ipsis, votis nuncupatis, excedant, cavet.

Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum, post factam in Monasterio vestro professionem fas sit sine Priorissę suę licentia, nisi arctioris Religionis obtentu de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere.

Ædes Sacras in ipsarum prædiis nullus extruat.

Prohibemus insuper, ut nulli &c. [12] fas sit sine Romani Pontificis licentia speciali, & consensu totius Capituli, vel majoris, aut sanioris partis ipsius. Si quę vero donationes &c. [13] censemus.

Sententias in Monasterium, vel Sorores latas rescindit.

Ad hęc firmiter inhibemus, ne quis in Monasterium vestrum, vel personas inibi constitutas, suspensionis, excommunicationis, vel interdicti sententiam absque speciali licentia Romani Pontificis audeat promulgare, ipsas, si secus &c. [14] tacito Monasterii vestri nomine constiterit impetrari.

Liberam ibidem sepulturam declarat.

Sepulturam quoque &c. [15]

Interdicto Generali solvit ipsas.

Cum autem commune Interdictum terrę &c. [16], dummodo causam non dederitis Interdicto.

Quomodo Priorissa sit eligenda.

Obeunte vero te nunc ejusdem loci Priorissa, vel earum aliqua, quę tibi successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia pręponatur, nisi quam Sorores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris secundum Deum, & B. Augustini Regulam providerint eligendam, salvis pręmissis Institutionibus vestris hactenus observatis.

Ne quid ipsis damno sit, cavet.

Paci quoque & tranquillitati vestrę paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere [17], vel interficere, seu violentiam audeat exercere.

Immunitates omnes, & ipsarum confirmat privilegia.

Pręterea omnes libertates & immunitates a prędecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, necnon & libertates, & exemptiones secularium exactionum rationabiliter vobis indultas auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti privilegio communimus.

Sanctio pœnalis.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat &c. [18]. Si qua igitur &c [19] Inveniant. Amen, Amen, Amen. Datum Laterani per manum Fratris Jacobi [20] de Ordine Prędicatorum Sanctę Romanę Ecclesię Vice-Cancellarii Kalendis Martii, Indictione II. Incarnationis Dominicę Anno MCCXLIV [21], Pontificatus vero Domini Innocentii Papę IV Anno Primo.

1. *Privilegiis.*) Legesis *Bullam* -- Religiosam vitam -- *Dat. XXX Mart. MCCXVIII.*
2. *Innocentium.*) *III.*
3. *Canonicus.*) Ut supra *notatione IV in Bullam* mox laudatam, & *notatione III in Bullam* .. Quoniam -- *Dat. XVIII Januar. MCCXXI.*
4. *Praterea &c.*) Ut in *Bulla Data XXX Mart. MCCXVIII* ad hæc usque verba: *Illibata permaneant.*
5. *Contrata.*) Id est, *Via.*
6. *Tempore.*) Vide superius *ad XXV April. MCCXXI.*
7. *Honorius.*) *III.* Diplomate mox laudato. Hinc legerem: *Anguillaria.*
8. *Bamburg.*) In *Anglia*. Hoc autem annuo reddita Monasterium *S. Sixti* donavit *Stephanus de Fossa-nova* Presbyter Cardinalis Tit. Duodecim Apostolorum, gratus, & memor beneficii ibidem accepti. Res enim certa est, & Coætaneorum Scriptorum *Jordani*, *Humberti*, *Constantini Medices* &c. aliorumque in *vita S. P. Dominici* calculo probata, hoc in Cœnobio e mortuis excitatum fuisse *Neapoleonem Ursinum*, unum e Majoribus *Benedicti XIII* Summi Pontificis feliciter regnantis, Nepotem

tem Cardinalis *de Fossa-nova*. Quod vero grates pro tanto dono repensurus *Stephanus* redditum illum cesserit Monialibus, Auctores sunt *Flaminius in vita S. P. Dominici*, *Onuphrius* & *Ciaconius* in *Innocentio III*, *Maluenda Annal. Ord. Prædicator. ad An. MCCXVIII Cap. IX* & alii, in quorum sententiam manibus, pedibusque descendo. Sed de his alias agemus. Ceterum emendandi qui Ecclesiam illam *Ravalung* nuncuparunt.

9. *Cellararii*.) Seu, *Cellarii*.

10. *Litera*.) Desideratur.

11. *Usuagiis*.) Ibi aliquid deesse crediderim.

12. *Nulli &c.*) Sic explerem lacunam: *Infra fines possessionum vestrarum Capellam, seu Oratorium de novo construere*.

13. *Donationes &c.*) Sic in *libro A.* ubi quod hic, & in sequenti notatione desideratur, nullibi reperire est.

14. *Si secus &c.*) *Factum fuerit, decernentes irritas & inanes*.

15. *Quoque &c.*) Ut in *Diplomate supra laudato* ad hæc usque verba: *Corpora assumuntur*.

16. *Terra &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Officia celebrare*.

17. *Temere &c.*) Addendum: *Capere*.

18. *Liceat &c.*) Ut in *Diplomate mox citato*, ad hæc usque, *Salva Sedis Apostolica Auctoritate*.

19. *Igitur &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Inveniant Amen*.

20. *Jacobi*.) *Boncambii*. Qui postea *Bononiensis* Episcopus fuit. Dicam in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV*.

21. *MCCXLIV*.) Negotium sane facessere videtur Annus hic ascriptus, sed satis superque de hoc in Præfatione disserui.

F. Rolando (1), ut inquirat in vitam Ezelini [2].

Anno 1244 Die 12 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 556.

LII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Rolando Cremonen. de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

RElatu fide digno percepimus, quod hostis virtutum, & Fidei persecutor Ezelinus de Romano, Deum, & Sedem Apostolicam offendens in multis, sed in eo precipue, quod contemnit Claves Ecclesię, receptat hereticos, & eisdem indifferenter participat, ut de macula pravitatis hereticę sit suspectus, & publice infamatus. Verum ne pestis tam horrida, tam nociva, quod absit, redundet in discrimen Fidelium, nisi Apostolicę Sedis auctoritas super illa remedium acceleret opportunum, per Apostolica tibi scripta in virtute Obedientię precipiendo mandamus, quatenus, habendo prę oculis solum Deum, inquiras super hoc diligentius veritatem, & quod inveneris, nobis tuis literis fideliter exponere non omittas. Ceterum non obstante Constitutione de duabus Dietis [3] edita in Concilio Generali, & ejusdem Ezelini personali absentia, pro eo quod ipse terribilis, & fortis esse dignoscitur, in locis vicinis, ubi tutius fieri valeat astante Populo, publice cites eundem. Datum Lateran. IV Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Rolando*.) De quo superius *III Octobr. MCCXXXIV*.

2. *Ezelini*.) Cujus mentio in *Diplomate Dato V Augusti MCCXXXIII*. Consulendus *Odoric. Raynald. Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLIV. num. XVIII*.

3. *Dietis*.) Concil. *Lateran. IV Cap. XXXVII*.

Capitulo Vigintimiliensi [1], seu Vintimiliensi, ut F. Jacobo (2) suo legitimo Episcopo morem gerant.

Anno 1244 Die 18 Martii.

Ex Ughello in Italia Sacra Tomo IV pag. 305 &c. Edit. II.

LIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Vigintimilien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

ASsumpti, quamvis immeriti, disponente Domino, in plenitudinem potestatis, illos, quos literarum scientia, morum honestas, conversatio laudabilis, & titulus Religionis adornant, eo libentius in partem honoris, & sollicitudinis, prout se offert opportunitas, evocamus, quo per tales operarios vinea Domini Sabaoth consuevit, fructificante surculo, studiosius excoli, ac securius, ne ipsam demoliantur vulpeculę, custodiri. Cum igitur Nicolaum [3] quondam Vigintimiliensem Episcopum ab administratione Vigintimiliensis Ecclesię duxerimus, suis culpis exigentibus, amovendum, Nos, considerato diligenter quod adeo Ecclesia vestra per mali Pastoris desidiam & nequitiam est collapsa in spiritualibus, & temporalibus diminuta, quod nisi per alicujus prudentis, & Deum timentis sollicitudinem, & industriam restauretur, de levi posset ad casum irreparabilem devenire, habita etiam super hoc deliberatione cum nostris Fratribus diligenti, quia voluntas Dei fuit, ut cito nobis quod volebamus occurreret, dilectum filium Fratrem Jacobum Ordinis Prędicatorum, virum profecto secundum cor nostrum, providum, & honestum, & in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, cui de prerogativa virtutum, & morum ab iis, qui eum plenius cognoverunt, testimonium laudabile perhibetur, Ecclesię vestrę in Episcopum prefecimus & Pastorem, plena sibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus administratione concessa, sperantes firmiter, immo pro certo probabili argumento tenentes, quod eadem Ecclesia sub ipsius regimine incrementa grata suscipiet auctore Domino.. (4). Quocirca firmiter precipiendo mandamus, quatenus ipsi, cui munus consecrationis impendimus, tanquam Patri & Pastori animarum vestrarum, plene ac humiliter intendentes, exhibeatis eidem obedientiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando, alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Laterani XV Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Jacobum laudibus effert.

Mandatum.

1. *Vigintimilien.*) Seu *Albintimilien.*, in *Liguria*.

2. *Jacobo*.) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV*.

3. *Nicolaum*.) Legendus *Ughellus* supra laudatus.

4. *Domino* ...) Hic desunt nonnulla.

F. Jaco-

Anno 1244 Die 21 Martii.

F. Jacobo [1] Vigintimiliensi, seu Vintimiliensi Episcopo, ut Clericos nonnullos in pristinam dignitatem restituat.

Ex Ughello in Italia Sacra Tomo IV pag. 306 Edit. II.

LIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Vigintimiliensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UT Ecclesia Vigintimilien. in tuo jucundo adventu spiritualium gratiam suscipiat gaudiorum, dispensandi cum illis, qui excommunicati ab Archidiacono tuo, Minores, seu Sacros Ordines ab N... [2] quondam Vigintimilien. Episcopo, innodato suspensionis, & excommunicationis sententiis, per simplicitatem & juris ignorantiam recepisse dicuntur, postquam fuerint per te, vel eundem Archidiaconum ab excommunicatione hujusmodi juxta formam Ecclesiæ absoluti imposita eis pœnitentia competenti, plenam sibi [3] concedimus auctoritatem p. ... [4] facultatem. Si vero scienter, non tamen in contemptum Clavium, talia præsumpserunt, eis per biennium ab Ordinum executione suspensis, & imposita ipsis pœnitentia salutari, ipsos postmodum, si bonæ fuerint conversationis & vitæ, ad gratiam dispensationis admittas. Datum Laterani XII Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concedit ut supra.

1. *Jacobo.*) Consulendum præcedens Diploma.
2. *N....*) *Nicolao.*
3. *Sibi.*) Forte: *Tibi.*
4. *Auctoritatem P....*) Legendum: *Auctoritate præsentium.*

Anno 1244 Die 22 Martii.

Magistro & Prioribus, ut ascribendos Ordini possint absolvere [1] a censuris.

Ex Archivo [2] Ordinis lib. A. fol. 560.

LV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

CÆlestis Amor Patriæ mentes vestras sic allexisse perspicitur, ut hoc solum delectationem vobis tribuat, quod Divinæ Voluntati sit placitum, & salutem proferat animarum. Procedit ex hoc, quod Nos piis vestris petitionibus favorem largiri benevolum delectantes, maxime cum ex Apostolici curæ teneamur Officii circa Religionis augmentum attentos, & vigiles inveniri, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationum sententiis sunt ligati, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ impertiri, & ipsos in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum recoluerint, se talibus in seculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam absolvere valeatis; Ita tamen, quod si aliqui ex eisdem hujusmodi sententiis propter debitum sint astricti, satisfaciant, ut tenentur. Nulli ergo &c. Datum Lateran. XI Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Absolvere.*) Legendus *Tract. De Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) Autographum invenies in Cœnobiis *S. Dominici Pisarum, S. Romani Lucensis*, & *Barchinonensi*. Idem habent *Usus maris pag. 17.* & *Castellanus pag. 15.* Aliud Autographum asservatur *Tolosæ*, *Datum Laterani Idibus Aprilis, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 22 Martii.

Fidei præconibus constitutis in partibus Orientis (1) nonnulla concedit privilegia (2).

Ex Archivo (3) Ordinis lib. A. fol. 559.

LVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Terræ Sanctæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium celebrat laudes Ordinis.

Concedit ut supra.

PAtri luminum præstamus obsequium, & sui nominis procuramus augmentum, cum vobis, & Fratribus vestris, quos in lucem gentium ipse tribuit, sic reddimur in benigno favore propitii, ut vestra pia desideria felici possint facilitate compleri. Vobis itaque vigili mente solicitis, ut Dei Filio de animarum lucro assidue placeatis, quod Fratres vestri Ordinis, qui a vobis, vel altero vestrum deputantur ad prædicandum Jacobitis [4], Nestoritis [5], Georgianis [6], Græcis [7], Armenis [8], Maronitis [9], & Mosollinis [10], aliisque nationibus in partibus Orientalibus constitutis, quæ olim Ritum S. Romanæ Ecclesiæ non servabant, eisdem, non obstante si aliqui sint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo secure cum eis communicare valeant, ita tamen quod ipsi Fratres in Ecclesiis illorum sitis in terra Fidelium, Divina non celebrent, auctoritate præsentium indulgemus. Liceat etiam dictis Fratribus illis ex prædictis, qui ad obedientiam Sedis Apostolicæ redeuntes, sint excommunicatione ligati, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesiæ impertiri, & dispensare cum ipsis super eo quod excommunicati celebravere Divina, necnon cum illis, qui Ordines infra ætatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel qui superiores, prætermissis inferioribus, conferre, seu recipere præsumpserint; si tamen talis in hoc servata forma extitit, per quam Ordines recepissent. Ceterum, quod per Fratres eosdem dispensari valeat, ut illi ex nationibus memoratis, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & casibus, a Divina minime lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem, & ii, qui ad Ecclesiæ Catholicæ redierint unitatem, ut inter suos habitent, eisque communicent; necnon, quod Clerici publice ad obedientiam Sedis Apostolicæ redeuntes gau-

Purum Religionem suscipientes Clerici gaudeant privilegio Clericali.

gaudeant Privilegio Clericali, & quod Fratres ipsi christianos apostatas ad cultum orthodoxę fidei redeuntes, ad gratiam reconciliationis admittant, vobis concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostrę Concessionis &c. Datum Lateran. XI Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Orientis.*) Legenda *Diplomata Data XV Februar. MCCXXXV*, & *XXVIII Julii MCCXXXVII.*

2. *Privilegia.*) Dicam in *Tractatu De Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

3. *Archivo.*) Extat Autographum in Cœnobiis *Viterbiensi*, & *Leopoliensi* in *Russia nigra*. Illud exscripsit *Usufmaris pag.* 16.

4. *Jacobitis.*) Sic hæretici *Monophysitæ*, qui in Christo unam tantum naturam noverunt, nuncupati sunt a *Jacobo Syro*, hujusce hæreseos acerrimo defensore. Hæc viguit præcipue in *Æthiopia*, & hodiedum in *Ægypto*, ac per totum Orientem *Eutychianis* nomen *Jacobitarum* commune esse, docet noster *Van-Ranst Histor. Hæreticor. & Hæres. ad seculum V pag.* 115.

5. *Nestoriis.*) Seu *Nestorianis*; De quibus *Van-Ranst* mox *laudatus pag.* 109.

6. *Georgianis.*) Inter *Pontum Euxinum* & Mare *Caspium* sita est *Georgia*.

7. *Græcis.*) De erroribus *Græcorum* consulendus *Sanctus Thomas Opusculo I.*

8. *Armenis.*) De *Armenis* hæreticis egit ille idem Doctor Angelicus *Opusculo III.* Adeas etiam *Galanum de conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana.*

9. *Maronitis.*) A *Marone*, hæretico *Monothelitâ*, septimo seculo *Maronitis* nomen inditum esse, docet *Guillelmus* Archiepiscopus *Tyrius*, scriptor duodecimi seculi. Huic sententiæ suffragantur *Cardinalis Bona*, *Morinus*, aliique passim. Ipsis tamen adversantur *Faustus Naironus in Dissertatione Romæ edita MDCLXXIX*, *Abraham Ecchellensis in Epistola ad Morinum*, & cæteri *Maronitæ in Præfatione latina ad Missale Syriacum*. Quid hac de re sentiendum sit lectori permitto. Anno circiter MCLXXXII puræ Religioni nomen dedisse *Maronitas*, testis est *Guillelmus* laudatus. Hinc *Frater Philippus Ordinis Prædicatorum Provincialis Terræ Sanctæ* scribens *Gregorio IX* hæc habet. *Maronitæ qui habitant in Libano, jamdiu est, quod ad Ecclesiam redierunt, & in obedientia perseverant.* Extat hæc Epistola apud *Echard* de scriptoribus Ordinis Prædicator. Tomo I ad Annum MCCXXXVIII pag. 104. *Syriam*, *Palæstinam*, & præsertim *Libanum* montem etiamnum incolunt *Maronitæ*, & a superstitiosa lue circumquaque diffusa disjuncti, pie vivunt viri catholici.

10. *Mosollinis.*) Sic a *Mosol*, seu *Mosul*, urbe *Assyriæ* ad *Tigrim* fluvium sita, dictos crediderim *Asianos*, quorum Patriarcha *Babylone*, ac in Civitate *Mosol* sedebat. *Armeni schismatici*, inquit *Morerius in supplemento*, *verbo Armeni* pag. 265. col. I, *obsequebantur antea Patriarchæ Babylonis, vel Mosul, Nestoriano.* Non solum *Armenis* Schismaticis, sed & vicinis sibi Provinciis *Elamitarum*, *Nisibis*, *Persiæ*, *Assyriorum*, *Mesopotamiæ*, nunc *Diarbeker*, & *Chaldææ* præfuisse Patriarcham istum, immo & in ultima Orientis Regna, *Mogorum*, *Indiam utramque citra & ultra Gangem*, *Siamum*, *Chinam ipsam*, Primatiam suam extendisse, docet *Echard supra citatus pag.* 105, ex *Summa canonum Synodalium Syriaco, seu Chaldæo sermone scripta, parte II Sermone VI Cap. XIX.* Hinc quinam fuerint *Mosollini* conjecture possumus assequi. Quod autem a Pontificatu *Gregorii IX* desudarint Fratres Prædicatores, ut idem Patriarcha *Nestorianorum*, & ipsi subjecti populi deponerent errores, liquet ex *Epistola Fratris Philippi* supra citata, cujus hæc verba: .... *Festinavimus quatuor Fratres in Armeniam transmittere ad linguam addiscendam, eo quod preces Regis & Baronum nos urgebant. De alio, quodam qui appellatur* Jakelinus (Ille ipse est Patriarcha, de quo agitur) *qui præest omnibus, quos Nestoriana hæresis ab Ecclesia separavit, cujus prælatio per Indiam majorem .... & per Regnum Sacerdotis Johannis*, & Regna *magis proxima dilatatur, jam plures literas recepimus, quod Fratri Guillelmo de Monteferrato, qui cum aliis duobus Fratribus linguam illam scientibus apud eum aliquandiu commoratus est, promiserit, quod velit obedire, & redire ad gremium Ecclesiæ, & veritatis.* Cæterum dum ex *Mosollinis* ifus mihi maximis conflictato difficultatibus hæreret aqua, peritos consului. Respondit unus: *Mosollinos fuisse Mahometis* discipulos, quos *Musulmanos* vocant. Alter sic ex *Morerii supplemento*, *verbo Mosseilemah*, & ex *Bibliotheca Orientali D. Herbelot* pag. 627, sententiam hac de re dixit. *Mosollinos censerem fuisse Sectatores Mosseilemah, qui Synchronus Mahometi in Provincia Arabia, dicta Hagiar, modo Arabia Petrea, alter Pseudo-propheta in eundem insurrexit, facto magno concurrentium sectatorum agmine. Exercitu comparato contra Mahometem pugnavit, ab eoque disjectus est. Verum ejusdem secta diu obtinuit in Arabia, ac negotium facessivit Kalifis Aboubekr, & Omar.*

Fratres nostros, quos laudibus celebrat, omnibus Ecclesiæ Prælatis commendat [1], ut ad Verbum Dei prædicandum, & ad confessiones secularium audiendas eos excipiant. Anno 1244 Die 24 Martii.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis (3), & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LVII.

Quoniam habundavit iniquitas, & refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum Dominus suscitavit, qui, non quę sunt sua, sed quę sunt Christi quęrentes, tam contra profligandas hereses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntarię paupertatis. Nos igitur sanctum eorum propositum, & necessarium Ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestrę, ipsos affectuose duximus commendandos, caritatem vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis memorati pro reverentia Divina, & nostra, ad officium prędicandi, ad quod sunt ex Professione sui Ordinis deputati, benigne recipere procuretis, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devote suscipiant, ammonentes, ut in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, nec impediatis, quominus illi, qui ad eorum prędicationem accesserint, tunc eorum Sacerdotibus valeant confiteri; quatenus ad prędicta suscipienda vestris exhortationibus Populi preparati, tanquam bona, ac fructifera terra, pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti Fratres per cooperationem vestram suscepti Ministerii cursum felicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum, & finem, Salutem videlicet Animarum; Quia vero sepe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, & angelus Satanæ in Angelum lucis se plerumque simulate transformat, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de prędictorum Fratrum Ordine se dicentes, in vestris partibus prędicaverint, ad quęstum se pecuniarum convertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condempnetis eosdem. Datum Laterani IX Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium a laude Ordinis.

Commendat ut supra.

Nota hæc verba.

Ordo noster ad Salutem Animarum.

Mendicantes, qui se Alumnos Ordinis mentiuntur, uti falsarios damnat.

1. *Commendat.*) Legendum *Diploma Datum x Maii MCCXXVII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum, quorum unum habet ascriptam Diem *XXIV*, & aliud *XXV Mensis Martii, Pontificat. Innocentii IV Anno Primo.* Asservantur etiam ejusdem tenoris in Cœnobiis nostris *Parisiensi, Florentino, Ragusino, Lucensi,*

ac *Remensi*. Autographum vero *Tolosanum* datum est *Anagniæ V Idus Septembres, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Istius Plumbum filis cannabinis appenditur, illorum autem filis sericis.

3. *Plebanis*.) Seu Parochus.

Anno 1244 Die 25 Martii.

Prohibet, ne quis habitum Ordinis nostri deferat (1).

Ex Bullar. (2) *Ususmaris pag.* 17.

LVIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inhibitio suprà dicta.

QUia confusio habitus sępe confusionem inducit Ordinum, & etiam animorum, auctoritate prędentium districtius inhibemus, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, vel extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum Frater Prędicator credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicę speciali; ceterum, ut dicta inhibitio majorem consequatur effectum, statuimus, ut hi, qui habitum vestrum, vel prędicto modo sibi consimilem, deferre prędumpserint, ad deponendum ipsum, per Dięcesanos locorum, cum a vobis requisiti fuerint, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur. Nulli ergo &c. Dat. Lateran. VIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Deferat*.) Consule *Diploma Datum XXV Octobr. MCCXXXIX*.
2. *Bullario*.) Habes Autographum in Cœnobiis *S. Eustorgii Mediolanen., Florentino, Remensi, Lucensi, & Claromontano*. Adeas *Castellanum pag. VII*. Aliud ejusdem teneris Autographum tenet Conventus *Tolosanus, Datum II Nonas Septembres, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 25 Martii.

Omnibus Ecclesiarum Prælatis, ne quis deferat habitum [1] Ordinis nostri, aut ipsi consimilem.

Ex Bullar. (2) *Ususmaris pag.* 18.

LIX. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUia confusio habitus sępe confusionem inducit Ordinum, & etiam animorum, auctoritate Apostolica districtius duximus (3) inhibendum, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, vel extra Ordinem constitus, habitum dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum, aut ita consimilem sibi, quod propter eum Frater Prędicator credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicę speciali. Volumus igitur, & fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrum, in suis Civitatibus, & Dięcesibus, illos, qui pręfatum habitum, vel sibi prędicto modo consimilem, contra inhibitionem nostram deferre pręsumpserint, ad deponendum ipsum, cum ab eisdem Fratribus requisiti fueritis, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Dat. Lateran. VIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Habitum*.) Idem inhibuit *Gregorius IX*, sed non iisdem verbis, uti videre est ex *Diplomate Dato XXV Octobr. MCCXXXIX*.
2. *Bullario*.) Asservatur Autographum in Cœnobiis S. *Eustorgii Mediolanen., Florentino, & Claromontano*. Exscripsit illud *Castellan. pag. 7*.
3. *Duximus*.) Præcedenti Diplomate.

Anno 1244 Die 25 Martii.

Ne quis votis solemnibus astrictus, ex Ordine discedat.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol.* 554.

LX. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm paupertatem &c. (2). Dat. Laterani VIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.) Autographum invenies in Cœnobiis *Mediolanensi, Florentino, & Claromontano*. Adeas etiam *Ususmarem pag.* 17, & *Castellan. pag.* 0.
2. *Paupertatem &c.*) Ut supra *XXV Maii MCCXXVII*.

Anno 1244 Die 25 Martii.

Omnibus Ecclesiarum Prælatis, ne quis emissa professione discedat ex Ordine nostro.

Ex Arch. [1] *Ordinis*.

LXI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prępositis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm Dilectorum &c. (2). Dat. Laterani VIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo*.)

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Extat Autographum in Cœnobiis *Mediolanensi*, *Florentino*, *Avenionensi*, *Claromontano*, & *Leodiensi*. Aliud invenire est *Tolosæ*, *Datum Laterani II Kalend. Decembres, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

2. *Dilectorum* &c.) Ut supra, *III August. MCCXXVII.*

Ne inviti ad quamcunque commissionem, iis exceptis quæ ad Fidem spectant, admittamur.

Anno 1244 Die 26 Martii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol. 554.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXII.

QUi postposita vanitate seculi elegerunt virtutum Domino sub paupertatis habitu famulari, a Nobis illa confovendi sunt gratia, quę ipsorum saluti noscitur opportuna. Cum igitur ad hoc semper vestrę humilitas conversationis invigilet, ut Deo placeat per devotę laudis obsequium, & fructum proferat animarum, Nos devotionis vestrę precibus inclinati, quod ad recipiendum commissiones causarum, ac sententiarum executiones, vel alia contingentia ipsas causas, sive quod sitis in causis aliquibus Assessores, illis, quę Fidem respiciunt, dumtaxat exceptis, per literas Sedis Apostolicę, aut Legatos, seu Delegatos ipsius, vel quoslibet alios, cogi non possitis inviti, nisi plena in eisdem literis de concessione hujusmodi mentio habeatur, vobis auctoritate pręsentium indulgemus (2). Nulli ergo &ç. Datum Laterani VII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium a laude Ordinis. *Indulget ut supra.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Archivo.*) Asservatur Autographum in Cœnobiis *Parisiensi*, *Remensi*, *Senarum*, *Lucensi*, & *Rotomagensi*. Habes etiam in Archivo Ordinis Exemplar Authenticum. Aliud insuper ejusdem tenoris Autographum, *Datum Laterani V Idus Februarii, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*, tenet Conventus *Tolosanus*. Plumbum sericis filis appenditur.

2. *Indulgemus.*) De his in *Tractatu de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

Ut commissiones quascunque possimus recusare.

Anno 1244 Die 6 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXIII.

QUieti vestrę &c. (2). Datum Laterani VIII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Est etiam in Cœnobiis nostris, *Parisiensi*, *Senarum*, *Lucensi*, *Mediolanensi*, *Florentino*, & *Salmanticensi*. Aliud Autographum *asservatur Tolosæ*, *Datum Anagniæ II Nonas Septembres, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

2. *Vestra* &c.) Ut superius *VII Martii MCCXXV.*

Magistro Ordinis, & Provincialibus, ut a censuris Fratres nostros solvere (1) possint.

Anno 1244 Die 6 April.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXIV.

LIcet ad hoc Fratrum vestri Ordinis pia desudet intentio, ut ab eis in hiis, quę faciunt, prudenter, & provide procedatur, per hoc, & suę Religioni proficere, & Dei cupientes Ecclesiam honorare, tamen aliquando ex conditionis humanę fragilitate contingit, quod quidam ex ipsis excedunt in casibus, in quibus excommunicationis sententiam, & notam irregularitatis incurrunt. Quare a nobis supplicatione humili postulastis, ut, cum viri contemplationi dediti sint in Religionis favorem a discursibus cohibendi, ac propter viarum pericula eisdem Fratribus ad nostram, & Dięcesanorum pręsentiam impediatur accessus, super hoc providere de benignitate solita curaremus; Nos itaque pie volentes, quod vestra devotio in hiis, quę digne possumus, Sedem Apostolicam reperisse gaudeat gratiosam, ut singuli vestrum in Provincia, sibi commissa, prędictis Fratribus constitutis ibidem, absolutione, & dispensatione indigentibus, sive priusquam Ordinem intraverint, sive postea in casibus excesserint memoratis, de consilio discretorum Fratrum vestrorum, qui literati sint, & Deum timentes, impertiri valeant absolutionis beneficium, & dispensare cum eis, juxta formam Archiepiscopis & Episcopis super hoc ab Apostolica Sede traditam, vobis auctoritate pręsentium concedimus facultatem, nisi adeo fuerit gravis, & enormis excessus, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Nulli ergo &c. Nostrę concessionis &c. Datum Laterani VIII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium. *Concedit ut supra.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Solvere.*) De his in *Tractat. de consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. In Cœnobiis autem *Tolosano*, *Rotomagensi*, *Mediolanensi*, & *Vratislaviensi* asservatur aliud ejusdem tenoris *Datum Anagniæ V Idus, seu Die IX Septembris, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Istud exscripsit *Usufmaris pag. 21.* Conventus vero *Sanitatis Neapolitan.* tenet aliud *Datum Laterani III Kalendas Junii, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1244 Die 6 April.

Magistro & Provincialibus, ut Fratres, & ascribendos Ordini, absolvere (1) possint ab excommunicatione.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Nota hæc verba. Concessio. Sanctio pœnalis.

IN jure canonico (3) reperitur expressum, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus injectione in socium, a communione meruerit fieri alienus, Prelatus ejusdem reconciliandi, & penitentiam imponendi, plenariam habeat potestatem, nisi forte atrocitas facti graviorem penam expectet. Habetur etiam in eodem, quod de seculo fugientes, qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, & inter cetera postmodum confitentur, se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, in Religiosis favorem, & ut subtrahatur vagandi materia, per suos Prelatos absolutionis beneficium consequantur. Verum cum proveniat ex vestre, ac Fratrum vestrorum conversationis pię meritis, per quam ubique terrarum nomen attollunt omnium Conditoris, ut quam cum ipso possumus, vobis pro salute animarum gratiam faciamus, devotioni vestre presentium auctoritate concedimus, ut eos ex Fratribus vestris, qui pro injectione manuum inter se ipsos, incurrerunt excommunicationis vinculum, vel incurrent, aut in illud ante susceptum habitum inciderunt, necnon ut eos, qui relicta vanitate seculi, cupientes vestre humilitatis collegio aggregari, se asserunt excommunicatione ligatos, ne ipsorum ad Deum posses impediri conversio, absolvere valeatis, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter; illis tamen exceptis, quorum adeo gravis fuerit, & enormis excessus, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Nulli ergo &c. Datum Laterani VIII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Absolvere.*) Dicam in *Tractat. De Consensu Bullar. Tomo ultimo. Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum, quod etiam invenire est in Cœnobiis *Tolosano*, *Mediolanensi*, *Florentino*, & *Lucensi*. Diploma ejusdem tenoris, *Datum Pridie Nonas*, seu *Die IV Septembris, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*, id est *Anno MCCXLIII* *Usus maris* exscripsit *pag.* 20. Autographum *Tolosanum* Datum fertur *VII Idus Martii, Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Canonico.*) *Decret. Gregor. Lib. III Tit. I Cap. IX*, & *Lib. V Tit. XXXIX Cap. XXXII.*

Anno 1244 Die 7 April.

Archiepiscopis & Episcopis, ut Fratres nostros a censuris solvere queant.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos litere istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUia proni sunt &c. (2). Datum Laterani VII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Extat etiam in Cœnobiis nostris *Mediolanensi*, *Neapolitano*, *Avenionensi*, *Claromontano*, & *Bergomensi*. *Usus maris pag.* 21 habet Diploma ejusdem tenoris *Datum Anagniæ Pridie Nonas*, seu *Die IV Septembris*, *Pontificatus Innocentii IV Anno Primo*, id est *Anno MCCXLIII.* Autographum asservatur in Cœnobio *Tolosano*. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Proni sunt* &c.) Ut supra ad *XV Aprilis MCCXXXVIII.*

Anno 1244 Die 15 Aprilis.

Fratri Hugoni [1], ut idoneo viro conferat Decanatum Bellicensis (2) Ecclesiæ.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 56r.

LXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Hugoni Priori (3) Fratrum Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

PRęsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus Decanatum Ecclesię Bellicen., quem Stephanus, Ordine Fratrum Minorum, quem professus fuerat, derelicto, B. Augustini regula, auctoritate propria, immo potius semeritase, assumpta, diutius tenuit occupatum, a quo tandem recessit spontaneus, propria formidans pericula, propter turpia quę agebas, persone idonee, si tanto tempore jam vacavis, quod ad Nos sit ipsius Collatio (4) devoluta, conferas vice nostra. Contradictores &c. Datum Lateran. XVII. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Bellicensis.*) In *Bressia*, Provincia *Galliarum* Regni.
3. *Priori.*) Ergo non audiendi, qui *Hugonem* Anno MCCXLIII Cardinalem fuisse contendunt.
4. *Collatio.*) Semestris est terminus devolutionis, ut dicunt, ab uno ad alium Collatorem. *Cap. Nulla*: & *Cap. Postulastis. De Concess. Prabend.*

F. Hugoni (1), ut inducat Capitulum Bellicense ad Episcopum eligendum, alioquin ipse provideat. Anno 1244 Die 16 Aprilis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 560.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio, Fratri Hugoni de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXVIII.

CUm Bellicen. Ecclesia, diu Pastoris solatio destituta, gravem in spiritualibus, & temporalibus, sustineat lęsionem, de tuę circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus Capitulum ipsius Ecclesię moneas attentius, & inducas, ut infra octo dies post monitionem tuam, de tuo consilio, & assensu, eligant sibi personam idoneam in Episcopum, & Pastorem, alioquin tu ex tunc provideas eidem Ecclesię de persona idonea vice nostra, & facias ei a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi, ac ei per ven. fratrem nostrum Archiepiscopum Viennen. (2), adjuncto sibi legitimo Episcoporum numero, munus consecrationis impendi. Contradictores &c. Datum Lateran. XVI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo. Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) Consule præcedens Diploma. 2. *Viennensem.*) In *Delphinatu*.

Ne Fratres Minores Ordini suo ascribant [1] eos, qui Ordini nostro, vel voto, vel juramento, fuerint obligati. Anno 1244 Die 21 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali Ministro, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXIX.

QUo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius, ut in cunctis providi sitis, & vigiles, affectamus, turbationis non modicę spiritum assumentes, si de vobis quandoque contrarium ad Nos relatu pervenisł aliquorum. Sane admirantes accepimus, quod vos non absque offensa rectitudinis, quę in vestris debet actibus haberi continue, specialiter Fratres Prędicatores, & eorum Ordini obligatos, frequenter ad vestrum recipientes Ordinem, unitatem spiritus in pacis vinculo non servatis. Verum eum ex hoc possit scissurę, & scandali, exoriri materia, quę, solatium pacis ęternę quęrentibus, debet omnibus existere peregrina, universitati vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię prçcipiendo, mandamus, quatenus tam Fratres eosdem, quam eorum Ordini voto vel juramento etiam obligatos, nullatenus de cetero prętextu indulgentię alicujus, seu aliquarum literarum obtentarum a Sede Apostolica, vel etiam obtinendarum in posterum, quę de prędictis expressam non fecerint mentionem, nisi prius Prioris sui petita fuerit, & obtenta licentia, recipere pręsumatis. Alioquin, decernentes irritum, & inane quicquid per vos in hac parte contra prçceptum nostrum contigerit attentari, prçsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi prçsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter reprçsentent, ab ea, sicut visum fuerit, absolvendi. Nulli ergo &c. Datum Lateran. XI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo. Exordium. Exponit culpabile. Inhibitio. Decretum irritum faciens. Excommunicationis pœna. Sanctio pœnalis.

1. *Ascribant.*) Dicam in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.* in Cœnobiis *Barchinonensi*, *Neapolitano*, *Avenionensi*, & *Claromontano*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum

Ædes sacras S. Mariæ ad Gradus Viterbien. visitantibus die Annunciationis Indulgentiam impertitur. Anno 1244 Die 4 Maii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Ecclesię S. Marię ad Gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXX.

LIcet is &c. (2). Datum Lateran. IV Nonas Maii. Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo exemplar. Autographum est in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* 2. *Licet is &c.*) Ut supra *XXV Martii MCCXXXVI.*

Donationem Ecclesiæ S. Fortunati Viterbien. Ordini nostro factam confirmat (1). Anno 1244 Die 6 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 561.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Ecclesię Sanctę Marię de Viterbio, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXI.

CUpiens dilectus filius noster Raynerius S. Marię in Cosmedin Diaconus Cardinalis, tunc Apostolicę Sedis Legatus, ne propter necessitates aliquas, seu hostiles incursus, quos Viterbien. Civitas frequenter pati-

Causa donationis.

patitur, vel ad alia vestra loea secedere, vel intus io Civitate prędicta oporteat vos cum secularibus commorari; super hoc honestati Religionis vestrę consultius providere, vobis Ecclesiam Sancti-Fortunati Viterbien., cum ipsius domibus ad utilitatem vestram, commoditatem, & usum, de voluntate, ac consensu dilectorum filiorum Magistri Petri Camicarii, sui Prępositi, & Johannis Presbyteri, Canonici ejusdem Ecclesię, pleno jure duxit perpetuo concedendam: Ita tamen quod iidem Prępositus, & Canonicus in vita sua plenarium Dominium habeant, & solito more disponant, & ordinent, tam de ipsa Ecclesia, quam de domibus, terris, & possessionibus, spectantibus ad eandem; promittentes, quod quaodocunque vobis necessitas immineret, vos, & res vestras in prędicta Ecclesia, & suis domibus, liberaliter receptabunt; quibus decedentibus, vel ad alia loca vocatis, pręfatam Ecclesiam, sicut dictum est, libere disponatis, prout licet vobis, juxta vestri Ordinis instituta, sicut in literis ipsius inde confectis perspeximus contineri.

Confirmatio.

Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinale super hoc pie, ae provide factum est, ratum, & gratum habentea, id auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocioio communimus.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo &c. nostrę confirmationis &c. Datum Lateran. II Nooas Maii, Pontificatus oostri Anno Primo.

s. *Confirmat.*) Sequens Diploma legendum.

Anno 1244
Die 10 Maii.

Donationem Ecclesiæ & Cœnobii S. Mariæ in Gradibus nobis a Raynerio [1] factam confirmat.

Ex Arch. [2] *Ord. lib. A. fol.* 562.

LXXII.

Innocentius Episcopus, Servos Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ecclesię S. Marię in Gradibus, Ordinis Fratrum Prędicatorum Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę a Fratribus nostris, pręcipue pro ampliando cultu divini nominis, iovenimus provide ordioata, libenter confirmationis munimine roboramus, ne cujusque temeritas illa concutere audeat, vel turbare.

Ecclesia Sanctæ Mariæ in Gradibus constructa sumptibus Cardinalis Raynerii.
Ab omni jure patronatus libera.

Sane dilectus filius noster Raynerius S. Marię in Cosmedin Diaconus Cardinalis, cupiens transitoria pro ęternis, & terrena pro cęlestibus felici commercio commutare, ad honorem Dei, & gloriosę Virginis Matris ejus Ecclesiam S. Marię in Gradibus de Viterbio suis expensis, & sumptibus in remissionem suorum peccaminum, fecit construi, & fundari, eamque cum ipsius ambitu Ordini vestro in perpetuum conferens, ab omni jure patronatus, & aliis servitutibus liberam eandem de eetero esse voluit, & immunem, in plenam libertatem ipsius firmiter statuendo, ut oullus post decessum *suum ratione* soli, fundationis, vel dotis, ex quibus Jus Patronatus solet competere, aliquibus servitiis, pręsentationibus, seu processionibus pręsumat dictam Ecclesiam molestare, ac quampluribus libris, Calicibus argenteis, pannis sericis, & aliis ad ornatum Ecclesię pertinentibus, dotavit Ecclesiam supradictam, expresse prohibens, ne Fratrum existentium ibidem pro tempore aliquis de ornamentis, vel utensilibus inferius exprimendis, impignorare, vendere, vel alienare, seu ad alia loca transferre pręsumat. In quibus omnibus integrum dominium, & plenam, dum vixerit, habere voluit potestatem, prout io literis ejusdem Cardinalis confectis exinde perspeximus plenius contineri.

Confirmat ut supra.
Donatio Cardinalis Raynerii.
Domus concessa.
Ab omnimoda servitute Cœnobium eximitur.
Libri dati.
Ecclesiastica ornamenta.

Nos igitur quod a pręfato Cardinale pie, ac provide factum est, in hac parte ratum, & gratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus, earundem literarum tenorem pręsentibus de verbo ad verbum inseri faciendo, qui talis est. Nos Raynerius, miseratione Divina S. Marię in Cosmedin Diaconus Cardinalis, Apostolicę Sedis Legatus. Cum ad honorem Dei, & gloriosę Virginis Matris ejus Ecclesiam S. Marię in Gradibus de Viterbio nostris expensis, & sumptibus in remissionem peccatorum nostrorum construi fecerimus, & fundari, dictam Domum, eum ipsius ambitu, quam Ordini Fratrum Prędicatorum in perpetuum concedimus, ab omni Jure patronatus, & aliis servitutibus, liberam de cetero esse volumus, & immunem, in plenam libertatem ipsius, firmiter statuentes, ut oullus post decessum nostrum, ratione soli, fundationis, vel dotis, ex quibus Jus Patronatus solet competere, aliquibus servitiis, pręsentationibus, seu processionibus eandem Ecclesiam molestare pręsumat, ad cujus decorem, & servientium ibidem profectum in remissionem nostrorum peccaminum ipsi Ecclesię libros coocedimus infrascriptos, videlicet. Quatuor Biblias, unam tamen illarum glosatam. Item unum par Sententiarum. Item unum par Historiarum [3] pręter actus. Item flores moralium. Item Summam Magistri Guillelmi [4], sed oon completam. Item Decretales veteres, & unum Decretum cum multis aliis rationibus. Unum Missale, uoum Evangelistare, & unum Epistolare. Item duas Biblias, quę nostro studio eidem Ecclesię obvenerunt, quarum una fuit quondam Magistri Guillelmi Domini Papę Notarii, & alia quondam Magistri Johannis de Sancto Germano Domini Papę Capellani. Similiter vero Ecclesiastica oroamenta, scilicet. Quatuor Calices argenteos deauratos, Thuribulum argenteum cum Incensario [5] similiter de argento, unum par Ciminilium [6] de argento. Item uoam Planetam [7] rubeam, & Dalmaticam, & Tunicam ejusdem coloris. Item unam Planetam purpuream, cum Dalmatica, & Tunica ejus qualitatis. Item unam Planetam Albam cum Dalmatica, & Tunica ejusdem coloris, & unam Planetam de examito [8] violato [9], quę omnia sunt aurisrigiata [10]. Item unum Camisum [11] Episcopale cum Aurifrigio [12]. Item duos Baldacchinos [13], & unum pannum de Diaspide [14] & alium pannum rotatum [15] pro Altari. Item duo pluvialia de examito rubeo, & unum aliud de purpura. Item duas ampullas argenteas deauratas. Item duas alias simplices de argento. Item unam ampullam crystallinam paratam cum argento pro Reliquiis. Item unum Vas magnum de crystallo. Item unam Crucem parvulam de argento cum Ligno Dominico, & catena argentea. Item unam Planetam de Examito morticino [16]. Item unam telam de purpura. Item unum Baldacchinum divisum in duabus partibus. Item quinque Stolas nobiles factas cum auro, cum manipulis suis. Item unum magnum aurifrigium [17] pro Altari cum fimbria. Item tria alia aurifrigia minora cum fimbriis suis. Item unum magnum tapetum, & quatuor alia tapeta minora. Item anulum aureum Episcopalem. Item Baculum Pastoralem de Ebore. Item unum pectinem [18] de ebore. Item duas

duas Tobaleas [19] fericas pro patena tenenda, unam rubeam, & aliam albam. Item octo aurifrigia pro.... [20]. Item octo Tobaleas magnas pro Altari. Item octo parvas. Item unam Tobaleam magnam [21] liftatam [22] pro Altari. Item quatuor Cortinas [23], & alia plura, tam ferica, quam linea, quę in ornatu Altarium, & Paramentis Sacerdotum confiftunt, Fratribus ibidem morantibus, pro animę noftrę remedio concedimus, & donamus. Prohibemus expreffe ne ipforum aliquis, vel omnes fimul, de dictis libris, ornamentis, vel utenfilibus, impignorare, vendere, vel alienare, feu ad alia loca transferre præfumat. In quibus omnibus Integrum dominium, & plenam dum vivimus habere volumus poteftatem. Adjuramus autem fub obteftatione Divini Judicii unumquenque, ne quifque audeat de prędictis alienare aliquid quoquo modo, alioquin fententiam excommunicationis incurrat, & Reginę Cęli teneatur de hoc exceffu in ultimo Judicio refpondere. In cujus rei teftimonium, & cautelam pręfens fcriptum fecimus noftri figilli munimine roborari. Datum Viterbii anno Domini MCCXLIV, Menfe Februarii in Purificatione B. Marię Virginis, Pontificatus Domini Innocentii Papę IV Anno Primo. Nulli ergo &c. noftrę confirmationis &c. Datum Laterani VI Idus Maii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Abalienationem quamcunque interdicit.

Sanctio poenalis.

1. *Raynerius.*) Inter Patronos fingulares nafcentis Ordinis reputandus Cardinalis *Raynerius*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad An. MCXCVIII pag. 34.*
2. *Archivo.*) In quo aliud eft exemplar Authenticum, cujus Autographum extat in Cœnobio noftro *Viterbienfi*.
3. *Hiftoriarum.*) Cujufque generis codex paffim ab antiquis *Hiftoria* dictus: Sic *Vuillelmus Heda* in *Conrado Epifcopo Trajectenfi* hæc habet: *Textum Evangeliorum..... Hiftoriam, id eft Medicinalem librum &c.*
4. *Guillelmi.*) *De Seliniaco* nuncupabatur. Floruit XIII Seculo.
5. *Incenfario.*) Cum de *Thuribulo* ibi mentio fuerit, dicendum *Incenfarium*, Cymbium effe, feu naviculam incenfi, ut dicunt, capfellam nempe thurariam.
6. *Ciminilium.*) Sic vas argenteum feu peluis vocatur *Cap. XXIX De verbor. fignificatione.*
7. *Planetam.*) A voce Græca πλανήτης, quia corpus circumdat facra veftis, quam Cafulam vocant, *Planeta* nuncupatur. *Macri* in *Sacro Dictionario*.
8. *Examito.*) Panno fcilicet fex filis contexto.
9. *Violato.*) Id eft Violacei coloris.
10. *Aurifrigiata.*) Id eft: *Habent auream fimbriam*, limbum nempe aureum.
11. *Camifum.*) Supparum crediderim, vulgo Rochettum; *Albam* enim, non *Camifum*, fed *Camifiam* vocant.
12. *Aurifrigio.*) Arridet *Macri* fententia, qui *Aurifrygiam Mitram* effe probat in *Sacro Dictionar. Edit. II.*
13. *Baldacchinos.*) Genus panni pretiofi de quo *Ducange in Gloffario*. Sic etiam Umbellam vocant.
14. *Diafpide.*) Id eft diverfi coloris. Idem in *Gloffar.* verbo *Diafpras*.
15. *Rotatum.*) Seu Rotarum figuris diftinctum.
16. *Morticino.*) Coloris fcilicet Nigri.
17. *Aurifrigium.*) Sic etiamnum, ut ufus XIII feculi ferebat, rem Divinam folemniter peragentes Epifcopi, unam gerunt, & aliam Mitram habent fupra Altare.
18. *Pectinem.*) Nec miror, olim fiquidem Sacra celebraturus nedum manus lavabat, fed etiam pectine caput poliebat Sacerdos; ut videre eft ex *Cæremoniali Mf. Abbatis Rotaldi*.
19. *Tobaleas.*) Seu *Toballas*, ideft Vela.
20. *Pro...*) Forte: *Miniftris*.
21. *Tobaleam magnam.*) Mappam videlicet, qua Altare infternitur.
22. *Liftatam.*) Id eft, cujus extremitas ferico panno fuccingitur.
23. *Cortinas.*) Seu *Vela*.

Generali [1] Magiftro, & Definitoribus Generalis Capituli [2], ut Monafterii S. Sixti de Urbe curam fufcipiant.

Anno 1244
Die 14 Maii.

Ex Archivo [3] Ordinis.

LXXIII.

Innocentius Epifcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epifcopo quondam Bofnen. Magiftro, & dilectis filiis Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

CUm dilectę in Chrifto filię Priorifla, & moniales Monafterii S. Sixti de Urbe, inclufę corpore in Caftris clauftralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, Inftitutiones veftri Ordinis hactenus laudabiliter obfervarint, Nos nuper (4) duximus ftatuendum, ut eędem fub Magifterio, & doctrina Magiftri, & Prioris Provincialis Tufcię dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, permaneant, ipfique Magifter, & Prior, eifdem Priorifię, ac Monialibus de Fratribus fuis in earum Monafterio fufficientes deputare Fratres tam Clericos, quam Converfos, & Priorem difcretum, ac providum ibidem inftituere debeant refidentem, qui eos, & prędictas Priorifiam, & Moniales, verbo inftruat, & exemplo, & corrigat etiam delinquentes, ficut tempore Beati Dominici, & bonę memorię Jordani, & Fratris Raymundi ejufdem Ordinis Magiftrorum fieri confuevit, iidemque Fratres prędicti Ordinis beneficiis, & privilegiis, ficut Fratres alii dicti Ordinis libere potiantur, ac eadem, qua ipfi Fratres omnino gaudeant libertate. Quia vero, ficut intelleximus, tu frater Epifcope Priorem prędicto Monafterio fubtrahens, nec alium fubrogare curans eidem, ut Frater ibi permanens confeffiones earum non audiat, & Converfus non equitet, nec in earum poffeffionibus perfonalem refidentiam faciat, contra confuetudinem fuper iis fervatam hactenus, mandavifti in abufionem prędicti Statuti noftri, ac gravem earum, & prędicti Monafterii lęfionem. Nos volentes, ut per vos ipfos talia corrigatis, univerfitati veftrę per Apoftolica fcripta firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus Priorem reftituentes eifdem, mandata hujufmodi fine difficultate qualibet revocantes, ad facienda fimilia, vel ftatuenda aliqua contra pręmiffi ftatuti noftri tenorem, per quę profectus ipfius Monafterii valeat impediri, abfque fpeciali noftra licentia nullatenus procedatis. Nos enim decernimus irritum, & inane, fi fecus duxeritis, quod non credimus, attentandum. Datum Lateran. II Idus Maii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Exordium.

Idem hac de re ab ipfomet Innocentio fancitum.

Mandat ut fupra.

Decretum irritum faciens.

1. *Generali.*) Is erat *F. Johannes Teutonicus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*
2. *Capituli.*) *Bononienfis* Die XXII Maii hoc Anno celebrandi.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum affervatur in Monafterio *SS. Dominici & Sixti de Urbe*.
4. *Nuper.*) Vide fuperius *III Februar. MCCXLIV*, ubi, quod hic defideratur, legere eft.

Ne

Anno 1244
Die 17 Junii.

Ne quis, solido probationis Anno nondum expleto, Vota solemnia nuncupet (1).

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 565.

LXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cur concessum probationis tempus.
Quid circa recipiendos prąecipiat S. Benedictus.
Noviriis infra annum liber est regressus ad seculum.
Benedicendæ, seu consecrandæ vestes illius, qui Vota solemnia nuncupat.
Inhibitio.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam Monasterii, probationis tempus a SS. Patribus est indultum, ut ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri. In Regula quoque B. Benedicti pręcipitur, ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura, & aspera, per quę itur ad Dominum, exponantur. Pręterea in eadem Regula subjungitur, ut dicatur: Ecce Lex, sub qua militare desideras, si eam observare potes, ingredere, alioquin liber venisti, liber discede. Insuper fel. rec. Gregorius (3) Papa, Prędecessor noster, statuit, ut positi in probatione Novitii ante susceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam, ad statum pristinum redire possint libere infra annum; & ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam (4) locis religiosis Novitiorum habitus non distinguatur ab habitu Professorum, Professionis tempore benedicantur vestes, quę Profitentibus conceduntur, ut Novitiorum, ac Professorum Habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino solicite cupiatis; quia tamen decet, & expedit, ut conscientię puritati non desit judicium rationis; ne unde spiritualis profectus quęritur, inde salutis dispendium subsequatur; vobis de fratrum nostrorum consilio, in virtute obedientię, sub pęna excommunicationis, auctoritate pręsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanę regulariter institutus, quenquam ad Professionem vestri Ordinis, seu renunciationem seculi faciendam, recipere pręsumatis, nec constitutum in probatione Novitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum probationis ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat, sicut de sua processerit libera voluntate.

Derogationes.

Non obstantibus statuto contrario, si quod a vobis est editum, quod irritum decernimus, & inane, vel aliquibus literis a Sede Apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quę de pręmissis expressam non fecerint mentionem.

Decretum irritum faciens.
Pœna suspensionis & gravioris culpæ.
Sanctio pœnalis.

Quod si forte contra hujusmodi inhibitionem quenquam recipere pręsumpseritis, decernimus (5), eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro Ordini esse alligatum; vosque a receptione quorumlibet ad Professionem ejusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pęnę subiiciendos, quę Fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit. Nulli ergo &c. nostrę Inhibitionis, & Constitutionis &c. Datum apud Civitatem Castellan. [6] XV Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Nuncupet.*) Diximus supra *XI Julii MCCXXXVI.*
2. *Archivo.*) Authographa tenent Conventus *Mediolanensis*, & *Claremontanus*, Adeas *Ususmarem pag. 19.*
3. *Gregorius.*) *IX.* Diplomate mox laudato.
4. *Quibusdam.*) Apud nos nulla distinctio.
5. *Decernimus.*) Dicam in *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo, Titulo II.*
6. *Civitatem Castellanam.*) XXVIII ab Urbe Milliario.

Anno 1244
Die 24 Junii.

Interpretationem quarundam Bullarum a mente Pontificis alienam explodit [1].

Ex Bullar. [2] Ususmaris pag. 19.

LXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Decurrit per capita, quæ de præsenti materia jam jam constituerat, primo de non admittendis ad Ordinem nostrum Fratribus Minoribus.
Secundo ne ante Annum elapsum Novitius vota solemnia nuncupet cum in nostro, tum in Minorum Ordine,

MEminimus, vobis olim in virtute obedientię, per nostras literas pręcepisse, ut Fratres Minores, & Ordini eorum voto vel juramento etiam obligatos, nullatenus de cetero, pretextu indulgentię alicujus, seu aliquarum literarum obtentarum a Sede Apostolica, vel etiam obtinendarum in posterum, quę de illis expressam non fecerint mentionem, pręsumeretis recipere, nisi prius Ministri sui petita foret licentia, & obtenta. Decrevimus etiam irritum, & inane, quicquid per vos in hac parte contra pręceptum nostrum contingeret attentari: Statuentes, ut hujusmodi pręsumptores, incurrerent excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolvi possent, nisi se ad Sedem Apostolicam, ab ea, sicut visum foret, absolvendi, personaliter pręsentarent. Verum quia postmodum per alias literas vobis, & eisdem Fratribus, districtius duximus inhibendum, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanę regulariter institutus, quenquam ad professionem vestrorum Ordinum pręsumeretis recipere, seu ad renunciationem seculi faciendam, nec constitutum in probatione Novitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum probationis ad Religionem aliam, quam mallet, transiret, sicut de sua procederet libera voluntate, non obstantibus statuto contrario, si quod a vobis esset editum, quod irritum decernimus, & inane, vel aliquibus literis Apostolicę Sedis impetratis, seu etiam impetrandis, quę de prędictis expressam non facerent mentionem; Et si forte contra hujusmodi nostram inhibitionem, quenquam vos, vel dicti Fratres, reciperetis, qui taliter receptus existeret, nullatenus vestro esset, nec dictorum Fratrum Ordini alligatus, vosque, ac ipsi, a receptione quorumlibet ad professionem dictorum Ordinum essetis ipso facto suspensi, & insuper pęnę deberetis subjici, quę Fratribus ipsorum Ordinum pro culpis infligi gravioribus consuevit;

Interpretationem explodit.
Sanctio pœnalis.

Nos quę de obligatis Ordini prędictorum Fratrum, in pręmissis nostris literis diximus, ne ipsos recipere pręsumatis, statuendo, ut hujusmodi pręsumptores, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrant, de illis tantum intelligi volumus, quos post prędictum annum probationis elapsum, eorum esse constiterit Ordini alligatos. Nulli ergo &c. Datum apud Civitatem Castellan. VIII Kal. (3) Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Explo-*

1. *Explodit*.) Legesis praecedens Diploma, & aliud *Datum XXI April. MCCXLIV.* Consulendi etiam *Rodericus in nova Collectione Privileg. Regularium pag.12, & Vvaddingus Annal. Minor. Tomo I pag.63*, exscripserunt enim Diplomata ejusdem tenoris, quae in gratiam Fratrum Minorum concessere Pontifices.

2. *Bullario*.) Asservatur Autographum in Coenobiis *Tolosano, Barchinonensi, Mediolanensi, Bergomensi, & Claromontano*. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *VIII Kalend.*) Ergo ab Ordinationis, seu Consecrationis suae, non autem electionis Die, Annos Pontificatus sui computabat *Innocentius IV*; alias *VIII Kalendas Junii*, seu *Die XXIV Mensis Junii*, non annus *Primus*, sed annus *Secundus* Pontificatus inscriberetur.

Anno 1245 Die 23 Januar.

Episcopo Conzeranensi (1), ne quis molestiam Fratribus nostris exhibeat.

Ex Percino Monum. Tolos. pag. 209. col. 1.

LXXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Conzeranensi Episcopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD augmentum Catholicę Fidei totis viribus intendentes, & omnis diligentię studium, ut laudabiliter, auctore Domino, provenire valeat, adhibere cupimus, & illa, quorum occasione possit quomodolibet impediri, penitus removere. Hinc est, quod, cum dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, quibus ejusdem Fidei negotium in Provincia per Sedem Apostolicam est commissum, molestari sępius, procurante humani generis inimico, contingat, quominus ipsius negotii promotio votis succedat: Nos volentes super hoc dictis Fratribus, immo potius eidem negotio de remedio consulere opportuno, fraternitati tuę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus Fratres eosdem, super his, quę in Provincia (2), citra Rhodanum (3) circa idem negotium sunt ab eadem Sede provisa, vel Fratribus commissa prędictis, non permittas ab aliquibus molestari. Molestationem hujusmodi, absque judicii strepitu, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio (4) generali, dummodo ultra tertiam, & quartam dietam extra suam diœcęsim aliquis auctoritate pręsentium non trahatur. Datum Lugduni X Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Præcipit ut supra.

1. *Conzeranensi*.) Seu *Conserano*, in *Vasconia*.
2. *Provincia*.) Cujus fines designavimus supra ad *XVIII Julii MCCXLIII.*
3. *Rhodanum*.) Fluvius *Occitaniam* a *Provincia* diriment; unde *citra Rhodanum*, id est in *Occitania*, etenim *Lugduni* tunc erat *Innocentius*.
4. *Concilio*.) *Lateran. IV Cap. XXXVII.*

Anno 1245 Die 29 Januar.

Archiepiscopo Auxitano (1), & F. Petro Garnerio, ut reforment Monasterium S. Crucis Burdigalen. (2) Ordinis Sancti Benedicti.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 567.

LXXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Auxitano, & dilecto filio Fratri Petro Garnerio Ordinis Fratrum Prędicatorum Burdigalen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum exponit.

CUm, sicut ex parte dilecti filii Abbatis, & Conventus Monasterii Sanctę Crucis Burdigalen., Ordinis Sancti Benedicti Nobis extitit intimatum, a nonnullis ejusdem Monasterii Monachis, tam obedientiariis (3), quam aliis, multa committantur . . . . . ., quę limam Apostolicę correctionis exposcunt, mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, & habentes prę oculis solum Deum, corrigatis, & reformetis ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noveritis indigere. Contradictores &c. Non obstante indulgentia Sedis Apostolicę, qua Fratribus Prędicatoribus concessum esse dicitur, ne de causis cognoscere teneantur inviti per literas Apostolicas, quę de hujusmodi indulgentia specialem non fecerint mentionem. Quod si non omnes &c. tu, frater Archiepiscope, cum eorum altero &c. Datum Lugdun. IV Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

1. *Auxitano*.) In *Aquitania*.
2. *Burdigalen.*) Ibidem ad *Garumnam* fluvium.
3. *Obedientiariis.*) Seu Praepositis, ut Priori, Suppriori &c. inferiorum Monasteriorum; quae ex eo *Obedientiae* nuncupantur, quod ab alio majori Monasterio fundum beneficiatum habent.

Anno 1245 Die 1 Februar.

Provinciali Angliæ, ut Fratrem Robertum de nostro ad Ordinem S. Augustini transferat (1).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 566.

LXXVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum Anglię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte Fratris Roberti de Fornualis tui Ordinis, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum ipse nimia, & quasi incurabili corporis infirmitate gravatus, asperitatem ejusdem Ordinis nequeat sustinere, quod ad Ordinem Sancti Augustini transire valeat, non obstante Professione, quam ibi fecisse dicitur, & indulgentia, qua Ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum, ut Fratres ejusdem in alio Ordine recipi non valeant, dispensare cum eo, qui de Nobilibus est ortus natalibus, misericorditer curaremus. Volentes igitur tibi, qui super iis potes scire plenius veritatem, in hac parte deferre, mandamus, quatenus,

Mandat ut supra.

fi eti ita, super premissis auctoritate nostra dispenses, prout animę suę saluti videris expedire. Datum Lugd. Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Transferat.*) De his in *Tractatu De consensu Bullar. Tit. XII Tomo ultimo*.

Anno 1245 Die 6 Februar.

F. Henrico (1) nonnulla concedit privilegia pro Livonia (2), Prussia, & Terra Culmensi.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 568.

LXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Henrico Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Dat ipsi facultatem concedendi Indulgentiam viginti dierum.

Item absolvendi ab excommunicatione Crucesignatos.

Dispensandi quoque super Irregularitate.

Absolvendi demum quosdam, excommunicatos a Legato S. Sedis.

Digne volentes, ut causa Christi, quę in Livonię, ac Prussię partibus agitur, per nostrę provisionis auxilium, Deo propitio, prosperetur, tibi ampliationem Catholicę Fidei, sicut a multis asseritur, ex animo diligenti prękentium auctoritate committimus, ut iis, qui de terra Culmen., & Prussię, qui ad tuam Prędicationem accesserint, & etiam, qui pro faciendis ędificiis, ac fossatis, & aliis munitionibus, defensioni Fidelium dictarum partium opportunis, laborem subierint in personis propriis, vel expensis, viginti dies de injuncta penitentia relaxare valeas, ac etiam illis ex Crucesignatis Clericis, & Laicis in terris hujusmodi constitutis, qui pro violenta manuum injectione in Religiosas Personas, & Clericos seculares, pro incendiis, & Ecclesiarum fracturis, seu rapinis, excommunicationis laqueum incurrerunt, juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impertiri, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter, ac eorum non fuerit gravis, & enormis excessus, propter quem merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Cum illis autem ex Clericis memoratis, qui facti immemores, vel juris ignari, excommunicati receperunt Ordines, & Divina celebraverunt Officia, prout eorum saluti videris expedire dispenses. Si vero scierint, & talia non in contemptum clavium pręsumpserunt, eos per biennium ab Ordinum executione suspensos, & imposita sibi salutari penitentia, postmodum ad gratiam dispensationis admittas, si videris expedire. Ceterum Pomeranos (3), & alios, qui propter invasionem Prussię, seu terram Culmen., lata per ven. fratrem nostrum Sabinen. (4) Episcopum, tunc in partibus illis Apostolicę Sedis Legatum, excommunicationis sententia sunt astricti, juxta prędictam formam, & pręmissę satisfactionis modum absolvere valeas, necnon ut neophytis, & Apostatis, ad unitatem Ecclesię redire volentibus, qui pro eo, quod aliquos ex Fratribus S. Marię Hospitalis Teutonicorum, vel ex aliis Fidelibus peremerunt, aut discrimen alias intulerunt, eadem sunt excommunicatione ligati, possis juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impertiri, tibi auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Datum Lugdun. VIII Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Henrico.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Livonia.*) Tandem etenim aliquando turpi jugo colla eripuerant viri Catholici, & a Crucigeris confirmati *Teutonici Fratres e Livonia, Prussia*, ac terra *Culmensi* fugarant Infideles. Sed proh dolor! *Suvantopelkus, Pomerania* Dux, Equites *Teutonicos*, ne latius proferrent imperium Fidei Christianæ, sic lacessebat, ut regionem *Culmensem* rapinis, igne, ferro, cædibusque vastaret. Quapropter ne Milites Christi defervescerent, sed hostes acrius urgerent, F. *Henrico*, quem laudibus effert, scripsit *Innocentius*. Legendum *Diploma Datum VII Octobr. MCCXLV*. Huc respicit aliud exscriptum *libro A. fol. 569*.
3. *Pomeranos.*) Qui in Circulo *Saxoniæ* superioris.
4. *Sabinensem.*) *Johannem* scilicet, de quo sæpius supra.

Anno 1245 Die 6 Februar.

F. Henrico [1], ut inducat Episcopum Prussiæ ad eligendam, quam maluerit, ex Diœcesibus limitatis in Prussia, alioquin interdicat ipsi cujuscunque Diœceseos administrationem.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 569.

LXXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Henrico de Ordine Prędicatorum, Capellano venerabilis fratris nostri Episcopi Sabinen. Apostolicę Sedis Legati, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

Injunxisse meminimus ven. fratri nostro Christiano Episcopo Prussię, ut unam, quam vellet, deberet eligere de Prussię Diœcesibus, auctoritate Sedis Apostolicę limitatis. Quocirca mandamus, quatenus prędictum Episcopum sub testimonio plurium diligenter moneas, & inducas, ut infra duos menses post monitionem tuam, unam, quam maluerit &c. (2), alioquin ex tunc administrationem, & curam in singulis Prussię Diœcesibus, auctoritate nostra interdicas eidem. Datum Lugdun. VIII Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Henrico.*) De quo in praecedenti Diplomate:
2. *Maluerit &c.*) Sic in *libro A. loco laudato*, nec habet unde possit expleri lacuna. Adderem: *Eligat*.

Clericis per Lugdunenſem (1) Provinciam conſtitutis, ut Theologiæ ſtudentes in Scholis (2) noſtris Divionen. Beneficiorum proventus integre percipiant.

Anno 1245 Die 6 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 567.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Clericis per Lugdunen. Provinciam conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXI.

Dilectę in Chriſto filię, Nobilis mulieris, Duciſſę (3) Burgundię precibus inclinati, auctoritate vobis preſentium indulgemus, ut quicunque veſtrum in ſcholis Fratrum Prędicatorum Divionen. (4), Langonen. (5) Dięceſis ſtudio inſtiterint Theologię, Beneficiorum ſuorum proventus integre percipiant, ac ſi Pariſius in eodem ſtudio morarentur. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis &c. Datum Lugduni VIII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulget ut ſupra.

1. *Lugdunenſem.*) Inter *Delphinatum* & *Breſſiam* ad ortum, & *Forenſem* Provinciam ad occaſum, ſita eſt *Lugdunenſis* Provincia.
2. *Scholis.*) Ergo *Divionenſis* Theologiæ ſchola Fratribus noſtris a primis annis Ordinis concredita, Duciſſæ præſidio tecta, & a Summo Pontifice privilegio *Pariſienſis* Univerſitatis donata. Conſule *Tract. de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*
3. *Duciſſa.*) Cui nomen *Alixia de Vergiaco*, *Eudonis III* Ducis *Burgundiæ* conjux, Mater *Hugonis IV.*
4. *Divionen.*) *Divio* alias *Lingonum*, nunc *Burgundiæ* caput, & ſupremi Senatus ſedes.
5. *Langonen.*) Seu *Lingonenſis*, vulgo *Langres*.

Uſpalenſi (1) Archiepiſcopo, & Provinciali Daciæ (2), ut Fillandriæ Epiſcopi ceſſionem admittant.

Anno 1245 Die 8 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 570.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Uſpalen., & dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Dacia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXII.

Thomas Epiſcopus Fillandrię (3) nobis humiliter ſupplicavit, ut, cum idem quendam fecerit mutilari, qui hujuſmodi occaſione mortem incurrit, ac quaſdam literas Apoſtolicas pręſumpſerit diabolico inſtinctu falſare, propter quod non poteſt licite Paſtorale Officium exercere, ceſſionem eiuſdem recipere curaremus. Nos igitur ipſius ſaluti providere volentes, mandamus, quatenus ceſſionem eandem vice noſtra recipere procuretis. Datum Lugdun. VIII Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandat ut ſupra.

1. *Uſpalen.*) Seu *Upſalienſi* in *Svecia*.
2. *Dacia.*) Etenim in Capitulo Generaliſſimo *Pariſiis* Anno MCCXXVIII celebrato, ad octo Provincias a *S. P. Dominico* conſtitutas, quatuor, videlicet *Polonia*, *Dacia*, *Græcia* & *Terra Sancta* fuerunt adjunctæ. Hæc autem Provincia noſtra *Dacia* in *Dania*, *Svecia*, & *Norvegia* per id tempus habebat Cœnobia.
3. *Fillandria.*) Seu *Finlandia* in *Scandinavia*.

Univerſis Poteſtatibus Lombardiæ, ne Fratribus noſtris onera realia & perſonalia imponant (1).

Anno 1245 Die 23 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis Poteſtatibus, & Rectoribus, ſeu Vicariis, quocunque nomine cenſeantur, quibuſlibet, Civitatum, Caſtrorum, Locorum, Villarum Provincię Lombardię, ad quos prſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIII.

Dignum eſt, & ęquitati convenit, & rigori, ut Fratres Religionum per Sedem Apoſtolicam approbatarum, in divinis obſequiis laudabiliter ſervientes, non ſolum Clericali privilegio ſint muniti, verum etiam immunes ſint a Laicorum vexationibus univerſis. Sane Religioſorum Fratrum Ordinis S. Dominici, Provincię prenominatę, jamdudum clamoribus frequentibus receptis variis, & diverſis ſuper eo, quod eiſdem Fratribus Angarias (3), & pangarias (4), ac cetera onera realia, & perſonalia, quę foret longum narrare, injungitis, eoſdem Fratres ſuper prmiſſis gravaminibus perturbantes, Dominum prę oculis non habentes, Sedem Apoſtolicam non reverentes; Volentes, eundem Ordinem, & Fratres prefatos ab hujuſmodi moleſtiis, quę inſident cordi noſtro, auctoritate Apoſtolica defenſare, vobis, & cuilibet veſtrum, auctoritate premiſſa, diſtrictius, ſub interminatione Anathematis prohibemus, ne Fratribus antedictis de cetero injungatis aliquid de prmiſſis gravaminibus, quocunque queſito colore: quod ex nunc decernimus irritum & inane. Alioquin in preſumptores, ſeu quemlibet prſumptorem excommunicationis ſententiam proferimus in his ſcriptis. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis &c. Si quis &c. Datum Laterani (5) X Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium.

Fratrum expoſtulatio.

Inhibet ut ſupra.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Imponant.*) Conſule *Tractatum De Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo eſt exemplar, cujus Autographum habes in Cœnobiis *Mediolanen.* & *Bergomenſ.* Illud exſcripſit *Caſtellanus pag. 15.*
3. *Angarias.*) Id eſt *publicas Impoſitiones*, ut inquit *Macri* in *Sacro Dictionario*.
4. *Pangarias.*) *Angaria* ex eo differt a *Pangaria*, quod illa eſt obſequium perſonale expenſis propriis exhibendum, iſta vero eſt in illo, qui *ſervit cum alienis expenſis*, verba ſunt *Macri* mox laudati.
5. *Laterani.*) Sic Amanuenſis in exemplari, ſic etiam

Castellanus; Depravatio tamen manifesta. Legendum certe *Lugduni*, ubi tunc *Innocentius*. Mendum autem ea eo irrepsisse, crediderim, quod attendentes ad Majusculam *L.*, non *Lugdunum*, sed *Lateranum* cogitarunt illi, nec satis expenderunt ceteras Autographi literas.

Anno 1245 Die 8 April.

Incorporat Ordini Monasterium Montargii (1), cui communicat omnia, & singula Ordinis privilegia.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Provinciali Francię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. — Monasterium cooptat Ordini. Privilegia omnia nobis concessa ipsi communicat. — Electionem Priorissæ Conventui liberam declarat. — Confessiones Monialium excipient Fratres. — Delegandi Capellanos dat facultatem Magistro & Provinciali. — Monasterio possessiones esse poterunt. — D rogationes. — Possessionum administratores a Magistro vel Provinciale constituendi. — Omnia supradicta servanda decernit.

CUm sibi dilectis in Christo filia nobilis mulier Amicia (3) de Joguiiaco (4), & Balesibus, & natus ejus, Monasterii S. Dominici juxta Montem Argi, Senocentię (5) Diœcesis, Fundatores, in nostra propris presentia constituti, & dilectę in Christo filię Priorissa, & Sorores ejusdem Monasterii inclusę corpore in claustralibus Monasteriis, mente tamen liberę, secundum Ordinem vestrum desiderent Domino famulari; Nos eorum precibus inclinati, Monasterium ipsarum incorporantes Ordini supradicto, duximus statuendum, ut eędem Priorissa, & Sorores sub magisterio, & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Francię dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint tales, debeant retineri, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini supradicto ab Apostolica Sede concessa sunt, & in posterum concedentur: Ipsique Magister, & Prior, contraria consuetudine ipsius Ordinis, vel indulgentia ab Apostolica Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum ipsarum solicitudinem, & curam gerentes, ac ipsis Constitutiones ejusdem Ordinis, sine difficultate qualibet, exhibentes, eidem Monasterio, per se, vel alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc idoneos viderint, quoties expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo, & reformando, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio, noverint indigere: nihilominus instituant, & destituant, mutent, & ordinent prout in aliis Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis fieri consuevit. Electio autem Priorissę libere pertineat ad Conventum; Confessiones earum audiant, & ministrent eis Ecclesiastica Sacramenta, & ne pro eo, quod in eodem Monasterio ipsius Ordinis Fratres residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis, possit periculum imminere, prędicti Magister, & Prior ad confessiones in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta prędicta, deputent eis aliquos discretos, & probos Capellanos. Ad hęc liceat eisdem Priorissę, ac Sororibus, redditus, & possessiones recipere, ac easdem libere retinere; non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate aliis roboratis. Quorum administrationi, prędicti Magister, & Prior pręficiant aliquos viros idoneos, ipsosque inde removeant, & substituant alios, prout viderint expedire. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta firmiter prœcipiendo mandamus, quod omnia prœmissa, ad ministerium hujusmodi spectantia, vestra diligentia & solicitudine juxta constitutionum harum tenorem, sublato quocunque difficultatis dispendio, adimpleatis. Datum Lugduni VI Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Montargii.*) In Provincia *Insulæ Franciæ* in *Vastinio* Tractu.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Amicia.*) Filia *Simonis* Comitis *Montisfortis magni nominis & sancta mulier*, ut inquit *Humbertus in Chronicis apud Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 69.* ubi hæc habet Humbertus: *Quædam filia Comitis prædicti* (Simonis Montis fortis) *scilicet Domina Amicia de Joviniaco magni nominis, & sancta mulier, voluit multotiens, quod filius suus unigenitus, & excellentis gratia, intraret Ordinem, si Fratres voluissent, & in extremis agens ipse apud Cyprum in exercitu Regis Francorum* (S. Ludovici) *habitum nostrum suscepit, & factus est Frater. Ipsa quoque, sicut dixit, quia homo non erat, nec esse Frater poterat, ut saltem Soror fieret, fecit Domum Sororum de Monte-Argis, & bene dotavit, in qua taxatus est numerus quinquaginta Sororum, quæ speciali prærogativa sanctitatis & religionis fulgent in Francia, inter quas & ipsa sepulta requiescit. Fuit autem tanti ferveris, & animi in domus prædicta promotione, quod cum, Fratribus multis se opponentibus, licentiam construendi illam habere non posset aliquomodo ab Ordine, in propria persona multotiens ivit ad Curiam Papæ, & obtinuit literas efficacissimas ad suum desiderium consummandum.*
4. *Joguiiaco.*) Legendum Joviniaco vulgo Joigny.
5. *Senocentiæ.*) Seu *Senonensis*; sic enim *Bernard. Guidonis In Provincia Franciæ Monasterium de Monte Argino juxta Senonas.* Vide inferius *XII Octobr. MCCXLVII.*

Anno 1245 Die 7 Maii.

Monasterium S. Agnetis Argentin. (1) incorporat Ordini, & Provinciæ Teutoniæ.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 570.

LXXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Agnetis Argentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. — Incorporat. Electionem Priorissæ liberam declarat. Fratres Monialibus Sacramenta administrent.

CUm, sicut ex parte vestra fuit propositum coram Nobis, vos inclusę corpore in castris claustralibus, mente tamen libera Domino famulantes, Institutiones Ordinis Fratrum Prędicatorum hactenus laudabiliter duxeritis observandas, nos ad supplicationem dilectę in Christo filię nobilis mulieris Amicię (2) Dominę de Jovignaco, & Galcheti (3) nati ejus, familiaris nostri, devotionis vestrę precibus inclinati, vos, & Monasterium vestrum incorporantes Ordini supradicto, prędicta auctoritate statuimus, ut sub Magisterio, & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Teutonię dicti Ordinis, Indulgentia ab Apostolica Sede obtenta, seu obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum vestrarum solicitudinem gerentes, & curam, ac vobis Constitutiones ejusdem Ordinis sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per se, vel per alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc idoneos viderint, quoties expedierit, officium Visitationis impendant, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę reformationis, seu

corre-

correctionis officio noverint indigere; instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout in aliis Monasteriis Monialium ipsius Ordinis fieri consuevit. Electio tamen Priorissę libere pertineat ad Conventum; Confessiones vestras audiant, & ministrent vobis Ecclesiastica Sacramenta, &, ne pro eo quod in eodem Monasterio Fratres ipsius Ordinis residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis possit periculum imminere, predicti Magister, & Prior ad Confessiones in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta predicta, deputent vobis aliquos discretos, & providos Capellanos. Ad hęc liceat vobis redditus, & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto predicti Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis, quorum administrationi, prefati Magister, & Prior preficiant aliquos viros idoneos, ipsosque inde removeant, & substituant alios, prout viderint expedire. Nulli ergo &c. nostrę Constitutionis, & Concessionis &c. Datum (4) Lugdun. Non. Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Capellanos Monasterio assignandi dat facultatem.

Monasterio possessiones esse poterunt.

Administratores possessionum ab Ordine constituendi.

Sanctio poenalis.

1. *Argentin.*) In *Alsatia*.
2. *Amiciæ*.) De qua in præcedenti *Diplomate*.
3. *Galcheti*.) vulgo *Gaulcher*.
4. *Datum*.) Asservatur insuper aliud ejusdem tenoris Diploma in *Archivo Ordinis lib. A: fol. 614*, *Datum Lugduni Kalend. Junii*, *Pontificat. Innocentii IV Anno IV*, seu *MCCXLVII*.

Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ, ut Monasterium (1) S. Agnetis Argentin. Ordini cooptatum, seu incorporatum habeant.

Anno 1345 Die 7 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 572.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutonię, Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXXXVI.

CUm, sicut ex parte dilectę in Christo filię Priorissę, & Conventus Monasterii S. Agnetis Argentinen. fuit propositum coram Nobis, ipsę inclusę corpore in castris claustralibus, mente tamen libera Domino famulantes, Institutiones Ordinis Fratrum Predicatorum &c. (2) Quocirca firmiter precipiendo mandamus, quatenus omnia premissa ad ministerium vestrum spectantia curetis diligenter, & sollicite juxta constitutionis nostrę tenorem, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, adimplere. Datum (3) Lugdun. Nonis Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

1. *Monasterium*.) Legendum præcedens Diploma.
2. *Prædicatorum* &c.) Ut in præcedenti diplomate ad hæc usque verba: *prout viderint expedire*.
3. *Datum*.) Aliud ejusdem tenoris Diploma *Datum Lugduni Kal. Junii*, *Pontificat. Innocentii IV Anno IV*, seu *MCCXLVII*, habes in *Archivo Ordinis lib. A. fol. 615*.

Angliæ Regi (1), ne Karleolensis (2) Episcopus, aliique nonnulli ad Lugdunense Concilium venire teneantur.

Anno 1245 Die 23 Maii.

Ex Parisio Histor. Angliæ ad Annum MCCXLV pag. 444.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Anglorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXXXVII.

ERga personam tuam, tanquam filii & devoti Apostolicę Sedis specialis, paternum gerentes dilectionis affectum, precibus tuis, quantum cum Deo possumus, libenter attentum accommodamus auditum, & benignum impertimur assensum. Sane per dilectum Magistrum Laurentium (3) Nuncium tuum apud Sedem Apostolicam constitutum, & per literas Regias, a Nobis humiliter postulasti, ut cum instanti ęstate proponens ad perfidiam quorundam tuorum rebellium conterendam, exercitu congregato, dirigere gressus tuos, venerabilem Fratrem nostrum Karleolensem Episcopum, & dilectum filium Abbatem Vvestmonasteriensem custodię Regni tui, quandiu in expeditione permanseris, provido deputaris, ipsos, & venerabiles (4) fratrem nostrum Episcopum Landavensem, omnibus bonis Episcopatus sui per inimicos regios denudatum, & dilectos filios Sancti Ædmundi morbo podagrico laborantem, ac de Vvautham senio confractum, & confectum, Abbates, ne ad Concilium veniant, quod in instanti Festo Nativitatis Beati Johannis Baptistę, Deo dante, celebrabimus, haberemus benigne ac misericorditer excusatos. Nos itaque Celsitudinis Regię, Regnique tui propensius affectantes commodum & quietem, & tibi, ac pro te tuis, quantum pro Deo fieri potest, exhibere parati gratiam & favorem, devotioni tuę presentium auctoritate concedimus benignitate (5) postulata; sublimitatem tuam hortantes attente, ut moleste non feras, quod petitionem tuam pro venerabili fratre nostro Eboracensi Archiepiscopo in literis Regiis predictis expressam, & per memoratum Magistrum ex parte tua insuper Nobis inculcatam, super excusatione consimili, non duximus admittendam, quia cum ipse sit honorabile Ecclesię Dei membrum, ejus presentiam prefato Concilio credimus opportunam. Datum Lugduni X Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Supplex Regis petitio.

Concedit ut supra.

1. *Regi*.) Is erat *Henricus III*.
2. *Karleolensis*.) *Gualterus* noster, de quo in *Appendice ad Pontificatum Honorii III*.
3. *Laurentium*.) Legendus *Parisius* loco laudato.
4. *Venerabiles*.) Sic Amanuensis. Scribendum: *Venerabilem*.
5. *Benignitate*.) Forte: *Benigne*.

Priori

Anno 1245 Die 6 Junii.

Priori Tranensi (1), ut Ecclesias S. Jacobi, & S. Gervasii, Frasiano Clerico conferat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 572.

LXXXVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Prędicatorum Tranen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Cum nonnunquam ex benignitate Sedis Apostolicę consueta extraneis, & ignotis beneficentię dexteram extendamus, ad providendum dilecto filio Frasiano Clerico, nepoti bo: me: G.... [2] Sancti Adriani Diaconi Cardinalis, tanto promptiores inveniri debemus, quanto Clericum ipsum, pro eo quod dicto Cardinali attinuisse dignoscitur, ne illius in nobis videatur periisse memoria, gratia prosequi Nos convenit ampliori. Mandat ut supra. Hinc est, quod nos eidem Clerico volentes specialiter providere, mandamus, quatenus S. Jacobi, & S. Gervasii Ecclesias Tranen., quas prefatus Cardinalis obtinuisse dicitur, predicto Clerico auctoritate nostra conferas, ac ipsum in earundem corporalem possessionem Inducens, & defendens inductum, facias eidem de illarum proventibus integre responderi. Derogationes. Contradictores &c. Non obstante Sedis Apostolicę indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ne de Causis, quę ipsis a Sede committuntur eadem, cognoscere teneantur inviti. Decretum irritum faciens. Nos autem decernimus irritum, & inane, si secus de predictis Ecclesiis fuerit attentatum. Datum Lugduni VIII Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Tranensi.*) In *Apulia*.
2. *G....*) *Goffridi Castilionei* S. R. E. Cardinalis, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad An. MCCXLIII pag. 123.*

Anno 1245 Die 4 Julii.

Curæ Prioris Provincialis Teutoniæ Monasterium S. Catharinæ [1] Argentin. committit.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 576.

LXXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Catharinę Argentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Apostolicę (2) Sedis benignitas, prudentes Virgines, quę se parant accensis lampadibus obviam sponso ire, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio dignoscuntur. Supplex petitio monialium. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos inclusę corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, de Institutionibus Fratrum Ordinis Prędicatorum, illas, quę vobis competunt, hactenus laudabiliter duxeritis observandas, ac committi Magistro & Priori Teutonię ipsius Ordinis affectetis: Nos pium vestrum propositum in Domino commendantes, devotionis vestrę precibus inclinati, vos, & Monasterium vestrum, auctoritate presentium, Magistro, & Priori committimus, supradictis; eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut sub Magisterio, & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Teutonię dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini predicto ab Apostolica Sede concessa sunt, Committit ut supra. vel in posterum concedentur: ipsique Magister & Prior, contraria constitutione ipsius Ordinis, vel indulgentia ab Apostolica Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum vestrarum Derogationes. solicitudinem gerentes, & curam, ac vobis de Constitutionibus ejusdem Ordinis, illas, quę vobis competunt, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per se, vel per alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quoties expedierit, visitationis Officium impendant, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noverint indigere; Facultas delegandi Capellanos. nihilominus instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout in aliis Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis fieri consuevit. Et ne pro eo, quod in Monasterio vestro ipsius Ordinis Fratres residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis possit periculum imminere, predicti Magister, & Prior ad Confessiones in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta predicta, vobis deputent Possessiones habendi. Derogationes. aliquos discretos, & providos Capellanos. Ad hęc liceat vobis redditus, & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Sanctio pœnalis. Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lugduni IV Non. Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *S. Catharinæ.*) In circuitu enim Civitatis *Argentinensis* ante Annum MCCCIII Septem Monasteria Ordinem obtinuisse liquet ex *Bernardo Guidonis*.
2. *Apostolicæ.*) Notat Amanuensis *Libri A. fol. 578*, eodem modo scripsisse Pontificem Priorissis, & Conventibus Monasteriorum *S. Elisabeth, S. Marci, S. Johannis, & S. Matthæi Argentinen.*

Anno 1245 Die 4 Julii.

Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut Monasterii S. Catharinæ Argentinen. [1] curam habeant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 578.

XC.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutonię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Apostolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę se parant accensis lampadibus obviam sponso ire, tanto propensiori debet studio prosequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio

suffragio dignoscuntur. Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę, & Conventus Monasterii S. Catharinę Argentinen. fuit propositum coram nobis, eędem inclusę corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, de Institutionibus Ordinis vestri, illas, quę ipsis competunt, hactenus laudabiliter duxerint observandas, ac committi vobis affectent, Nos pium ipsarum propositum in Domino commendantes, devotionis earum precibus inclinati, ipsas, & Monasterium ipsarum auctoritate pręsentium vobis, Magister, & Prior, committimus; eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut sub Magisterio & Doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Teutonię dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneant, illis gaudentes privilegiis, quę Ordini prędicto ab Apostolica Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur: vosque, Magister, & Prior, contraria constitutione ipsius Ordinis, vel indulgentia ab Apostolica Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum ipsarum solicitudinem gerentes & curam, ac ipsis de Constitutionibus ejusdem Ordinis, illas, quę ipsis competunt, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per vos, vel per alios Fratres vestri Ordinis, quos ad hoc videritis idoneos, quoties expedierit, visitationis officium impendatis, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris quę correctionis, seu reformationis officio noveritis indigere; nihilominus instituatis, & destituatis, mutetis, & ordinetis, prout in aliis Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis fieri consuevit. Et, ne pro eo quod in Monasterio prędicto ipsius Ordinis Fratres residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis possit periculum imminere, vos, Magister, & Prior, ad confessiones in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta, aliquos discretos & providos Capellanos poteritis deputare. Ad hęc liceat Conventui prędicto redditus & possessiones recipere, ac ea libere retinere. Non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis. Quocirca mandamus, quatenus omnia pręmissa ad ministerium vestrum spectantia, curetis diligenter ac solicite, juxta commissionis & constitutionis nostrę tenorem, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, adimplere. Datum Lugduni IV Nonas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Supplex Monialium petitio.

Mandat ut supra.

Clausula derogatoria.

a. *Argentinen.*) Consulendum præcedens Diploma.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 578.

EOdem modo scribit pro Priorissa, & Conventu Monasterii Sanctę Elisabeth Argentinen.

XCI.

EOdem modo pro Priorissa, & Conventu Monasterii Sancti Matthęi Argentinen.

XCII.

EOdem modo pro Priorissa, & Conventu Monasterii S. Johannis Argentinen.

XCIII.

EOdem modo pro Priorissa, & Conventu Monasterii S. Marci Argentinen.

XCIV.

Curæ Provincialis Teutoniæ committit Monasterium & Moniales S. Mariæ in Syrmiovve (1). Anno 1245 Die 14 Julii.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 580.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Teutonię Ord. Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XCV.

APostolicę &c. (2). Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę & Sororum Monasterii S. Marię in Syrmiovve Ordinis S. Augustini, Constantien. Diœcesis, fuit propositum coram Nobis, eędem inclusę corpore &c. (3). Datum Lugduni II Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Syrmiovve.*) In *Germania*.
2. *Apostolica &c.*) Ut supra *IV Julii MCCXLV.*
3. *Corpore &c.*) Ut in eodem Diplomate, ad hæc usque verba: *Difficultatis dispendio adimplere.*

Confirmatur Statutum, quo Rex (1) Aragonum Judæis & Saracenis (2) ad Fidem conversis, possessiones ante conversionem habitas retinendas permittit, & Fratres Prædicatores commendat. Anno 1245 Die 20 Augusti.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Tarraconensi (4), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XCVI.

EA, quę ad Regis ęterni gloriam, & Christianę Religionis augmentum, terreni Reges, seu Principes ordinant, statuunt, vel disponunt, tanto ferventius, & libentius a quibuslibet sunt fidelibus cujuscunque dignitatis, conditionis, vel ordinis, irrefragabiliter observanda, quanto potius divinę creduntur placita Majestati, & ex his Christum collaudantium agmina potiora noscuntur suscipere incrementa. Tua sane jucunda Nobis ferens petitio continebat, quod carissimus in Christo filius noster Illustris Rex Aragonum, a Domino benedictus, toto mentis affectu illi placere desiderans, in cujus manu sunt omnium potestates, & om-

Regem Aragonum laudibus effert.

& omnium jura Regnorum, & ab illo dignitatem regiam recognoscens, illique totum quod est attribuens, & quod habet, qui fecit omnia solo verbo, illiusque menti suę timorem pariter, & amorem, a pueritię suę flore vehementer insigens, ad augmentandum Domino populum, per quem per amplius, & perfectius nomen glorificari valeat Crucifixi, deliberatione sancta induxit, & provida statuendum, ut in omni terra suę Dominio Jurisdictionis subjecta, Saracenus quilibet, & Judęus, de ignorantię tenebris ad viam veritatis, quę Christus est, per sanctę regenerationis lavacrum se convertens, omnia sua bona mobilia, & immobilia, quę ante suam ad Christum conversionem habebat, integre, ac libere sine impedimento, & contradictione cujusquam retinere possit, auctoritate regia, & perpetuo possidere, statuto, prohibitione, vel pacto prędecessorum Regis ejusdem, seu cujuslibet alterius, aut obtenta super hoc consuetudine, non obstante, prout in ejusdem Regis literis confectis exinde prospeximus plenius contineri. Nos igitur statutum hujusmodi tam sanctum atque laudabile, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem literarum ipsarum fecimus pręsentibus inseri, qui talis est. Noverint universi, quod Nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum (5), & Valentię, Comes Barchinonis (6), & Urgelli (7), & Dominus Montis-Pessulani (8), per Nos, & omnes Successores nostros, tam in Aragonia, & Catalonia, Majoricis, Minoricis, Monte-Pessulano, quam in Regno Valentię, ac universo dominio, ac jurisdictione nostra, quam alicubi nunc habemus, vel in posterum Nos, & successores nostri, auxiliante Domino, habituri sumus, pro amore Domini nostri Iesu Christi, & gloriosę Virginis Matris suę, & remedio animę nostrę, in perpetuum statuimus; quod quicunque Judęus, vel Saracenus, Spiritus Sancti gratia Fidem voluerit orthodoxam recipere, ac Baptismi lavacrum salutaris, libere, & absque contradictione ullius possit hoc facere, non obstante prędecessorum nostrorum, vel alicujus statuto, prohibitione, vel pacto, vel etiam super hoc obtenta consuetudine; ita quod propter hoc nihil de bonis suis mobilibus, ac immobilibus, quę prius habebat, amittat, immo universa secure, ac libere habeat, teneat, & possideat, auctoritate nostra, salva legitima filiorum, & jure proximorum conversi; ita videlicet, quod de bonis conversi, dicti filii, seu proximi nihil ipso vivente, sed post mortem ejus illud solum, & nihil amplius, petere valeant, quod si decessisset in Judaismo, vel paganismo, petere rationabiliter potuissent. Ut sicut tales Divinam ex hoc gratiam promerentur, sic & nostram, qui Dei voluntatem, & beneplacitum imitari debemus, obtinere noscantur. Statuimus insuper in perpetuum, & firmiter, sub pena pecuniaria, arbitrio Judicis infligenda, prohibemus, ne alicui de Judaismo, vel Paganismo, ad Fidem nostram Catholicam converso, pręsumat aliquis, cuicunque improperare conditionem suam, dicendo, vel vocando eum renegat (9), vel Jornadiz (10), vel consimile verbum. Volumus etiam, & statuimus, quod quandocunque Archiepiscopus, Episcopi, vel Fratres Prędicatores, aut Minores accesserint ad villas, vel loca, ubi Saraceni, vel Judęi moram fecerint, & Verbum Dei dictis Judęis, vel Saracenis proponere voluerint, ipsi ad vocationem ipsorum conveniant, & patienter audiant Prędicationem eorum: & Officiales nostri, si gratis venire noluerint, eos ad hoc, omni excusatione postposita, compellant. Mandamus itaque Vicariis, Bajulis (11), Curiis, & nostris subditis, & Officialibus universis, pręsentibus, & futuris, quatenus omnia supradicta ubique teneri, & observari inviolabiliter faciant, si de nostri confidunt gratia, & amore. Datum Ilerdę (12) Anno a Nativitate Domini MCCXLII, IV Idus Martii. Nulli ergo &c. Datum Lugduni XIII Kalen. Septembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Statuta confirmat.

Tenor statuti Regis Aragonum.

Saraceni, & Hebræi ad Fidem conversi omnia sua retineant, & possideant.

Ut nullus improperet Judæis, vel Saracenis ad Fidem conversis.

Judæi & Saraceni ad prædicationes Fratrum nostrorum, vel Minorum accedant.

Sanctio poenalis.

1. *Rex.*) *Jacobus I.*
2. *Saracenis.*) Qui & *Agareni* & *Arabes* nuncupantur.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenent Conventus *Mediolanensis*, & *Bergomensis*.
4. *Tarraconensi.*) In *Catalonia*. Is erat *Petrus* qui *Lugdunensi* Concilio interfuit.
5. *Majoricarum.*) Seu Insularum *Balearium* in *Mediterraneo*.
6. *Barchinonis.*) *Cataloniæ* Caput.
7. *Urgelli.*) In eadem Provincia.
8. *Montis-Pessulani.*) Nunc in *Occitania* & *Galliarum* Regno.
9. *Renegat.*) Sic vocatur qui Fidem abjuravit.
10. *Jornadiz.*) Contumeliosa vox olim *Catalanis* familiaris, nunc obsolevit.
11. *Bajulis.*) Id est Prætoribus.
12. *Ilerda.*) In *Catalonia*.

Anno 1245 Die 5 Septembr.

Episcopo Tragurien. [1], & Priori Spalatensi, ut confirment electionem Archiepiscopi Spalaten.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 579.

XCVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Tragurien. Episcopo, & dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum de Spalato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio Capituli Spalaten.

EX parte Capituli Spalaten. fuit propositum coram Nobis, quod olim Spalaten. Ecclesia, Pastoris solatio destituta, ipsi vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode interesse, pro ut moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium H.... Prępositum Casmen. Zagebrien. [2] Dięc. virum providum, & honestum, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, in suum, & Ecclesię Spalaten. Pastorem, & Archiepiscopum canonice, & concorditer elegerunt. Quare Nobis humiliter supplicaverunt, ut cum idem propter viarum discrimina, se nequeat Apostolicę Sedis conspectui pręsentare, impendi eidem Confirmationis munus per aliquem in illis Partibus faceremus. Quia vero Nobis non constitit de premissis, mandamus, quatenus, inquisita de modo electionis, studiis eligentium, & Electi meritis diligentius veritate, si Electionem inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate Apostolica confirmantes, faciatis eidem Electo ab ejus subditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi, ac ab ejus suffraganeis munus consecrationis impendi, recepturi ab eo postmodum, nostro & Ecclesię Romanę nomine fidelitatis solitę Juramentum, juxta formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem juramenti, quod ipse pręstabit, de verbo ad verbum Nobis per ejusdem patentes literas, suo sigillo signatas per proprium nuncium

Mandat ut supra.

quanto

quantocius destinetis; alioquin ea rite cassata, faciatis Spalaten. Ecclesię de persona idonea per Electionem canonicam provideri. Contradictores &c. compescendo. Datum Lugdun. Non. Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Traguriens.*) In *Dalmatia*, ubi etiam *Spalaten.*

2. *Zagebrien.*) Seu *Zagrabiensis* in *Sclavonia*.

Provinciali Teutoniæ, ut Monasterium S. Mariæ de Vvilario [1] Ordinis S. Augustini Ordini nostro incorporatum habeat. Anno 1245 Die 9 Septembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 580.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Teutonię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCVIII.

APostolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę se parant accensis lampadibus obviam Sponso &c. [2]. Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę & Sororum Monasterii Sanctę Marię de Vvilario, Ordinis S. Augustini, Constantien. Dięcesis &c. [3]. Datum Lugduni V Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Vvilario.*) De quo *Bernardus Guidonis* hæc habet: *Sex Monasteria sunt in terminis Conventus Exelingensis* (in Suevia) *scilicet Sanctæ Crucis, Monasterium in Villerio, & est magnum &c.* hæc certe in *Codice MS.* antiquissimo, qui in Bibliotheca Magistri Generalis asservatur, lego. Aliter tamen legebat in suo eruditus *Echard*, Sic nempe: *In Vvillerio Mageril &c. Tomo I De Scriptor. Ord. pag.10 Notitia Ord. Prædicator.*

2. *Sponso &c.*) Ut in *Diplomate IV Julii MCCXLV*, ad hæc usque verba: *suffragio dignoscuntur*.

3. *Diœcesis &c.*) Ibidem, ad hæc usque: *Dispendio adimplere*.

Magistro Generali, & Prioribus Ordinis, ut per ipsos inemendabilibus (1) liceat, ad alios Ordines, Militaribus exceptis, transferri. Anno 1245 Die 17 Septembris.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 588.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCIX.

PAci, & tranquillitati vestrę paterna volentes in posterum solicitudine providere, ut eiectis de vestro Ordine, vel egressis, qui receptione in eodem Ordine, suis exigentibus culpis, reddiderint se indignos, transeundi ad alios Ordines approbatos, pręterquam ad B. Augustini Templariorum [3], Hospitalariorum [4], & aliorum Religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem evagandi, cum vestris testimonialibus literis, auctoritate nostra, licentiam dare possitis, plenam vobis, de Fratrum nostrorum consilio, concedimus, auctoritate pręsentium, facultatem; districtius inhibentes, ne tales aliter ad alium Ordinem transire, vel aliqui ipsos recipere, seu retinere pręsumant, absque licentia Sedis Apostolicę speciali, faciente plenam de pręsentibus mentionem. Nulli ergo &c. nostrę inhibitionis, & concessionis &c. Si quis &c. Datum Lugdun. XV Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Conceditur ut supra. Excipit Ordines Militares. Sanctio poenalis.

1. *Inemendabilibus.*) De his in *Tractatu De Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo XII.*

2. *Archivo.*) In quo etiam Autographum; Extat insuper in Cœnobiis *Telosano*, *Mediolanensi*, & *Reatino*. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Templariorum.*) In Concilio Generali *Viennensi* Anno MCCCXI extinctus est Ordo ille.

4. *Hospitalariorum.*) Quos Equites *Melitenses* vocamus.

Fratres nostros a molestiis cum exhibitis, quas enumerat, tum exhibendis tuetur (1). Anno 1245 Die 17 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 600 &c.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Prępositis, & aliis Ecclesiarum Prělatis, per Lombardiam, Romandiolam, & Trivisinam [3], ac Anconitanam Marchias constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. C.

NImis iniqua vicissitudine largitori bonorum omnium respondetur, dum hi, qui de Christi patrimonio impinguati luxuriant damnabiliter in eundem, Christum patenter in famulis suis persequi non verentur, ac si factus sit impotens Dominus ultionum. Cum enim dilecti filii Fratres Prędicatores, abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in altissima paupertate, Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, non desunt plerique tam Ecclesiarum Prelati, quam alii, qui cęca cupiditate traducti, proprię aviditati subtrahi reputantes quicquid prędictis Fratribus fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter inquietant, molestiarum occasiones exquirentes varias contra ipsos. Volunt namque, etsi non omnes, ipsis invitis, eorum confessiones audire, ac eis iniungere penitentias, & Eucharistiam exhibere, nec volunt ut Corpus Christi in eorum Oratoriis reservetur, & Fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas sepeliri compellunt, & illorum exequias celebrari. Et si quis decedentium Fratrum alibi, quam in Ecclesiis suis eligit sepulturam, funus primo in Ecclesias suas deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat: nec sustinentes eos habere campanam, vel cemeterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt etiam in domibus eorundem certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro sua voluntate taxare, ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigunt ab eisdem,

Exordium. Molestias Fratribus nostris exhibitas describit.

nec permittunt, ut novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesiis suis celebrent primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in locis suis, & Altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, & reservent. Quicquid etiam eisdem, celebrantibus Missarum solemnia intra domorum suarum ambitom, pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere, oblationis nomine, contendentes; quod eisdem tam in ornamentis Altaris, quam in libris Ecclesiasticis absolute confertur, vendicant perperam juri suo; cogendo eos ad Synodos suas accedere, ac suis constitutionibus subiacere; Nec his contenti, capitula, & scrutinia in locis Fratrum, pro his corrigendis, facturos se commioantur, fidelitatem jurameento firmatam ab eorum Prioribus exigentes; eis quoque ut tam extra Civitates, quam intra, cum eis processionaliter veniant, ex levi causa mandantes; excommunicationis sententiam fulmioant in benefactores eorum: & idipsum Fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, satagunt amovere, nisi eis obediant in omnibus supradictis. Ad hęc, ne Fratres ad honorabiles Civitates, & Villas, ubi religiose, ac honeste valeant commorari, a populis devote vocati, accedere audeant, inhibentes, tam in accedentes, quam in receptatores eorum pręsumunt excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis Fratrum, sicut de Judęorum domibus, contendunt redditus extorquere, asserendo, quod nisi Fratres morarentur ibidem, eis ab aliis habitantibus proventus aliqui solverentur. Et, ut ipsos suę subdant totaliter ditioni, eisdem Priores volunt pręficere pro suę arbitrio voluntatis. A quibus omnibus Fratrum molestiis, nec vos omnes omnino, ut dicitur, abstinetis. Cum igitur Ordo Pręedicatorum Fratrum a bo: me: Honorio, & Gregorio pręedecessoribus nostris, & Nobis ipsis, dignis eorum sit exigentibus meritis, approbatus, ne Apostolicę Sedis statuta [4], quę humiliter suscipere, ac reverenter servare tenemini, contemnere videamini; universitatem vestram monemus attente, per Apostolica scripta vobis firmiter pręcipiendo mandantes, quatenus conscientię, ac famę vestrę salubriter consulentes, universi, & singuli a pręnotatis, & aliis pręedictorum Fratrum gravaminibus penitus desistatis, subditos vestros ab aliis arctius compescendo: Alioquin venerabilibus fratribus nostris Bononien., & Mutinen. Episcopis, damus nostris literis firmiter in mandatis, ut vos ad omnia supradicta servanda, monitione pręmissa, per Censuram Ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis, & appellationis impedimento, compellant. Non obstante constitutione de duabus dietis, edita in Concilio [5] generali. Si vero, nec sic mandatis nostris curaveritis obedire, noveritis, Nos super hoc memoratis Fratribus aliter, auctore Domino, provisuros. Datum Lugduni XV Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ab his, & aliis abstinendum, praecipit.

Bononiensem & Mutinensem Episcopos praeficit, ut per censuras deterreant non obedientes.

Derogatio.

Ex Archivo Ordinis lib. A., a fol. 600 ad 606.

CI. EOdem modo, & eadem die, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Pręepositis, & aliis Ecclesiarum Pręlatis per Regnum Sicilię [6] constitutis. Conservatores nostrorum privilegiorum creat Archiepiscopos Neapolitan. [7], Salernitan. [8], & Bareo. [9].

CII. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Tusciam [10], Ducatum Spoletan., & Patrimonium B. Petri constitutis, declarando Conservatores Florentin., & Tudertin. Episcopos.

CIII. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Alemanniam constitutis. Declarat Conservatores Archiepiscopum Colonien., & Ratisponen. Episcopum.

CIV. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Regnum Bohemię, Poloniam [11], Russiam [12], Prussiam [13], Caffribriam [14], & Pomeraniam constitutis. Conservatores Archiepiscopum Gneznen., & Episcopum Cracovien. constituit.

CV. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Dacię, Svecię, & Norvegię Regna [15] constitutis. Conservatores creantur Archiepiscopus Lunden., & Episcopus Vuiborgen. [16].

CVI. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Regnum Anglię [17] constitutis. Conservatores dat Lincolnien., Norwicen., & Londonien. [18] Episcopos.

CVII. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Hiberniam [19] constitutis. Declarantur Conservatores Archiepiscopus Cassellen. [20], ac Colonen. [21], & Corbergen. [22] Episcopi.

CVIII. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Regnum Francię [23], Lugdun., & Bisuntin. Provincias. Meten., Verdunen., & Leodien. Diœceses constitutis. Conservatores creat Parisien., & Cameracen. Episcopos.

CIX. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Hispanias [24] constitutis. Conservatores renunciat Legionen., & Asturicen. Episcopos.

CX. EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Viennen., Ebredunen., Arelaten., Aqueo., Auxitan., Burdegalen., Bituricen., & Narbonen. Provincias, & Diœceses constitutis [25]. Conservatores declarat Archiepiscopum Narbonen., & Episcopum Biterren.

CXI. EOdem modo Patriarchę Antiochen., Archiepiscopis, Episcopis &c. per Antiochen., & Jerosolymitan. Patriarchatus, ac Insulam Cypri constitutis. Conservatores instituit Patriarcham Jerosolymitan., & Archiepiscopum Nazaren.

Eo-

EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Imperium Constantinopolitan. constitutis. Conservatores constituit Patriarcham Constantinopolitan., & Archiepiscopum Corinthien. CXII.

EOdem modo Archiepiscopis, Episcopis &c. per Regnum (26) Hungarię, Servię, Galitię, (27). Sclavonię, Croatię, & Dalmatię constitutis. Conservatores creat Archiepiscopum Strigonien., & Episcopum Vesprunien. (28). CXIII.

1. *Tuetur.*) Legendi *Brovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLV num. XIX, Spondanus ad eundem Annum num. XXXV, & Vvaddingus Annal. Minor. Tomo I ad An. MCCXLV.*

2. *Archivo.*) Extat Autographum in Cœnobiis nostris *Tolosano, Mediolanensi, Florentino, Lucensi, Neapolitano, Salmanticensi, Remensi, & Viterbiensi.* Adeas etiam *Ususmarem pag.22, & Castellanum pag.13.*

3. *Trivisinam.*) Seu *Tarvisinam* in *Italia*, ubi ceteræ Provinciæ & Civitates, de quibus in hoc Diplomate.

4. *Statuta.*) Ergo jam antea nobis erant privilegia, de quibus hic agitur; vel igitur desiderantur Diplomata, vel ex Bulla qua confirmatus est Ordo, hæc omnia nobis concessa, dicendum. Sed de his in *Tractatu De Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulis III, V, VII, IX, & X.*

5. *Concilio.*) *Lateran. IV, Cap. XXXVII.*

6. *Sicilia.*) In *Mediterraneo.*

7. *Neapolitan.*) In *Italia.*

8. *Salernitan.*) In Principatu citeriori Regni *Neapolitani.*

9. *Baren.*) In eodem Regno juxta Mare *Adriaticum.*

10. *Tusciam.*) Diœceses istæ sunt in *Italia*, aliæ vero sunt in *Germania.*

11. *Poloniam.*) Cum superiorem seu parvam, tum inferiorem seu magnam.

12. *Russiam.*) Albam nempe, seu *Moscoviam.*

13. *Prussiam.*) Tam Regiam, quam Ducalem.

14. *Caffribiam.*) In *Tartaria* minori.

15. *Regna.*) In *Europa* ad Septentrionem.

16. *Vunibergen.*) Seu *Vvibergensem* in *Dania.*

17. *Anglia.*) Insula Oceani *Galliæ* obversa.

18. *Londonien.*) Seu *Londinensem* in *Anglia.*

19. *Hiberniam.*) In Oceano occidentali prope *Angliam.*

20. *Castellen.*) Seu *Cassiliensem* in *Hibernia.*

21. *Colonen.*) Seu *Clonensem*, vel *Cluanensem* in eodem Regno.

22. *Corbergen.*) Seu *Corcagensem*, vulgo *Cork* ibidem.

23. *Francia.*) In *Europa*. De Diœcesibus istis dixi superius.

24. *Hispanias.*) In *Europa.*

25. *Constitutis.*) Tunc propriis Ducibus, nunc Regi *Galliarum* subjectæ illæ omnes Provinciæ. Asservatur hujus Diplomatis Autographum in Cœnobio *Tolosano*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

26. *Regnum.*) Non vero *Regna*, etenim Provinciæ omnes, de quibus hoc in Diplomate loquitur Pontifex, tunc *Hungariæ* Regi erant obnoxiæ. Hinc in compositione pacis Reges inter *Bohemiæ* & *Hungariæ* anno MCCLXXI initæ, sic legere est. *Othocharus Dei gratia Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchioque Moraviæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Ægræ, & portus Naonis, universis præsentium notitiam habituris, salutem in salutis auctore &c. Noverint universi, quod post longa guerrarum discrimina, quæ inter Dominum Stephanum Regem Hungariæ illustrem, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, & Bulgariæ, Ducem totius Sclavoniæ, carissimum cognatum nostrum ex una parte, & nos ex altera, suscitata fuerant &c. Datum & actum Pragæ anno Domini MCCLXXI, coronationis nostræ anno X, II Idus Julii.* Hinc etiam hac de re *Stephanus* scribens *Othocharo* sic loquitur. *Includentes eidem paci, & eadem vallantes Regna nostra, videlicet Hungariam, Dalmatiam, Croatiam, Ramam, Serviam, Galliciam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, totumque ducatum Sclavoniæ, cum omnibus attinentiis eorundem secundum signa, distinctiones, & metas antiquas, prout etiam progenitores nostri, & antecessores Reges Hungariæ usque ad tempus vitæ domini Belæ gloriosæ memoriæ patris nostri possederunt, & tenuerunt &c. Datum & actum in castris apud Poxonium anno Domini MCCLXXI, Regni nostri anno II, V Nonas Julii.*

27. *Galitiæ.*) Seu *Galliciæ*, tunc in *Hungaria*, uti mox dictum fuit.

28. *Vesprunien.*) Legendum *Vesprinien.*, Episcopatus sub *Strigoniensi* Archiepiscopo. Hujusce Diplomatis autographum asservatur in Cœnobio *Ragusino.*

Anno 1245 Die 17 Septemb.

Bononiensem & Mutinensem Episcopos constituit Conservatores Privilegiorum (1) nostrorum.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 604.

CXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Bononiensi & Mutinensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

NImis iniqua &c. (2). Cum igitur Ordo Prędicatorum Fratrum a bonę memorię Honorio & Gregorio prędecessoribus nostris, & Nobis ipsis, dignis eorum sit exigentibus meritis, approbatus, ne Apostolicę Sedis statuta, quę dicti Archiepiscopi & Episcopi ac Prelati & alii humiliter suscipere ac reverenter servare tenentur, contemnere videantur, universitatem eorum monemus attente, nostris sibi dantes literis firmiter in pręceptis, ut conscientię & famę salubriter consulentes, universi. & singuli a prenotatis, & aliis predictorum Fratrum gravaminibus omnino desistant, subditos suos ab his arctius compescendo. Quocirca fraternitati vestrę per Apostolica scripta firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus, si dicti Archiepiscopi, & Episcopi, & alii, pręceptum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad omnia supradicta servanda, monitione pręmissa, auctoritate nostra, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis impedimento, cogatis, non obstante constitutione de duabus Dietis edita in Concilio Generali. Si vero nec sic mandatis nostris curaverint obedire, noverint, Nos super hoc memoratis Fratribus aliter, auctore Domino, provisuros. Quod si non ambo his exequendis potueritis, vel volueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Lugduni XV Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

Derogationes.

1. *Privilegiorum.*) Legendum præcedens Diploma, ubi quæ hic desiderantur, habes. Sciendum insuper, Summum Pontificem ad omnes Conservatores eodem modo, & eadem Die, scripsisse. Autographum Archiepiscopo *Narbonensi*, & Episcopo *Biterrensi* inscriptum, tenet Conventus *Tolosanus*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

2. *Iniqua &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *Ut dicitur, abstinetis.*

Anno 1245 Die 19 Septemb.

Ne Transfugæ, vel ejecti ex Ordine, docere, conciones habere, aut confessiones excipere, præsumant (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 588.

CXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex petitio Fratrum. Inhibitio. Sanctio pœnalis.

JUstis petentium desideriis, dignum est Nos facilem prębere consensum, & vota, quę a rationis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram Nobis, aliqui a vestris sacris collegiis, ipsorum culpis exigentibus, repellantur, quidam onus obedientię temeritate propria deponentes, quasi pulli onagri, vitam velint ducere absque jugo, ac iidem extra claustra vestri Ordinis pervagantes, prędicationum, confessionum, & docendi officia exercere presumant, in suarum animarum dispendium, & scandalum plurimorum. Nos vestris precibus inclinati, ne prędicti, quos ab Ordine pro suis culpis per vos expelli contigerit, vel egressi fuerint proprio suo motu, prędicare, confessiones audire, seu docere pręsumant, nisi de nostra, vel vestra, licentia speciali, ad alium transierint Ordinem, districtius inhibemus. Quod si forte contra nostram inhibitionem aliquid temere fuerit attentatum, liceat vobis in ipsos Fratres excommunicationis sententiam promulgare. Nulli ergo &c. Datum Lugduni XIII Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Præsumant.*) De his in *Tractatu De Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XI, & XII.* In Cœnobio *Tolosano* Autographum asservatur ejusdem tenoris, *Datum II Kalendas Octobres, Pontificat. Innocentii IV Anno Tertio.* Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1245 Die 7 Octobr.

F. Henrico, ut supersedeat (1) a negotio prædicandæ Crucis, & ab aliis quacunque auctoritate sibi commissis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 591.

CXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Henrico de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Bededictionem.

Mandatum.

PRęsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus in negotio Crucis, & aliis contra Prussię Neophytos, vel alios (2) Christianos illarum partium, tibi, vel a Sede Apostolica, seu quacunque Apostolica auctoritate commissis, usque ad adventum dilecti filii Abbatis (3) Monasterii de Mezano, quem ad partes illas in proximo transmittimus, supersedere procures, processurus postmodum in eisdem, juxta ipsius Abbatis beneplacitum, & mandatum. Datum Lugduni Nonis Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Supersedeat.*) Quid ergo? Num prævaricator F. *Henricus*? Absit, sapienter enim agebat ille, sed vomitum repetietant immanes *Prutheni*: *Suvantopelki* siquidem *Pomeraniæ* Ducis consiliis & artibus irretiti, idolorum cultum redintegrarant, & die constituta Catholicos omnes in *Prussia* improviso impetu trucidarant impii proditores. Hinc *Henricus* noster vetitus quoquam pro prædicanda Cruce gerere. Nec enim, ut præscriptum erat Die VI Februarii, *Pruthenis* studere poterat, erant a Christo alieni: nec in ipsos Sacri Belli indicendi tempus opportunum, spes siquidem pacis affulgebat ex Abbatis *De Mezano* Legatione.
2. *Alios.*) *Pomeranos* scilicet.
3. *Abbatis.*) Cui nomen *Opizo*.

Anno 1245 Die 10 Octobr.

Priori Valentinianensi (1), ut a censuris absolvat (2) quosdam Episcopos, Prælatos &c.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 591.

CXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Prędicatorum in Valentinianis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a narratione facti.

VEnerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Remensi (3), ac Suessionen. (4), Tornacen. (5), & Cathalaunen. (6) Episcopis in nostra & fratrum nostrorum pręsentia constitutis, idem Archiepiscopus proposuit coram Nobis, quod cum ipse Remen. Provinciam, prout ad ejus officium pertinet, visitaret, ipsique, ac venerabiles fratres nostri Cameracen. (7), Ambianen. (8), Noviomen. (9), & Atrebaten. (10) Episcopi, ac quidam alii Prelati, Capitula, & Conventus ejusdem Provincię, ipsum ad visitationem denegarent admittere, pro eorum libito voluntatis, alias ei graves injurias irrogando, idem Archiepiscopus in eos sententiam tulit, & in ipsos ex certis causis, primo suspensionis & interdicti, ac demum, crescente contumacia, Excommunicationis sententias auctoritate Metropolita, exigente justitia, promulgavit. Quare petebat a Nobis, ut sententias ipsas habere firmitatis robur debitum, ac satisfieri sibi de irrogatis injuriis, & ipsos nihilominus pęna plecti canonica faceremus. E contrario vero ex parte eorum, quorum Procuratores aderant, fuit propositum, quod eum ab eodem Archiepiscopo, pro eo quod quędam contra jus, & consuetudinem Remen. Provincię, in eorum, & Ecclesiarum earundem non modicum prejudicium & gravamen, necnon Cleri totius Provincię, attentabat, fuerit legitime ad Sedem Apostolicam appellatum, idem Archiepiscopus post appellationem eandem hujusmodi, & alias, hac occasione, sententias promulgavit. Quare petebant, ut eas denuntiaremus penitus non tenere, ac faceremus ipsas nihilominus ante litis ingressum ad cautelam, juxta constitutionem a Nobis editam, relaxari. Quia vero demum tam idem Archiepiscopus, quam ipsi, supposuerunt spontanei super premissis omnibus, ac aliis questionibus

inter

inter eos, & ipſum Archiepiſcopum, quacunque cauſa, vel occaſione ſubortis, noſtro, & Fratrum noſtrorum beneplacito, & mandato, prout in literis ſuper hoc confectis plenius continetur; Nos de ipſorum Fratrum conſilio, perſonas eorum ab ejuſmodi ſententiis abſolvi fecimus ad cautelam, cum eis ſuper irregularitate, ſi quam contraxerunt exinde, diſpenſantes. Ceterum, ut idem negotium valeat commodius terminari, tibi damus noſtris literis in mandatis, ut Prelatos, Capitula, Conventus, & quaſcunque perſonas Cameracenſis Civitatis & Diœceſis, in quos fuerunt ab ipſo Archiepiſcopo, vel ejus mandato, hujuſmodi ſententię generaliter, ſeu ſpecialiter promulgatę, poſtquam ordinationi tuę ſimili modo per eorum patentes literas ſe duxerint ſupponendos, ad cautelam abſolvas, & eoſdem nihilominus ab eiſdem ſententiis, auctoritate noſtra denunties prefatos abſolutos, ac facias etiam per loca, in quibus videris expedire, nunciari. Contradictores &c. Diſpenſaturus cum ipſis vice noſtra ſuper Irregularitate, ſi quam exinde contraxerunt; ac Nobis literas, quas ſuper his receperis, per fidelem nuncium quantocius tranſmiſſurus. Non obſtante indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis &c. Datum Lugduni VI Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio. — *Mandat ut ſupra.*

CXVIII. Eodem modo, & eadem die, Priori Ord. Fratrum Predicatorum Atrebaten., pro Atrebaten. Epiſcopo, Prelatis, Capitulis, Conventibus, & quibuſcunque perſonis Cameracen. (11) Civitatis & Diœceſis.

CXIX. Eodem modo, & eadem die, Priori Ord. Fratrum Predicatorum Atrebaten., pro Epiſcopo Ambianen., Prelatis, Capitulis, Conventibus, & quibuſcunque perſonis Ambianen. Civitatis & Diœceſis.

1. *Valentinianenſ.*) In *Belgio*.
2. *Abſolvat.*) Adeas *Vvaddingum Tomo I Annal. Minor. ad An. MCCXLV*, ubi hocce Diploma tranſcripſit.
3. *Remen.*) In *Campania*, Provincia *Galliarum*.
4. *Sueſſionen.*) In Inſula *Francia*.
5. *Tornacen.*) In *Belgio*.
6. *Cathalaunen.*) Vulgo *Chalons Sur Marne* in *Campania*.
7. *Cameracen.*) In *Belgio*.
8. *Ambianen.*) In *Picardia*.
9. *Noviomen.*) Vulgo *Noyon* in Inſula *Francia*.
10. *Atrebaten.*) In *Belgio*.
11. *Cameracen.*) Legendum videtur: *Atrebaten.*

Donationem Fratribus de Vvriburch (1) factam confirmat.

Anno 1245 Die 10 Octobr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 591.

CXX. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Predicatorum de Vvriburch, Conſtantien. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos facilem prebere conſenſum, & vota, quę a rationis tramite non diſcordant, affectu proſequente complere. Cum igitur, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, dilectus filius nobilis Vir Comes de Vvriburch, Populi ejuſdem loci accedente conſenſu, locum, in quo habitatis nunc, pro ſuę, ac parentum ſuorum remedio animarum, pia vobis, & provida liberalitate donarit; cenſum quoque ratione terrę loci ejuſdem, necnon aliarum terrarum, quas ad ampliandum locum ipſum juſtis modis poteritis adipiſci, ſibi debitum duxerit remittendum, prout in Inſtrumentis ſuper hoc confectis dicitur plenius contineri; Nos veſtris precibus benignum impertientes aſſenſum, donationem, ac remiſſionem hujuſmodi, factas vobis a Nobili ſupradicto, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. *Confirmatio.* Nulli ergo &c. Noſtrę Confirmationis &c. *Sanctio pœnalis.* Datum Lugduni VI Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Vvriburch.*) Seu *Vvirtzburg* in *Franconia*.

Archiepiſcopo Pruſſiæ &c. ut Fratrem Guarnerum (1) creet Epiſcopum terræ Curon., ſeu Pomeſaniæ (2).

Anno 1245 Die 8 Novembr.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 600.

CXXI. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Pruſſię, Livonię (3), & Eſtonię (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude F. Guarneri. Decet per Apoſtolicę Sedis providentiam, ut qui laudabilis converſationis, & vitę, ac ſcientię juvantur merito, Eccleſiarum Regimini preferantur, & tunc precipue quando in perſonis hujuſmodi honor illis impenditur, per quos Romanę decus Eccleſię promovetur. Cum itaque de dilecto filio Fratre Guarnero, Ordinis Fratrum Predicatorum, evidentibus agnoſcatur indiciis, quod amori virtutum libenter invigilat, & vitę ſtudio religioſe deſudat, ad hoc pro poſſe ſolicitus, ut ſit in cauſa Dei, & Eccleſię fructuoſus; Nos dignum arbitrantes, & congruum, ut ipſum propter hujuſmodi merita, & intuitu dilecti filii nobilis viri Lantgravii (5) Turingię, cui familiaris, & carus eſſe dignoſcitur, ſpeciali proſequamur honore, preſentibus mandamus, quatenus Fratrem eundem, ceſſante cujuſlibet dilationis, & difficultatis obſtaculo, terrę Curon., ſeu Pomeſanię in Epiſcopum preficias, & accerſitis duobus, vel tribus Epiſcopis &c. munus conſecrationis impendas &c. *Mandat ut ſupra.* Datum Lugduni VI Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Guarnerum.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Pomeſania.*) *Pruſſia* Tractus in *Polonia* Regno.
3. *Livonia.*) Tunc intra *Polonia* limites.
4. *Eſtonia.*) Pars eſt ſeptentrionalis *Livonia*. Ceterum Archiepiſcopus ille erat *Henricus* noſter, de quo *In Appendice* citata.
5. *Lantgravii.*) Is erat *Henricus*, Levir *S. Eliſabeth*, in locum *Friderici II* ſubrogatus.

Eccle-

Anno 1245 Die 21 Decembr.

Ecclesiarum Prælatis, ut sententiam in Fridericum latam Fratres Ordinis Prædicatorum, qui mori pro Christo diligunt, & pati pro justitia delectantur, libere promulgent [1].

Ex Bullar. [2] *Ussusmaris pag.* 24.

CXXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & dilectis filiis Abbatibus, Frioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prçlatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium & laude Fratrum.

HUmiles habitu, & affectu, dilecti filii Fratres de Ordine Prçdicatorum, se cçlestis amori patriç sic indissolubili vinculo astrinxerunt, ut hoc solum pro deliciis habeant, quod per sanctitatis opera, grati oculis divinç majestatis occurrant. De hujusmodi quidem vioculi virtute procedir, ut ipsi circa ea, in quibus divini gloria nominis, & honor continetur Ecclesiç, ac robur Ecclesiasticç libertatis, ita prompto, & indefesso ducantur spiritu, quod eis nulla formido possit obsistere, quin libere facienda subeant, quç de Apostolicç Sedis circumspecta prodeunt voluntate. Nos itaque gloriantes in Domino, quod ipse viris talibus suam munivit [3] Ecclesiam, qui mori pro Christo diligunt, & pati pro justitia delectantur, Fratribus eisdem, prçvia deliberatione solemni, sub certa forma commisimus, ut processum contra Fredericum quondam Imperatorem, per Nos in Concilio nuper celebrato Lugduni sententialiter habitum, prout sententiç tenor, quam sub Bulla nostra per orbem terrç transmisimus, patenter insinuat, in locis publicent opportunis. Cum autem justum videatur, & condecens, ut onus hujusmodi, quod per virtutem obedientiç dictis Fratribus delectabile redditur, ab eisdem, Nobis providentibus, cum suavitate feratur; universitati vestrç per Apostolica scripta prçcipiendo mandamus, quatenus nullus vestrum Fratres ipsos ad publicandum aliter processum eundem, quam sit in prçfata forma expositum, compellat invitos, nullis literis obstantibus, quç a Sede Apostolica emanarunt, vel etiam emanabunt, non facientibus plenam de prçsentibus mentionem. Datum Lugduni XII Kal. [4] Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Nota verba.

Mandat ut supra.

Derogatio.

1. *Promulgent.*) Damnatus enim erat *Fridericus* II in Concilio Generali *Lugduni* celebrato circa Festum Apostolorum *Petri* & *Pauli* hoc Anno MCCXLV. Cum autem per Orbem terrarum promulganda foret sententia, & periculosam provinciam suscepissent Nostrates, ne vel *Jota* unum mutarent Ecclesiarum Prælati, præsens Diploma dedit Pontifex.

2. *Bullario.*) Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Illud exscripsit *Castellanus pag.* 12.

3. *Munivit.*) *Hæc sunt gloriosa Ordinis trophæa, & palmares coronæ, Apostolico iudicio celebratæ*, inquit *Malvenda Annal. Ord. ad An. MCCXLV Cap. II.*

4. *XII Kalendas.*) Emendandi sunt ergo qui *Lugdunense* Concilium ad Annum MCCXLVI, remittunt. Enim vero si Die XXI Decembris Anno MCCXLV, Sententia Concilii executioni danda, Nostratibus fuit concredita; ergo jam lata, ergo celebratum Concilium.

Anno 1246 Die 13 Martii.

Curæ Provincialis Teutoniæ Monasterium Sacti Marci Argentin. committit [1].

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 583.

CXXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissç, & Conventui Monasterii S. Marci Argentin. Ordinis Fratrum Prçdicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicç Sedis benignitas &c. Devotionis vestrç precibus, & etiam consideratione dilecti filii Nobilis viri J.... [2] Comitis Montis-Fortis, Nobis pro vobis supplicantis, inducti, vos, & Monasterium vestrum auctoritate prçsentium Magistro & Priori Provinciali Teutoniç &c. Datum Lugduni III Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXIV. EOdem modo, & eadem die, scripsit Priorissç & Conventui Monasterii de Medingen. [3] Augusten. Diçcesis.

CXXV. EOdem modo, & eadem die, Priorissç & Conventui Monasterii de Cella Dei [4] extra muros Camundiç Augusten. Diçcesis.

CXXVI. EOdem modo, & eadem die, Priorissç & Conventui Monasterii de Arena extra muros Augusten. [5].

1. *Committit.*) Diploma ejusdem tenoris eidem Monasterio Datum exscripsimus *IV Julii MCCXLV.* Extat aliud *libr. A. fol.* 580 *Datum Lugduni Kalend. Februar. Pontificat. Innocentii IV Anno Tertio*; præsens autem id unum habet præ ceteris; Rogatu nempe *Johannis I*, nepotis Comitis *Montis-Fortis* fuisse concessum: Quicquid ergo hic velles vel expositum, vel exscriptum, ab illo Diplomate *Dato Die IV Julii* petas.

2. J...) *Johannis*, de quo mox diximus.

3. *Medingen.*) Nunc juris est Provinciæ *Germaniæ* superioris, quæ paucis abhinc Annis a *Teutonica* fuit avulsa, & in novam Provinciam erecta.

4. *Cella Dei.*) In eadem Provincia.

5. *Augusten.*) In Ducatu *Suevia*.

Pro-

Provinciali Teutoniæ, ut curam Monasterii de Ebenehim (1) suscipiat.

Anno 1246 Die 19 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 594.

CXXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Teutoniç Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis benignitas prudentes Virgines &c.(2). Cum igitur, sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę, & Conventus Monasterii de Ebenehim, Argentin. Diœcesis, fuit propositum coram Nnbis, eędem inclusę corpore in castris claustralibus &c. (3). Mandamus, quatenus omnia pręmissa ad ministerium vestrum spectantia, curetis diligenter, & solicite juxta concessinnis, & constitutionis nostrę tenorem, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, adimplere. Datum Lugduni XIV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Ebenehim.*) Monasterium illud non novit *Bernardus Guidonis*: crediderim esse *Ebersheim*, latine *Novientum in Alsatia*.
2. *Virgines &c.*) Ut supra *VII Maii MCCXLV*, ad hoc usque verbum: *Dignoscuntur*.
3. *Claustralibus &c.*) Ibidem, ad hæc usque: *Alia roboratis*.

Archiepiscopo (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, ut in Provincia sibi Metropolitico jure obnoxia Crucem præferre queat.

Anno 1246 Die 19 Martii.

Ex Arch. (2) Ordinis lib. A. fol. 593.

CXXVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ÆTerni Regis victoriosum Vexillum, ex impressa Fidei potestate credentium mentibus per prędicationis in omnem terram diffusa pręconia elevatum, coram ordinata Christianorum acie proponitur imitandum. Sed illi, qui aliorum curam ex injuncto sibi officio susceperunt, gregis Dominici facti duces, ut (3) cum Apostolo commissis sibi fidelibus dicere confidentius audeant, imitatores mei estote, sicut & ego Christi, oculos in ipsius Vexilli appensum signaculum, & suspensum, eo indeclinabiliter debent dirigere, quo sibi per passionis jugem memoriam imprimuntur sequenda vestigia, ut in suo (4) corpore portent stigmata Jesu Christi, quę sequacibus proponant evidentius in exemplum. Tuis igitur precibus inclinati, ut commissa tibi Ecclesia in te munus recipiat gratię specialis, & post Crucifixum Crucem portes propriam, abnegans temetipsum, currens velocius, cum explicaveris vias tuas spei propositę bravium accepturus, quod per totam Provinciam tibi Metropolitico jure subjectam, tam tu, quam successores tui, coram vobis faciatis Crucis signaculum anteferri, auctoritate vobis pręsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Si quis &c. Datum Lugduni XIV Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium.

Concedit ut supra.

1. *Archiepiscopo.*) Is erat *Henricus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.* num. XXXI.
2. *Archivo.*) Idem exscripsit *Odoricus ad An. MCCXLVI*
3. *Ut.*) *Odorici* Librarius scripsit: *Et*.
4. *Suo.*) Idem legit: *Sui*.

Facultas animadvertendi in Apostatas (1) Ordinis.

Anno 1246 Die 28 Martii.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 589.

CXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEvotionis vestrę precibus benignum impartientes assensum, capiendi, ligandi, incarcerandi, & alias subdendi disciplinę rigori Apostatas vestri Ordinis, per vos, ac etiam alios, si necesse fuerit, in quocumque habitu eos contigerit inveniri, plenam vobis concedimus, auctoritate pręsentium, facultatem. Nulli ergo &c. nostrę Concessionis &c. Datum Lugdun. V Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Apostatas.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo XI.*
2. *Archivo.*) Autographum invenies in Cœnobiis *Parisiensi*, *Mediolanensi*, & *Leodiensi*. Illud exscripsit *Usus maris pag. 22.*

Archiepiscopo (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, ut Chiemen. gubernet Ecclesiam.

Anno 1246 Die 30 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 594.

CXXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Livonię, Prussię, & Estonię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm operosi solicitudo laboris, quam circa novellę plenitudinis (2) primordia exerceri oportet, sit opportunis subsidiis relevanda, ut Apostolicę Sedis provisio, uniuscujusque proprium laborem prospi-

Exordium.

prospiciens, ex pręsenti collatione munerum expectationem indicet futurorum, & singuli tanto exurgant utiliter ad laborem, quanto unum eundemque sentiunt imponentem onera, & ab oneribus relevantem, tibi, quem a vinculo absolvimus [3] Ecclesię Armachanę, & Prussię, Livonię, & Estonię duximus pręficiendum Ecclesię, ingredienti terram novo pręedicationis vomere noviter excolendam, Archiepiscopalis dignitatis prima sede concessa, quam de Fratrum nostrorum consilio primo ibidem statuimus collocandam, ne datę auctoritatis amplitudo, tibi credita, necessitatis angustiam patiatur, & ut novę culturę fructus ubertate carenti, quod deest, adjectio suppleat opportuna, Fraternitati tuę Chiemen. [4] Episcopatum, qui nunc vacat in Salzeburgen. Provincia constitutum, si aliquis ad ipsum canonice minime sit electus, tam in spiritualibus, quam temporalibus committimus gubernandum, donec de nostro fuerit beneplacito voluntatis, cum illum tuo credamus ministerio laudabilibus proficere incrementis. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lugduni III Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ab Armachana ad Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ translatus erat Ecclesiam.

Mandat ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Archiepiscopo.*) *Henrico* nempe, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.
2. *Plenitudinis.*) Sic Amanuensis, legerem 1 *Plantationis*.
3. *Absolvimus.*) Translationem illam ineunte Anno MCCXLVI factam scribit *Odoricus Raynaldus ex Regestis Innocentii IV, Annal. Ecclesiast. ad hunc Annum num. XXVIII.*
4. *Chiemen.*) In *Germania*.

Anno 1246 Die 2 April.

Transactionem inter Capitulum Lugdunense, & Fratres nostros circa jus sepeliendi [1] initam confirmat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 595.

CXXXI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Prędicatorum Lugdunen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex petitio.

EA, quę judicio, vel concordia terminantur, firma debent, & illibata persistere, &, ne in recidivę contentionis &c. (2). Exhibita siquidem Nobis vestra petitio, continebat, quod cum inter vos ex parte una, & Camerarium, ac Capitulum Ecclesię S. Pauli Lugdunen. ex altera, super jure sepeliendi, coram dilecto filio nostro J.... (3) Sancti Nicolai in Carcere Tullian. Diacono Cardinali, a nobis Partibus Auditore concesso, quęstio verteretur, tandem mediante dilecto filio nostro P...[4] S. Georgii ad velum aureum Diacono Cardinali amicabilis inter Partes compositio intervenit, quam Apostolico petivistis munimine roborari. Nos igitur vestris petitionibus inclinati, Compositionem ipsam, provide factam, & ab utraque parte sponte receptam, sicut in literis inde confectis vidimus plenius contineri, auctoritate Apostolica concedimus, & pręsentis scripti patrocinio communimus, ipsarum tenorem pręsentibus inseri fscientes, qui talis est. Universis, pręsentes Literas inspecturis, Prior, & Conventus Fratrum Prędicatorum, & Camerarius, & Capitulum S. Pauli Lugdun. Salutem. Cum inter nos, procurante humani generis inimico, diu extiterit materia quęstionis, illo prębente materiam quęstionis, quod cum aliqui in Parochia S. Pauli penes ipsos Fratres eligebant aliquando sepulturam, Nos Canonici S. Pauli illa corpora extra nostram Parochiam permittebamus minime deportari; Consuetudinem allegantes, & quasdam etiam alias rationes; tandem mediante venerabili Patre Domino P... S. Georgii ad velum aureum Diacono Cardinali ad concordiam devenimus sub hac forms: quod nos Canonici S. Pauli renunciavimus omnimode quęstioni, recognoscentes Jus esse Fratribus sepeliendi illorum corpora, qui de Parochia S. Pauli penes eosdem Fratres elegerint sepulturam, & quod illorum corpora per Sacerdotem Parochialem ad ipsorum Ecclesiam, hora competenti, sine dolo, & fraude deferri faciemus, ut est moris; & corpus Guillelmi de Clugiato, qui apud dictos Fratres elegerat sepulturam, & tumulatum fuit in Cęmeterio nostro, invitis Fratribus prędictis, portari per Sacerdotem Parochialem ad ipsorum Ecclesiam faciemus, & quod prędicta omnia de cetero firmiter observabimus, promisimus nos dicti Canonici, pręstito juramento. Nos vero Fratres, omnibus quęstionibus, & querelis contra dictos Canonicos motis hactenus ex hac causa renunciavimus versa vice, & promisimus bona fide, quod de cetero non movebimus, nec moveri faciemus super his aliquam quęstionem, ad cujus rei perpetuam firmitatem venerabilium Patrum J.... S. Nicolai in Carcere Tullian., in hac causa a Domino PP. partibus Auditoris concessi, & P... S. Georgii ad velum Aureum Diaconi Cardinalium, necnon D. Electi Lugdun., & etiam nostrorum fecimus sigillorum munimine pręsentes Literas roborari. Datum Lugduni Anno Domini MCCXLV. Pontificatus Domini Innocentii Papę IV Anno Tertio, Mense Septembris. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lugduni IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatio.

Transactionem exscribit.

Nota hæc.

Sanctio pœnalis.

1. *Sepeliendi.*) Consulendus *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo IX.*
2. *Contentionis &c.*) Ut *supra XXIV Maii MCCXLI*, ad hoc usque verbum: *Communiri*.
3. J...) Is erat *Johannes Cajetanus Ursinus, Matthæi* filius, *Neapoleonis a S. P. Dominico* ad vitam revocati ex fratre nepos, qui Summus Pontifex creatus anno MCCLXXVII *Nicolaus III* dictus est. Moribus & vita integer, religionis observantissimus, pacis custos, doctorum cultor, vir magni animi, optimique consilii fuit *Johannes*, uti videre est ex auctoribus citatis a *Victorello* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad Annum MCCLXXVII pag.* 218. &c.
4. *P...*) *Petro Capoccio*. Consulendus *Ciaconius* mox laudatus *pag.* 125.

Anno 1246 Die 4 April.

Magistro Generali, & Prioribus, ut Monialium Ordinis curam suscipiant [1].

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 590.

CXXXII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

LIcet olim quibusdam vestrum per nostras Literas, formas dissimiles continentes, quędam Monialium Monasteria duxerimus committenda; cupientes tamen ipsarum utilitatibus sic vestro ministerio provi-

providere; ne cursus Prędicationis, quam ex injuncto vobis officio diligentius exercetis, animarum curandis languoribus fructuosus, occursu occupationum multiplicium valeat retardari, pręsentium auctoritate statuimus, ut dictę Moniales, vel alię, si quas vobis de cetero sub quacunque forma committi contigerit, Apostolicę Sedis indulgentia concessa, vel in posterum concedenda non obstante, nisi expressam fecerint de pręsentibus mentionem, hoc solum a vobis commissionis nostrę beneficio consequantur, videlicet, ut ipsę sub Magisterio, & doctrina vestra, & eorum, qui pro tempore fuerint, debeant permanere, illis gaudentes Privilegiis, quę vestro Ordini sunt concessa, vel in posterum concedentur; & contraria consuetudine ipsius Ordinis non obstante, Animarum suarum solicitudinem gerentes, & curam, ac eis de Constitutionibus vestri Ordinis, quę ipsis competunt, exhibentes, eisdem Monasteriis per vos, vel per alios Fratres vestros, quos ad hoc idoneos videritis, quoties expedierit, visitationis officium impendere studeatis, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noveritis indigere; Instituatis nihilominus, & destituatis, mutetis, & ordinetis, prout secundum Deum videritis expedire. Electio tamen Priorissę libere pertineat ad Conventum. Confessiones earum audiatis, & ministretis eis Ecclesiastica Sacramenta. Et, ne pro eo quod in Monasteriis eisdem Fratres vestri Ordinis residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis possit periculum imminere, ad confessiones earum in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta prędicta, deputetis aliquos discretos, & providos Capellanos. Quocirca mandamus, quatenus omnia pręmissa juxta constitutionis tenorem hujusmodi, cum eas incorporari vestro Ordini Nos velimus, curetis diligenter, & solicite adimplere. Nulli ergo &c. nostrę Constitutionis &c. Datum Lugduni II Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Quæ cooperatæ sunt Ordini sub ipsius Magisterio & doctrina Moniales permaneant.

Gaudent illæ cunctis privilegiis Ordini concessis.

Hæc Monasteria visitare, corrigere, reformare &c. per se, vel per alios potest Magister Ordinis.

Sacramenta Monialibus administrent Fratres, vel Capellani a nostris Præpositis delegati.

Sanctio pœnalis.

1. *Suscipiant.*) Dixi superius *III Februarii MCCXLIV.*

Eleemosynam erogantibus, ut Cœnobium, & Ecclesia Urbevetan. (1) construantur, Indulgentiam elargitur.

Anno 1246 Die 19 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXXXIII.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (3). Cum igitur dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Urbevetan. ibidem, sicut accepimus, Ecclesiam & alia ędificia suis usibus opportuna construere cęperint, & ad ipsorum consummationem, suamque vitę arctę sustentationem, fidelium indigeant juvari subsidiis, cum ferant propter Christum voluntarię sarcinam paupertatis, universitatem &c. (4) ut per subventionem vestram prędicta ędificia consummari valeant, & alias eorum indigentię provideri &c. (5). Datum Lugduni XIII Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. Urbevetan.) In *Italia*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Apostolus &c.*) Ut supra *XVIII Julii MCCXXIX* ad hæc usque verba: *Vitam æternam*.
4. *Universitatem &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Subsidia erogetis*.
5. *Provideri.*) &c. Ut ibidem ad hæc usque: *Misericorditer relaxamus*.

Moniales Monasterii S. Petri in Hahnavve curæ Provincialis Teutoniæ committit.

Anno 1246 Die 21 Aprilis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 585.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę & Sororibus Monasterii S. Petri in Hahnavve Ord. S. Augustini, Salzeburgen. (1) Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Bedictionem. CXXXIV.

APostolicę &c. (2). Datum Lugduni XI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

EOdem modo, & eadem die, Priorissę & Conventui Monasterii de Merimbrime Argentinensis (3) Dięcesis. CXXXV.

1. *Salzeburgen.*) In *Bavariæ* Circulo.
2. *Apostolica &c.*) Ut supra *IV Julii MCCXLV.*
3. *Argentinen.*) In *Alsatia*.

Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ, ut Monasterii S. Petri in Hahnavve (1) curam suscipiant.

Anno 1246 Die 21 Aprilis.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 586.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutonię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXXXVI.

APostolicę &c. (2). Datum Lugduni XI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXXXVII. EOdem modo, iisdem, pro Monasterio de Merimbrime Argentinen. Diœcesis.

1. *Habnavve.*) De quo in præcedenti.

2. *Apostolicæ &c.*) Ut supra *IV Julii MCCXLV.*

Anno 1246 Die 25 Aprilis.

Qui Fratribus nostris Viterbiensibus, ut Sacras, & alias Ædes consumment, suppetias tulerint, iis Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXXXVIII. Innocentius Episcopus, servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (2). Omnibus vere pęnitentibus & confessis, qui eisdem pro dicti consummatione operis, vel pro ipsorum necessitatibus relevandis, manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni VII Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio nostro *S. Mariæ ad Gradus Viterbien. in Italia.*

2. *Apostolus &c.*) Ut in alio *dato die XIX Aprilis MCCXLVI* ad hæc usque verba: *Auctoritate confisi*: mutandum nomen *Urbevetan.* in *Viterbien.*

Anno 1246 Die 3 Maii.

Russis evulsis e Schismate fauste precatur, & ipsis Archiepiscopum (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. Sedis Apostolicæ Legatum esse, denuntiat.

Ex Arch. [2] *Ord. lib. A. fol. 596.*

CXXXIX. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus in Russię partibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm is, qui secundum suę Omnipotentiam Majestatis nec loco potest, nec tempore comprehendi, utpote incircumscriptibilis, & immensus, stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos Angelos & Ministros, Cęlorumque altitudine inclinata carnem assumens humanam, pro eo quod delicię suę sunt esse cum filiis hominum, Discipulos, quos elegerat, in mundum destinaverit universum, ut omni prędicarent Evangelium creaturę, suo nos instruxit exemplo, ut ejus sequentes vestigia, cum assumpti simus in plenitudinem potestatis, nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos, quos in partem solicitudinis evocavimus, onera, quasi Jethro usi consilio, dividamus, unicuique secundum virtutem propriam, quę variis temporibus imminent committendo.

Russi e Schismate evulsi.

Sane cum in partibus vestris mores & Ritus Gręcorum, qui superstitiose, ac damnabiliter ab unitate Ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis observati, & nuper, gratia faciente Divina, illuminata fuerint corda vestra, ut recognoscentes Romanam Ecclesiam Matrem aliarum omnium, & Magistram, ac summum Pontificem successorem Petri, cui collatę sunt Claves Regni Cęlestis ligandi & solvendi, & Jesu Christi Vicarium, esse Caput, quia cum unus sit Dominus, una Fides, unum Baptisma, unum principium, unum corpus Ecclesię militantis, corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censeretur, ad devotionem & obedientiam Apostolicę Sedis, & nostram redire, sicut accepimus, affectetis; Nos ei assurgentes in laudem, qui oculos Tobię per collyrium ex felle piscis illuminare dignatus est, & aperire oculos cęci nati, ac exultantes cum muliere, quę juxta veritatem evangelicam dragmam, quę perierat, reinvenit,

Denuntiat ut supra.

venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legatum, virum utique secundum cor nostrum, morum honestate decorum, literarum scientia prędituum, & consilii maturitate pręclarum, qui vobis verba vitę deferet (3), & nostram, & fratrum nostrorum plenius voluntatem exponet, ad partes vestras, commisso sibi in eisdem partibus plenę Legationis officio, duximus destinandum, concessa ei libera potestate, ut evellat, & destruat, dissipet, & disperdat, ędificet, & plantet, prout secundum Deum viderit expedire. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, mandantes, quatenus eundem Archiepiscopum, quem speciali prosequimur prerogativa favoris, sicut Legatum Sedis Apostolicę, immo Christi, cujus negotium specialiter in hac parte sibi promovendum committitur, benigne recipientes, & honorifice pertractantes, impendendo ei super pręmissis consilium, auxilium, & favorem, ipsius monitis & mandatis salubribus devote & humiliter intendatis, alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles ratam habebimus &c. Datum Lugduni V Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Archiepiscopum.*) *Henricum* nempe, de quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) Idem partim exscripsit *Odoricus ad Annum MCCXLVI num. XXIX.*

3. *Deferet.*) *Odoricus* legit: *Deferat.*

Russiæ Regi (1), ut Archiepiscopo (2) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, quem S. A. S. Legatum denuntiat, suppetias ferat.

Anno 1246 Die 3 Maii.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 598.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio illustri Russię Regi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXL.

CUm is, qui secundum suę omnipotentiam Majestatis &c. (3). Quocirca Serenitatem Regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, mandantes, quatenus eidem Legato super iis, & contra Tartaros impendas sibi consilium, auxilium, & favorem, quod exinde apud Deum meritum, & apud homines tibi compares nomen bonum; Nosque Serenitatem Regiam dignis valeamus in Domino laudibus commendare. Datum Lugduni V Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium.

Mandat ut supra.

1. *Regi.*) Is erat *Daniel*, uti videre est ex *Bulla - Sicut - Dat. VII Septemb. MCCXLVII.* Unde emendandus *Bzovius* qui in *Annalib. Ecclesiasticis ad An. MCCXLVI num. XI* Regem illum vocat *Colomanum*. Adeas *Longinum Histor. Polon. ad hunc Annum*. *Danielem* Regem *Russiæ* Anno MCCXLVI a Legato S. Sedis Apostolicæ *Kioviæ* coronatum fuisse, ex Historicis *Russiæ* probat noster *Simon Okolski* in *Russia Florida pag. 61*. *Colomanum* vero jam ab anno MCCXXXV mortuum esse, constat ex auctoribus *Polonis*, & scriptoribus *vitæ B. Solomeæ*. Adeas *Mathiam de Michovia Histor. Polon. ad Ann. MCCXXXV*, & *Vvaddingum Tomo II Annal. Minor. ad Ann. MCCLIV num. XXXVII pag. 88.*

2. *Archiepiscopo.*) *Henrico*, de quo in *Appendice ad Pontificat. Innocent. IV.*

3. *Majestatis* &c.) Ut in præcedenti ad hæc usque verba: *Videris expedire.*

Archiepiscopum (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. Sedis Apostolicæ in Russia Legatum creat.

Anno 1246 Die 3 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 598.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLI.

CUm is, qui secundum suę Omnipotentiam Majestatis &c. (2). Sane cum in partibus Russię &c. (3) Te, de cuius prudentia indubitatam fiduciam gerimus, qui eis verba vitę deferes, & nostram, & fratrum nostrorum plenius voluntatem expones, ad partes illas &c. (4). Quocirca Fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, mandantes, quatenus Legationem ipsam pro Christo susceptam sic studeas in propagationem, & corroborationem catholicę Fidei, juxta datam tibi a Domino gratiam, laudabiliter exercere, quod exinde apud Deum meritum, & apud homines tibi compares nomen bonum, Nosque diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Lugduni V Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium.

Constituit ut supra.

1. *Archiepiscopum.*) *Henricum*, de quo sæpe, & in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.

2. *Majestatis* &c.) Ut in penultima Bulla ad hæc usque verba: *Imminent, committendo.*

3. *Russiæ* &c.) Ut in eadem ad hæc usque: *Quæ perierat, relinvenis.*

4. *Illas* &c.) Ut ibidem ad hæc usque: *Videris expedire.*

Archiepiscopo [1] Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. Sedis Apostolicæ Legato, ut aliquot Episcopos in Russia constituat.

Anno 1246 Die 3 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 598.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLII.

UT Commissum tibi in Russię partibus Legationis officium liberius exequaris, presentium tibi auctoritate concedimus, ut in eisdem partibus, prout expedire videris, tanquam Legatus Sedis Apostolicę Episcopos Latinos de Ordine Prędicatorum, vel Minorum, ac aliorum Religiosorum, & de Clericis Secularibus etiam, instituere ac ordinare valeas, eis confirmationis, & consecrationis munus auctoritate Apostolica impensurus. Contradictores &c. Datum Lugduni V Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Archiepiscopo.*) Consulenda præcedentia Diplomata.

Regi [1] Russiæ, ut possit secum habere Fratrem Alexium, & Socium ejus.

Anno 1246 Die 3 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 599.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Illustri Regi Russię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLIII.

CUpientes tuis votis annuere, & volentes in omnibus, quantum cum Deo possumus, tuę satisfacere voluntati, dilectos filios Fratres Alexium, & Socium eius, qui cum ipso fuit in Bohemia, Ordinis Prędicatorum, tibi ad morandum tecum duximus concedendos: concedentes eis, auctoritate presentium, eandem

eandem auctoritatem, quam habent il, qui sunt ad Tartaros destinati. Datum Lugdun. V Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Regi*.) Cui nomen *Daniel*, ut dictum est *annot.1 in Bull. CXL.*

Anno 1246 Die 12 Maii. Sacris, & aliis Ædibus Fratrum nostrorum Senensium (1) consummandis necessariam stipem, seu eleemosynam largientibus Indulgentiam impertitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLIV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi Fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (3). Datum Lugduni IV Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Senensium*.) In *Hetruria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *S. Dominici Senarum*.
3. *Apostolus &c.*) Ut in alio *Dato XXV April. MCCXLVI* mutato nomine *Viterbien.* in *Senen.*

Anno 1246 Die 13 Maii. Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ, ut Monasterii de Ohenheim [1] Argentin. Diœcesis curam suscipiant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol.584.

CXLV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicæ &c. (2). Datum Lugduni III Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXLVI. EOdem modo, iisdem, pro Priorissa & Monasterio de Arena extra muros Augusten.

CXLVII. EOdem modo, iisdem, pro Priorissa & Conventu Monasterii de Medingen. Augusten. Diœcesis.

1. *Ohenheim*.) Videas Diplomata *Data XIII & XIX. Martii*.
2. *Apostolicæ &c.*) Ut supra ad *IV Julii MCCXLV.*

Anno 1246 Die 16 Maii. Priorissæ, & sororibus Monasterii Kirchpergensis [1], ut non possint compelli ad receptionem, seu provisionem alicujus in pensionibus, aut Ecclesiasticis Beneficiis.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. pag.221.

CXLVIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissæ, & Sororibus, in Kirchperg, Ordinis Sancti Augustini, Constantien. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra. PAci, & tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut ad receptionem, seu provisionem alicujus in pensionibus, aut Ecclesiasticis beneficiis, per literas Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ipsius compelli de cetero non possitis, Sanctio pœnalis. absque speciali mandato sedis ejusdem, faciente plenam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo &c. Datum Lugduni XVII Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Kirchpergensis*.) In *Suevia*.
2. *Archivo*.) Autographum est in Monasterio *Kirchpergensi*.

Anno 1246 Die 29 Maii. Ut Ædes Sacræ, Cœnobiumque Tolosanum perficiantur, Indulgentiam elargitur.

Ex Arch. [1] Ordinis.

CXLIX. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus &c. (2). Datum Lugduni IV Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Tolosanus*. Plumbum sericis filis appenditur.
2. *Stabimus &c.*) Ut supra *XIX April. MCCXLVI* mutato nomine *Urbevetan.* in *Tolosan.*

Fratri-

Fratribus Petro (1), & Guillelmo, Narbonensis Dioeceseos Inquisitoribus, ut Rector Ecclesiæ de Callavo possit eandem Ecclesiam Curæ Vicarii committere. Anno 1246 Die 31 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 608.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Petro, & Guillelmo, fratribus de Ordine Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticorum in Dięcesi Narbonen. a Sede Apostolica deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CL.

Cum, sicut dilectus filius Guillelmus Petri, Rector Ecclesię de Callavo Narbonen. Dięcesis, in nostra presentia constitutus, Nobis exposuit, propter inimicitias, quas assistendo in Inquisitionis negotio contra hereticam pravitatem incurrit, non possit in Ecclesia ipsa morari, mandamus, quatenus, si est ita, eidem Rectori, donec in prefata Ecclesia tute residere valeat, deserviendi in ea per idoneum Vicarium, facultatem auctoritate nostra liberam concedatis. Quod si non ambo &c. Datum Lugduni I I Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut supra.

1. *Petro.*) Fratres *Petrum Duranti*, & *Guillelmum Raymundi* Fidei Censores *Tolosæ* per id tempus fuisse, probat *Percinus* noster *Monument. Convent. Tolosani ad An. MCCXLIII pag. 52. Col. II num. III.*

Ut Conventus Remensis (1) alio transferatur, & Archiepiscopus Remensis, quæ fuerint ad hanc translationem necessaria possit concedere. Anno 1246 Die 9 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Remensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLI.

Cum locum Fratrum Ordinis Prędicatorum Remensium transferre cupias, ut iidem Fratres, majoris Ecclesię Canonicis viciniores effecti, accedere valeant commodius ad eandem, & ibidem Lector (3) Fratrum ipsorum accedentibus ad percipienda Theologicarum doctrinarum fluenta, scientiam disseminet salutarem; Nos, tam pium desiderium pietatis conniventia commendantes, quodquicquid census, & juris Ecclesię tuę nomine obtines in domibus, & possessionibus ceteris, quas dicti Fratres habere potuerunt, pro Ecclesia, officinis, horto, & aliis terris ipsorum usibus opportunis, eisdem possis remittere, ac perpetuo indulgere, juramento super rebus ejusdem Ecclesię non infeudandis, seu alienandis, prestito non obstante, auctoritate presentium, liberam concedimus facultatem. Datum Lugduni V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ratio transferendi Conventus.

Indulget ut supra.

1. *Remensis.*) In *Gallia Belgica* ad *Vidulam* Fluvium.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum vero est in Cœnobio *Remensi*.
3. *Lector.*) Ergo a primis Annis Ordinis provincia docendi Nostratibus ibi est demandata.

Fratribus Petro (1), & Guillelmo, Narbonensis Dioeceseos Inquisitoribus, ut Guillelmus Petri in complurium Beneficiorum possessionem possit venire. Anno 1246 Die 27 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 608.

Innocentius Episcopus, servus Servorum Dei, dilectis filiis Petro, & Guillelmo, Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticorum in Dięcesi Narbonen. a Sede Apostolica deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLII.

Cum, sicut, dilecto filio Guillelmo Petri, Rectore Ecclesię Narbonen. Dięcesis, accepimus intimante, proventus, quos de Ecclesia de Callavo, cujus Rector existit, percipit, quindecim marcarum argenti valentiam annis singulis vix attingant; Nos ipsius precibus inclinati, mandamus, quatenus cum eo, qui, ut asserit, pro negotio Fidei fideliter laboravit, ita quod propter hoc multorum hęreticorum iram incurrit, quod alia Beneficia, seu Personatus, vel Dignitates, etiam si curam habeant (2) animarum annexam, dummodo ipsorum proventus, una cum Beneficiis, quę obtinet triginta marcarum argenti annuatim valentiam non excedant, si ei canonice offerantur, licite recipere, ac cum obtentis libere retinere valeat, Constitutione (3) Generalis Concilii non obstante, auctoritate Apostolica dispensetis; Proviso, ut Ecclesia, & Beneficia, vel Personatus, seu Dignitates predicta debitis non fraudentur obsequiis, & Divinus minime negligatur cultus. Quod si non ambo &c. Datum Lugduni V Kal: (4) Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

Derogationes.

1. *Petro.*) Ut in *Notatione I ad Diploma Datum XXXI Maii MCCXLVI.*
2. *Habeant.*) Id secundum distributionem accommodam sic interpretarer, ut sensus sit, sive Dignitates, sive personatus curam animarum habeant annexam, cum uno ex istis, alia simplicia, ut vocant, Beneficia poterit obtinere.
3. *Constitutione*,) Concilii *Lateran. IV Cap. XXIX.*
4. *Kalendas.*) Anno MCCXLVI, non autem MCCXLV scriptum Diploma crediderim, quia, uti sæpius dixi, a consecrationis, non vero electionis Die Annos Pontificatus computabat *Innocentius*.

Mona-

Anno 1246
Die 10 Julii.

Monasterium S. Marci Herbipolen. (1) incorporat Provinciæ Teutoniæ.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 609.

CLIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Marci Herbipolen. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis &c. (2). Ad hęc liceat vobis redditus, & possessiones recipere, & ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis; Quorum administrationi prędicti Magister, & Prior pręficiant aliquos viros idoneos, ipsosque inde removeant, & substituant alios, prout viderint expedire. Nulli ergo &c. nostrę incorporationis &c. Datum Lugduni VI Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Herbipolen.*) In *Franconia*.
2. *Apostolicæ Sedis &c.*) Ut in *Diplomate dato IV Julii MCCXLV*, ad hæc usque verba: *Providos Capellanos*.

Anno 1246
Die 10 Julii.

Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut Monasterii S. Marci Herbipolen, (1) curam gerant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 610.

CLIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutonię, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis &c. (2). Datum Lugduni VI Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Herbipolen.*) De quo in præcedenti.
2. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate XC, dato IV Julii MCCXLV*.

Anno 1246
Die 10 Julii.

Ad Sacras, & alias Ædes Cœnobii nostri Venetiarum perficiendas necessariam stipem, seu eleemosynam erogantibus Indulgentiam concedit.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (2). Cum igitur dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum de Venetiis &c. Datum Lugduni VI Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum asservatur in Cœnobio nostro *SS. Johannis & Pauli Venetiarum.*
2. *Apostolus &c.*) Ut supra *XXV April. MCCXLVI.*

Anno 1246
Die 11 Julii.

Monasterium Sanctæ Mariæ in Offemberch (1) Provinciæ Teutoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum unitur.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 611.

CLVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii Sanctę Marię in Offemberch, Argentin. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis &c. (2). Devotionis vestrę precibus, & etiam consideratione nobilis viri Galcheti de Jovignaco (3) familiaris nostri, nobis pro vobis supplicantis, inducti, vos, & Monasterium vestrum &c. (4). Datum Lugduni V Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Offemberch.*) Seu *Offemburgi* in *Germania* non longe ab *Argentorato*, vulgo *Strasbourg* in *Alsatia*.
2. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate dato IV Julii MCCXLV* ad hæc usque verba: *In Domino commendantes*.
3. *Jovignaco.*) Legerem *Joviniaco*, ut videre est *nota III* in *Diploma datum VIII Aprilis MCCXLV*.
4. *Vestrum &c.*) Ut in *Bulla IV Julii* mox laudata, ad finem usque.

Monas-

Monafterii S. Mariæ in Offemberch (1) curam delegat Magiftro Generali, & Provinciali Teutoniæ, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Anno 1246 Die 11 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 611.

CLVII.

Innoceotius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiftro, & Priori Provinciali Teutoniç, Ordinis Fratrum Prçdicatorum, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

APoftolicç Sedis &c. (2). Devotionis ipfarum precibus, & etiam confideratione dilecti filii nobilis viri Galcheti de Jovignaco familiaris noftri, nobis pro eis fupplicantia, inducti, eas, & idem Monafterium auctoritate Apoftolica vobis duximus committenda &c. (3). Datum Lugduni V Idus Julii, Pontificatus noitri Anno Quarto.

1. *Offembercb.*) De quo in præcedenti.
2. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate XC dato IV Julii MCCXLV*, mutato nomine, ad hæc ufque verba: *In Domino commendantes.*
3. *Committenda &c.*) Ut in eodem, ad finem ufque.

Monafterium S. Leonardi in Hvvfenten. (1), Bafileenfis (2) Diœcefeos, in Provinciam Teutoniæ Ordinis Prædicatorum cooptatur.

Anno 1246 Die 11 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 612.

CLVIII.

Innocentius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chrifto filiabus Priorifsç, & Conventui Monafterii Sancti Leooardi in Hvvfenten., Bafileeo. Diçcefis, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

APoftolicç Sedis &c. (3). Devotionis veftrç precibus, & etiam confideratione nobilis viri Galcheti de Jovignaco familiaris noftri, nobis pro vobis fupplicantis, inducti, vos, & Monafterium veftrum &c. (4). Datum Lugduni V Idus Julii, Pontificatus ooftri Anno Quarto.

1. *Hvvfenten.*) In alio Ms. legebam: *Hvvferen.*
2. *Bafileenfis.*) In *Helvetia.*
3. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate date IV Julii MCCXLV*, ad hæc ufque verba: *In Domino commendantes.*
4. *Veftrum &c.*) Ut in eodem ad finem ufque.

Magiftro Generali, & Provinciali Provinciæ Teutoniæ, Ordinis Prædicatorum, ut Monafterii S. Leonardi in Hvvfenten. (1) curam fufcipiant.

Anno 1246 Die 11 Julii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 612.

CLIX.

Innocentius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiftro, & Provinciali Teutoniç, Ordinis Fratrum Prçdicatorum, Salutem, & Apoftolicam Benedictiooem.

APoftolicç Sedis &c. (2). Devotionis ipfarum precibus, & etiam confideratiooe dilecti filii oobilis viri Galcheti de Jovignaco familiaris noftri, nobis pro eis fupplicantis, inducti, eas, & idem Monafterium auctoritate Apoftolica vobis duximus committenda &c. (3). Datum Lugduni V Idus Julii, Pootificatus noftri Anno Quarto.

1. *Hvvfenten.*) De quo io præcedenti.
2. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate XC date IV Julii MCCXLV*, mutato nomine, ad hæc ufque verba: *In Domino Commendantes.*
3. *Committenda &c.*) Ut in eodem ad fioem ufque.

Ut Chrifti Fideles ad perficiendas Sacras, & alias Ædes Cœnobii noftri S. Dominici Neapolitan. fubfidio veniant, Indulgentiam elargitur.

Anno 1246 Die 15 Julii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLX.

Innocentius Epifcopus, Servus Servorum Dei, univerfis Chrifti Fidelibus, prçfeotes literas iofpecturis, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

QUooiam, ut ait Apoftolus &c. (2). Datum Lugduni Idibus Julii, Pootificatus noftri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum tenet Conventus *S. Dominici Neapolitan.*
2. *Apoftolus &c.*) Ut fupra *XIX April. MCCXLVI* mutato nomine *Urbevetan.* in *Neapolitan.*

Mag.

Anno 1246 Die 27 Julii.

Magiſtro Generali, Provincialibus, & Prioribus Ordinis, ut ab eccleſiaſticis cenſuris Fratres abſolvere [1] poſſint.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

CLXI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & univerſis Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet ad hoc &c. (3), ut ſinguli veſtrum in Provinciis, & Conventibus (4) ſibi commiſſis prędictis &c. Datum Lugduni VI Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Abſolvere.*) Legeſis *Tractat. de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Titulo IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud ejuſdem tenoris invenitur eſt *Toloſæ*. Datum fertur *Lugduni II Idus Januarii, Pontificatus Innocentii IV Anno Tertio*. Plumbum ſericis filis appenditur.
3. *Ad hoc &c.*) Ut ſupra *VI April. MCCXLIV.*
4. *Conventibus.*) Unum enim diſcrimen præſentem inter & Bullam mox laudatam; iſta ſiquidem mox citata, Generali Magiſtro, & Provincialibus tantum, illa vero etiam Prioribus eſt inſcripta.

Anno 1246 Die 13 Septemb.

Fratribus Mediolanenſibus, ut ii, qui ejurata hæreſi ad Ordinem fuerint aſcripti, infra annum tirocinii, vota ſolemnia poſſint nuncupare.

Ex Bullar. [1] *Uſusmaris pag. 25.*

CLXII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Prędicatorum Mediolan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conceſſio.

Ut preſſi quondam tenebroſa catena hęreticę pravitatis, poſt revelatam ipſis veritatem Fidei orthodoxę, diſruptis mortiferis vinculis, pedem iniiciant in compedes ſalutares; Nos, veſtris precibus inclinati, quod hęreticos converſos, & etiam convertendos, qui veſtrę Religionis habitum aſſumpſerunt, vel quos in poſterum continget aſſumere, ad profeſſionem veſtri Ordinis poſſitis recipere infra Annum, per Nos Ordini veſtro facto mandato [2] contrario non obſtante, auctoritate pręſentium vobis concedimus facultatem. Datum Lugduni Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Bullario.*) Autographum habes in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanen.*
2. *Mandato.*) Quod exſcripſimus ſupra ad *XVII Junii MCCXLIV.*

Anno 1246 Die 6 Octobr.

Legato [1] S. Sedis Apoſtolicæ, ut Epiſcopatum Pomeſaniæ Fratri Vuarnero conferat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 617.

CLXIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Pruſſię, Livonię, & Eſtonię, Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Mandat ut ſupra.

Decet &c. [2]. Ut ipſum propter hujuſmodi merita, & intuitu cariſſimi in Chriſto filii, nobilis hominis, illuſtris Romani Regis, cui familiaris & carus eſſe dignoſcitur, ſpeciali proſequamur honore, Fraternitati tuę prępiciendo mandamus, quatenus Fratrem eundem, ceſſante cujuſquam dilationis & difficultatis obſtaculo, terrę Pomeſanię, niſi forte, tu ibi Sedem velis habere propriam, vel terrę Vvarmię (3), in qua civitas, Elbingum (4) nomine, fundata de novo dicitur contineri, infra ſex menſes poſt ſuſceptionem pręſentium pręficias in Epiſcopum, & acceſſitis duobus, vel tribus Epiſcopis, ei munus conſecrationis impendas, & faciatis ſibi a ſubditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi; alioquin venerabili fratri noſtro Epiſcopo Numburgenſi (5) per literas noſtras injungimus, ut ex tunc ipſe ſuper hoc mandatum Apoſtolicum exequatur. Contradictores &c. Datum Lugduni II Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Legato.*) Bullam Legationis exſcripſimus *ſupra Die III Maii MCCXLVI.*
2. *Decet &c.*) Ut ſupra *VIII Novembr. MCCXLV.* Ibi dixi, quæ hic eſſent notanda.
3. *Vvarmiæ.*) In *Pruſſia Regia.*
4. *Elbingum.*) Anno MCCXXXIX condita fuit Urbs illa.
5. *Numburgen.*) Seu *Naumburgen*, in *Saxonia* ſuperiori.

Anno 1246 Die 8 Octobr.

Priori de Ponte (1), & Guardiano FF. Minorum de Dondalo (2), ut Electores Armachanæ (3) Sedis, & Electum, peremptorie citent, & ad Sedem Apoſtolicam remittant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 618.

CLXIV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum de Ponte, & Guardiano fratrum Minorum de Dondalo, Armachan. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium enarrat factum.

Ad audientiam noſtram, dilecto filio Magiſtro Andrea, Eccleſię Armachan. Archidiacono, inſinuante, pervenit, quod cum olim eadem Eccleſia Paſtore vacaret (4), Magiſter M.... qui pro Cancellario Eccle-

Ecclesię prędictę se gerit, contemptis quibusdam ex Concanonicis suis, qui commode vocari poterant, & de jure debebant, post appellationes a dicto Archidiacono, & sibi adhęrentibus, legitime interjectas, nulla forma Concilii (5) observata, cum quibusdam suis complicibus venerabilem Fratrem nostrum G... .... Episcopum Rathiulen. (6) ad Armachan. Ecclesiam postulare pręsumpsit, non considerato prudenter, quantum in talibus, etiam unius contemptus obsit, & quod postulatio affici videatur, quę invenitur post appellationem ad Nos emissam in tanta contradictione pręsumpta, maxime cum dicatur de persona minus idonea celebrata fuisse. Cum itaque velimus super Processu postulationis hujusmodi, & meritis postulati scire plenius veritatem, ut quod justum fuerit, faciamus, mandamus, quatenus tam postulatum, quam postulantes ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut usque ad Dominicam proximam, qua cantatur Lętare (7) Jerusalem, ad prosequendam postulationem eandem personaliter Postulatus, &, per Procuratores idoneos, Postulantes nostro se conspectui repręsentent, ut tam de votis postulantium, quam forma postulationis, & meritis Postulati diligenter instructi, quod justum fuerit, Auctore Domino, decernamus: Si autem postulationem eandem prosequi forte noluerint, aliquos de suis Concanonicis ad pręsentiam nostram mittant, quod canonicum fuerit, recepturos. Diem autem citationis, & formam, & quicquid inde feceritis, nobis per vestras literas, tenorem pręsentium continentes, fideliter intimetis. Quod si non ambo &c. Non obstante indulgentia vobis, vel Ordini vestro, ab Apostolica Sede concessa, ut inviti non teneamini causas suscipere, vel sententias exequi per literas Sedis ejusdem, quę de ipsa Indulgentia non fecerint mentionem. Datum Lugduni VIII Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto. Mandatum.

1. *De Ponte.*) Quintumdecimum est Cœnobium illud ex *Hibernis*, quæ *Bernardus Guidonis* enumerat *in MS.Codice Bibliothecæ Magistri Generalis Ord. FF. Prædicatorum*.
2. *Dondalo.*) Seu *Dundalo*, in *Hibernia*.
3. *Armachana.*) Archiepiscopalis Sedes *Ultoniæ* in *Hibernia*.
4. *Vacaret.*) Quia *Armachanus* Antistes ad Archiepiscopatum *Prussiæ*, *Livoniæ*, & *Estoniæ* translatus erat. Bullam Translationis exscripsi superius ad *III Maii MCCXLVI.*
5. *Concilii.*) *Lateranen. IV.*
6. *Rathiulen.*) Mutila vox; Forsan *Raten.*, vulgo, *Rathy*; vel *Bath-Vvellen.* Episcopatus uniti in *Anglia*, ubi tunc sedebat *Guillelmus Bitten.*
7. *Lætare.*) Seu IV Quadragesimæ, sic dicta etiamnum ex Introitu Missæ.

Monasterium S. Mariæ de Crosvvis (1) unit Provinciæ Teutoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum. Anno 1246 Die 9 Novembris.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 613.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii Sanctę Marię de Crosvvis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Humburgen. (2) Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXV.

Apostolicę Sedis &c. (3). Datum Lugduni V Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Crosvvis.*) Seu *Cronsvvick* in *Saxonia*.
2. *Humburgen.*) Seu *Hamburgen.*, vulgo *Hamburg* in *Saxonia*.
3. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate dato IV Julii MCCXLV.*

Monasterii S. Mariæ de Crosvvis [1] curam mandat Magistro Generali, & Provinciali Teutoniæ Ordinis Fratrum Prædicatorum. Anno 1246 Die 9 Novembris.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 613.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutonię, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXVI.

Apostolicę Sedis &c. [2]. Datum Lugduni V Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Crosvvis.*) De quo in præcedenti.
2. *Sedis &c.*) Ut in *Diplomate XC, dato IV Julii MCCXLV*, mutato nomine, ad finem usque.

F. Stephano [1], ut visitet, ac reformet totius fere Italiæ Monasteria [2], S. Sedi Apostolicæ nullo medio subjecta. Anno 1246 Die 13 Novembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 622.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Stephano Ordinis Prędicatorum, Capellano, & Pęnitentiario nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXVII.

Etsi ex injuncto Nobis Apostolatus Officio de universis Ecclesiis curam, & solicitudinem gerere teneamur, de illis tamen specialius Nos convenit, quę ad Romanam Ecclesiam nullo noscuntur medio pertinere, quarum correctioni, cum per Nos nequeamus, prementibus undique curis universalis Ecclesię, insistere, aliquos plerumque in ministerium deputamus, qui vice nostra in eisdem Ecclesiis hujusmodi correctionis, & visitationis officium exequantur. Cum igitur expertam de tuę Religionis zelo, ac sinceritate fiduciam habeamus, Monasteria exempta Ordinum S. Benedicti, & S. Marci (3) necnon Canonicos Regulares cujuscunque Professionis, vel Ordinis, Humiliatos quoque, & Hospitalia, necnon Ecclesias, & lo- Exordium a pastorali solicitudine. Committit ut supra.

& loca, in quibus correctio ad Diœcesanos non pertinet, vel quę in possessionem libertatis existunt, in Provincia Lombardię, Romaniolę, Marchię Tervisin., & Anconitan., Civitatum quoque, & Diœcesum Venetiarum, & Januen., Monasteriis Cistercien. Ordinis, & Monialium Pauperum Inclusarum duntaxat exceptis, privilegiis, & indulgentiis eorum nequaquam obstantibus, tibi committimus visitanda; Discretioni tuę presentium auctoritate mandantes, quatenus omni mora, & timore postpositis, corrigas, appellatione remota, intrepide, & efficaciter, tam in capitibus, quam in membris, quęcunque correctionis officio noveris indigere. Contradictores vero, & rebelles &c. Correctionibus factis in Generali Capitulo in suo robore duraturis. Quod autem super premissis faciendum duxeris, nobis plene rescribas, ut ad id, auctore Domino, opportunum consilium, & auxilium impendamus. Si vero aliqua predictorum locorum inveneris adeo disformata, quod in Ordine suo nequeant reformari, in illis unum de approbatis Ordinibus quem magis expedire videris, introducas, personis ibi degentibus, nolentibus Ordinem ipsum assumere, in aliis locis sui Ordinis collocatis; in contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, exercendo; invocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Ceterum quia onus in plura divisum levius supportatur, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ad premissorum aliqua exequenda, aliquibus Deum timentibus, tui, ac aliorum Ordinum possis, cum expedit, committere vices tuas. Datum Lugduni Idibus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Exceptio.

Quomodo reformanda quędam Cœnobia.

Facultas constituendi alios visitatores.

1. *Stephano.*) Consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 52. Legesis Diploma *Datum IV Maii MCCXXXIII.*
2. *Monasteria.*) De quibus supra *IV Septembr. MCCXXVII,* & *XII Maii MCCXXXVII.*
3. *S. Marci.*) Optime sic; nec audiendi qui scripsere; *S. Mauri*: Nullus enim tunc Ordo *S. Mauri*, nulla tunc hujus nominis Congregatio. De Ordine *S. Marci* dixi loco mox laudato.

Anno 1247 Die 11 Januar.

Absolutionem Chaberto de Barbaran ab Episcopo Elnensi [1], & a F. Raymundo [2] de Pennafort datam, confirmat.

Ex Echard Script. Ord. Tomo I ad Annum MCCXXXVIII pag. 110.

CLXVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Chaberto de Barbaran, Elnensis Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex oratoris petitio.

EXhibita nobis tua petitio continebat, quod cum dudum venerabili fratri nostro Episcopo Elnensi, & dilecto filio F. Raymundo de Pennafort, Penitentiario nostro, dederimus nostris literis (3) in mandatis, ut cum nonnulli conversantes in Elnensi Diœcesi, convicti olim de macula heretice pravitatis, nunc advertentes errorem suum, & Creatoris sui agnoscentes offensam, ad sinum redire matris Ecclesię affectarent, ipsi cum tribus ex eis, de quibus per debita signa, conjecturas probabiles, & illorum testimonia, qui vitam noscerent, & conversationem eorum, eis constaret, quod redire velint ad Ecclesię unitatem, prius ab ipsis heresi publice abnegata, & sufficienti cautione recepta, ne ulterius in hereticorum contagia relabantur, agerent misericorditer, prout eorum discretio nosceret expedire, ac diligenter consideratis, quę ad munimentum fidei faciunt, & integritatem Ecclesiasticę unitatis, injungentes sibi penitentiam salutarem: itaquod murorum non clauderentur ambitu, nec longa peregrinatione, aut nota infamię manifestę, vel exilio damnarentur: predicti Episcopus, & Penitentiarius provide attendentes, nos ad instantiam carissimi in Christo filii nostri Aragonum Regis (4) illustris, pro te Nobis super hoc supplicantis, literas hujusmodi concessisse, circa te, qui de hujusmodi execrabili errore fueras diffamatus, agentes misericorditer, secundum traditam eis formam, absolutionis tibi beneficium impenderunt, ac te reconciliatum reddiderunt Ecclesię Matri tuę, injungentes tibi penitentiam salutarem, prout in eorum literis plenius continetur. Nos igitur tuis devotis precibus inclinati, quod a predictis Episcopo & Penitentiario juste, ac provide factum est in hac parte, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Lugduni III Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Ad instantiam Aragonum Regis gratiam concessam declarat.

Confirmat ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Elnensi.*) Seu *Helenensi*, in Comitatu *Ruscinonensi*.
2. *Raymundo.*) Adeas *Echard* laudatum.
3. *Literis.*) Desiderantur.
4. *Regis.*) *Jacobi I.*

Anno 1247 Die 13 Januar.

Domesticos (1) nostros excommunicationis, & interdicti generalis sententiis obnoxios non esse, declarat.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

CLXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Declarat, ut supra.

UT in vestris domibus vobis servientes in ministeriis opportunis, ob vestri gratiam, quam apud Sedem Apostolicam sedulę devotionis vestrę obsequia promerentur, nostrę gratię munere non reddantur immunes, Nos vestris devotis precibus inclinati, quod si quando in personas vel terras, in quibus residetis, excommunicationis, seu interdicti sententiam contigerit promulgari, pueri vestris servitiis deputati hujusmodi sententiis obnoxii nullatenus habeantur, nisi eisdem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat eosdem, auctoritate vobis presentium indulgemus; presentibus post annum vicesimum minime valituris; Nulli ergo &c. Datum Lugduni Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Exceptio.

Sanctio pœnalis.

1. Do-

1. *Domesticos.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar.* Tomo ultimo *Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Asservantur alia in Cœnobiis nostris *Parisiensi*, *Claromontano*, *Senarum*, & *S. Sabinæ de Urbe*. Exemplar habes etiam in *Arch. Ordinis lib. A. fol.* 622. Plumbum sericis filis appenditur.

F. Alberto (1) de Vicedominis, ut in electionem Coronensis (2) Episcopi inquirat.

Anno 1247 Die 8 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 619.

CLXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alberto de Vicedominis de Placentia, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD nostram noveris audientiam pervenisse, quod olim Ecclesia Coronen. Pastoris solatio destituta, Capitulum ejusdem Ecclesię Thesaurarium Constantinopolitan. minus canonice in suum Episcopum elegerunt: Cum igitur instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatenus de studiis, modo electionis, eligentium, & Electi meritis inquisita diligentius veritate, quod inveneris, Nobis per tuas literas fideliter intimare procures; non obstante Indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ne de causis, quę per Sedem Apostolicam committuntur eisdem, inviti cognoscere teneantur. Datum Lugduni VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandat ut supra.

1. *Alberto.*) *Longobardus*, qui teste *Rovetta ad Ann. MCCXXXI*, scripsit *Summam bipartitam contra hæreses*.
2. *Coronen.*) In *Græcia*.

Episcopo Lodovensi (1), F. Raymundo (2) Ord. Prædicatorum & F. Vvillelmo (3) de Bruna Ord. Minorum, ut in signa pœnitentiæ Raymundi (4) Comitis Tolosani inquirant.

Anno 1247 Die 1 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 620.

CLXXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Lodoven., & dilectis filiis Fratribus Raymundo (5) Ordinis Prędicatorum, & Vvillelmo de Bruna Ordinis FF. Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUa nos dilectus filius, nobilis vir, Comes Tolosanus petitione monet, quod cum quondam R... Pater suus principalibus excommunicationum sententiis innodatus decessisset, absolutionis beneficio non obtento, quia corpus ejus non fuit Ecclesiasticę traditum sepulturę, licet signa pęnitentię apparuerint in eodem; Idem Comes (6) fel: rec: Gregorii Papę Prędecessoris nostri ad ven. fratrem nostrum Episcopum Albien., & Abbatem Grandis-Silvę Cisterciensis Ordinis, ut super hujusmodi signis, quantum ad diem obitus pręfati R... veritatem inquirerent, & quicquid (7) invenirent ad Apostolicam Sedem referrent, literas impetravit (8). Quia vero iidem (9) super pęnitentię signis, quę diem mortis pręcesserant (10), & quibusdam aliis articulis, ad (11) negotium ipsum spectantibus, quos idem Comes coram Nobis duxit proponendos.... (12) inquiratis diligentius veritatem, & quę inveneritis fideliter redacta in scriptis, sub sigillis vestris Nobis per fidelem nuncium transmittatis. Quod si non omnes &c. tu Frater Episcope &c. Datum Lugduni Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Supplex Comitis Tolosani petitio.

Mandat ut supra.

1. *Lodovensi.*) In *Occitania*.
2. *Raymundo.*) *Bernardus De Cancio* passim vocatur iste in *Ms. Inquisitionum Tolosana* & *Carcassonensi*. Fuit Fidei Censor ab Anno MCCXLIII, ad MCCXLIX. Ipsius mentio in *Vitis Fratrum lib. V Cap. IX.* Sic hujus Inquisitionis Actis subscripsit: *Ego F. Raymundus De Cancio Ord. Prædicator. Inquisitor S. Fidei attestor.*
3. *Vvillelmo.*) Idem instrumentum sic obsignavit: *Ego F. Vvillelmus De Briva Ord. Fratrum Minorum attestor prædicta omnia.* A nonnullis *Vvillelmus De Britia* nuncupatur.
4. *Raymundi.*) Legesis *Appendicem*, cui Titulus: *Inquisitio De Raymundo Comite Tolosano.* Extat in *Monument. Conventus Tolosani*, *Auctore R. P. Jacobo Percin.*
5. *F. Raymundo.*) Illustriss. *Johannes De la Pause Lodovensis* Antistes in *Chronicis prædecessor. suorum* sic inscribit Diploma: *Venerabili Fratri Guillelmo Episcopo Lodovensi, & Magistris F. Raymundo De Cancio Ord. Prædicator. & F. Guillelmo De Britia Ord. Minorum.* Percinus autem mox laudatus *pag.* 76. Sic legit: *F. Raymundo De Cancio Ord. Prædicatorum, Inquisitori Tolosano, & F. Guillelmo De Briva Ord. Minorum.... Sua Nobis vir dilectus filius Comes Tolosanus petitione monstravit, quod cum quondam Raymundus Pater suus pluribus excommunicationis sententiis innodatus decessit, absolutionis beneficio non obtento, propter quod corpus ejus &c.*
6. *Comes.*) *Percinus* addit: *Filius.*
7. *Quicquid.*) *Percinus* legit: *Quæ.*
8. *Impetravit.*) Percinus: *Impetrasset.*
9. *Iidem.*) Percinus. *Ipsi.*
10. *Præcesserant.*) Percin: *Prædecesserant.*
11. *Ad.*) *Percinus* sic: *Idem negotium pertinentibus inquirere non curarunt: Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus super omnibus articulis ad negotium ipsum spectantibus, quos idem Comes duxit coram vobis proponendos, inquiratis diligentius veritatem, & quæ &c.... Datum Lugduni Kalend. Martii Pontificatus Anno Primo.*
12. *Proponendos....*) Quædam desiderantur in *lib. A.* quæ sic in Ms. Archivi Ordinis: *Non satis inquisierint, vobis injungimus, ut super hiis inquiratis.*

Anno 1247 Die 5 Martii.

Priori nostro Aretino (1), ut facultatem concedat Abbati S. Floræ vendendi & alienandi quasdam possessiones Monasterii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 620.

CLXXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Aretin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Abbatis petitio.

Dilecti filii Abbas, & Conventus Monasterii S. Florę Aretin., Nobis exponere curaverunt, quod Monasterium ipsum tanto premitur onere debitorum, quod, nisi ei per Sedis Apostolicę providentiam celeriter succurratur, verendum est, ne absorbeatur penitus voragine usurarum, ad quarum solutionem ipsius redditus vix sufficere dignoscuntur. Quare Nobis humiliter supplicarunt, ut eidem Monasterio in necessitatis articulo providere de benignitate solita curaremus: Nos igitur, dignum reputantes, ut ad Monasterium ipsum geramus debitę compassionis affectum, mandamus, quatenus, si est ita, eisdem Abbati, & Conventui, non obstantibus Apostolicis literis, per quas asserunt sibi fuisse expresse inhibitum, ne aliquid de Bonis Monasterii supradicti, neque Pensionem, sive Censum, vel redditum, undecunque debeantur eidem, vendere, distrahere, aut quocunque modo, pro ipsorum debitorum exoneratione, vel quacunque alia causa, sine speciali nostra licentia, vel illius, cui largiendi facultatem hujusmodi dederimus, alienare presumerent, vel aliquibus aliis Priori de Mosciaria quondam Mag. G... de Aretio impetratis, vendendi de possessionibus ejusdem Monasterii minus utilibus concedas auctoritate nostra liberam facultatem, dummodo pretium, quod pro eis receptum fuerit per manus tuas in solutione debitorum hujusmodi convertatur. Datum Lugduni III Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandat ut supra.

1. *Aretino.*) In *Italia*.

Anno 1247 Die 20 Martii.

Ut Fratres nostri, *constantes Fidei Athletæ*, sententiam in Fridericum latam promulgent (1).

Ex Histor. Ord. F. Lopez III. P. lib. I. Cap. LXII.

CLXXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus Provincialibus Fratrum Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

Sane cum Ordinem vestrum his temporibus, disponente Domino, in ejus Ecclesia salubriter institutum Apostolica Sedes opportunis favoribus curaverit munire presidio, & gratia extollere speciali, ipsiusque Ordinis Fratres tantam ejusdem Sedis benevolentiam, velut gratitudinis sibi plenitudine, devotionis, & obedientię promptitudine reverenter agnoscant, Nos per eos tanquam Catholicę Fidei & justitię servidos zelatores, paratos semper nostra beneplacita solicite adimplere, processum contra Federicum quondam Romanorum Imperatorem, in Concilio, quod nuper Lugduni, annuente Domino, celebravimus, habitum, volumus publicari. Sed, ut clarius vobis liqueat, Processum eundem justitię plenitudine fore munitum, scire vos volumus, quod expositis in ipso Concilio prefati Federici nefandis excessibus, eodemque Concilio discussione deliberante vigili super eis, Nos tandem de communi tam Fratrum nostrorum, quam Concilii ejusdem consilio, sententialiter contra memoratum Federicum duximus procedendum, prout ex tenore sententię, quam sub Bulla nostra ad vos transmittimus, plenius innotescet. Unde, ne Christi Fideles predicto Federico contra eandem sententiam per ignorantiam pareant, vel intendant, & ut sententię ipsius ęquitas omnibus nota fiat, universitatem vestram monemus, & hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus processum hujusmodi per vos, & alios vestri Ordinis Fratres providos & discretos, in locis opportunis publicare curetis; Nos enim vobis, vestrisque Fratribus licentiam concedimus convocandi propter hoc tam Clerum, quem in hujusmodi negotio vobis favorabiliter assistere volumus & mandamus, quam populum diebus festivis, & aliis. Ad hęc resecandi misericorditer omnibus vere pęnitentibus & confessis, qui ad vestras prędicationes, in quibus processum publicaveritis supradictum, accesserint, quadraginta dies de pęnitentiis injunctis eisdem, liberam tribuimus auctoritatem pręsentium tenore. Et, si forte propter hujusmodi publicationem, contumelias, exilia, vincula, carceres, verbera, seu quęcunque supplicia, vel corporis cruciatus vos sustinere contigerit, concedimus de Omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut hęc omnia vobis, velut constantibus Fidei, Justitię, & Ecclesiasticę libertatis Athletis, ad plenam remissionem peccaminum, & ęternę premium vitę cedant. Datum Lugduni XIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Nota verba.

Sententia in Fridericum lata a Concilio.

Mandat ut supra.

Facultas Indulgentiam concedendi.

1. *Promulgent.*) Dixi superius *XXI Decembr. MCCXLV.*

Ne,

Ne Fratres, qui ex literis Apostolicis secularium confessiones excipiunt, sine Præpositorum licentia Nostrates absoluant (1). Anno 1247 Die 26 Martii.

Ex Bullar. (2) *Ususmaris pag.* 25.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXIV.

CUm supernę lucis radiis illustrati, non ignoretis callidi astutias inimici, ac frustra idem hostis suę fraudis retia coram oculis jaciat pennatorum, qui continua diligentia salutaribus profectibus subditorum intendunt, quibus confectę sanitatis medicamina, veluti instructi medici tempore necessitatis adhibent, requiratis (3) i Nos, de vestra solicitudine ad utiliora saluti gregem creditum promovente, plenam in Domino fiduciam obtinentes, volumus (4), quod illi Fratres, quibus per nostras concessimus literas, seu quibus duxerimus concedendum, ut confessiones generaliter audiant, & sibi confitentibus pęnitentiam salutarem injungant, dummodo confitentium adeo non fuerint enormes excessus, quod ipsi, pro absolutionis obtinendo beneficio, sint merito ad Sedem Apostolicam destinandi, aliquam super Fratres vestrę gubernationi creditos ex concessione hujusmodi habeant potestatem. Datum Lugduni VII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Exordium a laude Ordinis.

Concessio.

1. *Absolvant.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Bullario.*) Autographum habes in Cœnobiis *Parisiensi*, & *Mediolanensi*. Illud exscripsere *Castellanus pag.* 16, & *Rodericus Tomo I Novæ Collectionis Privilegiorum Apostolicorum pag.* 16. *Col. I.*

3. *Requiratis.*) Turbatus videtur locus.

4. *Volumus.*) *Rodericus* apposite scribit: *Nolumus*. Sic enim legendum constat ex *erratis authentico emendatis, pag.* 261 *Bullarii Ususmaris*.

Alfonso, Regis Castellæ Primogenito, ut F. Desiderio (1), S. S. A. Legato, fidem habeat. Anno 1247 Die 11 Maii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLVII num. XVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Alfonso, Regis Castellę Primogenito, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXV.

LIteris tuis affectuose receptis, ex earum tenore collegimus, quod per dilectum filium nobilem virum Comitem Bolonię quamplura carissimo in Christo filio nostro Illustri Regi (2) Portugallię, suoque Regno, & tibi, gravamina inferuntur, super quibus opportunum per Apostolicam providentiam adhiberi remedium petivisti. Verum, sicut alias tibi scripsisse recolimus, ad magnum, diutinum, & instantem clamorem Pręlatorum, & aliorum tam Religiosorum, quam secularium Clericorum, Nobilium quoque, omniumque fidelium Regni ejusdem, pręfatus Comes (3), qui de solicitudine ac prudentia multipliciter commendatur, ad ipsius Regni custodiam, quod propter periculosum & intolerabilem justitię defectum, ac alia multa gravia & enormia quę libere, ac impune sine intermissione committebantur ibidem, quasi undique dissipatum cernitur, est assumptus, & nostrę intentionis non extitit, nec existit, ut per hoc juri vel honori jam dicti Regis, fratris ejusdem Comitis, seu legitimi filii, si aliquem eum habere contigerit, in aliquo derogetur, si ad eum statum ipsum Regem devenire claruerit, ut per suam diligentiam, & industriam, possit prędictum Regnum utiliter & salubriter gubernari, sed potius ut sibi, & eidem Regno destructioni exposito, ac in illo degentibus in vita ejusdem Regis per probitatem & circumspectionem memorati Comitis consulatur. Unde dilectum filium Fratrem Desiderium, Pęnitentiarium nostrum, virum literatum, probatę vitę ac in consiliis circumspectum, in Regnum ipsum de Fratrum nostrorum consilio duximus destinandum, ut ipse, quem solicite, ac prudenter processurum speramus, de pręfati Regni statu diligenter inquirens, Nos plene de statu ipso certificare procuret, ut instructi per eum provideamus, auctore Domino, circa illum, prout extiterit opportunum; Ideoque devotionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus eidem Fratri adhibeas in hujusmodi negotio firmam fidem, ejus acquiescendo consiliis, & monitis intendendo. Datum Lugduni V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Alfonsi supplex petitio.

Cur Boloniæ Comes ad Regni custodiam assumptus sit, declarat.

F. Desiderium, in Lusitaniam Legatum, laudibus celebrat.

Mandat ut supra.

1. *Desiderio.*) De quo in *Appendice ad Pontificat. Innocentii IV.*

2. *Regi.*) Is erat *Sanctius*.

3. *Comes.*) *Alfonsus*, hujusce nominis III *Portugalliæ* Rex, qui germano fratri *Sanctio II* successit. *Boloniæ* in *Picardia* Comes erat *Alfonsus*, quia *Mathildim* duxerat *Boloniæ* Comitissam.

Cisterciensibus, ne Nostros recipiant (1) in suos sine licentia S. Sedis Apostolicæ, vel Prioris nostri, & ut receptos restituant. Anno 1247 Die 24 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Abbatibus, & Conventibus Ordinis Cisterciensis, ad quos literę illę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXVI.

CUm olim felicis recordationis Gregorius (3) Papa, Prędecessor noster; de Religiosorum finibus omnem turbationis materiam, amputare desiderans, vobis in virtute obedientię firmiter pręcipiendo mandaverit, prout in Regestro ipsius Prędecessoris continetur expresse, ut nullum de Ordine Fratrum Prę-

Epilogus Bullæ Gregorii.

Prędicatorum pretextu alicujus indulgentię, nisi prius Sedis Apostolicę, vel Prioris sui petita licentia, & obtenta, In vestrum admitteretis consortium, & receptos ad sui reassumptionem habitus remittere curaretis; vos, sicut accepimus, non solum admissos restituere contempsistis ad plenum, verum etiam plures postmodum ex ipsis Fratribus preter formam a dicto Prędecessore nostro vobis impositam, non absque inobedientię vitio, recepistis. Volentes igitur, ut ejusdem Prędecessoris nostri mandatum, utpote pluribus falutiferum, & seminarium pacis, firmiter observetur a vobis, universitati vestrę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus omnes, quos de Ordine prędicto vos, vel antecessores vestri contra mandatum hujusmodi recepistis, ad Priores ipsorum sine difficultatis obice remittentes, studeatis a receptione talium propter quietem Ordinis utriusque de cetero abstinere. Alioquin, ne hoc per aliquorum insolentiam impediri contingat, venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis locorum vestrorum Diocesanis nostris damus literis (4) in mandatis, ut eos, qui ex vobis hujusmodi mandato Apostolico noluerint humiliter obedire, ad id, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant, indulgentia Sedis Apostolicę contraria non obstante. Datum Lugduni IX Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Confirmat Diploma Gregorii. — Mandat ut supra. — Derogationes.

1. *Recipiant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Est etiam in Cœnobiis *Barchinonensi*, & *Vratislaviensi*. Illud exscripsit *Usufmaris pag.* 25. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Gregorius.*) *IX* Diplomate *Dato XXI Junii MCCXXXV.*
4. *Literis.*) Sequenti Diplomate.

Anno 1247 Die 24 Maii.

Archiepiscopis, & Episcopis universis, ne Cistercienses Fratres nostros recipiant in suos.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLXXVII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos Literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Tenor CXXXI Bullæ Gregorii IX.

CUm ölim &c (2), desiderans, dilectis filiis universis Abbatibus & Conventibus Ordinis Cisterciensis in virtute &c. (3) in eorum admitterent consortium, & receptos ad sui reassumptionem habitus remittere procurarent, ipsi, sicut accepimus, non solum admissos restituere contempserunt ad plenum, verum etiam plures postmodum ex ipsis Fratribus, prǽter formam a dicto Prędecessore nostro ipsis impositam, non absque inobedientię vitio, receperunt. Volentes igitur, ut ejusdem Prędecessoris nostri mandatum, utpote pluribus salutiferum & seminarium pacis, firmiter observetur ab ipsis, eisdem Nostris damus Literis in pręceptis, ut omnes, quos de Ordine prędicto, ipsi, vel Antecessores sui, contra mandatum hujusmodi receperunt, ad Priores ipsorum sine difficultatis obice remittentes studeant a receptione talium propter quietem Ordinis utriusque de cetero abstinere. Ceterum, ne hoc per aliquorum insolentiam impediri contingat, fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eos, qui ex ipsis hujusmodi Mandato Apostolico noluerint humiliter obedire, ad id, monitione pręmissa, quilibet vestrum in sua Diocesi per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellat, indulgentia Sedis Apostolicę contraria non obstante. Datum Lugduni IX Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandat ut prædictum est.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Olim &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *amputare desiderans.*
3. *Virtute &c.*) Ut in eodem, quod consulas velim.

Anno 1247 Die 13 Junii.

F. Johanni Vicentino [1], ut e Lombardia fuget hæresim.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 623.

CLXXVIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni Vicentino Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a pastorali folicitudine.

INter alia, quę ex injuncto Nobis Apostolatus incumbunt officio, animarum pręcipue Nos convenit invigilare saluti, ut eas Regum Regi, qui Nos illarum, licet immeritos, voluit pręesse regimini, lucrifacere, sua Nobis cooperante gratia, valeamus. Verum, quia non est Deo acceptum obsequium, quod sine Fide pręsentatur, nec pervenitur operum ędificio ad salutem, quod supra firmitatem Fidei non consurgit, ad propagandam eam, & corroborandam in mentibus hominum intentione tota, omnique solicitudine, ac verbi, & operis efficacia laborare debemus, ut Christiana Religione latius diffusa per Orbem, Patris Æterni Filius, multiplicatis servitoribus, plenius honoretur. Porro plures oppositę intentionis professores affectum, in contrarium studia suę malignitatis exercent, dum erroribus pleni, ora convertentes in arcus, Sedem ipsam detractionis jaculis feriunt, & eam de Fidelium abolere pectoribus, adversi dogmatis instructione, conantur; quibus sic est cura vigili, & labore sedulo, assumptis armis spiritualibus, resistendum, ut eorum detestandum propositum, & conamen, auxiliante Deo, penitus vacuetur, & Fide Catholica per Christi pugiles [2] virtuose defensa, Nomen Domini gloriosum dignis semper laudibus efferatur. Sane cum ab olim, spretis mundi blandientis applausibus [3], sub rigore Religionis asperę Deo ad placitum in paupertate voluntaria elegeris famulari, carnem tuam voluntatis ligato libito, abstinentię afflictione castigans, sperantes ex hoc, quod ad profequendum Fidei negotium, quod specialiter residet cordi nostro, juxta indultam tibi cęlitus gratiam, animosus exurgas, diligentiam tuam, in iis alias facti experimento probatam, ad id providimus requirendam. Quocirca discretionem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Iesu Christo, mandantes, ac in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad expurgandos hereticos, & hereticam pravitatem in partibus Lombardię, totius solertię vigilantiam adhibens, omnisque studium attentionis impendens, si quos ibi de pravitate ipsa culpabiles, vel infamatos invene-

Pervicaciam hæreticorum ostendit. — Commissio prædicta. — Ut redeuntibus ad Ecclesiæ uni-

inveneris, nisi examinati, veliot absolute mandatis Ecclesię obedire, contra ipsos, & fautores, receptatores, ac defensorea eorum juxta canonicam formam, auctoritate nostra, procedas. Si vero heretica tabe penitus abjurata redire voluerint ad Catholicę Fidei unitatem, ipsis juxta formam Ecclesię, beneficium absolutionis impendas, & injungas, quod injungi talibus consuevit, proviso attente, ne simulata conversione redeant frandulenter, & te, immo potius se fallentes, sub agni specie gerant lupum. Et ut predicta liberius possis, & valeas exercere, volumus, ut ubi commodius expedire noveris, prędices Verbum Dei, & omnibus vere pęnitentibus, ac confessis, qui ad tuam prędicationem accesserint, ut ex hoc ad sumendum spirituale pabulum copiosior populi confluat multitudo, viginti Dies, quoties ad eam veneriot audiendam, de injunctis sibi pęnitentiis, prout opportunum videris, misericorditer, auctoritate prędicta, relaxes. Nolumus autem, ut Generalis Magister, vel Priores Provinciales tui Ordinis, prętextu alicujus indulgentię eis, vel dicto Ordini, ab Apostolica Sede concessę, te absque speciali Sedis ejusdem mandato revocare, vel aliquem prędicti Ordinis Fratrem loco tui subrogare valeant in prędictis. Ad hęc sic pręmissa tibi duximus committenda, ut non solus ea, sed cum alio sępedicti Ordinis Fratre, quem ad hoc tu eligendum duxeris, exequaris. Datum Lugduni Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

tatem absolutionem impertiatur.

Ut verbum Dei prędicet, & audientibus Indulgentiam possit elargiri.

Ne quis ipsum a tali officio amoveat, cavet. Socio a se eligendo facultates easdem communicata poterit.

1\. *Vicentino.*) Dixi superius *XXVIII April. MCCXXXIII*; unum addam, *Johannem* scilicet, a patria *Vicentinum* nuncupatum, *Sciedum*, vulgo *Schio* a nobili familia, ea qua ortus est, appellatum fuisse.

2\. *Pugiles.*) Eos inter eminebat *S. Petrus Martyr.*

3\. *Applausibus.*) Hæc utinam legisset *Spondanus*, profecto non audiisset *Parisium*, seu potius *Parisii* interpolatorem, quem non puduit effutire *Histor. Angl. ad An. MCCXXXVIII*, *Johannem Vicentinum astutia diaboli gloria elatum, & familiaritate carnalium amicorum enervatum, Dei amorem, & hominum honorem, necnon & Prælatorum amittere meruisse reverentiam*. Jejunam calumniam explodunt aurea verba hujusce Diplomatis. Miror sane *Spondano* hic excidisse, quæ paulo ante dixerat de eodem *Johanne*. En ipsius verba *Annal. Eccles. ad An. MCCXXXIII num. VI. Felicior in Italia pacis, per eorumdem Religionum* (Prædicatorum & Minorum) *Fratres procurandæ, Gregorii Papæ solicitudo. Quam enim tot Cardinalium auctoritate haud præstare potuerat, sibi procurandam statuens per Fratres Prædicatores, & Minores, illa maxime tempestate doctrina, pietate atque integritate præstantes, præcipue Johannem Vicentinum Ordinis Prædicatorum, quod summum ejus eloquentiam, atque incredibilem apud populos auctoritatem, mira doctrina, & Sanctitatis specie, necnon Miraculorum editione conciliatam, accepisset, (Bononia namque urbanis, agrestibus, artificibus, militibus, Magistratibus, Clero, ipsoque Episcopo, in ejus unius arbitrio se se profitentibus, nulla lis fuerat, quam non facile diremisset, nulla discordia, quam non sedasset) Legatum destinavit; qui Lombardos & Marchianos circumiens, & in unum convocans, ingenti ubique, & ab omni hominum genere honore susceptus, orationibus suis pacis bona, belli detrimenta, & divina mandata complectens, facile omnes ad concordiam ineundam adduxit. Tanta denique fuit apud omnes æstimatione, ut etiam a Veronensibus Dux ac Prætor Civitatis acclamatus fuerit.*

Magistro, & Fratribus Ordinis, ut nullus S. Sedis Legatus, nisi de Latere, aut Episcopus ex Ordine assumptus, audeat secum retinere (1) Fratrem sine licentia Provincialis. Anno 1247 Die 1 Julii

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXIX.

PEtitionibus vestris tam piis, quam providis, paternę benignitatis gratia, quę filiis utiliora prospicit, assensum benevolum impendentes, ut nullus Legatus, nisi de latere nostro missus, auctoritate literarum Sedis Apostolicę specialem de pręsentibus non facientium mentionem, aut Pręlatus aliquis de Fratribus vestri Ordinis ad sua, seu Ecclesię negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos Prior Provincialis ipsorum, tanquam idoneos, & discretos sibi duxerit assignandos, quos subjacere volumus Ordinis disciplinę, auctoritate pręsentium vobis indulgemus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lugduni Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Mandat ut supra.

Sanctia pœnalis.

1\. *Retinere.*) Videas *Tractatum De Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XI.*

2\. *Archivo.*) In quo Autographum. Asservatur etiam in Cœnobiis *Parisiensi*, *Mediolanensi*, & *Senarum*. Habetur insuper in Archivo Ordinis *lib. A. fol. 613.* & in Bullario *Castellani pag. 7.* Plumbum sericis filis appenditur.

Episcopo Januensi [1], Abbati de Egres [2], Cisterciensis Ordinis, & Priori nostro Provinciali Albien., Genadien., & Vesprimien. Diœceseon [3], ut Bosnensem [4] Ecclesiam subiiciant Colocensi [5]. Anno 1247 Die 26 Augusti.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 654.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Januen., & dilectis filiis Abbati de Egres, Cistercien. Ordinis, ac Priori Prędicatorum Albien., Genadien., & Vesprimien. Diœces., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXX.

EX parte venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Colocen., & Episcopi Bosnen., fuit propositum coram Nobis, quod cum tam Ecclesia, quam Dięcesis Bosnen., quę ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, totaliter lapsa sit, peccatis exigentibus, in perfidiam hęreticę pravitatis, licet idem Archiepiscopus, & bo: me: Prędecessor ejus, ad extirpationem hujusmodi vitii non sine magna effusione sanguinis, strage hominum, & dispendiis rerum Colocen. Ecclesię, quę temporale ibi dominium obtinet, magnam partem illius Terrę, abductis inde hęreticorum multis millibus, expugnarit: Quia tamen Ecclesię munitiones, & castra non fuerunt ibidem ita firmata, quod possent ab aggressibus, & obsidione defendi, Terra illa in puritate Fidei non potuit retineri; Quare pręfati Archiepiscopus, & Episcopus, & etiam carissimus in Christo filius nobilis Rex Hungarię Illustris, Nobis humiliter supplicarunt, ut cum nulla spes sit, quod ad Fidem Terra illa voluntarie revertatur, & Colocen. Ecclesia, per cujus, & aliorum Crucesi-

Supplex petitio exponitur.

Crucesignatorum auxilium reduci speratur ad unitatem Ecclesiasticam, non parum in prosecutione
Mandat ut supra. ipsius negotii sit exhausta, eandem Bosnen. Ecclesiam ei subiicere paterna diligentia curaremus. Quocirca mandamus, quatenus, si rem, vocatis qui fuerint evocandi, iuveneritis ita esse, prędictam Bosnen.
Derogationes. Ecclesiam, cum omnibus suis juribus subiiciatis, auctoritate nostra, Ecclesię Colocen. Contradictores &c. Non obstantibus Constitutionibus de duabus Dietis [6] &c. aut indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis, fili Prior, dicitur esse concessum, ne de causis, quę per literas Sedis Apostolicę committuntur eisdem, inviti cognoscere teneantur, nisi literę ipsę plenam fecerint de indulgentia hujusmodi mentionem. Quod si non omnes &c. Duo vestrum &c. Datum Lugduni VII Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Januensi.*) Lege *Jaurinensi*, vulgo *Gevver* in *Hungaria*.
2. *Egres.*) Juxta confinia *Franconiæ* ad *Egram* Amnem.
3. *Diœceson.*) In *Hungaria*.
4. *Bosnensem.*) Dixi superius *X Octobr. MCCXXXIII.*
5. *Colocen.*) In *Hungaria*.
6. *Dietis.*) Concil. *Lateran. IV Cap. XXXVII.*

Anno 1247 Die 28 Augusti.

Specialis facultas Archiepiscopo (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. S. A. Legato, concessa.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 656.

CLXXXI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEvotionis tuę precibus benignum impertientes assensum, dispensandi in Russię partibus cum patientibus geniturę defectum, dummodo non sint de adulterino, vel incestuoso coitu procreati, ut ad Sacros Ordines promoveri, & Ecclesiasticum Beneficium obtinere valeant, & etiam cum illis, qui irregularitatem aliquam incurrerunt ex tali casu, in quo consuevit Sedes Apostolica dispensare, plenam tibi concedimus auctoritate pręsentium facultatem. Datum Lugduni V Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archiepiscopo.*) *Henrico* scilicet, de quo *in Appendice ad hunc Pontificatum*.

Anno 1247 Die 28 Augusti.

Archiepiscopo (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. S. A. Legato, ut unum ad Episcopatus dignitatem efferendum, a defectu natalium solvere queat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 656.

CLXXXII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra. CUm tibi tam in Prussia, quam in Russia ordinandi Episcopos plenam concesserimus facultatem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut cum uno, quem ad Pontificatus dignitatem dignum inveneris, super defectu natalium, dummodo de adulterino, vel incestuoso coitu natus non sit, auctoritate nostra dispenses, & ipsum valeas libere in Episcopum ordinare. Datum Lugduni V Kalend. Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archiepiscopo.*) *Henrico* nempe, de quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*.

Anno 1247 Die 7 Septembr.

Archiepiscopo (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, Apostolicæ Sedis Legato, ut Danielem (2) Regem, Regnumque Russiæ, in gratiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituat.

Ex Arch. (3) Ord. lib. A. fol. 657.

CLXXXIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. SIcut omnes, quos extra Arcam invenit diluvium, perierunt, ita omnes, qui sunt extra communionem Ecclesię, nisi conversi ad ejus unitatem redierint, in ęternę damnationis supplicium deportantur, hac
Danielis Regis Russiæ supplex petitio. siquidem consideratione inductus carissimus in Christo filius noster Daniel Rex Russię illustris, cujus mentem Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, sua misericordia illustravit, per literas speciales, & Nuncios, quos propter hoc transmisit nuper ad nostram pręsentiam, cum humilitate, ac instantia, postulavit a Nobis, ut ipsum, totam gentem, ac Regnum ejus hactenus a fida unione
Mandat ut supra. pręcisos, ad unitatem Ecclesiasticam, & devotionem Ecclesię Romanę, quę aliarum omnium Caput est, & Magistra, recipere de benignitate solita curaremus. Quocirca mandamus, quatenus personaliter ad partes illas accedens, si pręfatus Rex in tam sancto proposito perseverans, tam ipse, quam Archiepiscopi, & Episcopi, & alii Magnates Regni sui, schismate quolibet penitus abjurato, promiserint, & juraverint, se de cetero in unitate Fidei, quam Ecclesia Romana prędicat, & conservat, ejusque Romanę Ecclesię devotione, perpetuo permansuros, eos auctoritate nostra & reconcilies, & tanquam speciales & devotos filios incorpores prędictę Romanę Ecclesię, quę mater est omnium, unitati; Idque per loca, &Re-

& Regna, in quibus expedire videris, publices, & facias etiam publicari. Datum Lugduni VII Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archiepiscopo.*) Henrico sæpe laudato, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

2. *Danielem.*) Consulendus *Longinus Histor. Polon. ad hunc Annum.*

3. *Archivo.*) Illud idem exscripsit *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCXLVII num. XXVIII.*

Archiepiscopum (1) Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, S. S. A. Legatum, Pallio donat. — Anno 1247 Die 7 Septembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 658.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Prussię, Livonię, & Estonię, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CLXXXIV.

Exordium. Concedit ut supra. Sanctio pœnalis.

EXigentibus tuę devotionis meritis &c. (2). Tuis itaque supplicationibus inclinati, utendi Pallio in partibus Russię, & Ecclesię Lubiceen. (3), quam tibi commisimus, plenam tibi concedimus de speciali gratia facultatem. Hanc autem indulgentiam ad tuos extendi nolumus successores, ipsam, te cedente, vel decedente, carere juribus decernentes. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Lugduni VII Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archiepiscopum.*) Henricum scilicet, de quo sæpius.

2. *Meritis &c.*) Sic in libro A., nec habet unde lacuna possit expleri.

3. *Lubiceen.*) In *Germania.*

Declarationem, & correctionem Regulæ [1] Carmelitarum ab Hugone [2] S.R.E.C., & a Guillelmo [3] Anteradensi Episcopo Ordinis Prædicatorum alumnis factam, confirmat. — Anno 1247 Die 1 Octobris.

Ex Bullar. (4) Romano in Innocentio IV. Est VI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Eremitis Ordinis B. Marię de Monte Carmeli, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CLXXXV.

Exordium. Factum narrat. Confirmatio. Literas Hugonis & Guillelmi inscribit. Sanctio pœnalis.

QUę honorem Conditoris omnium, & profectum continent animarum roboris prępsidio sunt fulcienda perpetui, sed illa prępcipue, super quę Apostolicę Sedis auctoritas salubris providentię studium noscitur habuisse. Cum itaque Nos, ad vestrę supplicationis instantiam, per dilectum filium nostrum Hugonem, Tituli Sanctę Sabinę Presbyterum Cardinalem, & Venerabilem Fratrem Guillelmum Anteradensem Episcopum quędam Regulę vestrę dubia declarari, & corrigi, ac etiam quędam ipsius gravia misericorditer fecerimus mitigari, prout in literis inde confectis plenius continetur: Nos, vestris piis desideriis annuentes, declarationem, correctionem, ac mitigationem huiusmodi, auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem vero literarum ipsarum de verbo ad verbum fecimus pręsentibus annotari, qui talis est. Frater Hugo miseratione Divina, Tituli S. Sabinę Presbyter Cardinalis, & Frater Guillelmus, eadem miseratione Anteradensis Episcopus, carissimis in Christo filiis Religiosis viris, Priori Generali, & Definitoribus Capituli generalis Ordinis Fratrum gloriosissimę Dei Genitricis, semperque Virginis Marię de Monte Carmeli, salutem in omni salutari. Accedentes ad Apostolicam Sedem Fratres Clerici Reginaldus, & Petrus Ordinis vestri, ex parte vestra a Domino Papa humiliter postularunt, ut quędam, quę in privilegio vestro, & Regula, olim vobis a fel. mem. Alberto (5) Patriarcha Jerosolymitano tradita, continentur, dubia declarare, corrigere, ac quędam gravia misericorditer mitigare dignaretur; Cum igitur Dominus Papa, eorum devotis supplicationibus annuendo, Nobis commiserit, ut declarationem, correctionem, ac mitigationem hujusmodi faceremus vice ipsius, secundum quod bono statui Ordinis, & Fratrum saluti expediens videremus, Religioni vestrę, qua fungimur auctoritate mandamus, quatenus, Regulam, a nobis correctam, declaratam, & mitigatam, prout expedire vidimus, devote recipientes, eam firmiter observetis, & ad instar ejusdem vestras alias Regulas corrigatis, quam vobis per eosdem Fratres, sub sigillis nostris, mittimus in hac forma. Albertus Dei gratia Jerosolymitanę Ecclesię Vocatus Patriarcha &c. (6). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei &c. Datum Lugduni Kal. Octobris (7), Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Regulæ.*) Quam confirmarat *Honorius III Reate III Kalend. Februarii Pontificat. Anno X*; Die nempe *XXX Januar. An. MCCXXVI.*

2. *Hugone.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

3. *Guillelmo.*) Dicam ibidem.

4. *Bullario.*) Legitur etiam in *Bullario Carmelitarum Tomo I pag. 8.*

5. *Alberto.*) Adeas *Possevinum in Apparatu sacro*, & Auctores citatos apud *Spondanum Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCIII num. V.*

6. *Patriarcha &c.*) Ut in Bullariis supra laudatis.

7. *Kalend. Octobris.*) Non ergo *Kalend. Septembr. Anni MCCXLVIII*, uti refert *Castillus I Part. Histor. Ord. Prædic. lib. II Cap. XXV*, nec *Die XXVIII August. An. MCCXLVIII*, ut scripsit *Fontana in Theatro Dominicano.*

Anno 1247 Die 12 Octobr.

Monasterium (1) S. Agnetis Argentin. Ordini Incorporatum declarat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 659.

CLXXXVI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Teutoniç, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio facta Pontifici.

Tenor Diplomatis Dati I Junii An. MCCXLVII.

SUa Nos nobilis mulier Amicia de Jovignaco, & Galehetus natus ejus, petitione monent, quod nos intellecto quod Priorissa, & Sorores Monasterii S. Agnetis Argentin. in Castris claustralibus, mente tamen libera desiderabant secundum Ordinem Fratrum Prędicatorum Domino famulari, eorundem nobilium precibus inclinati, prędictas Priorissam, & Sorores, & Monasterium ipsum incorporantes Ordini supradicto, statuimus, ut ex tunc sub magisterio, & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Teutoniç prędicti Ordinis, qui forent pro tempore, permaneant, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini prędicto ab Apostolica Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur: Ipsi quoque Magister, & Prior, contraria consuetudine ipsius Ordinis, vel indulgentia a Sede prędicta obtenta, vel etiam obtinenda, nequaquam obstantibus: Animarum ipsarum solicitudinem gerentes & curam, ac eis constitutiones ejusdem Ordinis, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per se, vel alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quoties expedierit, officium Visitationis impendant, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noverint indigere: instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout in aliis Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis fieri consuevit. Electio tamen Priorissę libere pertineat ad Conventum; confessiones earum audiant; & ministrent eis Ecclesiastica Sacramenta; Et, ne pro eo, quod in Monasterio ipsarum, ejusdem Ordinis Fratres residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis, possit periculum imminere, prędicti Magister, & Prior in necessitatis articulo ad confessiones audiendas, & ministranda Sacramenta prędicta, eis deputent aliquos discretos, & providos Capellanos. Ad hęc liceat eis redditus, & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia, roboratis. Quorum administrationi, pręfati Magister, & Prior pręficiant aliquos viros idoneos, & ipsos amoveant exinde, ac alios subrogent, prout viderint expedire. Postmodum vero ad tuam, fili Magister, & Priorum tui Ordinis, ut dicitur, instantiam, duximus statuendum, ut Moniales, vel alię, si quę vobis de cetero sub quacunque forma committi contingeret, Apostolicę Sedis indulgentia concessa, vel concedenda in posterum non obstante, nisi expressam fecerint de hujusmodi Literis mentionem, id solum a Nobis ex commissione hujusmodi beneficium consequantur, videlicet ut ipsę sub magisterio, & doctrina eorum, qui pro tempore fuerint debeant permanere, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini prędicto ab Apostolica Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur, & contraria ipsius Ordinis Constitutione non obstante, animarum illarum solicitudinem gerentes, & curam, ac eis de Constitutionibus ejusdem Ordinis, quę ipsis competunt exhibentes eisdem Monasteriis, per eos, vel Fratres eorum, quos ad hoc idoneos viderint, quoties expedierit, officium Visitationis impendere studeant, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noverint indigere; nihilominus instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout secundum Deum viderint expedire. Electio tamen Priorissę libere pertineat ad Conventum; Adiecimus pręterea, ut confessiones earum audiant, & ministrent eis Ecclesiastica Sacramenta, &, ne pro eo, quod in eisdem Monasteriis Fratres ejusdem Ordinis residere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis, possit periculum imminere, prędicti Magister, & Prior ad confessiones in necessitatis articulo audiendas, & ministranda Sacramenta prędicta, ipsis deputent aliquos discretos & providos Capellanos. Tibi quoque, fili Magister, & dictis Prioribus mandavimus, ut premissa omnia juxta Constitutionis hujusmodi tenorem, cum eas Ordini vestro incorporari nolimus, curaretis diligenter, ac solicite adimplere. Quare dicta Nobilis, & Natus ejus, attendentes, quod ex constitutione ipsa intentionis suę fraudabantur effectu, duxerunt ad nostram super hoc providentiam recurrendum. Quia vero intentionis nostrę non fuit, ut dictum Monasterium, & Priorissa, & Sorores ejusdem, facta eis a Nobis gratia in toto, vel in parte, per Constitutionem hujusmodi fraudarentur, sed potius volumus, vos ad omnia, quę in Constitutione, & concessione a Nobis, prędictis Monasterio, Priorissę, & Sororibus factis, continentur, teneri, ac dictam Incorporationem suum robur in perpetuum obtinere; Discretioni vestrę per Apostolica scripta districte pręcipiendo mandamus, quatenus premissa omnia ad Ministerium vestrum spectantia juxta constitutionis nostrę tenorem adimplere, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, diligenter, & solicite procuretis. Non obstante Constitutione prędicta a Nobis pro Magistro, & Prioribus ipsius Ordinis, postmodum edita, vel edenda, seu quibuslibet literis, vel indulgentiis, ab Apostolica Sede obtentis, aut etiam obtinendis, quę de toto tenore pręsentium, & prędicto Monasterio, ac eisdem Nobilibus, plenam non fecerint mentionem. Datum Lugduni IV Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Quid per aliud Diploma sancitum sit declarat.

Monasterium Ordini omnino incorporatum esse Decernit.

Derogationes.

1. *Monasterium.*) Vide superius *VIII April. & VII Maii An. MCCXLV.*

Monasterium Montargii (1) Ordini, & Provinciæ Franciæ incorporatum declarat. Anno 1247 Die 12 Octobr.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 661.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Francię, Ord. Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXXVII.

SUa nos Nobilis Mulier Amicia de Jovignaco, & Galchetus natus ejus, fundatores Monasterii S. Dominici juxta Montem-Argi, Senonen. Dięcesis, petitione monent, quod &c. (a). Datum Lugduni IV Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Montargii.*) Dixi supra ad *VIII April. MCCXLV.*

a. *Monent, quod* &c.) Ut in præcedenti, mutato nomine Provinciæ.

Clericos in Inquisitionis negotio laborantes a subsidio dando Imperio (1) Romano immunes reddit. Anno 1247 Die 12 Novemb.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 666.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus super hęretica pravitate in Burdegalen. (2), Tolosan., Caturcen., Narbonen., Anicien., Mimaten., Albien., Ruthenen., Civitatibus, & Dięcesibus, & Arelaten. Provincia, auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXXVIII

QUia dignum est, & conveniens, ut Clerici vobiscum in Inquisitionis contra hęreticos, & Fidei negotio laborantes, pręter ęternę vitę pręmium, quod ex hoc mereri noscuntur, aliquid temporale commodum ex suo labore reportent, eximendi pręfatos Clericos a pręstatione subsidii Imperii Romani, auctoritate vobis pręsentium concedimus facultatem; proviso, quod hujusmodi Clericorum exemptorum numerus vestrarum Personarum numerum non excedat; sed quilibet vestrum, unum secum duntaxat habeat Clericum, qui a pręstatione hujusmodi sit exemptus: Contradictores &c. Datum Lugduni II Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto. Concedit ut supra.

1. *Imperio.*) Adversus *Fridericum II*, de quo sæpius.

a. *Burdegalensi.*) Legesis Diploma *Datum XX Aprilis MCCXXXIII.*

Priori Bisuntino (1), ut Fratres suos in Burgundiæ & Lotharingiæ partes mittat contra hæreticos. Anno 1247 Die 16 Novemb.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 662.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum Bisuntin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXXIX.

ILle humani generis &c.(2). Cum igitur dudum resplenduerit in Burgundia & Lotharingia fida Fides &c. idoneos esse noveritis, ad partes Burgundię & Lotharingię transmittatis &c. procedant contra eos juxta statuta Sedis Apostolicę contra hęreticos noviter promulgata &c. Datum Lugduni XVI Kal. Decembr., Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Bisuntino.*) In Comitatu *Burgundiæ.*

2. *Generis* &c.) Ut supra ad *XXII April. MCCXXXIII*, ubi quicquid hic deest invenies.

Inquisitoribus, ut etiam extra Civitatem, in qua degunt hæretici, possint ipsos in jus vocare, necnon absolvere, vel punire. Anno 1247 Die 19 Novembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 667.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus super hęretica pravitate in Burdegalen. (1), Tolosan., Caturcen., Narbonen., Anicien., Mimaten., Albien., Ruthenen., Civitatibus, & Dięcesibus, & Arelaten. Provincia, auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXC.

QUia, sicut intimantibus vobis accepimus, propter fautorum, & credentium hęreticorum insidias non potestis ad aliqua loca secure accedere, audituri confessiones de hęresi suspectorum, vel reis hujusmodi criminis pęnitentias injuncturi, Nos, volentes eisdem insidiis obviare, citandi dictos hęreticos, vel suspectos de hęresi, pro audiendis eorum confessionibus, & pęnitentiis injungendis, ad loca vobis tuta, ea pręcipue, in quibus poteritis habere Pręlatorum, & aliorum proborum consilium, in iis pręsertim casibus, in quibus deberet ferri sententia contra ipsos hęreticos, de consilio Pręlatorum, auctoritate vobis pręsentium concedimus facultatem. Indulgentia, si qua est alicui ab Apostolica Sede concessa,

concessa, ut extra suam, vel Domini sui terram citari nequeat, non obstante. Datum Lugduni XIII Kal. Decembr., Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Burdegalen.*) Ut in *Diplomate dato XX Aprilis MCCXXXIII.*

Anno 1247 Die 24 Decembr.

Archiepiscopo Tarraconensi [1], F. Raymundo [2] de Pennafort, & F. Michaeli [3] Ord. Prædicator., pro eligendo Ilerdensi [4] Episcopo.

Ex Diago Histor. Provinc. Aragon. lib. II pag. 108.

CXCI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Tarraconen., & dilectis filiis Raymundo de Peñaforti, & Michaeli Doctori Theologie, Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Narrat, quid actum sit. Ilerdensis Ecclesia, Pastoris regimine destituta, cum dilecti filii Capitulum ejusdem, vocatis Roten. (5) Canonicis, & omnibus aliis, qui debebant, & poterant interesse, prefixa electioni die convenissent in unum ad habendum de futuri Pontificis substitutione tractatum, & in unam non possent concordare personam, tandem duos Canonicos ex se ipsis ad Sedem Apostolicam transmiserunt, conferentes illis unanimiter potestatem, ut vice ipsorum omnium, & nostro consilio, & assensu personam idoneam eligerent in Pastorem. Illis autem in nostra presentia constitutis, fuit pro te, Frater Archiepiscope, propositum coram Nobis, quod dicti Canonici ad eligendum admitti aliquatenus non deberent, cum tam ipsi, quam predictum Capitulum eligendi facultatem propter lapsum temporis amisissent, propter quod erat ad te potestas provisionis hujusmodi devoluta. Cum autem super his coram Nobis, & Fratribus nostris fuerit aliquandiu disceptatum; Committit ut supra. Nos de ipsorum consilio prudentie vestre, auctoritate presentium duximus committendum, ut cum vos in hac parte plenius consideraře possitis circumstantias universas, & scire merita personarum, de persona idonea ipsius Ecclesie, vel alterius, si digna non reperiatur in ipsa, provideatis eidem. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: Non obstante si Ordini vestro, dilecti filii Raymunde, & Michael, a Sede Apostolica sit indultum per literas Apo- Derogatio. stolicas, quod ipsi Fratres ejusdem Ordinis se de causis intromittere non teneantur inviti, nisi de indulgentia hujusmodi plenam fecerint mentionem. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu, Frater Archiepiscope, cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Lugduni IX Kalend. Januarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Tarraconensi.*) De quo supra ad *XX August. MCCXLV.*
2. *Raymundo.*) Vide superius *VIII Febr. MCCXXXVII.*
3. *Michaeli.*) Legendus *Diago laudatus. & Histor. Aragon. Provinc. lib. II Cap. XLV.* Adeas etiam *Echard Tomo I Script. Ord. pag. 16.*
4. *Ilerden.*) *In Catalonia.*
5. *Roten.*) Vulgo *Roda*, ibidem.

Anno 1248 Die 1 Januarii.

Indulgentias elargitur omnibus accedentibus ad Ecclesiam S. Eustorgii de Mediolano in die elevationis, seu translationis Corporum SS. Eustorgii, & Magni (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Loca Sanctorum omnium pia sunt devotione a Christi fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus Amicos, ipsi nos amabiles Deo reddamur, & illorum nobis vendicantes quodammodo Patrocinium apud ipsum, quod meritis nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cum igitur, sicut accepimus, dilecti filii Prior, & Fratres Predicatores Ecclesie Sancti Eustorgii Mediolanensis Beato- Concedit ut supra. rum Eustorgii, & Magni Corpora, que requiescunt ibidem, proponant elevari facere de loco, in quo nunc sunt, & in celebriori, & mundiori loco recondi, Nos, attendentes dignum existere, ut quos divina honorat in celis dignatio, humana devotio in terris prono affectu debeat honorare, ac per hoc vos ad ea, que salutem Animarum respiciunt, libenter inducere satagentes, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in die elevationis Corporum ipsorum, cum devotione accesserint, unum annum, & qui eam infra octavas ejusdem adierint, quadraginta dies de iniunctis sibi penitentiis annis singulis misericorditer relaxamus. Datum Lugduni Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Eustorgii & Magni.*) *Mediolanensium* Antistitum.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus S. *Eustorgii Mediolanen.* Plumbum sericis filis appenditur.

Priori Fratrum Prædicatorum Vvormacien. (1), ut Monasterium De Alzeta (2) in Ordinem S. Augustini cooptet.

Anno 1248 Die 15 Januar.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 668.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Vvormacien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXCIII.

QUia personas Religiosas eo majori prosequi favore debemus &c. (3). Hinc est, quod cum dilectę in Christo filię Moniales Monasterii Sancti Spiritus de Alzeta, provide attendentes, quod Ordo Sancti Augustini in Orbe terrarum infinitos flores odoris &c. (4); Mandamus quatenus Monasterium ipsum eidem Ordini incorporare procures, Diœcesani Episcopi in omnibus jure salvo. Datum Lugduni XVIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Mandat ut supra.

1. *Vvormacien.*) In *Germania*.
2. *Alzeta.*) Vulgo *Alzeim*, ibidem.
3. *Debemus &c.*) Amanuensis *libri A.* sic in Tabulario Apostolico legebat: *Debemus &c. ut supra usque consequantur*.
4. *Odoris &c.*) Sic ibidem legitur: *Odoris &c. usque commendantes*.

Qui Fratribus nostris, quo Sacras, & alias Ædes Cœnobii Barchinonen. perficiant, suppetias ferent, iis Indulgentiam elargitur.

Anno 1248 Die 16 Martii.

Ex Arch. (1) Ord. lib. B. fol. 528.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi Fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXCIV.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (2). Datum Lugduni XVII Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum est in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*
2. *Apostolus &c.*) Ut supra *XIX April. MCCXLVI* mutato nomine *Urbevetan.* in *Barchinonen.*

Ædes Sacras Cœnobii nostri Barchinonensis Die Festo, & per Octavam S. Catharinæ (1) Virginis & Martyris visitantibus, Indulgentiam impertitur.

Anno 1248 Die 18 Martii.

Ex Arch. (2) Ord. lib B. fol. 530.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXCV.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio Sanguinis fusi de pretioso Corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute; inter quę illud esse pergrande dignoscitur, quod ubique Majestas Altissimi, sed pręcipue in Sanctorum Ecclesiis collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad Ecclesiam Sanctę Catharinę Barchinonen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per pręmia salubriter ad merita invitemus, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in Festo ejusdem Sanctę, & usque ad Octavas ejus accesserint annuatim, quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni XV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Concedit ut supra.

1. *S. Catharinæ.*) Liquet ex his, jam inde ab Ordinis principio Festum vigilantissimæ Patronæ *S. Catharinæ* Virginis & Martyris solemni celebratum ritu, & Octava.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum tenet Conventus *Barchinonensis*.

Priori Nicosiensi (1), ut molestias omnes, Cancellario Regni Cypri illatas, depellat.

Anno 1248 Die 18 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 669.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Nicosien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXCVI.

SIc fervet quorundam impietas, & insanit in injurias aliorum, quod nec Deum timeant, nec hominem vereantur; propter quod expedit, ut eorum temeritas, ne invalescat nimium, compescatur. Cum igitur dilectus filius Bonus Vassallus, Cancellarius Regni Cypri a nonnullis, tam Clericis, quam Laicis, qui in aliorum offensas, & gravamina gratis aspirant, multiplices molestias patiatur; Nos, & malefactorum hujusmodi providere saluti, eorum pręsumptioni temerarię obviando, & quieti ejusdem Can-

Exordium.

Mandat ut supra.

2

Derogationes. Cancellarii providere volentes, mandamus, quatenus non permittas, ipsum ab aliquibus in persona, vel rebus suis indebite molestari. Molestatores hujusmodi &c. Non obstante indulgentia tibi, vel Ordini tuo generaliter ab Apostolica Sede concessa, ne tu, & Fratres ipsius Ordinis teneamini cognoscere inviti de causis, quę vobis per literas Apostolicas committuntur, & Constitutione de duabus Dietis (2) edita in Concilio Generali, & quod extra Regnum Cypri nequeant ad judicium evocari. Datum Lugdun. XV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Nicosiensi.*) In Insula *Cypri* in Mediterraneo,

2. *Dietis.*) Vide Concilium *Lateran. IV Cap. XXXVII.*

Anno 1248 Die 18 Martii.

Priori Nicosiensi (1), ut quicquid in præjudicium Cancellarii Regni Cypri statutum fuerit, rescindat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 669.

CXCVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Nicosien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra. Dilecti filii Boni Vassalli, Cancellarii Regni Cypri, precibus inclinati, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus quicquid inveneris, postquam iter arripuit ad Sedem Apostolicam veniendi, in ejus prejudicium temere attentatum, in statum debitum legitime revocare procures. Contradictores &c. Non obstante indulgentis &c. Datum Lugduni XV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Nicosiensi.*) Ut in præcedenti Diplomate.

Anno 1248 Die 19 Martii.

F. Gotofrido (1), ut remittat Archiepiscopo Gnesnensi (2) quintam partem pensionis solvendæ S. Romanæ Ecclesiæ.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 670.

CXCVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Gotofrido de Ordine Prędicatorum, Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra. Cum venerabilis Frater noster Archiepiscopus Gnesnen., sicut ipse sua Nobis insinuatione monstravit, non sufficiat ad solvendum Quintam reddituum suorum pro duobus annis, quam pro subsidio Ecclesię Romanę per te mandavimus colligi, multis gravatus expensis; Nos super hoc ei paterno compatientes affectu, mandamus, quatenus, Quintam unius anni, auctoritate nostra, remittas eidem, dummodo Quintam alterius anni cum integritate persolvat. Datum Lugduni XIV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Gotofrido.*) *Romæ* Anno MCCXXXVII Pœnitentiarii *Gregorii IX* munus obibat iste; quod autem *Capellanus Innocentii IV* fuerit, habetur ex præsenti Diplomate; recensendus ergo inter eos, quos omisit *Fontana*.

2. *Gnesnen.*) In *Polonia*.

Anno 1248 Die 22 Junii.

Provinciali (1) Alemanniæ, ut in subsidium Terræ Sanctæ (2) Crucesignati iter arripiant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 670.

CXCIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hido, Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Alemannia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra. Ut voventes, juxta Prophetarum eximium, reddant Domino vota sua, discretioni tuę pręsentium auctoritate, in virtute obedientię pręcipiendo, mandamus, quatenus omnes Crucesignatos de Phrisia (3), Olandia (4), & Zelandia (5), per te, vel per aliquos de Fratribus tui Ordinis, quos ad hoc cognoveris idoneos esse, moneas attentius, & inducas, &, si necesse fuerit, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, compellas, quod ita se prępArent, ut in Mense Martii (6) proxime futuro iter arripiant, in Terrę Sanctę subsidium profecturi; non obstante, quod eidem Ordini ab Apostolica Sede est indultum, ut de Causis, vel negotiis, Fratribus dicti Ordinis ab eadem Sede commissis, cognoscere, vel se intromittere non teneantur inviti, seu indulgentia, si qua est aliquibus ab eadem Sede concessa, ut interdici &c., sive Constitutione de duabus Dietis, edita in Concilio Generali. Datum Lugduni X Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Derogationes.

1. *Provinciali.*) Cujus mentio apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXXVIII. pag. 412. Col. I.*

2. *Terra Sancta.*) Jam enim exercitum Crucesignatorum in expeditionem Terrę Sanctę, *S. Ludovicus IX* Galliarum Rex eduxerat.

3. *Phrisia.*) Seu *Frisia*, quæ duplex est, Orientalis una, sub *Germaniæ* Comitatus *Embdanus* dictus; Occidentalis altera, quæ est *Belgii* Provincia:

4. *Olandia.*) Seu *Hollandia*, una ex Provinciis *Germaniæ* inferioris.

5. *Zelandia.*) Provincia *Belgii*.

6. *Mense Martii.*) Anno MCCXLVIII Feria VI a Pentecoste, iter transmarinum *S. Ludovicum* habuisse, constat ex *Jonvilleo Histor. S. Ludovic. Part. II.*

Statuta

Statuta a S. P. Dominico pro Monasterio Pruliano (1) edita confirmat.

Anno 1248 Die 18 Augusti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CC.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum Monasterii S. Marię de Prullano Ordinis S. Augustini Tolosan. (3) Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio Monialium.

EX parte vestra fuit propositum coram Nobis, quod, cum beatę memorię S. Dominicus, Institutor Ordinis Fratrum Prędicatorum, & fundator Monasterii vestri, deliberatione provida duxerit statuendum, ut ad majorem quietem vestram Rectores idoneos habeatis, qui curam vestri gerant in spiritualibus, & temporalibus diligentem, ac alia ibidem statuta ediderit salubria, & honesta, ipsaque postmodum fel. rec. Gregorius (4) Papa prędecessor noster in eodem Monasterio mandaverit inviolabiliter observari, hęc confirmari a Nobis humiliter supplicastis. Vestris igitur supplicationibus inclinati, statuta hujusmodi, sicut provide facta sunt, Auctoritate Apostolica confirmamus, & prętentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Lugduni XV Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Confirmatio Statutorum.

1. *Pruliano*.) Dixi superius *VIII Octob. MCCXV.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Idem exscribens *Percinus* noster *Monument. Convent. Tolos. Secul. I pag.51 Col. I* Datum dicit *Lugduni II Kalend. Septembr.*, *Pontificat. Innocentii IV Anno IV.* Plumbum sericis filis appenditur:
3. *Tolosana*.) Nunc *S. Papuli*.
4. *Gregorius*.) *IX.*

Priori Bisuntino [1], ut contra Vualdenses viriliter agat.

Anno 1248 Die 21 Augusti.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

CCI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Bisuntin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio Comitis Burgundiæ.

ZElo magno zelatus fidem Catholicam dilectus filius Nobilis vir Johannes Comes Burgundię Dominus Salineo., tanquam vir zelator Fidei Orthodoxę, Nobis significare curavit, quod hęretica pravitas, quę Vualden. [3] vocatur, in Bisuntina Dięcesi, & maxime in Terra sua, peccatis exigentibus, jamadeo pullulavit, quod maximam partem Populi, Terrę, ac Dięcesis eorundem suę malitię veneno infecit. Verum quia magno est studio pręcavendum, ne pestis hujusmodi serpens, ut cancer, nisi ei obviatum fuerit, latius se extendat, fidelium, & simplicium cordibus virus suę nequitię infundendo, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel per alios Fratres tuos, qui contra perversos Fidei sunt potentes opere, ac sermone, ad extirpandam pravitatem eandem, de finibus ipsarum Dięcesis, atque Terrę, diligenter intendas: inquisita super hoc solicite veritate procedas contra illos, quos hujusmodi labe inveneris esse infectos, secundum Canonicas Sanctiones. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Lugduni XII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Bisuntino*.) Vide superius *XVI Novembr. MCCXLVII.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, Autographum est in Cœnobio *Bisuntino*.
3. *Vualdensis*.) Dixi ad Diploma *Dat. XXXI Octobre MCCXLIII.*

Ut Sacræ, ceteræque Cœnobii nostri Remensis Ædes perficiantur, concedit Indulgentiam.

Anno 1248 Die 15 Octobr.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, prętentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (2). Datum Lugduni Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum est in Cœnobio nostro *Remensi* in *Gallia*.
2. *Apostolus* &c.) Ut supra *XIX April. MCCXLVI*, mutato nomine *Urbevetan.* in *Remen.*

Pro-

Anno 1248 Die 20 Octobr.

Provinciali Hispaniæ (1), & F. Raymundo (2) de Pennafort, pro constituendis Inquisitoribus (3).

Ex Diago Histor. Prov. Aragon. Lib. I Cap. V pag. 10.

CCIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali in Hispania, & Fratri Raymundo de Pennafort, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a pastorali sollicitudine.

INter alia desiderabilia cordis nostri specialius id optamus, & ad illud potissime dirigimus nostrę intentionis affectum, per quod salus provenit animarum, & nomen Domini gloriosum plenius collaudatur. Quia igitur non est Deo acceptabile obsequium absque Fide, ad propagationem, & corroborationem ipsius, & Christianę Religionis augmentum, quanta possumus solicitudine, vigilare debemus, & hoc per Nos, & alios incessanter verbo, & opere procurare, ut diffundatur per orbem latius cultus Dei, & messe agri multiplicata dominici, frumentum in cęlestia horrea inferatur. In his autem Nobis Fratres vestri Ordinis Dominus speciales esse voluit adjutores, qui, spretis Mundi dissoluti blanditiis, sub Religionis arctę rigore, in voluntate Christo ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare salubria, necnon muniti spirituali pro defensione Fidei armatura errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione dissimilitudinis conversantes ad unitatem Matris Ecclesię revocare diligentia indefessa laborant (4), proficientes sibi per vitę meritum, & aliis verbo pariter, & exemplo. Unde, quia in Inquisitione facienda contra hęreticos, eorundem Fratrum solertiam novimus plurimum opportunam, ipsis hujusmodi negotium providimus specialiter committendum. Ideoque devotionem vestram monemus, & hortamur in Domino Iesu Christo, vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus ad ipsius prosecutionem (5) negotii solicite intendentes, aliquos Fratres ejusdem Ordinis de Regno Aragonię, quos ad hoc idoneos fore noveritis, Inquisitores hęreticę pravitatis in Provincia Narbonensi, per districtum tantum (6) carissimi in Christo filii nostri Jacobi (7) Aragonum Regis Illustris, auctoritate nostra, deputare curetis; injungentes eisdem, ut in negotio ipso secundum formam a bo: me: Gregorio (8) Papa prędecessore nostro editam, & a Nobis postmodum innovatam, juxta quam siquidem in eodem negotio procedunt Fratres dicti Ordinis in ipsa Provincia, sicut eidem negotio expedire viderint, tam contra hęreticos, & ad ipsos accedentes, & fautores, & receptatores, ac defensores eorum, quam alios ipsi negotio adversantes, neminem pręter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu vero Prior, de consilio seniorum, & discretorum Fratrum pręfati Ordinis, ejusdem Regni Inquisitores hujusmodi, auctoritate nostra, removeas, transferasque, alios substituas, vel supersedere facias, cum ex causa rationabili id videris faciendum. Datum Lugduni XIII Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Encomium Ordinis.

Mandat ut supra.

1. *Hispaniæ.*) Una enim & eadem tunc erat Provincia quæ Anno MCCCI in Capitulo *Coloniensi* fuit in *Hispanicasem* & *Aragonensem* divisa.
2. *Raymundo.*) S. De quo superius.
3. *Inquisitoribus.*) Videndum Diploma *Datum XXVI Maii MCCXXXII.*
4. *Laborant.*) *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXLVIII* exscribens idem Diploma, legit: *Procurant.*
5. *Prosecutionem.*) Bzovius: *Persecutionem.*
6. *Tantum.*) Jam enim in aliis Partibus ejusdem Provinciæ Quæsitores Fidei constitutos fuisse sciebat. Legendum Diploma *Datum XXII April. MCCXXXIII.*
7. *Jacobi.*) *I.*
8. *Gregorio.*) *IX.*

Anno 1248 Die 14 Novembr.

Archiepiscopo, & Capitulo Arelaten. [1], ne subtrahant eleemosynam, seu stipem nostris concessam.

Ex Archivo [2] Ordinis.

CCIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo, & dilectis filiis Capitulo Arelaten., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio Fratrum nostrorum.

SUa Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Prędicatores in Arelate manentes petitione monstrarunt, quod vos ab ipsis, partem eorum, quę sibi pro necessitatibus suis a decedentibus in eleemosynam relinquuntur, exigitis, licet hujusmodi morientes sepeliri non eligant apud eos, & suis Parochiis, secundum Terrę consuetudinem, legatum reliquerint speciale, unde Nobis humiliter supplicarunt, ut eisdem super hoc providere, misericorditer dignaremur, & vos de rigore hoc ad illam, quę compassionem habet, justitiam revocare. Cum igitur idem Ordo divinitus Ecclesię senescenti in sustentationis baculum sit provisus, & velut Equus publicus, quotidie, tam adversus hęreticorum nequitiam, quam filiorum errata, & sęvitiam tyrannorum, necnon ad omnia generalis Ecclesię onera humiliter, & per Dei gratiam, satis utiliter paratus sit, & expositus in adjutorium maxime Pręlatorum, ad instar fel: me: C.... [3] PP. Prędecessoris nostri, universitatem vestram monendam duximus, & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus, cum pręter eleemosynas, pro quibus non sine temporalis rubore miserię semper ad ostia, & largientium manus respiciunt Mendicantes, aliquem saltem cum Levitis, aut Monachis, funiculum non habeant inter bonorum secularium Possessores; vos qui paternos affectus, & materna viscera gestare tenemini, devotis, & utilibus filiis nullatenus pręnotatam eleemosynam subtrahatis: ne videamini, non tam a debentibus jus Ecclesiasticę sanctionis exigere, quam a liberis velle cum scandalo, quasi tributum Cęsaris extorquere. Datum Lugduni XVIII Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Insigne encomium Ordinis.

Mandat ut supra.

1. *Arelaten.*) In *Gallia Narbonensi.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio *Arelatensi.*
3. *C...*) Ergo *Cælestinus* IV Diploma in gratiam *Arelatensi* Cœnobio dederat. Desideratur.

In-

Indulgentia concessa, ut sacræ, ceteræque Cœnobii nostri Pampelonensis (1) Ædes perficiantur.

Anno 1248 Die...

Ex Johan. Lopez III Part. Histor. Ord. Præd. Lib. I Cap. LXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCV.

QUoniam, ut ait Apostolus &c. (2). Datum &c. (3).

1. *Pampelonensis.*) In Regno *Navarræ*.
2. *Apostolus* &c.) Ut supra *XIX April. MCCXLVI* mutato nomine *Urbevetan.* in *Pampelonen.*
3. *Datum* &c.) Nullam diem habet adscriptam apud *Johannem Lopem*, qui Diploma *Anno MCCXLVIII Datum* asseverat.

Fratribus nostris in Prælatorum obsequiis morantibus [1], ut Præpositis Ordinis morem gerant.

Anno 1249 Die 29 Novemb.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Ordinis Fratrum Pręedicatorum, in Alemania constitutis, qui Prelatorum, aut Principum obsequiis immorantur, vel eisdem sunt modo aliquo deputati, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCVI.

Exordium.

IN conspectu Dei & hominum decens, & expediens esse dinoscitur, ut pręclara Religio, quam Fratres vestri Ordinis pretendunt habitu, ostendatur effectu, in eo pręcipue, quod ipsi, qui se, suos, & sua reliquerunt, obtentu Divini Nominis, nichil sibi retineant proprię voluntatis, sed obedientię jugum cum dilectione pertrahant, ut sic Divina propitiante clementia perempnis vitę bravium comprehendant; Cum itaque Apostolici dignitas deposcat officii, personas divinis ascriptas laudibus, sed vos specialiter, ad ea, quę salutis existunt, opportunis temporibus exhortari, universitatem vestram rogamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, per Apostolica vobis scripta firmiter pręcipiendo mandantes, quatenus, prę oculis diligenter habito, quid professi fueritis, quando Religionis habitum assumpsistis, omni occasione postposita, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali vestris ac eorum Vicariis, Ordinis memorati, sic studeatis reverenter intendere, ac humiliter obedire, quod eis, & ceteris Fratribus ipsius Ordinis vertatur in gaudium, & vobis redundet ad cumulum meritorum, alioquin, ne vestrę inconsultę voluntatis arbitrium sit vobis in perniciem, & pacem prefati Ordinis scandalo dampnoso perturbet, prędictis Magistro, & Priori, ac eorum Vicariis damus nostris litteris in mandatis, ut vos ad id per Censuram Ecclesiasticam, & sublationem habitus, ac per translationem ad alium Ordinem, congruente monitione pręmissa, cessante appellatione, compellant. Non obstantibus aliquo privilegio, vel indulgentia, vobis, seu quibuscumque aliis ab Apostolica Sede concessis, de quibus in litteris nostris plenam aut expressam oporteat fieri mentionem. Datum Lugduni III Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Morantibus.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Fratribus nostris, & Minoribus, ut hortentur fideles ad solvendas decimas Ecclesiasticas.

Anno 1249 Die 6 Decemb.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Prioribus, Supprioribus, Ministris, Custodibus, & Guardianis, Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCVII.

Exordium.

SUmmus orbis opifex, & universę conditor creaturę velut quoddam tributum voluit ab homine sibi Decimas exhiberi, non ex eo, quod bonis nostris indigeat, cum sit dives, detque cuiliber abundanter, & non improperet, sed ut per ipsius exhibitionem tributi, universorum obtinere dominium dignoscatur, & ministri ejus, suis inhęrentes obsequiis, quibus ipsas concessit Decimas jure perpetuo possidendas, cum eis sine diminutione fuerint persolutę, congrua stipendiorum perceptione letentur. Sed in plerisque Provinciis nonnulli, sicut accepimus, cęca cupiditate seducti, tanquam cum eis Dominus usque ad quadrantem, non esset novissimam rationem super prędictis Decimis, aliquam positurus, in earum tanto tempore solutione, propria temeritate, cessarunt, eas per avaritiam propriis usibus deputantes, ut jam verendum sit, immo pro constanti tenendum, ipsos esse, nisi super hoc celeri sibi satisfactione prospiciant, a cęlestis hęreditatis consortio penitus excludendos; quia, cum Decimarum presentatio sit census Deo debitus pro hęreditate hujusmodi acquirenda, merito ea privari debuit, qui censum ipsum subtrahere, seu in aliquo mutilare presumpsit. Dolendum est itaque super talium detentorum deploranda miseria, qui Deo ingrati, cujus beneficio sunt, & vivunt, terrena cęlestibus, & ęternis transitoria, damnabiliter preferentes, malunt horrea sua saturari frumento, quam in Decimarum solutione supernę beatitudinis gaudia salu-

Cur Decimæ sint constitutæ.

Nonnullorum fraudulenta temeritas.

Quam gravis sit culpa fraudantium Decimas.

salubriter promereri : gravis, inquam, est talium, & enormis excessus, quo Deus, voce prophetica queritur se confligi. Cui si terminum confestim non contingat imponi, vel ad vindictam solitam ultionum Dominus se converter, dans cęlum desuper ferreum, & terram ęneam, ut germen aptum non proferat, vel eos ęternis pęnis afficiet, quos nunc temporalibus non coercet. Adhibendum est igitur super hoc efficax cautelę remedium, per quod eis salutis lenimenta proveniant, qui taliis peccati nexibus detinentur. Cum ergo vobis gratiam contulerit Dominus, per quam potestis mederi vulneribus sauciatis; cordaque fidelium ad producendum Deo boni operis fructum imbre spiritualis eloquii fecundare, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Fratribus vestris assumptis, & quos in posterum ad sanctę Prędicationis officium assumi contingerit, injungatis, ut sępe in anno in suis prędicationibus publice populum inducant propensius, ad reddendas, & solvendas Ecclesiis, quibus de jure debentur, Decimas supradictas, & tam illis, qui pro confessionibus ipsos adierint, quam etiam eis, a quibus in ęgritudine vocati fuerint, exhortatione salubri, suadeant, quod similiter Decimas prędictas, ut tenentur, exsolvant, & congrue satisfaciant de retentis; ita quod Unigenitus Dei Filius Iesus Christus, qui eos suo Sanguine pretioso redemit, ipsos in servos admittat, & filios, quem per exhibitionem Decimarum tributi Dominum cognoverint. Datum Lugduni VIII Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio nostro *Viterbiensi*.

Anno 1250 Die 8 Augusti.

Missio in Arbaniam (1), & Hunnaviam (2).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 676.

CCVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quorundam Schismaticorum pium desiderium redeundi ad unitatem.

QUasdam amplas, & Populosas Provincias (3), scilicet Arbaniam, & Hunnaviam, prope Hungariam sitas, esse percepimus, in quibus aliqui Episcopi, & plurimi Sacerdotes, & Clerici, sub Gręcorum dominio constituti, habitant, qui Ritum S. Romanę Ecclesię sincera mente diligunt, & pro viribus libenter observant; Quia vero, virtutum Domino inspirante, in eorum affectu esse perspicitur, quod ad ipsius Ecclesię redeant unitatem, & devotam obedientiam, & reverentiam impendant eidem: Nos, qui habemus in voto potissimum, quod in devio constituti, convertantur ad viam rectitudinis, & universis nationibus per observantiam Catholicę Fidei, proveniat gloria perpetuę claritatis, pręsentium tibi auctoritate committimus, ut aliquos ex Fratribus Ordinis Prędicatorum, curę tuę commissis, qui sint probatę conversationis, & vitę, ac potentes in opere, & sermone, mittas ad Provincias memoratas, in quibus verbum Dei proponant, & Clericis, ac laicis, de ipsis Provinciis oriundis, qui ad obedientiam Sedis Apostolicę redeuntes sunt parati satisfacere de pręmissis, reconciliationis, ac eisdem, si aliqua excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium, juxta formam Ecclesię largiantur, & cum Clericis, ex prędictis, qui nullum Ecclesiasticum Beneficium obtinent a Latinis, super eo quod excommunicati celebraverunt divina, necnon cum illis, qui, juxta Ritum Gręcorum, Ordines infra ętatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes eadem die, vel superiores, prętermissis inferioribus, aut etiam soluto pretio aliquo, secundum Ritum eundem, recipere pręsumpserunt, valeant dispensare. Ita tamen ut, quod circa Ordinationem Clericorum ipsorum, pro Ritus differentia, omissum esse dignoscitur, per Catholicos Episcopos obtinentes, gratia, & collatione Sedis Apostolicę provide suppleatur. Ceterum liceat Fratribus supradictis, eis, qui de Provinciis memoratis ad solemnem ipsorum prędicationem accesserint, Indulgentiam quadraginta dierum de injunctis sibi pęnitentiis elargiri. Nulli ergo &c. Nostrę concessionis &c. Datum Lugduni VI Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Missio Fratrum.

Privilegiis ipsos donat.

Sanctio pœnalis.

1. *Arbaniam.*) Seu *Albaniam*. Regio *Gracia*, quæ olim *Epirus*, & pars Occidentalis *Macedonia*.
2. *Hunnaviam.*) Hujus situm habes ex ipsomet Diplomate.
3. *Provincias.*) *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCL num. XLVI* exscribens hanc Bullam, tres recenset Provincias, *Philot*, *Arbaniam*, & *Unaviam*. Ipsum consulas velim.

Anno 1250 Die 16 Augusti.

Monasterium (1) S. Sixti de Urbe a Decimis ceterisque tributis in Anglia ex annuo redditu (2) solvendis eximit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, ac Monialibus S. Sixti de Urbe, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

ETsi ex officio solicitudinis pastoralis quibuslibet Religiosis personis Nos esse deceat in opportunitatibus suis favorabiles, & benignos, mulieribus tamen, quę sub habitu monachali Domino famulantur, tanto propensiori Nos convenit auxilio subvenire, quanto pro fragilitate sexus fęminei, majoribus dignoscuntur subsidiis indigere. Vestris itaque supplicationibus inclinati, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut ad contribuendum in talliis, & collectis, quę auctoritate literarum nostrarum fieri contigerit in partibus Anglicanis, de annuo redditu quinquaginta Marcarum, in quo dilecti filii .... Prior, & Canonici S. Osvvaldi de Nostle Ordinis S. Augustini Eboracen. Dięcesis, & vobis, & Monasterio vestro tenentur, vos, aut Procuratores vestros, compellere nullus possit, nisi forte in eisdem literis de indulgentia ista, & Monasterio memorato fieret mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę

Indulget ut supra.

nostrę concessionis infringere &c. Datum Lugduni XVII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Octavo. Sanctio poenalis.

1. *Monasterium*.) De quo sæpius supra. Vide *Bull. Dat. XIV Maii MCCXL IV.* *pag.516 Col.II.*
2. *Redditu*.) Dixi superius 1 *Mart. MCCXLIV.* Consulendus etiam *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXVIII*
3. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum exstat in Monasterio *SS. Dominici & Sixti de Urbe*.

Confirmat donationem Ecclesiæ Fani-Jovis [1]. Anno 1250 Die 15 Octob.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui S. Marię de Pruliano, Ordinis S. Augustini, Tolosanę Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INter alia, quę Christo prestantur obsequia, illud est pręcipue commendandum, cum mulieres fragilitatem suam in stabilitatem perpetuam voluntarie convertentes, mundanas spernunt illecebras, &, ut cum perenni Sponso vivant perenniter, habitaculum, ipsi dignum corpora sua parant, & accensis lampadibus, eidem obviam exire festinant, ac pro hoc merito gratis sunt attollendę favoribus, & congruis pręsidiis muniendę, ut eo devotius, quo quietius Domino famulantes, sibi per vitę meritum; & aliis proficiant per exemplum. Hinc est, quod vestris precibus benignum impertientes assensum, Ecclesiam B. Marię Fani-Jovis; quam bonę memorię Fulco Episcopus Tolosanus, utpote ad Mensam suam spectantem, Monasterio vestro, quod ipse construxerat, pia, & provida liberalitate concessit, prout super hoc confectum publicum indicat Instrumentum, & in ejusdem Episcopi Literis, dicitur plenius contineri, ad instar felicis recordationis Gregorii (3) Papę Prędecessoris nostri, vobis, & per vos ipsi Monasterio, Auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Lugduni Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Octavo. Exordium. Confirmat ut supra. Sanctio poenalis.

1. *Fani-Jovis*.) Dixi superius *VIII Octob. MCCXV*, ubi quæ hic desiderantur, habes.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum invenies in Monasterio *Pruliano*.
3. *Gregorii*.) *IX*.

Priori London., ut a censuris absolvat Episcopum London. (1). Anno 1250 Die 8 Novemb.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 677.

CCXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei. dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum London., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte ven. fratris nostri Londinen. Episcopi fuit Nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsum absolvi mandaverimus ab Excommunicationis sententia, quam in eum, post appellationem ad Sedem Apostolicam interiectam, ven. frater noster Cantuarien. Archiepiscopus, asserens, se per eundem Episcopum impediri, quominus in subditis Episcopo ipsi Ecclesiis exhiberet Visitationis Officium, promulgavit, eidem, si forte sententia durante prędicta, sub fiducia pręmissę appellationis, Divina celebravit Officia, vel Ordines contulit, aut alia Ecclesiastica Sacramenta, seu etiam exercuit quidquam aliud, quod ad Pontificale Officium pertineret, super his per dispensationis remedium providere, de benignitate Sedis Apostolicę curaremus. Nos igitur ipsius supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus, postquam idem Episcopus a prefata excommunicationis sententia fuerit absolutus, circa ipsum super pręmissis dispensative provideas, ac statuas vice nostra, quod pro animę suę salute discretio tua viderit expedire; iis, quę per eum prędicta pendente sententia alias rite, ac provide in collatione Ordinum, & aliis, quę Officium Pontificale respiciunt, acta sunt, eadem non obstante sententia, valituris. Datum Lugduni VI Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Octavo. Supplex petitio Episcopi Londinen. Mandat ut supra.

1. *London*.) Seu *Londinensem* in *Anglia*.

Monasterium S. Mariæ de Casa, Cremonensis Diœceseos, curæ Provincialis Lombardiæ committit. Anno 1250 Die 27 Novemb.

*Ex Arch. Ord. lib. A. fol.*678.

CCXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Sororibus Monasterii S. Marię de Casa, Cremonen. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę &c. (1). Datum (2) Lugdun. V Kalend. Decembr., Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Apostolicæ &c.*) Ut supra *IV Julii MCCXLV* mutatis nominibus Provinciæ & Monasterii.
2. *Datum*.) Notat Amanuensis *Libri A. fol.679* eo pari modo, eademque die Magistro Ordinis & Provinciali *Lombardiæ* scripsisse Pontificem pro Monasterio *S. Mariæ De Nazareth* juxta *Ticinum* extra *P. piam*, ipsum incorporando, seu cooptando Provinciæ *Lombardiæ*.

Anno 1250 Die 27 Novembr.

F. Guillelmo De Cyka (1), ut adversus Conradum Bellum pro Religione suscipiendum prædicet in Germania.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 680.

CCXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio F. Guillelmo De Cyka, Ordinis Prędicatorum, Capellano carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis (2) Romanorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

F. Guillelmi encomium. Missio. Privilegia.

UT talentum scientię tibi a Domino, dispensatione concessum, in ejus exercitatum obsequiis, multiplicatum sibi restituas, cum de ipso a te repetet rationem, prędicationem Crucis contra Corradum (3), natum quondam F... (4) Imperatoris, suosque fautores, persecutores Ecclesię per totum Regnum Alemannię tibi duximus, auctoritate Apostolica committendum: exequendi prędicationem hujusmodi, & concedendi Privilegia, & Indulgentias, quę Crucesignatis in Terrę Sanctę subsidium transfretantibus conceduntur, necnon remissionem quadraginta dierum iis, qui ad tuam super hoc prędicationem, vel illorum, quibus eam commiseris, accesserint audiendam, illosque nihilominus mandamus Censura Ecclesiastica compescere, qui super iis, vos forte prȩsumpserint impedire; concessa vobis auctoritate prȩsentium plenaria potestate. Datum Lugduni V Kal. (5) Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *De Cyka.*) Seu *Zika*, sic nuncupatus ab Oppido *Hungariæ* ejusdem nominis. Illum crediderim *Guillelmum Ghila*, quem inter Scriptores Ordinis hujusce seculi *Laurentius Pignon* recenset *numero XXX*, nec enim aliquis ex nostratibus *Guillelmus* GHILA vocatus, occurrit ante ætatem *Laurentii Pignon*. *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLI num. XI Guillelmum* nostrum nominat *Eika*, *Bzovius* vero *Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLI num. II* ipsum nuncupat *Elka*.
2. *Regis.*) *Vuillelmi*, scilicet, qui *Henrico* successit Anno MCCXLVII.
3. *Corradum.*) Seu *Conradum Friderici II* filium. Hæreticos *Circumcelliones*, quorum nefandos errores recenset *Odoricus ad Annum MCCXLVIII num. XV*, in tutela *Conradi* fuisse, certa res est. *Odoricus ibidem num. XVI.* Jure ergo ac merito *Crucem* in *Conradum* prædicandam indixit Christi Vicarius.
4. *F...*) *Friderici II.*
5. *V Kalend.*) *Odoricus ad Annum MCCLI num. XI* non sic, sed *Nonis Februarii*, *Pontificatus Innocentii IV Anno VIII.*

Anno 1250 Die 27 Novembr.

Fratri Leoni De Broma, ipsiusque sociis, ut si ad alium Ordinem transeant, Confessiones excipere, & de rebus divinis Concionari queant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 680.

CCXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Leoni De Broma, & Sociis ejus, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio præmissa.

CUm in prędicatione Verbi Crucis, & aliis negotiis quę generalis Ecclesię ac Imperii statum respiciunt, vobis ab Apostolica Sede commissis, ministros idoneos, efficaces, & providos, vos intelleximus relatione fideli, prȩsentium vobis auctoritate concedimus, ut si ad alium Ordinem vos transferre contigerit, prout vobiscum est per Sedem Apostolicam dispensatum, libere possitis prędicta omnia exercere, & sine juris prȩjudicio alieni, audire Confessiones ad vos accedentium, & pęnitentiam eis injungere salutarem, de iis prȩcipue, super quibus non sit Sedes Apostolica consulenda. Datum Lugduni V Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Anno 1250 Die 29 Novemb.

Priori Prædicatorum, & Ministro Minorum, Provincialibus Alemanniæ, ut inducant Crucesignatos Frisiæ (1), & Norvegiæ (2), ad transfretandum in subsidium Terræ Sanctæ (3).

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLI pag. 12.

CCXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Ministro Minorum Fratrum, Provincialibus Alemannię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra. Derogationes.

CUm ad prȩsens Terra Sancta indigeat prȩsidio bellatorum, Nos attendentes, quod multi Frisones acceperunt, accensi zelo devotionis, & fidei, signum Crucis, quodque solent Frisones in transmarinis partibus prosperare, mandamus, quatenus omnes Crucesignatos de partibus Frisię, & Norvegię, quod in proximo passagio, a vobis, ad beneplacitum carissimę in Christo filię nostrę Blanchę (4) Illustrissimę Reginę Francię, statuendo, transfretent in subsidium Terrę Sanctę, per vos, ac alios, quos expedire videritis, moneatis attentius, & efficaciter, secundum datam vobis a Deo prudentiam, inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus privilegiis Apostolicę Sedis, vel indulgentiis, seu Literis obtentis, & obtinendis, & quibuslibet aliis, per quę id impediri, vel differri valeat, & de quibus oporteat in prȩsentibus fieri mentionem; & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Quod si non ambo &c. Datum Lugduni III Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Frisiæ.*) Ut supra ad *XXII Junii MCCXLVIII.*
2. *Norvegiæ.*) Vulgo *Norvvege*, *Europæ* Regnum.
3. *Terræ Sanctæ.*) Licet enim maximus ille noster & fortissimus, quem contra *Saracenos* comparaverant Christiani, omnis fere interiisset exercitus, *non deterruit tamen ea strages Christianos Principes a meditanda in Terram Sanctam expeditione; sed majori pietatis ardore accendit.* Odoric. Raynald. *ad An. MCCL num. XXVII.* Argumento sunt Literæ Pontificiæ ad *Pari-*

Parisiensem, *Ebroicensem*, & *Sylvanectensem* Episcopos datæ, quas refert *Odoricus* loco mox laudato: idem probat præsens Diploma.

4. *Blancha.*) Galliarum Reginæ, Matris *S. Ludovici IX.*

Priori nostro, & Guardiano Fratrum Minorum Asten. (1), ut Episcopo Asten. cuncta ablata restituenda curent (2). — Anno 1251 Die 18 Januar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 684.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum, Asten., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CCXVI.

PRęsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus cives Asten. moneatis attentius, & efficaciter inducatis, ut infra duos menses post monitionem vestram, ad sinum matris Ecclesię revertentes, restituant Asten. Ecclesię jura, quę subtraxerunt eidem, & ab ipsius oppressione cessantes, de damnis, & injuriis, sibi ab eis illatis, plenariam satisfactionem impendant; alioquin ex tunc vos, & Fratres vestri, una cum toto Clero Asten., ad mandatum, & voluntatem dilecti filii Asten. Electi, civitatem exeatis Asten., vel existentes ibidem, cessetis penitus a Divinis, aliquo Privilegio, seu Indulgentia Sedis Apostolicę contraria non obstante. Datum Lugduni XV Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Octavo. — Mandat ut supra.

1. *Asten.*) Ad *Tanarum* Fluvium in *Italia*. Comitatus *Astensis* pars est *Pedemontii*. *Annal. Minor.* exscripsit *Datum Januæ XV Kalend. Julii, Pontificat. Innocentii IV Anno VIII.*
2. *Curent.*) Idem Diploma *Vvaddingus Tomo II pag.* 11.

F. Rogerio [1], ut Guerrerio de Squillaco resignanti, seu transcribenti *Casale de Saropodio*, concedat castrum S. Georgii. — Anno 1251 Die 7 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 689.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Rogerio de Lentino de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CCXVII.

VOlentes dilecto filio nobili viro Guerrerio de Squillaco gratiam facere specialem, mandamus, quatenus, eo resignante Casale de Saropodio Mileten. (2) Diœcesis, Castrum S. Georgii ejusdem Ducatus in feudum, auctoritate nostra, concedas, dummodo ad alium non pertineat, in devotione Sedis Apostolicę persistentem. Datum Lugduni Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo. — Mandat ut supra.

1. *Rogerio.*) Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 159. *Col. I.* Dicam ego in *sequenti Appendice*.
2. *Mileten.*) In *Calabria ulteriori*.

Prioribus & Fratribus Ordinis Prædicatorum Crucem prædicantibus in Livones (1), ut collectitiam pecuniam Fratribus Teutonicis assignent. — Anno 1251 Die 7 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 681.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, prędicantibus contra paganos Livonię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CCXVIII.

CUm dilecti filii Fratres quondam Militię Christi, nunc Hospitalis S. Marię Teutonicorum de Livonia, & Fideles alii loci ejusdem, in armis, & equis, sine quibus male ducitur exercitium militare, defectum plurimum, sicut accepimus, patiantur; ad instar fel: record: Gregorii (2) PP. Prędecessoris nostri, devotioni vestrę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus eleemosynas, & bona, quę ad opus ipsorum, & Fidelium prędictorum, ad vos de votorum redemptione, in ipsius Livonię subsidium emissorum, proveniunt, vel hactenus provenerunt, memoratis Fratribus, pro emendis armis, & equis, & aliis necessariis, sublato difficultatis obstaculo, assignetis; alias ipsis, quod in Deo potestis, subventionis solatium procurantes, ut dum pluribus fuerint roborati subsidiis, liberius perficere valeant, quę sunt ad gloriam Redemptoris. Datum Lugduni Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Livones.*) Ut supra ad *XXIII Septemb. MCCXLIII &c.*
2. *Gregorii.*) *IX* Diplomate *Dato V Septemb. MCCXXXIV.*

Fratri Rogerio (1) De Lentino, ut cum Prælatis, Baronibus, & Militibus Siciliæ (2), de Regno illo novis consiliis renovando agat. — Anno 1251 Die 7 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 687.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Rogerio de Lentino, de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CCXIX.

INcumbente Nobis multitudine negotiorum, innumera profundarum nimium cogitationum varietate distrahimur, & quo magis Nos omnibus impositum Nobis Apostolatus officium constituit debitores, eo atten- — Exordium a pastorali solicitudine.

attentius circa emergentia undique agenda, Nos convenit vigilare. Unde, quia nostram simul in diversis locis nequimus præsentiam exhibere, ad illa, in quibus non adsumus personaliter, ne in eis vigilantia nostra desit, personas idoneas, præsentata (3) discrete quantitate agendorum urgentium, destinamus, per eas ibidem Apostolicę servitutis debitum exsolventes. Sane cum negotium Regni Siciliç specialiter insideat cordi nostro, ad consolationem, & relevationem ejusdem, solicitum apponimus studium, & operam, quantum possumus impendimus efficacem. Nam dum innumeras afflictiones (4) illius recolimus, & de variis ejus angustiis cogitamus, in intimis quidem præcordiis acuto dolore confodimur, acerbitatem suarum vehementium passionum participatione maxima sentientes: verum quod quondam Friderico Romano Imperatore sublato (5) de medio, qui Regnum ipsum innumeris gravaminibus opprimebat, tempus suę reformationis advenit, expedit, ut per Nos, & alios, ad reparationem illius tota diligentia laboremus. Quia igitur negotii, & circumstantiarum ejus notitiam plenam habes, discretioni tuç, de qua plene confidimus, per Apostolica Scripta mandamus, quatenus cum Prçlatis, Baronibus, Militibus, necnon & Civitatum, Castrorum, & aliorum Locorum Comitatibus Siciliç tractatum pro bono, & salubri ipsius Siciliç statu, habeas diligentem; ordinans, & statuens cum eis super iis, auctoritate nostra, quę ad honorem Sedis Apostolicę, ac pacem, & tranquillitatem illius Terrç, videris statuenda. Nos enim gratum, & ratum habebimus, quicquid in hac parte duxeris ordinandum. Datum Lugduni Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Afflictam Siciliam luget.

Mandat ut supra.

1. *Rogerio.*) Dicam in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*
2. *Sicilia.*) Legendus *Bzovius Annal. Eccles. ad Annum MCCLI num. II.*
3. *Præsentata.*) Id est exhibita. Legunt aliqui: *Pensata.*
4. *Afflictiones.*) De his *Innocentius IV apud Odoricum ad Annum MCCLI num. III.*
5. *Sublato.*) Anno MCCL periit *Fridericus II.* Auctores consule, quos laudat *Odoricus ad hunc Annum num. XXXII.*

Anno 1251 Die 7 Martii.

Baronibus, Militibus, ac ceteris per Siciliam constitutis pro Sicilia novis consiliis renovanda (1).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 688.

CCXX. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Baronibus, Militibus, Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum Comitatibus (2) per Siciliam constitutis, Spiritum consilii sanioris.

INcumbente Nobis &c. (3). Ideoque dilecto filio Fratri Rogerio de Lentino de Ordine Prędicatorum, de cuius providentia, & circumspectione plene confidimus, cum hujusmodi negotii, & circumstantiarum eius notitiam habeat pleniorem. nostris dedimus Literis in mandatum, ut super reformatione, ac restauratione Siciliç vobiscum tractatum habeat diligentem, ordinans, & statuens vobiscum super iis auctoritate nostra, quç ad honorem Sedis Apostolicç, ac pacem, & tranquillitatem illius Regni viderit statuenda. Quocirca mandamus, quatenus eundem Fratrem benigne recipientes super prçmissis solicite tractare curetis, sibi super iis, quç vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter intendendo; Nos enim gratum & ratum habebimus quicquid in hac parte duxerit ordinandum. Datum Lugduni Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Quid sit agendum decernit.

1. *Renovanda.*) Quæ hic notata desideras, habes in præcedenti.
2. *Comitatibus.*) Seu *Comitiatibus*, Communitatibus, vel communibus.
3. *Nobis &c.*) Ut in præcedenti ad hæc usque verba: *Diligentia laboremus.*

Anno 1251 Die 7 Martii.

Baronibus, Militibus, ceterisque per Siciliam constitutis, ut F. Rogerio de Lentino S. Sedis Apostolicæ Legato morem gerant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 689.

CCXXI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Baronibus, Militibus Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum Comitatibus (1) per Siciliam constitutis, Spiritum consilii Sanioris.

DE prudentia, circumspectione, ac fidelitate dilecti filii Nobilis Viri (2) Rogerii de Lentino plenam in Domino fiduciam obtinentes, negotium Siciliç, quod specialiter insidet cordi nostro, sibi in devotione Ecclesiç persistenti duximus committendum, in remissionem ei peccaminum injungentes, ut illud ad honorem, & utilitatem Apostolicç Sedis, ac bonum, & tranquillum, & salubrem illius Terrç statum diligenter, ac fideliter exequatur; Ideoque mandamus, quatenus sibi in omnibus, quç vobis ex parte nostra injunxerit, intendatis. Datum Lugduni Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Mandat ut supra.

1. *Comitatibus.*) Ut in *Nota II* ad præcedens Diploma.
2. *Nobilis Viri.*) Is erat *F. Rogerius de Lentino*, de quo in præcedentibus.

F. Roge-

F. Rogerio (1) de Lentino, ut pecuniam, S. Sedi Apostolicæ in Sicilia debitam recuperet, & in renovanda Sicilia ponat. Anno 1251 Die 10 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 689.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Rogerio de Lentino, de Ordine Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXII.

UT negotium Sicilię, quod providentię tuę duximus committendum, eo efficacius, ad honorem & utilitatem Apostolicę Sedis, ac tranquillum & salubrem illius Terrę statum, exequi valeas, quo per Nos majori fueris potestate munitus, Nobilitati tuę, quod omnes redditus Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum prędictę Sicilię, ad Sedem pertinentes eandem, libere ac integre percipere valeas, expendendos prędicto negotio in illis Partibus promovendo, auctoritate præsentium duximus concedendum. Datum Lugduni VI Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo. Mandat ut supra.

1. *Rogerio.*) Legenda præcedentia Diplomata.

Eidem.

Ex Archivo Ord. lib. A. fol. 690.

UT Negotium &c... (1) quod omnia Bona Rebellium Romanę Ecclesię in illis Partibus, quę durante guerra in Bello, vel alias ceperis, personis fidelibus & devotis Ecclesię libere conferre valeas auctoritate præsentium duximus concedendum &c. (2). CCXXIII.

1. *Negotium &c.*) Ut in præcedenti ad hæc usque verba: 2. *Concedendum &c.*) Ut in eodem ad finem usque. *potestate munitus.*

Eidem, Ibidem.

UT Negotium &c... Concedendi in Partibus illis, personis fidelibus & devotis ejusdem Sedis feuda militaria, uni personę videlicet tantum unum, liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum &c. ut supra. CCXXIV.

Prælatis Siciliæ (1), ut Fratrem Rogerium habeant commendatum. Anno 1251 Die 10 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 690.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, tam exemptis, quam non exemptis, per Siciliam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXV.

CUm dilectum filium Fratrem Rogerium de Leotino, de Ordine Prędicatorum, pro quibusdam Ecclesię Romanę negotiis destinemus, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, mandantes, quatenus, considerato provide, quod in eo, qui mittitur, honoratur, vel spernitur Persona mittentis, eundem Fratrem, cum per vos transitum fecerit, pro nostra, & Apostolicę Sedis reverentia benigne recipientes, & honeste tractantes, sibi & sociis, quos secum duxerit, in eundo, morando, & redeundo, de necessariis, & securo conductu providere curetis. Ita quod grata de vobis referre valeat, & Nos devotionem vestram exinde dignis in Domino laudibus commendemus; alioquio &c. Datum Lugduni VI Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo. Mandat ut supra.

1. *Siciliæ.*) Legenda præcedentia Diplomata.

F. Alebrandino (1), ut ablata omnia Vulterano (2) Episcopo restituenda curet. Anno 1251 Die 13 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 681.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alebrandino de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXVI.

CUm ex injunctę Nobis servitutis Officio Ecclesiarum omnium curam, & solicitudinem gerere teneamur, circa defensionem possessionum, & jurium Ecclesię Vulteran. favorabiliores ad præsens Nos convenit inveniri, quo plurium ad occupationem eorum temerariam, insatiabilis aviditatis manus, propter ejusdem Ecclesię Pastoris absentiam, temporis ingruente malitia, sunt extentę. Cum igitur, sicut ex parte dilecti filii Electi Vulteran. fuit propositum coram Nobis, nonnulli Cives Senen. Castrum Monterii cum redditibus, & pertinentiis suis, quod ad eundem Electum pleno jure spectare dignoscitur, ea occasione detineant occupatum; quod F.... (3) nato quondam F... (4) se tunc pro Imperatore gerentis, quandam pecunię summam se asseront mutuasse (5): Nos nolentes eidem Electo in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, mandamus, quatenus, si res ita se habet, eosdem Cives, ut Castrum ipsum, cum

Exordium a pastorali folicitudine. Supplex petitio Episcopi Vulterani. Mandat ut supra.

Rebelles per censuras Ecclesiasticas deterrendos Decernit.

cum eisdem redditibus, & pertinentiis eidem Electo sine difficultate restituant, necnon, & Potestatem, & Commune Senen. per te, vel per alium moneas, & inducas, ut eisdem Civibus, si forte id noluerint adimplere, nullum prestent consilium, auxilium, vel favorem, quominus dictus Electus Castrum ipsum, & alia jura, & redditus sui Episcopatus, recuperare libere valeat, & habere; Quod si monitis tuis in hac parte acquiescere contempserint, eos a presumptione hujusmodi per Censuras Ecclesiasticas appellatione postposita, compescas. Supponens nihilominus Civitatem Senen., auctoritate nostra, Ecclesiastico Interdicto, ac hujusmodi excommunicationis, & Interdicti sententias singulis diebus Dominicis, & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis usque ad satisfactionem condignam solemniter publicans, sub intimatione anathematis districtius inhibeas hominibus Civitatum, & Locorum circumstantium, ne cum ipsis, vel Communi, vel Civibus, quandiu in hujusmodi perstiterint pertinacia super mercimoniis, & aliis rebus aliquod exerceant commercium, colloquium, vel contractum, aut eis curent de aliquo debito respondere. Non obstante indulgentia Fratribus Ordinis tui, ab Apostolica Sede concessa, ut de negotiis ab eadem Sede committendis, eisdem se intromittere non teneantur inviti absque mandato Sedis ipsius, faciente plenam, & expressam de indulgentia hujusmodi mentionem. Datum Lugduni III Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

1. *Alebrandino.*) Dicam in *Appendice Gregorii X.* Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad An. MCCLXXIX pag.* 380 *Col. II.*

2. *Volterano.*) Seu *Volaterrano* in *Hetruria*, Nec enim ibi sermo de alia ejusdem nominis Civitate sita in Regno *Neapolitano*.

3. *F....*) Seu *Friderico*, Principi *Antiochiæ*.

4. *F....*) *Friderici II.*

5. *Mutuasse.*) Id est *Mutuam dedisse*.

Anno 1251 Die 13 Junii.

Fratribus Petro (1) Veronensi, & Viviano (2) Pergamensi, ut Cremonam (3) petant, & hæreticos insequantur.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 694.

CCXXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Petro Veronensi, & Viviano Pergamensi, Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

MIsericors, & miserator Dominus, cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis, Ecclesiam suam diutius vexatione concussam, rabie distractam tyrannica, duris afflictam tribulationibus, & incursionibus fatigatam hostilibus, de excelso solio suo mira benignitate respexit: & misertus super ipsius contritione nimia, quam callidus ille seminator discordię inserebat, salutare sibi remedium ministravit, extinguens funestę dissensionis fomitem & pestiferi odii incentorem. A quondam siquidem Frederico Rom: Imperatore hoc tantum Ecclesię malum, & tanti causa periculi pandebatur. Ipse namque accensus odiorum ignis, fomes discordiarum ęstuans, pacis invidus, Christianę unitatis salutiferę dissipator, & totius malleus Italię Regionis, turbato ubique tranquillo, Ecclesiam ipsam validis persecutionum fluctibus conquassabat: quinimmo totam Regionem eandem, & alia etiam mundi Regna, immisso dissensionum turbine commovebat: propter quod ille, cujus imperio cęlestia obediunt, & terrena, tot & tanta volens sua clementi virtute submovere pericula, dixit, & hujusmodi procellę spiritus statim stetit: mandavit, & quievit ventus maxime tempestatis, & facta est in Ecclesia ipsa tranquillitas, communi desiderio diutius expectata. Quam tribulantem procellam in auram convertit prosperam, & pacem, quam eidem Ecclesię mundus dare non poterat, ipse dedit, tollens illum omnino de medio, qui discors concordiis, concors vero discordiis, universalis ollam odii, ignivomis nequitię suę flatibus, succendebat. Unde cum ipsi Ecclesię de tantę propitiationis beneficio dignanter providerit, & in grandem cum ea sit misericordiam operatus, debitum est, & dignum per omnia, ut pro hac inęstimabili gratia, sic pie desuper erogata, gratiarum ei actiones cum devotione reddamus, & offeramus sacrificium plenę laudis, ne tam magnificum ejus donum in vacuum recepisse, sibique ingrati de illo existere videamur; maxime quia generalis persecutionis actore precipuo jam sublato, & quiete nunc Ecclesię restituta, restat, nimirum, ut in Divinas laudes cuncta nostra studia conferamus. Et quoniam verbis, & operibus honorificandus est Dominus, recognoscenda est immensa benignitas in utrisque, ut in utroque modo, dicto, scilicet, atque facto, sui nominis laudem, & gloriam personemus. Quia vero tunc potissime acceptabile sibi exhibetur obsequium cum ei pro Catholicę conservatione Fidei, cujus est ipse stabile, ac perpetuum fundamentum, pura intentione servitur, providimus specialiter in hoc ipsi studiosum & placidum, eo cooperante, impendere famulatum, & precipue in Italicis partibus, propter ipsarum vicinitatem vigilare instantius, & validius satagere contra ejusdem Fidei diros hostes; ut cultura salubris per Nos agris Dominicis impensa vicinis, utilis sit longinquis; & Verbi Divini semen fusum in proximis, fructificet etiam in remotis; licet Apostolica Sedes tales hostes ubique indefessa solicitudine persequatur, nec unquam ab hujusmodi exercitio cessaverit cura ejus. Convenit namque, ut, quia inquisitiones contra pestem hereticam roborare, ac renovare per diversas seculi volumus Regiones, id agere in Italia, majori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus, cum quanto propior nostris adest aspectibus, tanto justius, nisi attente saluti prospiceremus ipsius, possemus argui de negligentia. Olim enim, dum vivebat perfidus ille tyrannus, non potuit libere contra hujusmodi pestem, precipue in ipsa Italia, eo impediente, procedi, cum non impugnaret, sed foveret potius pestem ipsam: de qua cum evidenter haberetur suspectus, exigentibus nihilominus aliis multis, & enormibus suis excessibus, fuit a Nobis in Lugdunensi Concilio condemnatus. Ideoque discretioni vestrę per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, in remissionem vestrorum peccatorum injungentes, quatenus hujusmodi Fidei negotium, quod principaliter residet cordi nostro, totis assumentes affectibus, & ferventibus animis prosequentes, Cremonam personaliter accedatis; cum & per alias Civitates, & alia loca Lombardię discretos alios ad exequendum idem negotium duxerimus deputandos: & ad extirpandam de Civitate ipsa, & ejus districtu hereticam pravitatem solicite, ac efficaciter, prehabito Diecesani consilio, laborantes, si quos ibidem pravitate ipsa culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi

Quid mali fecerit Fridericus, gemebundus recenset Pontifex.

Divinam misericordiam celebrat.

Inquisitiones renovare & roborare sibi proponit.

Fridericus hæreticorum fautor.

Mandat ut supra.

nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesię obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores, ac fautores eorum, humano timore postposito, juxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica procedatis, invocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Contradictores &c. Si vero aliqui, heretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesię, Dięcesano ipso consulto, absolutionis beneficium impendentes, injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit; proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius se, fallentes, sub agni specie gerant lupum. Verum quia tam salubre negotium super omnia promoveri cupimus, propter quod impedimenta quęlibet ab ipso intendimus penitus cum Dei adjutorio removere, scire vos volumus, & aliis aperte prędicere, quod si forte, quod non credimus, aliqua Civitas, seu Communitas, sive aliqui magnates, vel Nobiles, aut Potentes huic negotio se opponere, seu illud pręsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per deputatos ad hoc a Nobis procedi libere in eodem, immo nisi foverint illud, & juverint studiose, Nos procuidubio ad comprimendam tam superbam, & perniciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium Ecclesiasticę potestatis acriter extendemus, & Reges, & Principes, aliosque Christi fideles, sive pro Terrę Sanctę succursu, sive alias pro Christi servitio Crucis charactere insignitos, necnon & ceteros Catholicos invocabimus contra eos, ut & cęlum, & terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur; cum non minus expediat, immo magis fidem in locis prope positis, quam procul distantibus, defensare. Quia enim futura volumus, in quantum possumus, pręcipue in Lombardia, quam speciali affectione diligimus, vitare discrimina, idcirco scribimus, quod illa palam exponere, & pręnuntiare curetis, Cremonensem Populum, & alios de ipsorum districtu diligentius admonentes, ut debitum habentes respectum ad negotium memoratum, nullum prorsus promotioni ejus inferant nocumentum, sed potius vobis in exequendo illo favorem tribuant, & auxilium opportunum; Quia si forsan contrarium agere attentaverint, nullatenus dimittemus, quin per Reges ipsos, & Principes, aliosque Fideles, dictum promoveamus negotium, sicut superius est expressum. Ut autem prędicta possitis liberius, & utilius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad vestram prędicationem, propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore pręsentium concedimus potestatem. Datum Janue (4) Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Sponte redeuntibus misericordia explicanda. Contra hereticorum fautores quid agendum.

Indulgentiam poterunt elargiri.

1. *Petro.*) Patria *Veronensis*, Fidei Censor intrepidus, qui *Como Mediolanum* rediens *VIII Idus Aprilis Anno MCCLII* Martyr evolavit in Cœlum, & Anno sequenti Sanctorum numero fuit adscriptus ab eodem *Innocentio IV*.

2. *Viciano.*) A patria *Pergamensis* vocatus; quam enim *Bergomum*, vulgo *Bergamo*, nuncupamus, hæc eadem *Lombardiæ* Civitas, vulgo *Pergamo*, latine vero *Pergamum*, alias pronunciabant.

3. *Cremonam.*) In *Italia* ad *Padum* Fluvium.

4. *Januæ.*) Urbs est Archiepiscopalis *Liguriæ*, ubi tunc *Innocentius IV*, Feria enim IV Paschalis hebdomadæ *Lugduno* discesserat *Innocentius*.

Episcopo Tarvisino (1), & Priori Ordinis nostri Mantuano (2), ut inducant Ezelinum (3) de Romano ad obediendum mandatis Apostolicæ Sedis, alias ipsum excommunicatum denuntient.

Anno 1251 Die 16 Junii

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 691.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei. venerabili fratri Episcopo Tarvisino, necnon dilecto filio Priori Mantuano. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXXVIII

Pia Mater Ecclesia de animarum salute solicita, nonnunquam vindictam, quam rite inferre requirentibus delinquentium culpis posset, sua benignitate protrahit consueta, & exsertum diene in peccatores suę gladium potestatis clementi consideratione suspendit patienter expectans, quod illi ad cor provide redeuntes, suamque malitiam agnoscentes, ad Matrem ipsam propitiam, a qua se superbis elongarunt excessibus, in humilitate spiritus revertantur, veniam suppliciter postulando, ut quibus pęnam debitam disposuerat infligere pro commissis, iam pęnitentibus uberem misericordiam elargiatur. Sane quia Ezelinus de Romano, cujus mentem pater mendacii excecavit, multis ex causis, & probabilibus argumentis merito habitus fuit iamdudum de heretica pravitate suspectus, Nos ad Inquisitionem contra ipsum per viros Religiosos duximus (4) procedendum, quibus super hoc inquirentibus diligenter, & comperto, quod digne de hac pravitate suspectus reputari debeat, ipse tandem Nuncios ad Sedem Apostolicam, paratos eum in hac parte purgare, mittere destinavit; sed cum de tanto crimine, non per Nuncios, sed per propriam personam procuranda esset purgatio coram Nobis, certum sibi prefiximus terminum, quo Apostolico se conspectui pręsentaret, facturus super iis quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate Personę, in veniendo, & redeundo plenaria cautione. Cumque in ipso termino, & post ipsum, nec venire, nec mittere curavisset, eum, qui alias plurium erat excommunicationum laqueis irretitus, & quod de Fide Catholica male sentiret, certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum, alio ei termino assignato, quo in nostra compareret pręsentia, super pręmissis mandatis Ecclesię pariturus, & denuntiato publice, quod nisi hoc faceret, ex tunc procederemus gravius contra eum juxta canonicas, & legitimas sanctiones. Sed quia venire, seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, damnabili obstinatione despexit, & non solum per annum, sed per biennium, vilipensis Ecclesię clavibus, pręfatum sustinuerat anathema, cum non deberemus amplius Canonicum de ipso differre judicium, quem tam longum diffugium, & tam dura pertinacia tanti reum criminis demonstrabant, eum tanquam hereticum reputantes, decrevimus, ipsum promulgatis adversus hereticos sanctionibus subjacere, nisi usque ad Kalendas Augusti proxime pręteritas coram Nobis comparere curaret, nostris, & Ecclesię pariturus beneplacitis, & mandatis. Licet igitur adversus eum, qui tanta Ecclesię benignitate ac patientia irreverenter abusus, elapsis tot terminis sibi clementer indultis, coram Nobis comparere contempsit, juste procedere, immo justissime absque

Exordium ab Ecclesiæ benignitate.

Ezelini obstinationem in malo deflet.

Ezelinus nuncios destinarat ad S. Sedem Apostolicam.

Ipsum præsentem volebat Pontifex.

Vadimonium deseruerat Ezelinus.

Quid in causa ipsius actum sit, dicit.

absque alia expectatione possimus, volentes tamen ex affluenti ejusdem Ecclesię pietate benignis uti monitionibus circa ipsum, si forte sic possit ipsius emolliri duritia, quem salvari cupimus potius, quam perire; Discretioni vestrę per Apostolica scripta, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus ad pręfatum Ezelinum personaliter accedentes, ipsum ex parte nostra diligenter, & attente monere curetis, ac juxta datam vobis a Deo gratiam salubribus exhortationibus inducatis, ut prudenter de propria salute recogitans, ad Apostolicam Sedem, repulsa tarditate, ac occasione qualibet, personaliter accedere non postponat, recepturus super pręmissis nostra, & Ecclesię beneplacita, & pręcepta, & ne de vię suspicione possit excusationem pretendere aliquam, ecce pro securitate personę suę, ac de conducto sibi opportuno conductu a devotis Ecclesię speciales literas destinamus. Si vero ad ipsum accedere nequiveritis, vel idem ad vos, requisitus, & citatus a vobis, venire despexerit, hujusmodi monitiones, & exhortationes ad ipsum, ut videlicet ad Sedem eandem in propria persona venire procuret, certo ad hoc sibi pręfixo termino, in locis publicis, e quibus citius ad eum possint pervenire, solemniter proponatis. Quod si forte vestris non acquieverit monitis, sed inductione salutifera vilipensa, elegerit arreptum prosequi mortis iter, volumus, & sub obedientię debito, cum quanta possumus districtione pręcipimus, ut Potestatibus, Consiliis, & Communitatibus tam Civitatum, quam Castrorum totius Marchię Tarvisin., ac Patriarchatus Aquilejen., auctoritate nostra, firmiter in publico injungatis, ut eundem Ezelinum, cujus Pater, & nonnulli alii de genere suo notorii fuerunt heretici, & in errore hujusmodi dies suos miserabiliter, & damnabiliter finierunt, in cujus etiam Terra, seu districtu heretici aperte morantur, pro manifesto habentes heretico, ipsum omnino devitent, & a sua prorsus communione repellant, quinimmo personam ejus, velut labe heretica respersam, si possunt, capere studeant, & alias contra eum, suaque Bona, secundum statuta contra hereticos edita, quibus eum jamdudum subjacere decrevimus, animose consurgant, denuntiando ipsis expresse, ac publice contestando, quod, si hoc plene non fecerint, vel in iis forsan extiterint negligentes, Nos non solum contra dictum Ezelinum, sed & pariter contra eos, tanquam defensores, seu adjutores, & fautores pravitatis hereticę faciemus Crucem generaliter predicari, & tam Italię, quam aliarum Provinciarum Catholicos, necnon Reges, & Principes, aliosque Fideles, Crucis charactere, pro quocunque Christi servitio insignitos, concessa eis illa Indulgentia, atque indulto Privilegio, quę in Terram Sanctam proficiscentibus in Generali Concilio conceduntur, invocabimus contra ipsos; cum firmo intendamus proposito mortificare virus tam mortiferum animarum, & eradicare de vinea Domini tantam pellem. Datum Janue XVI Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Mandat ut supra.

Parentes Ezelini erant hæretici.

1. *Tarvisino.*) In *Italia*.
2. *Mantuano.*) Ibidem.
3. *Ezelinum.*) De quo superius. Non obtemperasse perduellem *Ezelinum* ex eo constat, quod in eum, ceu contumacem, sententiam *Innocentius* tulit. Exscripsit illam *Bzovius ad Annum MCCLIII num. IV.*
4. *Duximus.*) Ut supra ad *XII Martii MCCXLIV.*

Anno 1251 Die 17 Junii.

Priori Provinciali Provinciæ (1), ut Inquisitores constituat pro Comitatibus Pictavien. (2), & Tolosano (3).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 684.

CCXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Predicatorum in Provincia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD capiendum vulpes parvulas, quę demoliuntur vineam Domini, tanto solicitius Nos oportet intendere, quanto magis Orthodoxę fidei diligere tenemur augmentum, & illud totius diligentię studio procurare. Licet igitur olim Inquisitionem contra hereticam pravitatem, quę Partes Comitatus Tolosan. ab antiquo, peccatis exigentibus, infecisse dignoscitur, Diecesanis locorum duxerimus committendum (4), attendentes tamen quod multiplicatis Inquisitoribus pravitatis hujusmodi, poterit melius, juxta cordis nostri desiderium, de ipsis Partibus extirpari, mandamus, quatenus ad eliminandam de Comitatu, ipso, & aliis Terris dilecti filii Nobilis viri Comitis (5) Pictavien., & Tolosan., hereticam pravitatem, per te, ac alios Fratres tui Ordinis contra perversores Fidei Christianę, opere, ac sermone potentes, quos semel, & sępius ad hoc duxeris eligendos, prudenter, ac solerter intendens, inquisita super hoc diligentius veritate, contra ipsos, ac fautores, & receptatores eorum, procedas auctoritate nostra, per te, ac Fratres predictos, secundum datam tibi a Deo prudentiam, & juxta Canonicas Sanctiones; proviso attentius, ne cuiquam imponatur pena pecuniaria (6), dum tamen alias personę delinquenti penitentia imponi valeat salutaris. Ita tamen, quod, si aliquam gravem penitentiam aliquibus imponi contigerit, vel contra aliquos sententiam promulgari, ad id cum Diecesanorum locorum consilio, & assensu, libere procedatur, invocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstante indulgentia Fratribus vestri Ordinis, ab Apostolica Sede concessa, ut de causis aliquibus per literas Apostolicas cognoscere non teneantur inviti, nisi eędem literę plenam de indulgentiis hujusmodi fecerint mentionem. Contradictores &c. Nolumus autem, ut per presentes literas jurisdictioni, eisdem Diecesanis in hac parte commissę, seu ordinarię, aliquatenus derogetur. Datum Janue XV Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Inquisitionem Diœcesanis Comitatus Tolosani jamjam commiserat.

Mandat ut supra.

Pœna pecuniaria non imponenda.

De Diœcesanorum consilio lites promovendæ.

Nihil per præsentes de Jurisdictione Diœcesanorum se derogare declarat.

1. *Provincia.*) Vide supra ad *XVIII Julii MCCXLIII.*
2. *Pictaviensi.*) In *Gallia Aquitanica*.
3. *Tolosano.*) In *Gallia Narbonensi*.
4. *Committendum.*) Dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
5. *Comitis.*) Is erat *Alfonsus S. Ludovici* Galliarum Regis germanus, qui uxorem duxerat *Johannam* filiam *Raymundi* Comitis *Tolosani*.
6. *Pecuniaria.*) An, & quando, quibus, & per quos possit imponi docet *Pegna Director. Inquisitor. Commentar. CLII Part. III pag. 703. &c.*

F. Ste-

F. Stephano (1), ut cum Prælatis Gallo-Provinciæ, ac Procuratoribus Comitis (2) ejuſdem Provinciæ de pace (3) agat,

Anno 1251 Die 21 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 687.

CCXXX.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Stephano de Ordine Prędicatorum, Capellano, & Pęnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paſtorali ſolicitudine,

INcumbente Nobis multitudine negotiorum innumera, profundarum nimium cogitationum varietate diſtrahimur, & quo magis Nos omnibus, impoſitum Nobis Apoſtolatus officium conſtituit debitores, eo attentius circa emergentia undique agenda Nos convenit vigilare: unde quia noſtram ſimul in diverſis locis nequimus pręſentiam exhibere, ad illa, in quibus non adſumus perſonaliter, ne in eis vigilantia noſtra deſit, perſonas idoneas, pręſentata diſcrete quantitate agendorum urgentium, deſtinamus, per eas ibidem Apoſtolicę ſervitutis debitum exſolventes. Sane pro negotio pacis, & Fidei, ut ſpecialiter in Provincia, & circum adjacentibus partibus optato proficeret, multipliciter hactenus Apoſtolica Sedes noſcitur laboraſſe, maximum ad hoc impendendo ſtudium, & ſumptus quamplurimos ſubeundo; & quia ſalubrem illarum ſtatum Partium, & quietem totis affectibus cupimus opportunam, adhuc (4) provenire, auctore Domino, valeat, non ceſſamus ſolertiam adhibere. Ideoque mandamus, quatenus verſus Provinciam perſonaliter accedens ſuper pręmiſſo negotio, & aliis univerſis, quę totius Terrę illius bonum, & ſtatum tranquillum reſpiciunt, diligentem, juxta datam tibi a Deo prudentiam, cum Pręlatis, & Civitatibus illarum partium, & Seneſcalco, & ſelectis, ac Procuratoribus dilecti filii Nobilis viri Comitis Provincię tractatum habere procures, ordinans, & ſtatuens, auctoritate noſtra, ſuper iis omnibus, cum pręfatis Pręlatis, Civitatibus, Seneſcalco, & aliis, quę ad Terrę pręfatę ſalutem, & pacem videris ſtatuenda. Nos enim firmum, & ratum habebimus, quicquid ſuper iis duxeris faciendum. Datum Janue XI Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandat ut ſupra.

1. *Stephano.*) De quo ſuperius *XIII Novembr. MCCXLVI.*
2. *Comitis.*) *Caroli I*, qui *Beatricem*, Comitiſſam *Provinciæ*, uxorem habuit.
3. *Pace.*) Civitates enim nonnullæ in *Gallo-Provincia* ab imperio *Caroli I* defecerant, dum Infideles debellaret ille in *Paleſtina*.
4. *Adbuc.*) Legeſis; *Ad hoc ut.*

Tranſactionem Noſtrates inter & Fratres Humiliatos (1) initam confirmat.

Anno 1251 Die 25 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Mediolanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque, ſicut Nobis exponere curaviſtis, inter vos ex parte una, & Miniſtrum & Fratres Humiliatorum medii (3) Ordinis, qui habitant in ſuburbio Eccleſię Sancti Laurentii majoris extra portam Ticinatn Mediolanen. ſuper quodam fundo, & ędificiis, ibi conſtructis, ex altera, orta fuiſſet materia quęſtionis, tandem, mediantibus bonis viris, amicabilis inter partes compoſitio intervenit, prout in Inſtrumento ſuper hoc confecto plenius continetur. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, compoſitionem ipſam, ſicut ſine pravitate provide facta eſt, & ab utraque parte ſponte recepta, & hactenus pacifice obſervata auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Tenorem ipſius Inſtrumenti de verbo ad verbum pręſentibus inſeri facientes, qui talis eſt. In Nomine Domini Anno à Nativitate ejus Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo primo (4), Die Mercurii, Quintodecimo Die ante Idus (5) Junii, Indictione Nona, in pręſentia Cardinalis filii quondam Cerudiloye, qui ſtat in Bravda Cuergii de porta nova, & Jacobi filii quondam Johannis de Meigate de Burgo S. Laurentii majoris de Porta Ticinenſi, & Anſelmi filii quondam Girardi de Ripa, qui ſtat in Reſegana; Cum multę & varię quęſtiones verterentur, ſeu verti ſperarent, inter Fratrem Ægidium Parmen. Priorem Fratrum Prędicatorum S. Euſtorgii Mediolanen., & Fratrem Matthęum de Tebaldis de Bononia, & Fratrem Rolandum Placentinum, & F. Guidotum de Brivio ſuo nomine, & illorum Fratrum Prędicatorum, ac omnes illos Fratres Prędicatores, & Fratrem Anſelmum Corbum ſuperſtantem ſuperſtantię (6) ejuſdem Eccleſię S. Euſtorgii ex una parte, & Fratrem Arnoldum de Vedano Miniſtrum Humiliatorum medii Ordinis, qui habitare conſueverunt Modoetię in Domo, quę dicitur communis Fratrum Humiliatorum, qui nunc habitant in ſuburbio S. Laurentii majoris extra Portam Ticin., & Fratres ejuſdem Domus, quorum nomina ſunt hęc. F. Petrus de Olda, & F. Jacobus Capellus, & F. Junius de Belelirate, & F. Johannes Bellus de Gergni, & F. Brunetus de Triuvri, & F. Guiffo de Calcaroſiis, & F. Ardericus de Trino, & F. Griffus, qui nunc dicitur Benedictus ex altera parte, occaſione emptionis cujuſdam... (7) terrę, cum Domibus, & ędificiis in ea poſitis, quam prędicti Humiliati emerunt prope hortum dictorum Fratrum Prędicatorum, immediate poſitę inter Domum ipſorum Fratrum Prędicatorum, & Civitatem Mediolanen., cui terrę . . . . ſuperſtantię Sancti Laurentii, quam tenet Jacobus de Bagana a meridie Fratrum Prędicatorum, ſeu ſuperſtantię Sancti Euſtorgii a ...(8) via, a Monte Hoſpitale Sanctę Fidei, quod tenet Monaſterium Grataſolia, & in qua Domo prędicti Humiliati propoſuerunt facere continuam reſidentiam, & Deo deſervire. Quam venditionem dicti Fratres Prędicatores dicebant poſſe revocare, ſeu revocari facere per dictum ſuperſtantem dictę Eccleſię Sancti Euſtorgii, eum ipſa terra, ſuper qua dicta ędificia ſunt, ſit illius Eccleſię, ſive ſuperſtantię, & per eam Eccleſiam ſive ſuperſtantiam ad libellum, ſive in Emphiteoſim teneretur, & vendita ſit, ſuperſtante illo illius Eccleſię non requi-

Factum narrat.

Confirmat ut ſupra.

Tenor tranſactionis.

requisito, nec de ipsius consensu, vel voluntatis tacitę, vel expressę, nec aliqua denuntiatione pręmissa; & dicebant prędicti Fratres Prędicatores, non licere ibi ędificare, nec fenestras habere in ipsa domo, nec quę fiet, vel posset fieri aliquo tempore, nec aliqua foramina, nec aliquid in fraudem fenestrarum omnium contra Domum, seu hortum ipsorum Fratrum Prędicatorum a meridiana parte, nec licere eis facere Canonicam majoris Ordinis, nec licere eis convocare prędicationem, cum per hoc prędicationes Prędicatorum Fratrum impedirentur, cum eorum officium, & studium proprie in prędicatione consistat, & ipsi jamdudum per se elegerint apud Ecclesiam supradictam S. Eustorgii, quorum officium, seu Religio, ex supervenienti facto aliquorum non debet aliquatenus impediri. Super quibus omnibus placuit prędictis partibus, volentibus meliora providere, ad infrascriptam transactionem pervenire, & ad infrascripta pacta, seu transactiones procedere, ut status utriusque partis, & Religionis prędictorum Fratrum Prędicatorum, & Humiliatorum, conservaretur, & ut omnis materia scandali amoveatur omnino, infrascriptas conventiones, & omnia infradicta, causa transactionis interesse fecerunt. Inprimis quod in aliquo ędificio, vel muro existente nunc in prędicta terra, vel quod de cetero fiet per ipsos, vel per eorum successores, non debeat fieri aliqua fenestra, vel aliqua apertura versus hortum prędictorum Fratrum Prędicatorum a meridiana parte, per quod possit respici in dictum hortum, & quę factę sunt debeant obturari, & obturatę teneri de muro, Tuxellos (9) autem super tecta possint habere, ita quod non sit licitum ipsis Humiliatis, nec eorum successoribus in prędicta terra, vel ędificio facere Canonicam, vel domum majoris Ordinis; Ita quod non sit licitum ipsis Fratribus Humiliatis, nec eorum successoribus, convocare prędicationes, & quod dicti Fratres Prędicatores non debeant per se, nec per superstantes dictę Ecclesię, venditionem dictę Domus revocare, vel revocari facere, sed in prędictis pactis, & conventionibus debeant esse taciti, & contenti. Quare prędictus F. Ægidius Prior Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ipsi Fratres Prędicatores cum eo, & prędictus Anselmus Corbus superstans dictę Ecclesię ex una parte, & prędictus F. Arnoldus de Vedano Minister dictorum Fratrum Humiliatorum, & ipsi Fratres Humiliati cum eo, de mandato, auctoritate, & voluntate, & consensu Fratris Beltrami Sochore, Magistri totius Ordinis Humiliatorum, & de mandato, & voluntate, & consensu Fratrum Mirarii Ministri de Brayda, & Tucebelli Ministri de Sancta Agatha de Modoetia, Prelatorum, & aliorum Fratrum Humiliatorum ex altera parte, vicissim permiserunt, & consensum dederunt, obligando omnia Bona utriusque Domus pignori, quod prędicta omnia, & singula attendent, & observabunt, & adimplebunt omni tempore suis expensis, & damnis, & sine damnis, & expensis partis volentis attendere, & observare prędicta, & quod dicti Fratres Humiliati cum prędictis Fratribus Prędicatoribus dabunt operam efficacem, quod hęc omnia dicta confirmentur per Summum Pontificem, & per Dominum Fratrem Leonem venerabilem Archiepiscopum Mediolanen., salvo tamen ipsius Ecclesię Sancti Eustorgii, sive superstantię omni jure ficti & feudi, quę habent ad requirendum contra dictos Fratres Humiliatos pro dicta terra, & ejus occasione, & salva terra, quam dicta superstantia, sive Dominus Gerardus de Bernate habet extra murum horti dictorum Fratrum Prędicatorum versus Civitatem Mediolani, scilicet inter murum, & dictos Humiliatos. Hoc acto, & expresse dicto per speciale pactum inter eos, quod si dicti Fratres Humiliati alienarent dictam terram, quod promissio, & obligatio cum suis pactionibus, sive transactionibus sit irrita, & inania, & quod investitura, sive confirmatio venditionis facta prędictis Humiliatis per ipsum superstantem sit nullius valoris & momenti, & pro nulla penitus habeatur. Quibus omnibus pactis eodem die, & in pręsentia F. Girardi, filii supradicti Johannis (10) de Bernate, & Anselmi filii quondam Girardi Raphaelis de Crema, & Ambrosii, filii quondam Jacobi de Ogio, testium, prędictus Prior, & prędicti Fratres Matthęus, & F. Rolandus Piacentinus, & F. Guidotus de Brivio, & omnes alii infrascripti Fratres Prędicatores, nomina quorum sunt hęc. F. Albanus, F. Jacobus de Modoetia, F. Giulius de Cruce, F. Rolandus Piacentinus, F. Guido de Opreno, F. Guarnerius, F. Lanfrancus, F. Crisulfus, F. Bonacursus, F. Dominicus, F. Bartholomęus Bononiensis, F. Ægidius Bononiensis, F. Ardigellus, F. Stephanus de Pirovano, F. Gualdefredus Lector, F. Beltramus Villanus, F. Stephanardus, F. Jacobus de Cugiano, F. Guidotus de Brivio, F. Gregorius, F. Johannes Cremensis, F. Theoldus, F. Johannes de Vigniani, F. Lotarius, F. Bonifacius, F. Jacobus Novariensis, F. Raymundus de Corneliano, F. Castellanus, F. Gabriel, F. Rodulphus, F. Matthęus Bononiensis, F. Marchisius, F. Pax, F. Johannes de Opreoo, F. Chunradus Vercellensis, F. Umbertus Bononiensis, F. Philippus de Balsamo, F. Alexander, F. Humilis, F. Girardus de Arengo, F. Giroldus, F. Matthęus Mediolanensis, F. Giulius Vercellensis, F. Andreas, F. Stephanus de Meda, F. Beltramus Rana, F. Aliprandinus, F. Guifredus, F. Jacobus de Casate, F. Bonacursus Brixiensis approbaverunt, & laudaverunt, & ratum, & firmum habuerunt totum contractum, & prędictam concordiam, & pactum, & transactionem. Insuper dixerunt, & protestati fuerunt, quod de sua voluntate propria, & de eorum consensu, celebratus fuerat ille contractus totus, & voluntate totius Capituli illorum Fratrum Prędicatorum, licet non potuissent ibi interesse omnes, exceptis Priore prędicto, & F. Mathęo, & F. Rolando, & F. Guidoto, qui cum eo erant quando celebratus fuit ille contractus in Capitulo Humiliatorum prędictorum de Modoetia, & pręsente F. Jacobo de Varena Pręposito Domus de Porta Orientali pro secundo Notario ibi rogato, & vocato, unde tot Instrumenta fieri uno tenore sunt rogata, quot erant necessaria & pręsentibus istis omnibus testibus, qui fuerunt ad prędicta Capitula more solito ad sonum Campanę convocata. Ego Frater Jacobus Prępositus Ecclesię S. Johannis Baptistę Notarius interfui, & subscripsi. Ego Riboldus filius quondam suprascripti Beltrami Morenę de Matto Civis Mediolanensis de porta Ticinensi de Viania S. Laurentii majoris Notarius Sacri Palatii rogatus, & jussu istius F. Beltrami Magistri totius Ordinis Humiliatorum, & utriusque partis tradidi, & scripsi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis &c. Datum Janue VII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Octavo.

Nota verba.

Sanctio pœnalis.

1. *Humiliatos.*) De quibus supra ad *IV Septembris MCCXXVII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar; cujus Autographum est in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.*

3. *Medii.*) Duplex igitur, immo triplex *Humiliatorum* Ordo. Hoc enim demonstrant hæc verba, quæ passim hoc in Instrumento, *Majoris Ordinis*; *Medii Ordinis*.

4. *Primo.*) Hinc a Die consecrationis Annorum Pontificatus initium duxisse *Innocentium IV* dixi superius in *Præfatione*.

5. *Idus.*) Ab Amanuensi hæc lectio, illa etenim ratio computandi, *Quintodecimo Die ante Idus* nunquam fuit usitata: Aliunde

Aliunde *Dies XV* ante *Idus Junii Anno MCCLI* nec fuit, nec potuit esse dies *Mercurii*; cum enim hoc Anno Litera Dominicalis fuerit *A.*, Idus Junii fuera die Martis; ergo XV Dies ante Idus Junii, Idibus numeratis, Dies Martis fuit, non numeratis fuit Dies Lunæ.

6. *Superstantia.*) Vide superius ad *XI April. MCCXXVIII.*
7. *Cujusdam...*) Legerem: *Cujusdam Partis.*
8. *A...*) Forte: a *Septentrione.*
9. *Tuxellos.*) Seu *Cenaculares Fenestras.*
10. *Johannis*) Forsan *Gerardi*,

Episcopo [1] Culmensi, ut Ecclesiæ Lithovviæ [2] Præpositi in Decimis percipiendis maximæ sint prudentiæ.

Anno 1251 Die 15 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 700.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Culmen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXII.

EXquisitę diligentię studium plantis adhibendum est teneris, ut profundis firmatę radicibus in alium [3] facilius proficere valeant, & desideratam ubertatem fructuum successiva fecunditate producant. Sane de carissimo in Christo filio nostro Mindovvin [4] illustri Rege Lithovvię, spiritu exultante, percepimus, quod cum ipse olim in erroris devio constitutus conditoris omnium notitiam non haberet, se numero aggregari fidelium fecit per Baptismatis Sacramentum, pie sine intermissione desiderans, ut numerosa paganorum multitudo sibi subdita christianę professionis titulo decoretur. Quia vero gens hujusmodi, olim solita lege naturę vivere, divinis Institutionibus, & pręceptis, aut canonicis sanctionibus servandis non potest de facili sic plene animum applicare; Nos paterno volentes affectu, ut ipsa, quousque sibi firma soliditas in prędictę Religionis cultu proveniat, spiritualis lactis poculo fovestur, mandamus, quatenus Episcopo, & Pręlatis ac Rectoribus Ecclesiarum, qui fuerint in Lithovvia constituti, auctoritate nostra districte pręcipias, quod in exigendis, ac percipiendis decimis, circa prędictum Regem, ac ejusdem subditos ita se habeant, ut ipsi sub onere ac jugo Domini non pressurę, aut asperitatis tędium, sed lenitatis ac suavitatis invenisse solatium gratulantes, scandalo perturbari non valeant, nec a bono proposito revocari. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, auctoritate nostra, monitione pręmissa, appellatione remota, compescas. Non obstante si aliquibus est indultum &c. Datum Mediolani Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Exordium.

Mandat ut supra.

1. *Episcopo.*) Is erat *Henricus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum ejusdem Innocentii IV.*
2. *Lithovvia.*) Sic *Lituania*, regio amplissima Regni *Poloniæ*, alias nuncupata.
3. *Alium.*) Legesis, *Altum*, vel *Arborem.*
4. *Mindovvin.*) *Mendog* passim a Scriptoribus nominatur. De ipso *Longinus in Annalibus Poloniæ ad Annum MCCLII.*

Episcopo Culmensi (1), ut Mindovvin Lithovviæ Regem inauguret.

Anno 1251 Die 17 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. A. fol. 698.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Culmen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXIII.

MUlta cor nostrum est super eo jucunditate perfusum, quod Dei, & Redemptoris nostri Jesu Christi benignitas super carissimum in Christo filium nostrum Mindovvin Illustrem Lithovvię Regem suam faciem illustrando, ipsi misericorditer inspiravit, quod illum olim in tenebris positum cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam Divini Nominis regenerari fecit per undę gratiam Baptismalis, personam, Regnum, & omnia bona ipsius Jurisdictioni ac protectioni Sedis Apostolicę totaliter submittendo. Quia vero per Solemnes, ac speciales Nuncios Nobis humiliter supplicavit, ut ipsum admittere in specialem Filium Sanctę Romanę Ecclesię, ac paterna benevolentia prosequi deberemus; Nos ipsius justis desideriis, quę digna favore plenissimo reputamus, affectu benevolo annuentes, mandamus, quatenus accersitis aliquibus Ecclesiarum Pręlatis, & Religiosis personis dictum Mindovvin in totius Lithovvię, ac terrarum omnium, quas per Divinę virtutis auxilium jam eripuit de infidelium manibus, vel eripere poterit in futurum, auctoritate nostra corones in Regem, & sibi ab omnibus constitutis ibidem, tanquam Regi Catholico, super omnibus diligenter intendi facias, quę spectare ad dignitatem Regiam dignoscuntur; Ita tamen, quod ipse, ac successores sui Regnum prędictum, & pręfatas terras, quę ad suarum precum instantiam in Jus & proprietatem Beati Petri suscepimus, se ab Apostolica Sede tenere perpetuo recognoscant. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, monitione pręmissa, per Censuras Ecclesiasticas appellatione remota, compescas; Non obstante si aliquibus sit indultum, quod suspendi, vel interdici, aut excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam de Indulto hujusmodi mentionem. Datum Mediolani XVI (3) Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mindovvin Lithovviæ Rex ad Fidem conversus.

S. Sedis Apostolicæ præsidio tutatus.

Mandat ut supra.

1. *Culmensi.*) Legendum Diploma *Datum XV Julii MCCLI.*
2. *Archivo.*) Idem exscripsit *Odericus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLI num. XLVI.*
3. *XVI.*) *Odericus* scripsit: *XVII.*

Anno 1251 Die 17 Julii.

Episcopo Culmensi (1), ut Ecclesiæ Lithovviæ præficiat Episcopum.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 699.

CCXXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Culmen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mindovvin Rex Lithovviæ evulsus ex errore.

Mandat ut supra.

AD hæc semper nostri cordis aspirat affectio, ut sicut omnis terra Dei maiestate repletur, sic & ubique notitia sui gloriosi Nominis habeatur. Sane per inspirationis suę gratiam jam provenisse percepimus, quod carissimus in Christo filius noster Mindovvin, olim in tenebris positus, cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam Divini Nominis regenerari se fecit per undę gratiam Baptismalis. Quia vero tam pia, & clara Regis ejusdem merita Nos inducunt, ut ipsius justa desideria favore benevolo compleamus, Nos, de tua circumspectione confisi, præsentium tibi auctoritate committimus, quatenus virum honestum, & providum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, qui Pontificali conveniat oneri & honori, predictę Lithovvię, auctoritate nostra, preficias in Episcopum & Pastorem, ac duobus, vel tribus accersitis Episcopis sibi munus consecrationis impendas, prius tamen ei a predicto Rege, optimo terrę solo pro fundanda Cathedrali Ecclesia, & honorabilibus ac decentibus dotibus assignatis, cui licitum esse volumus, ut quoties opportunum fuerit terram ipsius Regis visitet, & cuncta ibidem exerceat, quę non possunt nisi per Episcopum exerceri. Ceterum postquam de prefato Episcopo, quem soli Romano Pontifici volumus subjacere, provisum fuerit juxta mandati nostri tenorem, tu ab ipso fidelitatis solitę juramentum, nostro, & Ecclesię Romanę nomine recipias juxta formam, quam sub Bulla nostra tibi mittimus introclusam; formam autem juramenti, quod ipse prestabit de verbo ad verbum per ejus patentes literas suo sigillo signatas, Nobis per proprium Nuncium quantocius destinare procures. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles &c. Non obstante si aliquibus est indultum &c. Datum Mediolani XVI Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Culmensi.*) Consulenda præcedentia Diplomata.

2. *Archivo.*) Idem exscripsit *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCLI num. XLVII.*

Anno 1251 Die 27 Julii.

Cardinali Hugoni [1], S. Sedis Apostolicæ Legato, ut a quodam impedimento matrimonii nonnullos solvat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 702.

CCXXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Hugoni Tituli Sanctę Sabinę, Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SIgnificavit Nobis dilecta in Christo filia, nobilis mulier, Matildis Comitissa, uxor Nobilis viri Comitis de Vvillmovve, Nobis & Ecclesię Romanę devota, quod eadem, dudum vix septennis existens, quondam Henrico nato Nobilis viri Henrici de Hoisten. extitit desponsata, eoque sublato de medio, priusquam carnalis copula sequeretur, dictus Comes eam sibi matrimonialiter copulans plures suscepit filios ex eadem: Unde quia Comes prefatus eidem Henrico, cum quo prius sponsalia contraxerat, quarto consanguinitatis gradu dicitur attigisse, dicta Comitissa super hoc habet conscientiam titubantem: Quare Nobis humiliter supplicavit, quod in contracto Matrimonio cum predicto Comite licite remanere valeat, dispensare cum eis de benignitate Sedis Apostolicę curaremus, mandamus, quatenus super impedimento hujusmodi secum, auctoritate nostra dispenses, si videris expedire. Datum Mediolan. VI Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

Anno 1251 Die 28 Julii.

Cardinali Hugoni (1), S. Sedis Apostolicæ Legato, ut ab impedimento Matrimonii nonnullos solvat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 701.

CCXXXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili F. Hugoni Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte dilecti filii nobilis viri Guerardi dicti Radolf., Domini de Nivella Tornacen. (2) Diœcesis, fuit Nobis humiliter supplicatum, ut quod in contracto matrimonio cum uxore sua, quę sibi in quarta consanguinitatis linea est conjuncta, licite remanere valeat, dispensare secum de benignitate Sedis Apostolicę curaremus. Cum igitur per celebrationem divortii, si fieret inter eos, graves possent, ut asseritur, inimicitię suscitari, quę per jam contractum matrimonium sunt sopitę, & idem nobilis Romanę Ecclesię sit devotus, & in recompensationem hujusmodi gratię carissimo in Christo Filio nostro VV.... (3) Regi Romanorum Illustri in negotio Ecclesię, ac Imperii se offerat, ut dicitur, utiliter serviturum, propter quod meretur gratiam, & favorem, presentium tibi auctoritate committimus, ut cum ipso super impedimento consanguinitatis predictę dispenses, prout secundum Deum tua discretio viderit expedire. Datum Mediolan. V Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Hugo-*

5. *Hugeni.*) De quo *in sequenti Appendice*.
2. *Tornacen.*) In *Belgio*.
3. *VV....*) *Vvillelmo*, De quo sæpius supra.

Indulgentiam quadraginta dierum concedit visitantibus Ædes sacras S. Adalberti Vvratislavien. (1) die Anniversaria Dedicationis ejusdem. Anno 1251 Die 23 Augusti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Vvratislavien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXVII

LIcet is &c. (3). Omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam ipsam in Anniversario die Dedicationis ipsius annis singulis venerabiliter visitaverint &c. Datum Mediolani X Kalend. Septembr., Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Vvratislaviensis.*) In *Silesia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio *Vvratislaviensi*, in quo dua alia ejusdem tenoris habentur, unum, quo Pontifex elargitur Indulgentiam quadraginta dierum idem Templum visitantibus in Festo S. Patris *Dominici*, & aliud, quo iis, qui ad eandem Ecclesiam singulis diebus accesserint, eandem Indulgentiam quadraginta dierum impertitur. Illud datum est *Mediolani II Nonas Septembr. Pontificatus Innocentii IV Anno Nono*, istud vero *Laodii* (quæ civitas *Laus Pompeii* dicitur, vulgo *Lodi*, in *Insubria*) *XI Kalend. Julii, Pontificatus ejusdem Innocentii Anno Decimo.*
3. *Licet is &c.*) Ut superius *IV Maii MCCXLIV.*

Tertiariis (1) Ordinis nostri, Mediolani degentibus, ut Divinis tempore Generalis Interdicti possint interesse. Anno 1251 Die 13 Septembr.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus virginibus, & continentibus sub vita, & habitu (3) Religioso, Mediolani degentibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXVIII.

DEvotionis vestrę precibus inclinati, audiendi Divina Officia tempore generalis Interdicti in locis, in quibus ex indulto Sanctę Sedis celebrantur, dummodo vos, aut ex vobis aliqua, causam non dederitis Interdicto, vel id vobis non contingat specialiter interdici, liberam vobis, auctoritate prędentium, concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Datum Mediolani Idibus Septembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Concedit ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Tertiariis.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo.*) Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Habitu.*) Sic passim *in Italia* habitu religiosc indutæ in publicum prodeunt Tertiariæ.

Provinciali Lombardiæ [1], ut in hæreticos, & eorum conscios diligenter inquirat. Anno 1251 Die 27 Septembr.

Ex Pegna ad calcem Director. Inquisit. pag. 12.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXIX.

TUnc potissime Conditori omnium acceptabile obsequium exhibetur, cum sibi pro Catholicę conservatione Fidei, cujus est ipse stabile, ac perpetuum fundamentum, pura intentione servitur. Digne itaque in hoc sibi providimus, studiosum, ac placidum impendere famulatum, & pręcipue in partibus Italię, propter ipsarum vicinitatem, vigilare instantius, ac validius satagere contra diros hostes ejusdem Fidei, ut cultura salubris impensa per vos vicinis agris dominicis, utilis sit longinqua, & semen Verbi Divini fusum in proximis, fructificet etiam in remotis; licet Apostolica Sedes tales hostes ubique indefessa sollicitudine persequatur, nec unquam ab hujusmodi exercitio cessaverit cura ejus. Convenit namque, ut quia contra pestem hęreticam Inquisitiones roborare, ac renovare per diversas seculi volumus Regiones, id agere in Italia, majori opportunitate nunc habita, nullatenus dimittamus; cum quanto nostris propior adest aspectibus, tanto justius possemus argui de neglectu, nisi saluti ejus attente prospicere studeremus; Ideoque discretioni tuę per Apostolica scripta districte pręcipiendo mandamus, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus hujusmodi negotium, quod principaliter residet cordi nostro, in Lombardia, & Romaniola per te, ac Fratres tuę curę commissos, quos ad hoc videris opportunos, affectu prompto suscipias, ac ferventi animo prosequaris; ita quod, si per inquisitionem de consilio Dięcesanorum dictarum Lombardię ac Romaniolę, cum omni vigilantia, & solemni providentia faciendam, aliquos in eis de contagio pravitatis hęreticę culpabiles, vel infectos inveneris, aut etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesię obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores & fautores eorum, humano timore postposito, juxta sanctiones canonicas, Apostolica Auctoritate procedas: invocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Si vero aliqui, hęretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesię, consultis Dięcesanis eisdem, beneficium absolutionis impendens, injungas eisdem, quod injungi talibus consuevit: Proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & te, immo potius se, fallentes, sub agni specie gerant lupum. Verum quia tam salubre nego-

Exordium a pastorali solicitudine. Mandat ut supra. Ut redeuntibus ad Ecclesiæ unitatem absolutionem impendat.

negotium super omnia promoveri cupimus, propter quod impedimenta quęlibet ab ipso intendimus penitus cum Dei adjutorio removere: si forte, quod non credimus, aliqua Civitas, vel Communitas, sive aliqui magnates, vel nobiles, seu potentes huic negotio se opponere, aut illud pręsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per deputatos ad hoc a Nobis procedi libere in eodem, immo nisi foverint illud, & juverint studiose, Nos procuidubio ad comprimendam tam superbam, & perniciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium ecclesiasticę potestatis acriter extendemus, & Reges, ac Principes, aliosque Christi fideles, sive pro Terrę Sanctę succursu, sive alias pro Christi servitio Crucis charactere insignitos, necnon & ceteros Catholicos invocabimus contra eos: ut & Cęlum, & Terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur; cum non minus expediat, immo magis Fidem in locis prope positis, quam procul distantibus, defensare. Quia enim futura volumus, in quantum pręsumus (2), pręcipue in supradictis partibus, quas speciali affectione diligimus, vitare discrimina; idcirco scribimus, quod ista palam exponere, ac prenuntiare procures, populos ipsarum partium diligentius admonens, ut debitum habentes respectum ad negotium memoratum, nullum prorsus promotioni ejus inferant nocumentum, sed potius in exequendo illo tibi favorem tribuant, & auxilium opportunum. Quia, si forsan contrarium agere attentaverint, nullatenus dimittemus, quin per Reges ipsos, & Principes, aliosque fideles dictum promoveamus negotium, sicut superius est expressum. Ut autem prędicta per te, ac Fratres eosdem possint liberius, ac utilius exerceri, tibi, ac eis largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videbitur, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad tuam, & ipsorum Fratrum pręedicationem, propter hoc faciendam, accesserint, plenam tenore pręsentium concedimus facultatem. Datum Brixię (3) V Kal. Octobr., Pontificatus nostri Anno Nono.

Intentatæ hæreticorum fautoribus minæ.

Indulgentia concedenda.

1. *Lombardia.*) Vide supra ad *XX Maii MCCXXXVII.*
2. *Præsumus.*) Legendum: *Possumus.*
3. *Brixia.*) In *Longobardia*, ad rivum *Gorzam*, & prope amnem *Melam*. Juris est *Venetorum*.

Anno 1251 Die 17 Octobr.

Constitutionem a se editam in Exemptos [1], ut conveniri possint coram locorum Ordinariis, nullatenus Ordini FF. Prædicatorum præjudicare, decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXL.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum olim duxerimus statuendum, ut exempti quantacunque gaudeant libertate, nichilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hęc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere: Vos dubitantes, ne per Constitutionem hujusmodi, libertatibus, aut immunitatibus (3), vobis, & Ordini vestro per privilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede concessis, prejudicari valeat, Nobis humiliter supplicastis, ut providere super hoc indempnitati vestrę paterna sollicitudine curaremus. Quia vero ejusdem Ordinis sacra Religio sic vos apud Nos dignos favore constituit, ut Nobis votivum existat, vos ab omnibus, per quę vobis possent provenire dispendia, immunes libenti animo pręservare, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut occasione Constitutionis hujusmodi nullum eisdem libertatibus, & immunitatibus in posterum prejudicium generetur. Nulli ergo &c. Datum Bononię XVI Kal. Novemb., Pontificatus nostri Anno Nono.

Prioris constitutionis tenor.

Supplex petitio Fratrum.

Ordinis encomium.

Indulget ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Exemptos.*) Dicam in *Tractatu De Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Extat etiam in Cœnobiis *Tolosano*, & *Niciensi*. Exemplar habes *lib. A. fol.* 703. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Libertatibus, aut Immunitatibus.*) Ergo jam antea ex jurisdictione Diœcesani Episcopi, Ordo noster erat exemptus.

Anno 1251 Die 17 Octobr.

Ecclesiam nostram Bononiensem, quam se consecrasse (1) testatur, visitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dei filius Jesus Christus creatis invisibiliter universis, quędam, factus pro nobis visibilis, disposuit visibiliter operari, quę juxta traditę nobis formam regulę observata ex signis mysticis instruerent observanda. Nam de Templo typico Salomonis, quod Divino fuerat Nomini, & Numini dedicatum, eodem Orationi, & cęlesti cultui deputato, tanquam de sua domo ejecit ementes pariter, & vendentes, in quo, actibus seclusis communibus, & immundis, Deo cum hostiarum oblationibus redderetur gratiarum actio, & vox laudis, cujus omnium Domini, & Magistri vices, licet immeriti, gerentes in terris, Ecclesię dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum Bononiensium nostris manibus munus Consecrationis impendimus, eandem in honorem Beati Dominici confessoris, cujus corpus gloriosum requiescit ibidem, fulgens meritis, & refulgens miraculis, dedicantes. Ad quam canoram laudum jubilo, & salutari vespertini sacrificii hostia decoratam, ut ibidem justificari mereamini humiles cum humili publicano, & ad vestrorum templa cordium laudis oblato sacrificio, iter Domino pręparetur, vos libentius invitantes, de Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad prędictam Ecclesiam hodierna die, qua ipsam dedicavimus, & deinceps per dies quindecim continue subsequentes, cum de-

Exordium.

Bononiensis nostra Ecclesia ab Innocentio IV consecrata.

In honorem B. Dominici dedicata.

Indulgentiam elargitur ut supra.

devotione accesserint, duos Annos, & duas quadragenas dierum, necnon in ejusdem anniversario annis singulis Annum, & quadraginta dies de injuncta eis penitentia in Domino misericorditer relaxamus. Datum Bononię XVI Kal. Novembr., Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Consecrasse.*) Legesis *annotationem II in Bull. XI Februar. MCCLV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *Bononiensis*.

Confirmat (1) sententiam latam in Rectorem Ecclesiæ S. Johannis de S. Quintino Noviomen. (2) Diœceseos, qui Fratres nostros in jus vocaverat.

Anno 1251 Die 15 Novembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 704.

CCXLII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum de S. Quintino, Noviomen. Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium quid actum sit narrat.

EA quę judicio vel concordia terminantur &c. (3). Exhibita siquidem Nobis vestra petitio continebat, quod cum Nos olim in causa, quę inter vos ex parte una, & Rectorem Ecclesię S. Johannis de Sancto Quintino, Noviomen. Dięcesis, ex altera, super eo quod idem Rector, vos admittere ad divina Parochianos suos, contra canonicas sanctiones, necnon consecrationem quorundam Altarium vestrorum factam in ejus pręjudicium asserebat, ac Tertia legatorum, & quibusdam oblationibus, primo bo: me: VV... (4) Basilicę duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem, & postmodum, eo viam universę carnis ingresso, bo: me: Vv.... (5) Episcopum Sabinen. dederimus Auditores, demum postquam fuerit coram eodem Episcopo aliquandiu litigatum; Ven. Fratri nostro Episcopo Albanen. (6) causam ipsam commisimus finaliter terminandam, qui ejusdem causę meritis plenarie intellectis, & juris Ordine observato, Procuratoribus utriusque Partis prędsentibus, diffinitivam pro vobis sententiam promulgavit, prout in patentibus literis indè confectis, & ejusdem Episcopi Albanen. sigillo signatis, plenius continetur: Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, sententiam ipsam provide latam, ratam, & firmam habentes, eam, auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus.

Confirmatio.

Tenorem autem literarum ipsarum de verbo ad verbum pręsentibus fecimus annotari, qui talis est. Universis pręsentes literas inspecturis, Petrus miseratione divina Episcopus Albanen., salutem, & memoriam rei gestę.

Tenor literarum quas confirmat Pontifex.

In causa mota olim per Rectorem Ecclesię S. Johannis in Sancto Quintino contra Fratres Prędicatores in Sancto Quintino, coram bo: me: Domino VV.. Basilicę Duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali, a Summo Pontifice dato Partibus Auditore, per Procuratorem dicti Rectoris contra jam dictos Fratres, Libellus porrectus extitit in hac forma. Coram vobis, Rev: Pater Domine VV..., Basilicę duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali, Partibus Auditore a Domino Papa concesso, proposuit Procurator Rectoris Ecclesię S. Johannis, contra Priorem, & Conventum Fratrum Prędicatorum, commorantium in Villa S. Quintini, quod cum dictus Rector sit, & fuerit a longe retro temporibus, in possessione, vel quasi, percipiendi omnes Oblationes Parochię prędictę S. Johannis, dicti Fratres existentes in Parochia sua percipiunt Oblationes a Parochianis suis; admittunt etiam Parochianos suos ad divina contra canonicas sanctiones, in suum, & Ecclesię non modicum pręjudicium, & gravamen: Unde petit eisdem sententialiter inhiberi, quod oblationes non recipiant, & si contingat eos recipere, quod reddant, & restituant ei, & quod Parochianos suos ad divina non admittant.

Momenta litis. Primum: quod Fratres nostri perciperent oblationes Parochianorum.

Secundum quod ad divina Parochianos admitterent.

Item petit per vos sententialiter injungi eisdem, quod solvant sibi tertiam partem omnium legatorum, quę eisdem legantur a Parochianis suis, & petit eos sibi condemnari pro legatis factis, de quibus nihil solverunt ei pro tertia portione in centum marcas.

Tertium quod non solverent tertiam partem legatorum.

Item cum ipsi impetraverint a Ven: Patre Domino Tusculanen (7), Apostolicę Sedis Legato, quandam Indulgentiam ratione consecrationis quorundam Altarium, quod ipsi possent oblationes sibi oblatas per octo dies in revolutione cujuslibet anni habere, quę Indulgentia impetrata fuit in pręjudicium, & gravamen enorme dicti Rectoris Ecclesię S. Johannis, petit dictam Indulgentiam per vos revocari, vel annullari, vel cassam, & irritam denuntiari, maxime cum propter Indulgentiam prędictam, & ab Indulgentia ipsa fuerit ad Sedem Apostolicam appellatum.

Queritur Rector de quadam Indulgentia nostris concessa.

Petit expensas factas, protestatur faciendas, salvo Jure &c. Facta itaque super eodem Libello Litis contestatione coram Cardinali prędicto, ac pręstito ab utraque parte juramento de veritate dicenda, & positionibus, & responsionibus hinc, inde secutis, ac productis testibus, necnon publicatis, & examinatis dictis eorum, demum eodem Cardinale viam universę carnis ingresso, bo: me: Dominus VV... Sabinen. Episcopus, prędicto Cardinali a Summo Pontifice in prędicta causa extitit subrogatus Auditor, sub cujus examine lite aliquandiu agitata, & per eundem ipsi Domino Papę, ac Fratribus Actoribus ejusdem causę relatione facta, tandem idem Dominus Papa eandem causam Nobis commisit sententialiter terminandam.

Quam diligenter Judex cuncta perpendit.

Partibus igitur per Procuratores legitimos in nostra pręsentia constitutis, visis quę in judicio acta erant, & plene discussis coram Nobis, liquido apparuit, non solum partem Rectoris in probatione intentionis suę deficere, verum etiam per confessionem Procuratoris ipsius intentionem supradictorum Fratrum in omnibus fore fundatam; utpote cum circa primum Libelli articulum confessus fuerit Procurator dicti Rectoris, quod oblationes, quas Fratres jam dicti receperunt in eleemosynam gratis, & sponte conferuntur eisdem. Item quod fideles ea, quę offeruntur Fratribus supradictis, possent, si vellent aliis Religiosis, seu privatis Personis offerre; & quod talis est consuetudo in Villa S. Quintini, quod possunt gratis, & sponte Religiosis, seu privatis personis fideles offerre pro suę beneplacito voluntatis, per quod apparebat, nullum circa hunc articulum Parochiali Ecclesię prejudicium generari. Circa secundum vero confessus fuit idem Procurator, quod homines, qui veniunt orare, & audire Divinum Officium ad Ecclesiam dictorum Fratrum, hoc faciunt causa devotionis, nec ex parte dicti Rectoris de ipsius, & Ecclesię Parochialis contemptu aliquid est probatum, & ita nec in hoc articulo Parochiali Ecclesię ullum videtur pręjudicium generari. Circa tertium autem articulum, confessus est Procurator jam dictus, quod consuetum est in Francia, & in Provincia Remen., ac in Dięcesi Noviomen., & in Villa S. Quintini, a tanto tempore, cujus non extat memoria, & ita servatum est, & servatur in Villa S. Quintini, quod Monasteria Religiosorum, de Legatis, & aliis eleemosynis, sibi factis,

Causa cadit Rector.

Sanctio poenalis.

factis, non reddunt Presbyteris Parochialibus aliquam portionem. Quartum vero articulum Pars Rectoris non curavit prosequi, sed ab illo sponte recessit. Verum quia propter tam plenas confessiones Procuratoris, dubitavimus, ne per Collusionem actum fuisset aliquid in predictis a Procuratore prefato, Rectorem ipsum citari fecimus, certo termino sibi dato, quo per se, vel per Procuratorem compareret propositurus de novo, ac dicturus circa proposita, si vellet, aliquid, coram Nobis, & sententiam auditurus: cumque adveniente termino Procurator compareret coram Nobis, cum innovato mandato ad sententiam audiendam, nec vellet aliquid de novo proponere, aut circa proposita aliquid innovare, Nos diligenter attendentes, quod circa articulos in Libello contentos, nullum Parochiali Ecclesie, sicut superius est expressum, per predictos Fratres videtur prejudicium generari, immo, prout Procurator jam dictus confessus est, Parochia S. Johannis per adventum dictorum Fratrum spiritualiter meliorata est, necnon, & in oblationibus, & quia plures persone venerunt ad ipsam Parochiam, & morantur ibidem, Procuratorem supradictorum Fratrum, ipsorum nomine, necnon & ipsos Fratres, ab impetitione (8) Procuratoris dicti Rectoris, ipsius nomine, super contentis in Libello, sententialiter duximus absolvendos. In cujus rei Testimonium presentem sententiam fecimus nostri sigilli munimine roborari. Actum Janue in Monasterio Sancti Syri. Anno Domini MCCLI Kalendis Junii, Pontificatus Domini Innocentii Pape Quarti Anno Octavo. Nulli ergo &c. nostre confirmationis &c. Datum Perusii XVII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Confirmat.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX & X.*
2. *Noviomen.*) In *Gallia Belgica*.
3. *Terminantur &c.*) Ut supra *II April. MCCXLVI* ad hoc usque verbum: *Communiri*.
4. *Vv...*) *Guillelmum De Tallante*. Obiit *Lugduni* Anno MCCL.
5. *Vv...*) *Guillelmum* qui a *Ciaconio Subalpinas* dicitur. E vita excessit *Lugduni* pridie Kalendas Apriles Anno MCCLI.
6. *Albanen.*) Is erat *Petrus De Collemedio*.
7. *Tusculanen.*) *Othone* scilicet, seu *Odone*.
8. *Impetitione.*) Seu Citatione, ut dicunt, id est Vadimonii denuntiatione.

Anno 1251 Die 15 Novembr.

Confirmat (1) Sententiam latam in Canonicos Ecclesiæ S. Petrinæ de S. Quintino.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 707.

CCXLIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Predicatorum de S. Quintino Noviomen. Diecesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex Fratrum petitio.

Momenta litis.

EA que judicio, vel concordia &c. (2). Exhibita siquidem Nobis vestra petitio continebat, quod cum Nos olim in causa, que inter vos ex parte una, & Canonicos Ecclesie Sancte Petrine de S. Quintino, Noviomen. Diecesis, ex altera, super eo quod iidem Canonici consecrationem quorundam Altarium vestrorum factam in eorum prejudicium asserebant, ac Tertia legatorum, & quibusdam oblationibus, primo bo: me: VV... Basilice duodecim Apostolorum Presbyterum Cardinalem &c. (3). In causa mota olim per Canonicos S. Petrine de S. Quintino contra Fratres Predicatores in S. Quintino &c. (4) per Procuratorem dictorum Canonicorum contra predictos Fratres Libellus porrectus extitit in hac forma. Coram vobis &c. (5), proponit Procurator Canonicorum Sancte Petrine contra Priorem, & Conventum Fratrum Predicatorum, commorantium in Villa Sancti Quintini, quod cum Canonici S. Petrine sint, & fuerint in possessione a longe retro temporibus percipiendi in novem Parochiis medietatem omnium Oblationum, & Presbyteri, seu alii in dictis Parochiis commorantes medietatem omnium Oblationum sibi solvant, dicti Fratres, licet commorentur in una de dictis novem Parochiis, scilicet in Parochia S. Johannis, nec habeant jus, percipiendi, vel retinendi Oblationes predictas, & aliquando perceperunt, & restituerunt; nunc tamen Oblationes percipiunt, & eis medietatem solvere contradicunt. Quare petit per vos sententialiter injungi eisdem, quod oblationes non percipiant, & si contingat eos percipere, petit quod medietatem illarum Oblationum Canonicis S. Petrine reddant, & assignent, cum etiam sit jus Canonicis S. Petrine percipiendi predicta; petit etiam condemnari eos pro eis, que perceperunt, & non restituerunt, in centum Marcas. Item cum sint, & fuerint in possessione, vel quasi, percipiendi Tertiam partem omnium Legatorum in dictis Parochiis, & Presbyteri, & omnes alie Ecclesiastice persone in dictis Parochiis commorantes Tertiam partem legatorum eis solvant, dicti Fratres in una dictarum Parochiarum commorantes eis predictam Tertiam partem legatorum solvere contradicunt. Quare petit per vos sententialiter injungi eisdem, quod solvere debeant eisdem Canonicis S. Petrine Tertiam partem omnium legatorum predictorum, & de legatis que perceperunt, nec solverunt eisdem Tertiam partem, petit, ipsos condemnari pro estimatione Tertie partis in centum Marcas. Item cum ipsi impetraverint a Ven: P. Domino Tusculan. Apostolice Sedis Legato quandam Indulgentiam &c. (6) dicte S. Petrine, petit Indulgentiam per vos revocari &c. (7). Apparuit, non solum partem Canonicorum in probatione intentionis sue deficere, verum etiam per confessionem Procuratoris ipsorum intentionem supradictorum Fratrum &c. (8) confessus fuerit ipse Procurator, quod nusquam apud S. Quintinum receperunt Canonici S. Petrine medietatem Oblationum, nisi in novem Ecclesiis Parochialibus, & quod apud S. Quintinum nulli reddunt medietatem Oblationum Canonicis S. Petrine, nisi Presbyteri dictarum novem Ecclesiarum. Item quod Oblationes, quas Fratres jam dicti recipiunt in eleemosynam gratis, & sponte conferuntur eisdem. Item quod Fideles ea, que offerunt Fratribus supradictis &c. (9). Circa secundum vero articulum confessus est procurator jamdictus quod consuetum est in Francia &c. (10). Tertium vero articulum Pars Canonicorum non curavit prosequi, sed ab illo sponte recessit. Verum quia propter tam plenas confessiones Procuratoris, dubitavimus &c. (11) Canonicos ipsos citari fecimus, certo termino sibi dato &c. (12). Cumque adveniente termino Procurator comparuit coram Nobis cum innovato mandato ad sententiam audiendam, nec vellet aliquid de novo proponere, aut circa proposita aliquid immutare, Nos diligenter attendentes, prefatorum Canonicorum Procuratorem nihil de intentione sua probasse, immo etiam multa contra se fuisse confessum, procuratorem Fratrum, ipsorum nomine, necnon & ipsos Fratres ab Impetitione procuratoris dictorum Canonicorum ipsorum nomine, super contentis in Libello sententialiter duximus absolvendos. In cujus rei testimonium presentem

Fratres percipiebant oblationes fidelium, nec assignabant medietatem Canonicis.

Tertiam partem legatorum Fratres non solvebant Canonicis.

Canonici actione submoventur.

senten-

sententiam fecimus nostri Sigilli munimine roborari. Actum Janue in Monasterio Sancti Syri Anno Domini MCCLI Kalendis Junii, Pontificatus Domini Innocentii Pape IV Anno VIII. Nulli ergo &c. nostre Confirmationis &c. Datum Perusii XVII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Confirmat.*) Quæ hic desiderantur habes in præcedenti Diplomate.
2. *Concordia* &c.) Ut supra *II April. MCCXLVI*, ad hoc usque verbum: *Communiri*.
3. *Cardinalem* &c.) Ut in præcedenti ad hæc usque: *Memoriam rei gestæ*.
4. *In S. Quintino* &c.) In eodem ad hæc usque: *Auditore per Procuratorem*.
5. *Coram vobis* &c.) Ibidem, usque ad hoc verbum: *Concesso*.
6. *Indulgentiam* &c.) Ibidem usque ad hoc verbum: *Enorme*.
7. *Revocari* &c.) Ibidem, usque ad, *Liquido apparuit*.
8. *Fratrum* &c.) Ibidem, usque ad, *Libelli articulum*.
9. *Supradictis* &c.) Ibidem, usque ad, *Generari*.
10. *In Francia* &c.) Ibidem, ad hoc usque: *Portionem*.
11. *Dubitavimus* &c.) Ibidem, usque ad, *Præfato*.
12. *Dato* &c.) Ibidem, usque ad, *Auditui*.

Fratri Alfero (1) Alben. ut nonnullos absolvat ab excommunicationis sententia.

Anno 1251 Die 29 Novembr.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 710.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alfero Alben. de Ordine Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXLIV.

Cum, sicut intelleximus, nonnulli in Alben., & Asten. Civitatibus, & Diecesibus pro incendiis, & Ecclesiarum fractionibus, vinculo sint excommunicationis astricti, Nos de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes presentium tibi auctoritate committimus, ut eosdem excommunicatos, dummodo damna passis satisfaciant competenter, hac vice ab hujusmodi excommunicationum sententiis, juxta Ecclesie formam, absolvas. Iniungas eis quod de iure fuerit injungendum, proviso, ut, quod essent expensuri propter hoc personaliter ad Sedem Apostolicam accedendo, morando ibi, & recedendo ab ipsa, consideratis propriis qualitatibus, & bonorum quantitatibus eorundem, tibi ab eis facias assignari, & in tuto loco deponi, quantitatem eorum, que propter hoc receperis, & locum, quo ea deponenda duxeris, Nobis fideliter rescripturus: Ut autem hujusmodi negotium facilius, & efficacius exequi valeas, committendi illud Personis, quas ad id elegeris, si expedire videris, ac compellendi eos per Censuras Ecclesiasticas, liberam tibi concedimus facultatem. Datum Perusii III Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Committit ut supra.

1. *Alfero.*) Ab *Alba-Pompeja*, quæ est Urbs *Liguriæ*, ad *Tanarum* fluvium, *Albensis* nuncupatus.

Ædes Sacras conventus nostri Vvratislaviensis Die festo Sancti Adalberti (1) visitantibus Indulgentiam impertitur.

Anno 1252 Die 16 Januar.

Ex Archivo [2] Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Predicatorum, Vvratislavien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXLV.

Licet is &c. (3). Volentes igitur, ut Ecclesia vestra, in honorem Beati Adalberti Episcopi & Martyris constructa, debitis honoribus frequentetur &c. (4) auctoritate confisi Quadraginta Dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusii XVII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Adalberti.*) Videas supra ad *Diem XXIII Augusti MCCLI*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *Vvratislaviensis* in *Germania*.
3. *Licet is &c.*) Ut supra *XXV Martii MCCXXXVI* ad hæc usque verba, *Gratia aptiores*.
4. *Frequentetur &c.*) Ut in eadem, ad hæc usque, *Apostolorum ejus*.

Electionem F. Rogerii De Lentino (1) Melphiensis (2) Episcopi confirmat.

Anno 1252 Die 7 Februar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 711.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Rogerio De Lentino de Ordine Predicatorum, Melphiensi Electo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXLVI.

Cum a Nobis petitur &c. (3). Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram Nobis, nostro venerabili Fratri Raynaldo (4) Ostiensi, & Velitrin. Episcopo dederimus nostras literas in mandatis, ut te alicui Cathedrali Ecclesie de Apulia vacanti, in Episcopum preficeret, & Pastorem, faciens tibi a Capitulo, & subditis ipsius Ecclesie, tanquam patri, & pastori animarum suarum obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi; Contradictores &c., ac idem Episcopus hujusmodi auctoritate mandati de te Melphien. Ecclesie de Apulia (5) tunc vacanti duxerit providendum, mandans Capitulo, & universis subditis ejusdem Ecclesie, ut tibi tanquam Patri & Pastori animarum suarum devote, ac humiliter intendentes, obedientiam, & reverentiam exhibeant debitam, & devotam, in Contradictores excommunicationis sententia promulgata, prout in literis ejusdem Episcopi confectis exinde plenius continetur; Nos tuis supplicationibus inclinati, quod a prefato Episcopo factum est, in hac parte gratum habentes, id aucto-

Confirmat ut supra. Literæ Episcopi Ostiensis.

auctoritate Apostolica concedimus, & presentis scripti patrocinio confirmamus, tenorem literarum ipsius Episcopi presentibus inseri facientes, qui talis est. Raynaldus Miseratione Divina Ostien., & Velitrin. Episcopus Reverendo viro sibi in Christo carissimo Fratri Rogerio de Lentin. Ordinis Prędicatorum, Salutem, & sinceram in Domino caritatem. Cum communis Pater, & Dominus Innocentius Divina providentia Summus Pontifex, nobis suas direxerit literas in hac forma. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Ven: Fratri Episcopo Ostien., & Velitrin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Volumus, & presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus dilectum filium Fratrem Rogerium de Lentin. Ordinis Prędicatorum, de quo nobis laudabile testimonium perhibetur, alicui Cathedrali Ecclesię, tanquam Patri, & Pastori animarum suarum obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi facias. Contradictores &c. Non obstante si personis aliquibus ab Apostolica Sede indultum existat, quod per literas Sedis ejusdem excommunicari, aut interdici nequeant, vel suspendi, nisi in eisdem literis de indulto hujusmodi, & toto ipsius tenore de verbo ad verbum expressa mentio habeatur. Datum Perusii X Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno IX. Nos volentes ejusdem mandatum Domini in omnibus adimplere, earundem literarum auctoritate, te vacanti Melphien. Ecclesię de Apulia in Episcopum preficimus, & Pastorem, mandantes Capitulo, & universis subditis ejusdem Ecclesię, ut tibi, tanquam Patri, & Pastori animarum suarum, devote, ac humiliter intendentes, obedientiam, & reverentiam exhibeant debitam, & devotam. Nos Contradictores omnes, prędictarum literarum auctoritate, excommunicationis sententia innodamus. In cujus rei testimonium presentes literas fieri fecimus, & nostri sigilli munimine roborari.

Sanctio pœnalis.

Actum Perusii III Kal. Februarii, Pontificatus ejusdem Domini Anno IX. Nulli ergo &c. Nostrę confirmationis &c. Datum Perusii VII Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Rogerii de Lentino.*) Dicam in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Melphiensis.*) Vulgo *Melfi.*
3. *Petitur &c.*) Ut supra *XXVI Febr. MCCXXXVI* ad hoc usque verbum: *Effectum.*
4. *Raynaldo.*) Qui postea *Alexander IV, Innocentii IV* successor fuit.
5. *Apulia.*) In Regno *Neapolitano.*

Anno 1252 Die 15 Martii.

Fratri Raymundo [1] & Ministro Fratrum Minorum, ut inquirant in Episcopum Urgellen. [2].

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 713.

CCXLVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Raymundo de Pennafort Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Ministro Fratrum Minorum in Aragonia, & Catalonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

NE aliorum culpas nostras efficere videamur, fiatque anima nostra pro animabus illorum, tanquam eos in suis iniquitatibus foveamus, expedit, ut culpas ad Nos cum ea, quam decet, gravitate delatas, non relinquamus penitus indiscussas. Sane dilectus filius Ricardus Archidiaconus, Raymundus de Anguilaria, Arnaldus de Muro, Guillelmus Beroardi de Fluviao, & Arnaldus de Queroi, Canonici Urgellen. clamosa Nobis insinuatione monstrarunt, quod ven. Frater noster Pontius Urgellen. Episcopus Simonia, Incestu, Adulterio, aliisque criminibus irretitus, bona Urgellen. Ecclesię dilapidat enormiter, & consumit.

Episcopi horrenda facinora.

Preterea, cum idem Episcopus diversis sit excommunicationum sententiis innodatus, divina celebrare officia, immo verius profanare presumit, alia enormia committere non formidans, quę longum esset literis explicari; verum, quia tantę perversitatis opera, si presidium obtineant firmitatis, non sunt silentio committenda, sed curanda potius canonicę studio sanctionis,

Mandat ut supra.

mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, & habentes prę oculis Divinę reverentiam majestatis, inquiratis super premissis diligentius veritatem; quę inveneritis, nobis vestris literis fideliter rescripturi, ut ex relatione vestra sufficienter instructi, quę super iis expedire viderimus, auctore Domino, disponamus, alienatione bonorum Ecclesię ipsius eidem Episcopo interim penitus interdicta, & revocato in statum pristinum quicquid contra eosdem Archidiaconum, & Canonicos, ac alios de Capitulo ipsius in hac parte adherentes eisdem, post iter arreptum ad Sedem Apostolicam, inveneritis temere attentatum, nec permittatis ipsos, pendente dicto negotio, a prefato Episcopo indebite molestari, ac faciatis eisdem hujusmodi negotium prosequentibus, Prebendarum suarum proventus integraliter exhiberi. Contradictores auctoritate nostra &c.

Derogationes.

Non obstantibus aliquibus indulgentiis Ordinibus vestris, ab Apostolica Sede concessis, ut Fratres dictorum Ordinum de causis litigantium per literas Apostolicas cognoscere, seu quidquam exequi minime teneantur, vel si aliquibus a Nobis indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Sedis ejusdem, nisi de indulto hujusmodi plenam fecerint mentionem. Quod si non ambo &c. Datum Perusii Idibus Martii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Raymundo.*) Sancto de quo sæpius supra.
2. *Urgellen.*) In *Hispania Tarraconensi.*

Anno 1252 Die 10 Aprilis.

Episcopo Urbevetano [1], ne quis molestiam exhibeat Fratribus nostris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXLVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Urbevetan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

INundans malitia perversorum viris Sacrę Religioni deditis adeo frequenter exhibet se infestam, quod ipsi Divino cultui, ut deberent, vacare non possint, dum illorum malitiis agitantur. Cum igitur, sicut dilecti

dilecti filii Prior Provincialis Romanę Provincię, & Fratres sui Prioratus in Tuscia, Ducatu Spoletano, Patrimonio, & Campania constituti, Ordinis Prędicatorum, Nobis significare curarunt, nonnulli, qui Nomen Domini in vacuum recipere non formidant, ipsos graviter molestare presumant; Nos & presumptorum hujusmodi refragari conatibus, & dictorum Prioris, & Fratrum gravaminibus volentes congruis remediis subvenire, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsos in personis, vel rebus non permittas contra indulta privilegiorum, & indulgentiarum Sedis Apostolicę ab aliquibus indebite molestari; molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio (2) Generali. Datum Perusii IV Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

Derogationes.

2. *Urbevetano.*) In ditione Pontificia.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Concilio.*) *Lateran. IV Cap. XXXVII.*

Episcopo Tolosano (1) ne quis molestia afficiat Fratres nostros.

Anno 1252 Die 17 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Tolosano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXLIX.

INundans malitia &c. (3). Cum igitur, sicut dilecti filii Prior Provincialis Provincię, & Fratres sui Prioratus, Ordinis Prędicatorum &c. (4). Datum Perusii XV Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Tolosano.*) In *Gallia Narbonensi.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobiis *Niciensi*, & *Tolosano*. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Malitia &c.*) Ut in praecedenti ad hæc usque verba: *Malitiis agitantur.*
4. *Prædicatorum &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Magistratibus, ut leges, & quælibet statuta contra hæreticos, & eorum conscios edita, conscribant in Statutariis, & observent.

Anno 1252 Die 27 April.

Ex Pegna (1) ad calcem Director. Inquisit. pag. 7.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, Castrorum, & quorumlibet aliorum locorum Lombardię Marchię Tervisinę [2], ac Romaniolę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCL.

ORthodoxę Fidei commissum [3] dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Trevisana, & Romaniola, negotium, ipsorum [4] proficere ministerio cupientes, & considerantes attente, quod jurisdictio eorum, quo fuerit plenior in hac parte, eo magis esse poterit fructuosa, volumus, & nostris sibi damus literis in mandatis, ut vos munere procurent, ac inducere diligenter, ut Statuta ipsorum, alia Ecclesiastica, & secularia, & Constitutiones etiam quondam Frederici Romanorum Imperatoris, tunc in devotione Ecclesię persistentis [5], edita contra hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, quę conscripta, & Bulla nostra munita transmittimus, conscribatis in Statutariis [6] vestris, eaque observetis, & faciatis irrefragabiliter observari: Nos enim eisdem Priori, & Fratribus literis nostris injungimus, ut si eorum, immo potius Apostolicis acquiescere monitis non curaveritis in hac parte, vos ad id per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Perusii V Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Exordium.

Mandat ut supra.

1. *Pegna.*) Citat ille Archivum Inquisitionis *Bononiensis*, ubi Exemplar hujus Diplomatis asservatur.
2. *Tervisinæ.*) Seu *Tarvisinæ*.
3. *Commissum.*) Legesis *Annotationem XIV in Diploma Datum XXXI Octobr. MCCXLIII.*
4. *Ipsorum.*) Ex hoc infert *Pegna III Part. Director. Inquisitor. quæst. LXXXVI Commentar. CXXXV pag. 687. &c.*, posse Inquisitores statuta contra hæreticos condere: quid de hoc sentiendum sit, dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
5. *Persistentis.*) Nota verba, *Annotationem* enim *I in Diploma XXXI Octobr. MCCXLIII* confirmant.
6. *Statutariis.*) Seu statutorum libris.

Confirmat electionem F. Henrici Filangerii (1) Archiepiscopi Barensis.

Anno 1352 Die 10 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 719.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Henrico Filangerio Ordinis Prędicatorum Baren. Electo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLI.

CUm Nos venerabili fratri nostro Episcopo Albanen. [2], Apostolicę Sedis Legato, de Fratrum nostrorum consilio nostris dederimus literis in mandatis, ut te Baren. Ecclesię tunc vacanti in Archiepiscopum prę̨ficeret, & Pastorem, idemque Episcopus literarum ipsarum auctoritate de te ipsi Ecclesię duxerit providendum, prout in literis ipsius Episcopi confectis exinde plenius continetur; Nos quod ab eodem Albanen. Episcopo factum est in hac parte gratum, & ratum habentes, id auctoritate Apostolica concedimus, & pręsentis scripti patrocinio confirmamus. Tenorem literarum ipsius Episcopi de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes, qui talis est. Petrus miseratione Divina Episcopus Albanen. universis pręsentes literas

Confirmatio.

Literæ Episcopi Albanensis. literas inspecturis, Salutem in Domino. Mandatum Domini Papę recepimus sub hac forma. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Albanen. Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Debitum Officii nostri &c. Datum Perusii V Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Nono. Hujus igitur auctoritate mandati Fratrem Henricum prędictum, eidem Baren. Ecclesię in Archiepiscopum pręficimus, & Pastorem, in contradictores Excommunicationis sententia promulgata. Non obstante si personis aliquibus ab Apostolica Sede indultum existat, quod per literas Apostolicas interdici, excommunicari nequeant, vel suspendi, nisi in eisdem literis de induito hujusmodi, & toto tenore ipsius de verbo ad verbum expressa mentio habeatur. In cujus rei testimonium pręsentes literas sigillis

Sanctio pœnalis. nostri munimine fecimus roborari. Datum Perusii II Nonas Maii, Anno Domini MCCLII. Nulli ergo &c. nostrę Confirmationis &c. Datum Perusii VI Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Filangerii.*) Dicam in *sequenti Appendice*.
2. *Albanen.*) *Petrus de Collemedio*, de quo superius *XV Novembr. MCCLI.*

Anno 1252 Die 11 Maii.

Monialibus Sancti Dominici de Imola (1), ut sint sub cura Provincialis Lombardiæ.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 714.

CCLII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Dominici de Imola, Ordinis Sancti Augustini, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Quid actum sit refert. Summarium Decreti Episcopi Sabinensis.

REi, quam rectitudinis vigore muniri conspicimus, digne robur adjicimus Apostolicę firmitatis, ut duplici ratione subsistens, firmius perseveret. Sane petitio vestra Nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster Episcopus Sabinen. (2) de speciali mandato nostro, dudum per literas nostras sibi directo, vos, & Monasterium vestrum Ordini Fratrum Prędicatorum uniens, inter alia statuit, ut sub doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Lombardię, qui pro tempore fuerint, de cetero vos manere, ac ejusdem Ordinis gaudere Privilegiis, eidem ab Apostolica Sede concessis, vel etiam concedendis, & Magister & Prior curam animarum vestrarum gerentes, ac ea vobis, quę de Constitutionibus ipsius Ordinis vobis competentia fuerint exhibentes, dictum Monasterium per se, vel per alios Fratres idoneos visitent, corrigant, & reforment, instituant, & destituant, mutent, & ordinent prout secundum Deum viderint expedire. Confessiones vestras audiant, & ministrent vobis Ecclesiastica Sacramenta; Licere quoque vobis statuit, redditus, & possessiones recipere, ac libere retinere, non obstantibus in omnibus supradictis contraria consuetudine, vel statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis, & qualibet ipsius Sedis Indulgentia cujuscunque tenoris existat; &, ut prędicta inconcussa firmitate consistant, idem Episcopus sub pęna excommunicationis inhibuit, ne quis unionem hujusmodi dissolvere, vel impedire presumat, prout in ejusdem Episcopi literis plenius continetur. Quare Nobis

Ratum habet & firmum statutum ab eodem Episcopo. Literæ Episcopi Sabinen.

humiliter supplicastis, ut id approbare misericorditer curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo super iis ordinatum est, & statutum ratum habentes, & firmum, illud Auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem literarum ipsius Episcopi de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes, qui talis est. Petrus miseratione Divina Sabinen. Episcopus, Religiosis, & honestis Dominabus Priorissę, & toti Conventui Monasterii S. Dominici de Imola, Ordinis S. Augustini, salutem, & cęlesti sponso inseparabiliter adherere. Apostolicę Sedis benignitas prudentes virgines, quę se parant, accensis lampadibus, obviam sponso ire, tanto propensiori consuevit studio prosequi caritatis, quanto magis propter fragilitatem sexus indigere suffragio dignoscuntur. Cum igitur vos in ergastulis quidem inclusę claustralibus, in libertate tamen spiritus devote obsequi Domino proponentes, sub cura, & disciplina Ordinis Fratrum Prędicatorum vivere salubriter affectetis, incorporari cupientes prędicto Ordini, vel uniri, Dominus Papa vestrum pium propositum favorabiliter prose-

Literæ Innocentii IV Episcopo Sabinen. ut Moniales Monasterii S. Dominici Imolen. cooptet Ordini Prædicatorum.

quens, & affectu, nobis direxit literas Apostolicas sub hac forma. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, ven: fratri Episcopo Sabinen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum sicut ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę, & Conventus Monasterii S. Dominici de Imola, Ordinis S. Augustini fuit propositum coram Nobis, ipsę inclusę corpore in Carceris Claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes de Institutionibus Fratrum Ordinis Prędicatorum illas, quę sibi competunt, hactenus laudabiliter duxerint observandas, ac incorporari prędicto Ordini desiderent, Nos pium earum propositum in Domino commendantes, mandamus, quatenus ipsas, & earum Monasterium auctoritate nostra, Ordini prefato incorporare, vel unire procures; eadem auctoritate nihilominus statuens, ut sub Magisterio & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Lombardię, dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneant, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini prędicto, ab eadem Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur: Ipsique Magister & Prior, contraria Constitutione ipsius Ordinis, vel indulgentia a prędicta Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, Animarum Priorissę & Conventus dicti Monasterii solicitudinem gerentes, & curam, ac eisdem de Constitutionibus ejusdem Ordinis illas, quę sibi competunt, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per se, vel per alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc idoneos viderint, quoties expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noverint indigere; Nihilominus ibidem instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout secundum Deum cognoverint expedire; Confessiones earum audiant, & ministrent ipsis Ecclesiastica Sacramenta. Liceat autem eisdem Priorissę, ac Sororibus, postquam incorporatę fuerint dicto Ordini, vel unitę, redditus, & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstantibus contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis Confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis. Contradictores &c. Datum Perusii V Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Nono. Nos itaque Domini nostri mandatum propensius exequen-

exequentes, vos, & Monasterium vestrum, auctoritate jam dicti Domini Papę, Ordini Fratrum Prędicatorum, tenore pręsentium, duximus uniendas; auctoritate eadem nihilominus statuentes, ut sub Magisterio & doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Lombardię, dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes Privilegiis, quę Ordini prędicto, ab eadem Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur. Ipsique Magister, & Prior, contraria consuetudine ipsius Ordinis, vel indulgentia a pręfata Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum vestrarum sollicitudinem gerentes, & curam, ac vobis de Constitutionibus ejusdem Ordinis, illas, quę vobis competunt, sine difficultate qualibet exhibentes; eidem Monasterio vestro per se, vel alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quoties expedierit, Officium visitationis impendant, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noverint indigere; nihilominus ibidem instituant, & destituant, mutent, & ordinent, prout secundum Deum cognoverint expedire; Confessiones vestras audiant, & ministrent vobis Ecclesiastica Sacramenta. Liceat autem vobis de cetero redditus, & possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstante contraria consuetudine, seu statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis pręfatę aut quacunque firmitate alia roboratis. Ad hęc autem, ipsius Domini Papę auctoritate, sub pęna excommunicationis districtius inhibemus, ne quis huic Unioni, & Constitutioni per Nos, auctoritate Apostolica, factę ausu temerario contraire pręsumat. Datum Perusii II Nonas Maii, Nulli ergo &c. nostrę confirmationis &c. Datum Perusii V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Episcopi Sabinen. Decretum.

Sanctio pęnalis.

1. *Imola.*) In *Romandiola* ad *Vatrenum* fluvium.

2. *Sabinen.*) *Petrus de Barro*; de quo *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad An. MCCXLIII pag.* 118.

Magistro Ordinis, & Provinciali Lombardiæ, ut curam gerant Monialium Monasterii Sancti Dominici de Imola (1).

Anno 1252 Die 11 Maji.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 718.

CCLIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Ordinis Prędicatorum, & Priori Provinciali in Lombardia ejusdem Ordinis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid ab Episcopo Sabinensi statutum sit narrat, & illud omne confirmat.

CUm venerabilis frater noster Episcopus Sabinen., de speciali mandato nostro, dudum per literas nostras sibi directo, dilectam in Christo filiam Priorissam, & Conventum Monasterii S. Dominici de Imola, Ordinis S. Augustini vivens (a), inter alia statuerit, sub doctrina, & Magisterio vestro, & Successorum vestrorum eas de cetero permanere, ac ejusdem Ordinis gaudere privilegiis, eidem ab Apostolica Sede concessis, vel etiam concedendis, & quod vos Magister, & Prior, contraria Constitutione ipsius Ordinis, vel indulgentia, a prędicta Sede obtenta, seu etiam obtinenda, nequaquam obstantibus, animarum ipsarum solicitudinem gerentes, & curam, ac eis de Constitutionibus ejusdem Ordinis, illas, quę sibi competunt, sine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monasterio per vos, vel alios Fratres vestri Ordinis, quos ad hoc videritis idoneos, quoties expedierit, visitationis Officium impendere procuretis, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, seu reformationis officio noveritis indigere; nihilominus instituatis, & destituatis, mutetis, & ordinetis prout secundum Deum cognoveritis expedire; Confessiones quoque earum audiatis, & ministretis eisdem Ecclesiastica Sacramenta, & quod liceat prędictis Priorissę, & Sororibus redditus, & possessiones recipere, ac libere retinere, non obstantibus in omnibus supradictis contraria consuetudine, vel statuto ipsius Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, aut quacunque firmitate alia roboratis, & qualibet ipsius Sedis Indulgentia, cujuscunque tenoris existat, & ut prędicta inconcussa firmitate consistant, idem Episcopus sub pęna excommunicationis inhibuerit, ne quis unionem hujusmodi dissolvere, vel impedire pręsumat, prout in ejusdem Episcopi literis confectis exinde plenius continetur. Nos, ut rei, quam rectitudinis vigore muniri conspicimus, non negemus robur Apostolicę firmitatis, ut duplici ratione subsistens, firmius perseveret, quod ab eodem Episcopo super iis ordinatum est, & statutum, ratum habentes, & firmum, illud auctoritate literarum nostrarum duximus confirmandum. Quocirca discretioni vestrę, auctoritate pręsentium in virtute obedientię, districte pręcipiendo mandamus, quatenus omnia premissa, ad ministerium vestrum spectantia, curetis diligenter, & solicite juxta incorporationis, vel unionis, & constitutionis dicti Episcopi, & nostrę confirmationis tenorem, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, adimplere. Datum Perusii V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra,

1. *Imola.*) Legendum pracedens Diploma.

a. *Vivens.*) *Petrus* enim *De Barro Sabinensis* Episcopus obiit hoc Anno. *Clacon. Tom. II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCXLIII pag.* 118.

Potesta-

Anno 1252 Die 11 Maii.

Potestatibus universis Lombardiæ &c. ut hæretici eorumque Fautores *Banno publico* exponantur, & ipsorum bona publicentur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCLIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Nobilibus viris, universis Marchionibus, Comitibus, Baronibus, ac Potestatibus, Rectoribus, Consulibus, & Communibus Civitatum, & aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Tervisinam, & Romaniolam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Fratres nostri generaliter in Lombardia &c. delegati ad extirpandam hæresim.

Mandat ut supra.

CUm Fratres Prędicatores generaliter (2) in Lombardia, Marchia Tervisina, & Romaniola contra hęreticos, & omnes Sectas eorum, quocunque nomine censeantur, ad extirpandam inde tam gravis contagii pestem, & malum tantę pravitatis in Ecclesia Dei nimium pestilens, duxerimus deputandum; universitatem vestram rogandam, & hortandam duximus attente, & monendam, per Apostolica vobis scripta districte pręcipiendo mandantes, quatenus omnes illos, qui per Inquisitores eosdem, vel per alios de ipsorum mandato, de hęresis crimine, vel pro defensione, seu receptatione, aut favore Hęreticorum excommunicationis innodati vinculo, vel denuntiati excommunicati publice fuerint, bonis confiscatis ipsorum, banno publico exponatis, alias contra eos temporaliter, prout expedire videritis, in fulcimentum Catholicę Fidei potestate vobis tradita processuri; alioquin noveritis, Nos eisdem Inquisitoribus nostris literis iniunxisse, ut vos ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Datum Perusii V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem Diploma *Cherubinus* exscripsit in *Bullario Romano in Innocent. IV. Ep. VIII.*

2. *Generaliter.*) Nota verbum, & vide supra ad *XXVII April. MCCLII.*

Anno 1252 Die 13 Maii.

Provinciali Lombardiæ &c. & Inquisitoribus Ordinis nostri, declarans, quid per præcedens diploma sancitum sit, mandat ut negligentes per censuram compellant.

Ex Pegna ad calcem Direct. Inquisit. p.6.

CCLV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Tarvisina, & Romaniola, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium declarat Fratres nostros institutos Inquisitores generaliter in Lombardia &c.

Quid per præcedens Diploma statuerit, dicit.

Mandat ut supra.

CUm vos Inquisitores generaliter in Lombardia, Marchia Tarvisina, & Romaniola contra hęreticos, & omnes sectas eorum, quocunque nomine censeantur, ad extirpandam inde tam gravis contagii pestem, & malum tantę pravitatis in Ecclesia Dei nimium pestilens, duxerimus deputandos, dilectos filios Nobiles viros universos Marchiones, Comites, Barones, ac Potestates, Consules, & communia Civitatum, & aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Tarvisinam, & Romaniolam constitutos, rogandos, hortandos attente duximus, & monendos, nostris sibi literis districte pręcipiendo mandantes, ut omnes illos, qui per vos, vel per alios de vestro mandato, pro hęreseos crimine, vel pro defensione, seu receptatione, aut favore hęreticorum, excommunicationis innodati vinculo, vel denuntiati, excommunicati publice fuerint, bonis confiscatis ipsorum, banno exponant publico; alias contra eos temporaliter, prout expedire viderint, in fulcimentum Catholicę Fidei, potestate sibi tradita, processuri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti Marchiones, & alii mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos eos ad id per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si duo ex vobis his non interfuerint, unus ea nihilominus exequatur. Datum (1) Perusii III Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Datum Perusii III...*) Suppla *Idus*. Ex *MS. Archivi Ordinis.*

Anno 1252 Die 14 Maii.

Inquisitoribus, ut moneant Magistratus, quo leges in hæreticos, & eorum conscios latas exscribant in suis statutariis [1], observent, ac faciant observari.

Ex Pegna ad calcem Direct. Inquisit. pag.6.

CCLVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Tervilana, & Romaniola, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Mandat ut supra.

ORthodoxę Fidei commissum vobis negotium, vestro proficere ministerio cupientes, & considerantes attente, quod jurisdictio vestra, quo fuerit plenior in hac parte, eo major [a] esse poterit fructuosa, volumus, & pręsentium vobis tenore mandamus, quatenus Potestates, Consilia & Communitates Civitatum, Castrorum, & quorunlibet aliorum locorum Lombardię, Marchię Tervisanę, & Romaniolę monere curetis, ac inducere diligenter, ut Statuta nostra, & alia Ecclesiastica, & secularia, & Constitutiones etiam quondam Frederici Romanorum Imperatoris, tunc in devotione Ecclesię persistentis, edita contra hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, quę conscripta, & Bulla nostra munita transmit-

transmittimus, conscribi in Statutariis suis, eaque irrefragabiliter observari faciant, & observent. Si vero nostris in hoc, immo potius Apostolicis acquiescere monitis non curaverint, ipsos ad id per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis: quod si duo ex vobis his non interfuerint, unus ea nihilominus exequatur. Datum Perusii II Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Statutariis.*) Quæ hic velles, exposita habes superius XXVII April. MCCLII.

2. *Major.*) *Ita in Archetypo*, inquit Pegna, *sed legerem*: *Magis*,

Leges [1] ab Innocentio IV in Hæreticos & eorum Conscios latæ.

Anno 1252 Die 15 Maii,

Ex Archivo [2] Ord. lib. A. fol. 778. &c.

CCLVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum per Italiam [3] constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD extirpanda de medio Populi Christiani hęreticę pravitatis zizania, quę abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus homine [4] inimico, tanto studiosius, juxta commissam Nobis solicitudinem, insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari. Volentes autem, ut adversus hujusmodi nequitię operarios, consurgant, stentque nobiscum Ecclesię filii, ac Orthodoxę Fidei zelatores, Constitutiones [5] quasdam ad extirpationem hęreticę pestis edidimus, a vobis ut fidelibus ejusdem Fidei defensoribus, exacta diligentia observandas. Quę seriatim inferius continentur. Quocirca universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli Constitutiones easdem conscribi in vestris Capitularibus [6] facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hęresim se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Tervisana, & Romaniola, damus nostris literis in mandatis, ut singulos vestrum ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Constitutiones autem sunt hę.

Statuimus, ut Potestas, seu Rector, qui Civitati pręest, vel loco alii ad pręsens aut pro tempore pręfuerit in futurum in Lombardia, Romaniola, vel Marchia Tervisana, juret pręcise, & sine tenore [7] aliquo, attendere inviolabiliter, & servare, & facere ab omnibus observari toto tempore sui regiminis, tam in Civitate, vel loco sui regiminis, quam in terris suę ditioni subjectis, omnes & singulas, tam infrascriptas, quam alias Constitutiones, & Leges, tam Canonicas, quam civiles editas contra hęreticam pravitatem, & super his pręcise observandis recipient a quibuslibet sibi in Potestaria [8], vel regimine succedentibus juramenta; quę qui pręstare noluerint pro Potestatibus, vel Rectoribus nullatenus habeantur, & quę ut Potestates, vel Rectores fecerint, nullam penitus habeant firmitatem; Nec ullus teneatur, aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela [9] pręstanda eis exhibuerit juramentum. Quod si Potestas, vel Rector aliquis hęc omnia, & singula servare noluerit, vel neglexerit, pręter notam perjurii & perpetuę jacturam infamię, ducentarum Marcarum [10] pęnam incurrat, quę irremissibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem Communis integre convertantur. & nihilominus ut perjurus, & infamis, & tanquam hęreticorum fautor de Fide suspectus, officio, & honore sui regiminis expolietur: nec ulterius Potestas, seu Rector in aliquo habeatur, aut de cetero ad aliquam dignitatem, vel Officium publicum ullatenus assumatur. Idem quoque Potestas, seu Rector cujuslibet Civitatis, vel loci in principio sui regiminis, in publica concione, more solito congregata, banno [11] Civitatis, vel loci supponat tanquam pro maleficio, omnes hęreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & teneatur bannum hujusmodi, a suis Prędecessoribus positum, confirmare, pręcipue [12] autem, quod nullus hęreticus, vel hęretica, de cetero habitet, vel moretur, aut subsistat in Civitate, seu aliquo loco jurisdictionis, aut districtus ejusdem; & quicunque ipsum, vel ipsam invenerit, libere capiat, & capere possit impune: & omnes res [13] ipsius, vel ipsorum, eis licenter auferre; quę sint auferentium pleno jure; nisi auferentes hujusmodi sint in officio constituti. Idem quoque Potestas, seu Rector infra tertium [14] diem post introitum regiminis sui, duodecim viros, probos, & Catholicos, & duos notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii instituere teneatur quos Dięcesanus si pręsens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Prędicatores, & duo Minores, ad hoc a suis Prioribus, si Conventus ibi fuerint eorundem Ordinum, deputati, duxerint eligendos. Instituti autem hujusmodi, & electi possint, & debeant hęreticos, & hęreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hęc tam in Civitate, quam in tota ejus jurisdictione, atque districtu plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem Dięcesani, vel Vicariorum ejusdem, seu Inquisitorum. Teneatur autem Potestas, seu Rector quilibet in expensis communis, cui pręest, facere duci eosdem hęreticos ita captos quocunque Dięcesanus, vel ejus Vicarii in jurisdictione, vel districtu Dięcesani Episcopi, seu Civitatis, vel loci voluerint [15] illos duci. Officialibus [16] vero prędictis plena Fides de his omnibus adhibeatur [17] quę ad eorum Officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter pręstito juramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, ubi duo, vel tres, vel plures pręsentes fuerint ex eisdem. Porro cum Officiales hujusmodi eliguntur, jurent hęc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem. Quibus ab omnibus, in his, quę ad Officium eorum pertinent, plenius pareatur: & tam dicti duodecim, quam servitores, & Notarii pętaxati simul, vel divisim plenariam pręcipiendi sub pęna, & damno [18], quę ad Officium suum pertinent, habeant [19] potestatem. Potestas autem, vel Rector teneatur habere firma, & rata omnia pręcepta; quę occasione Officii sui fecerint duo ex ipsis seu plures [20] & pęnas exigere non servantium. Quod si dictis Officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis, vel rebus, pro suis officiis exequendis, a communi Civi-

Jurent Potestates servare leges contra hæreticos.

Pœnæ in violatores Legum.

Hæretici Banno supponendi.

Facultas eligendi Ministros S. Inquisitionis. Quibus incumbat comprehensio hæreticorum.

Quo ducendi hæretici.

S. Inquisitionis Ministris fides habenda.

Quodnam Jusjurandum jurabunt illi Ministri.

Facultas eorundem qualis.

Illorum præcepta rata & firma sint.

Indemnes serventur Ministri illi.

Civitatis, vel loci per restitutionem plenariam serventur indemnes: nec ipsi Officiales, vel eorum heredes possint aliquo tempore conveniri de his, quę fecerint vel pertinent ad eorum Officium, nisi secundum quod eisdem Dięcesanis [21] & Fratribus, & Inquisitoribus videbitur expedire.

Eorum Officium sex Mensibus expleatur.

Ipsorum merces unde petenda.

Ad nullum aliud Officium compellantur.

Ipsorum autem Officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis, Potestas teneatur totidem subrogare Officiales secundum formam pręscriptam; qui prędictum Officium secundum formam eandem, in aliis sex mensibus sequentibus exequantur. Sane ipsis Officialibus [22] dentur de camera communis Civitatis, vel loci quando exeunt Civitatem, aut locum pro hoc Officio exequendo, unicuique pro qualibet die decem & octo Imperiales in pecunia numerata, quos Potestas, vel Rector teneatur eis dare, vel dari facere infra diem tertium, postquam ad eandem redierint Civitatem, vel locum: & insuper habeant tertiam partem bonorum hereticorum, quę occupaverunt, & mulctarum, ad quas fuerint condemnati, secundum quod inferius continetur; & hoc salario sint contenti; sed ad nullum aliud, quod istud Officium impediat, vel impedire possit, ullo modo, vel etiam exercitium compellantur. Nullum etiam Statutum conditum, vel condendum eorum Officium ullo modo valeat impedire.

Quando nam & a quibus sint amovendi.

Qualiter, si deliquerint, puniendi.

Faveant omnes Inquisitoribus.

Et si quis horum Officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, vel occupationem aliquam, vel excessum Dięcesano, & Fratribus supradictis visus fuerit amovendus, ipsum ad mandatum, vel dictum eorum teneatur amovere Potestas, aut Rector, & alium secundum formam pręscriptam substituere loco ejus. Quod si quis eorum contra fidem, & sinceritatem Officii sui in favorem heresis deprehensus fuerit excessisse, pręter notam infamię perpetuę, quam tanquam fautor hereticorum incurrat, per Potestatem vel Rectorem, ad Dięcesani loci, & dictorum Fratrum, vel Inquisitorum [23] arbitrium puniatur. Potestas pręterea Militem suum, vel alium Assessorem, si Dięcesanus, vel Vicarius, aut Inquisitores a Sede Apostolica deputati, seu dicti Officiales petiverint, cum ipsis Officialibus, mittere teneatur, & cum ipsis eorum Officium fideliter exercere.

Pœna in non præbentes manum auxiliatem.

Quilibet etiam si pręsens in terra, vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate, quam in jurisdictione vel districtu quolibet, dare ipsis Officialibus, & eorum sociis consilium, & juvamen, quando voluerint hereticum, vel hereticam capere, vel spoliare, aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem intrare pro hereticis capiendis, sub viginti quinque librarum Imperialium pęna, vel banno. Universitas autem burgi, sub pęna, & banno librarum centum [24], Villa vero librarum quinquaginta Imperialium pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata.

Pœna in prohibentes, ne capiantur hæretici.

Magistratus captos custodiat hæreticos, ubi voluerint Episcopus, vel Inquisitor.

Assignantes pro hæreticis non hæreticos, quomodo puniendi?

Quicunque autem hereticum, vel hereticam captum, vel captam auferre de manibus capientium, vel capientis ausus fuerit, vel defendere, ne capiatur: seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel turrem, seu locum aliquem, ne capiatur, & inquiratur ibidem, juxta legem Padue promulgatam per Federicum [25] tunc Imperatorem, publicatis bonis omnibus, in perpetuum relegetur, & domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reędificandi, funditus destruatur [26], & bona, quę ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si heretici fuissent ibidem inventi, & tunc propter hanc prohibitionem, vel impeditionem specialem burgus componat communi librarum ducentarum [27] & vicinia tam burgi, quam Civitatis librarum quinquaginta Imperialium, nisi infra tertium diem, ipsos defensores, vel defensorem hereticorum Potestati captos duxerint personaliter pręsentandos. Teneatur [28] insuper Potestas, seu Rector quilibet omnes hereticos, vel hereticas qui capti amodo fuerint, per viros Catholicos ad hoc electos, a Dięcesano, si fuerit pręsens, & Fratribus supradictis, vel Inquisitoribus in aliquo speciali carcere tuto, & securo, in quo ipsi soli detineantur, seorsum a latroninus, & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum [29]. Si quandoque aliqui, vel aliquę non heretici, pro captis hereticis, ipsis non contradicentibus fuerint assignati, vel se forsitan assignaverint, prędicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & heretici nihillominus redire, & assignari cogantur; & qui hunc dolum fecerint juxta legem prędictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

Hæretici capti Inquisitorum infra XV Dies conspectum subeant & examen.

Damnatos recipiat Magistratus, ut plectantur.

Cogantur hæretici, alios hæreticos & erroris conscios indicare.

Teneatur insuper Potestas, vel Rector quilibet cum bono, & securo comitatu omnes hereticos, & hereticas, quocunque nomine censeantur, infra quindecim dies, postquam fuerint capti, Dięcesano, vel ejus speciali Vicario, seu hereticorum Inquisitoribus, pręsentare, pro examinatione de ipsis, & eorum heresi facienda. Damnatos [30] vero de heresi per Dięcesanum, vel ejus Vicarium, seu per Inquisitores prędictos Potestas, vel Rector, vel ejus nuncius specialis eos sibi relictos recipiat statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos Constitutiones contra tales editas servaturus. Teneatur pręterea Potestas, seu Rector omnes hereticos, quos captos habuerit, cogere, citra membri diminutionem, & mortis periculum, tanquam vere latrones, & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei, & Fidei Christianę, errores suos expresse fateri, & accusare alios hereticos quos sciunt, & bona eorum, & Credentes, & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures, & latrones rerum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia, quę fecerunt.

Domus ubi inveniuntur diruendæ, & Domini illarum puniendi.

Domus [31] autem in qua repertus fuerit aliquis hereticus, vel heretica, sine ulla spe reędificandi, funditus destruatur: nisi Dominus domus eos ibidem procuraverit reperiri. Et si Dominus illius domus alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illę domus similiter destruantor, & bona, quę fuerint inventa in domo illa, & in domibus illis adhęrentibus publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper Dominus domus illius, pręter notam infamię perpetuę, quam incurrat, componat communi Civitatis, vel loci [32] quinquaginta librarum Imperialium in pecunia numerata, quam si non solverit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille, in quo heretici capti fuerint, vel inventi, componat Communi Civitatis libras centum: & Villa libras quinquaginta, & vicinia tam burgi, quam Civitatis libras quinquaginta Imperiales in pecunia numerata, nisi infra tertium diem receptatores ipsorum captos pręsentaverint Potestati.

Quid de fautoribus hæreticorum.

Quicunque vero fuerit deprehensus, dare alicui heretico, vel hereticę consilium, vel auxilium, seu favorem, pręter aliam penam superius, & inferius pretaxatam [33] ex tunc ipso jore in perpetuum sit factus infamis, nec ad publica Officia, seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus pręterea ei super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte Judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causę aliquę ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hereticorum tanquam heretici puniantur.

Nomina hæreticorum in qua-

Teneatur insuper Potestas, seu Rector, nomina virorum omnium, qui de heresi fuerint

fuerint infamati, vel banniti, in quatuor libellis unius teooris facere annotari quorum unum Commune Civitatis, vel loci habeat, & alium Diœcesanus, & tertium Fratres Prędicatores, & quartum Fratres Minores: & ipsorum nomina ter in anno, in concione publica solemniter faciat recitari. Teneatur quoque Potestas, seu Rector, filios, & nepotes hęreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum eorum diligenter investigare, eosque ad aliquod Officium publicum, seu consilium nullatenus admittere in futurum. Teneatur preterea Potestas, seu Rector, unum de Assessoribus suis, quem elegerit Diœcesanus, si fuerit pręsens, & Inquisitores prędicti ab Apostolica Sede dati, mittere cum eis quandocunque voluerint, in jurisdictione Civitatis, atque districtu; qui Assessor, secundum quod prędictis Inquisitoribus visum fuerit, ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compellat, quod, si quos ibidem hęreticos sciverint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium, vita, & moribus diffidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hęreticorum, eos dictis Inquisitoribus studeant indicare. Ipse autem Potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Federici tunc Imperatoris, Paduę promulgatas. Teneatur insuper Potestas, seu Rector in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis, vel occupatis, consignandis, & dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies postquam accusatio facta fuerit, hęc omnia exequi cum effectu: & condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere, & dividere illas, sicut inferius continetur, & eos, qui solvere non poterint, banno maleficii (34) supponere, & donec solvant in carcere detinere: alioquin pro his omnibus, & singulis syndicetur (35), sicut inferius continetur: & insuper teneatur unum de Assessoribus suis quemconque Diœcesanus, vel ejus Vicarius, & dicti Inquisitores hęreticorum voluerint ad hęc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum. Omnes autem condemnationes, vel pęnę, quę occasione hęresis factę fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem Populi ullo modo, aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari. Teneatur insuper Potestas, seu Rector omnia bona hęreticorum, & receptatorum eorum (36), quę per dictos Officiales fuerint occupata, seu inventa, & condemnationes pro his exactas dividere tali modo (37), una pars deveniat in commune Civitatis, vel loci: secunda in favorem, & expeditionem Officii detur Officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerunt, tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis Diœcesano, & Inquisitoribus videbitur reservanda, & expendenda per consilium eorundem in favorem Fidei, & hęreticos extirpandos, non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo, condito, aut condendo. Si quis autem de cetero aliquod illorum statutorum, seu Constitutionum attentaverit delere, diminuere, vel mutare sine auctoritate Sedis Apostolicę speciali, Potestas, seu Rector, qui pro tempore fuerit in illa Civitate, vel loco, teneatur (38) eum tanquam defensorem hęreticorum publicum, & fautorem, secundum formam pręscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in librarum quinquaginta Imperialium in pecunia numerata: quam si exigere non potuerit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi solverit duplam dictę pecunię quantitatem. Teneatur pręterea Potestas, seu Rector infra decem dies sui regiminis syndicare pręcedentem proxime Potestatem, vel Rectorem, & ejus etiam Assessores, per tres viros catholicos, & fideles, electos ad hoc per Diœcesanum, si fuerit pręsens, & per Fratres Prędicatores, & Minores de omnibus iis, quę in statutis istis, seu Constitutionibus, & legibus, contra hęreticos, & eorum complices editis, continentur, & punire ipsos, si excesserint in omnibus, & singulis, quę omiserint, & cogere restituere de propria facultate; non obstante si per aliquam licentiam consilii, vel alterius cujuslibet, a syndicatione fuerint absoluti. Jurabunt autem prędicti tres viri, bona fide syndicare pręfatos de omnibus supradictis. Ceterum teneatur Potestas, seu Rector cujuslibet Civitatis, vel loci delere, seu abradere penitus de Statutis, vel Capitularibus communis, quodcunque statutum, conditum, vel condendum, inveniatur contradicere istis Constitutionibus, seu Statutis, & legibus, sive quomodolibet obvisre: & in principio, & in medio sui regiminis hęc statuta, seu Constitutiones, & leges in publica concione solemniter facere recitari: & etiam in aliis locis extra Civitatem suam, vel locum, sicut Diœcesano, seu Inquisitoribus, & Fratribus supradictis visum fuerit expedire. Porro hęc omnia statuta, seu Constitutiones, & leges, & si quę alię contra hęreticos, & eorum complices, tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicę conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri; quorum unum sit in statutario Communis cujuslibet Civitatis: secundum apud Diœcesanum: tertium apud Fratres Prędicatores: quartum apud Fratres Minores, cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari. Datum Perusii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Filii hęreticorum ... omnique Dignitate privati.

Magistratus det Inquisitoribus Assessorem unum, qui sit ipsis auxilio.

Infra X Dies post accusationem pœnas dent rei.
Quid de Mulcta pecuniaria?

Pœnæ prædictæ nullomodo relaxentur.
Quid de Bonis hæreticorum?

Cavet ne rescindantur statuta.

De statutis observandis providet.

Syndici jurare tenentur.

Statuta contraria si quæ sint, irrita & nulla declarat.

Statuta ista in quatuor libris inscribenda.

1. *Leges.*) *Creverat* enim *apud Mediolanum, & universam Insubriam*, inquit *Spondanus ad Annum MCCLII num. VI, pestifera hæresis in quatuor præcipue Sectas divisa*: Ut ergo in nihilum intercirent hæc hæreseon monstra; ac malos male perderet, faceas Leges tulit *Innocentius IV.*
2. *Archivo.*) Adeas etiam *Cherubinum Tomo I Bullar. Romani in Innocentio IV num IX*, & *Pegnam ad Calcem Directorii Inquisitor. pag. 7. &c.*
3. *Italiam.*) Non sic *Bullar. Roman. Pegna, Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLII num. III*, Sed *per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Tervisanam.*
4. *Homine.*) Iidem legunt. *Hominis.*
5. *Constitutiones.*) *Easdem*, inquit *Pegna, confirmavit Clemens IV per Bullam: Ad extirpanda. cum quibusdam Declarationibus & Modificationibus &c.* Legesis quæ *Cherubinus* annotavit. De his lato calamo in *Dissertatione I Tomo ultimo* differemus;
6. *Capitularibus.*) Seu Libris, in quibus exscribuntur statuta.
7. *Sine tenore.*) Id est pure & simpliciter.
8. *Potestaria.*) Seu, Officio.
9. *Sequela.*) Dixi superius *XXX Martii MCCXXVIII.*
10. *Marcarum.*) Vide *Glossarium Du Cange liter. M*; & *Bull. O. P. Tom. I.* *Gonzalem in Caput: Cum pridem, De pactis.*
11. *Banno.*) Seu Proscriptioni.
12. *Pracipue.*) *Pegna* censet legendum, *Præcipiant.*
13. *Res.*) *Clemens IV*, inquit Cherubinus, *Addit, Mobiles.*
14. *Tertium.*) *Hoc temperat*, inquit Pegna, *Alexander IV per Bullam: Exortis:* Illam exscripsit *pag. 33.*
15. *Voluerint.*) *Bullar. Roman., Pegna*, & *Bzovius* dicunt: *Voluerit.*
16. *Officialibus.*) *Clemens hoc restrinxit*, verba sunt Cherubini, *Alexander IV declaravit.*
17. *Adhibeatur.*) Bullar. Roman., Pegna, & Bzovius: *Habeatur.*
18. *Damno.*) Iidem: *Banno.*
19. *Habeant.*) *Hic multa subdit Clemens*, inquit *Cherubinus.*
20. *Duo ex ipsis, seu plures.*) Hæc desiderantur in *Bullario Romano, Pegna*, & *Bzovio.*
21. *Diœcesanis.*) Non sic Auctores mox laudati, sed: *Eidem Diœcesano & Fratribus videbitur* &c.
22. *Officialibus.*) *Mutavit aliquid idem Clemens*, inquit *Cherubin.*

23. *Vel*

23. *Vel Inquisitorum.*) Hæc non legerunt *Pegna* & *Bzovius*. *Cherubinus* autem ut *Clementinam* adjectionem habet in margine.

24. *Centum.*) *Clemens restrinxit ad 50, & 25.* Cherubinus.

25. *Fedricum.*) Videas Diploma *XXXI Octobr. MCCXLIII.*

26. *Destruatur.*) *Hanc destructionem mitigavit Clemens IV, & antea declaravit; Alexander IV alia hic immutavit.* Hæc *Cherubinus*.

27. *Ducentarum.*) Addunt alii: *Et Villa librarum centum.*

28. *Teneatur.*) *Multa addit Clemens*, ut inquit *Cherubinus*.

29. *Definitum.*) Subjungunt alii: *Sub expensis Communis Civitatis vel loci sui facere custodiri.*

30. *Damnatos.*) *Clemens aliquid immutavit*, inquit *Cherubinus*.

31. *Domus.*) *Alexander declarat, & addit Clemens.* Notavit *Cherubinus*.

32. *Loci.*) Supple: *Summam*.

33. *Prætaxatam.*) *Vide alias pœnas in Constitutione II Nicolai III. Noverit.* Sic *Cherubinus*.

34. *Banno Maleficii.*) Maleficium dicitur hic illud omne, quod Juri stricto, seu, ut loquuntur, *Confiscationi*, obnoxium est, unde *supponere Banno Maleficii*, idem est ac alicujus Bona, seu possessiones in publicum addicere.

35. *Syndicetur.*) Seu in eum inquiratur.

36. *Et Receptatorum eorum.*) Hæc non noverunt *Cherubinus*, *Pegna*, & *Bzovius*.

37. *Tali modo.*) *Hoc ampliatur alia Constitutione, & nonnulla addit Clemens IV.* Sic *Cherubinus*.

38. *Teneatur.*) *Alexander IV declarat, multa addit Clemens IV.* Cherubinus.

Anno 1252 Die 15 Maii.

Nostrates, quos Fratrum Petri & Dominici [1] Martyrium perculerat, ad Generale Capitulum congregatos, consolando levat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus Provincialibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum in Generali Capitulo Bononię Congregatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum refert.

HOrridus nuper sensus nostros stupor invasit, sacrilegam cędem illam tristi nobis sinistri rumoris nuncio deferente, in qua recolendę memorię viros Petrum de Verona, & Dominicum Ordinis vestri Fratres in Mediolanensibus partibus negotium Fidei prompto spiritualis obedientię obsequio contra hęreticorum perfidiam prosequentes dira fautorum pravitatis hęreticę crudelitas immolavit. Beatos illos, qui pro Divinę causę justitia communicare Christi passionibus meruerunt per gloriosę mortis compendium, translati feliciter ad manentem pacis interminabilis civitatem; Ibique cum iis, qui stolas suas in sanguine Agni laverunt sine fine mansuri, sed super miserabiles homines, qui tam execratum facinus perpetrarunt, & qui hoc malignis suggesserunt persuasionibus pręsumendum, Ecclesię viscera tanto vehementius, & zelus justitię, & miseratio commovet pietatis, quanto facti hujus atrocitas fieret perniciosior ad exemplum, nisi pęnę severitas ulteriorem progressum improbis ausibus amputaret, & bellualium hominum piaculare flagitium, dum viris sanctis necem corporis, qua exitur ad vitam, nequiter irrogavit, spiritualis mortis interitum exitialius intulit sceleratis.

Consolando levat,

Vos autem turbare non debet, tanquam aliquid sinistrum vobis acciderit, casus ille, quin potius multum de tentatione vestra potestis recipere illa pręcipue ratione proventum, quod Dominus Deus in assertionem veritatis suę, quam invalescens oblatrantium impugnat adversitas, nunc pręsertim cum periculosa sint tempora, ex vobis videtur fidelia lucis irrefragabilis testimonia produxisse. Subornatis quippe stippatus... persuasione mendacii pater mendax, qui de suspicionis suę latibulis prodeuntes, & damnatę mortis legitimum subeuntes periculum in subversionem veritatis audaci subscribunt scelerati sanguinis prodigio falsitatem, ut quos ad suam ęmulationem excludunt clavo opinionis erroneę, in ludibrio cęcitatis extrinsecę sic configant, ut de facili ab ingenitę stoliditatis hebetudine revelantur; Et Pater noster cęlestis pro tutela veritatis ęternę, quam nobis revelavit in Filio, testes legitimos, qui ad exaranda incorruptę Fidei nostrę testimonia, sacrum cum Christo non verentur effundere sanguinem, dum publicę salutis exigit utilitas, non habebit? Immo utique habet; O latens, & subdola vulpes, Dominicę vineę populatrix, & habere non desinet, quandiu causa ejus pro Fidei argumento, & credentium salute poposcerit; donec venturus Judex illustratione adventus sui tenebrarum tuarum occulta detexerit, ejiciens ad victoriam judicium sponsę suę, quemadmodum cunctis prędictorum Fratrum affirmat constantia, quos per tui livoris immissos nuper satellites insigni Martyrii diademate sublimasti. Nunc itaque, dilecti Nobis in Domino filii, ducite gaudium solemne cum superis super inenarrabili dono Dei, quo datum est vobis in prędictis misericordię viris ad majus spei vestrę solatium, sanctorum Martyrum, ut firmiter credimus, candidatum crevisse collegium, cum de professionis vestrę conso... (3). non manufactam .... magnum non dubitemus augmentum hactenus in Confessorum Ordine suscepisse. Felicem igitur digne duxerimus sacrę .... (4) uterum, qui adversus Principes tenebrarum, cum quibus est assidua filiis lucis colluctatio constituta, tam egregios ad propugnationem Christianę Fidei prot .... bella ...... (5) in pectoribus .... disciplinę, quę illos per tormenta virtutum in viros provexere perfectos in mensuram plenitudinis. Nam peccato usque ad sanguinem vigore insuperabili restiterunt, & in agone Domini, quo bravium consummati cursus attingitur, legitime decertantes in signum ..... etiam admira .... civium supernorum retulerunt Sacrifico sanguine vestimentum, propter quod audemus ..... causa, quam ordine passionis eorum dicimus quod ipsos stolę decore prędítos, & idoneos habitu ad participandum cum imm. ..... Ecclesia jam in Cęlo triumphans, ut superius ascendant, invitat, & obviis eisdem ineffabilis exultationis applausu gratulatur. O pręterea quantum justitię! O quantum misericordię adjecit hominibus apud Deum, hoc de cujus proventu, Nos, vosque spes indubitata .... sacrificium hostię salutaris! Quam gratanter odoratus est Dominus! & tanquam ..... suavitatis odorem, quam impię actiones, ut utilitas in magnum venię compendium, & necessarię fructum miserationis accepit. Siquidem justitia, quę pro tam ferali crimine Judici suadet inducendum zeli pallium ad vindictam, habet pro se clamorem illius sanguinis recenter effusi, tanquam novum apud tribunal Judicis advocatum, qui provocat in persecutores & perfidos de vultu Dei ultionis judicium, ad instar sanguinis Abel justi; melius adhuc autem quam Abel, justorum

justorum nostrorum ille novus sanguis eloquitur.... (6) non solum vindictę rigorem contra culpam excitat, sed etiam iram temperat Majestatis offensę, pro animadversione gratiam propitiationis implorans, ad similitudinem Sanguinis Redemptoris, quo non annotantur ad odium crimina, sed delentur. O quantum robur Fidei Christianę! O quantam auctoritatis fiduciam Ministris evangelicę prędicationis impendit magnitudo virtutis, per quam testimonia veritatis catholicę in prędictorum virorum consummata fortitudine claruerunt. De cetero, filii, nemo caulabitur vos absque voto patiendi pro veritate, quam didicistis a Domino, & docetis, hortari alios ad tollendas in corporibus suis Christi residuas passiones, cum totum universitatis vestrę corpus compassum esse noverimus in illa vestrorum cęde membrorum, quę in summo capite, cui per pręsentiam sunt unita, conjunctius vera vita fruuntur, ad quam vos par ipsius fervor post illos de tędiosa pręsentis exilii peregrinatione suspendit. Hinc est quod universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum, ac meritorum cumulum injungentes, quatenus ad exemplar pręcedentium Patrum, necnon & prędictorum felicium Fratrum, qui amplectenda signa perseverantis patientię reliquerunt in ędificationem Corporis Christi, cui suffragio dierum malorum plurimi adversantur, subministretis in Fide vestra virtutem, qua Verbum Dei libere clarificetur, & currat, laborisque nostri stadium propositę mercedis amore studeatis indefesse peragere, contra perfidos obrectatores Evangelii, qui fermento pravitatis hereticę sinceram fidelium massam inficere non desistunt, & contra venenosas vulpeculas, quę vineam Domini furtivis satagunt morsibus demoliri, negotium Catholicę Fidei viriliter prosequentes, ut merito solicitudinis vestrę, ac laudando ministerio Ecclesia Dei, pręsertim in Italia, ubi per malitiam temporis impacati, & per dissensionum scissuras heretica pestis invaluit, sinceritatis suę pulchritudine reformetur, & vobis exinde augeatur in pręsenti meritorum gratia, & plenior pręparetur pręmiorum gloria in futuro. Scire namque cunctos, volumus, quod tam infamis facinoris culpam in Deum, & totam fidelium Ecclesiam in prędictis Fratribus temerario attentatam impetu, vel defensam debitoribus dominicis, Dominicus non dimittet exactor, nisi scelestam pręsumptionis audaciam ea ultionis severitas comitetur, quod memoria criminis ad futuras transire non possit ętates absque pavida recordatione vindictę. Datum Perusii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Nota verba.

Fratres ad perseverantiam cohortatur.

1. *Petri, & Dominici*.) De quibus in Diplomatibus *Datis XIII Junii MCCLI; XXXI August. MCCLII, & XXV Mart. MCCLIII.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar.
3. *Conso ...*) Sic legerem: *Consortio non manufactam Domum, magnum non dubitemus.*
4. *Sacra ...*) Supplendum videtur: *Congregationis vestra uterum.*
5. *Prot ... bella ...*) *Protulit Bellatores.* Sic lacunam explerem; Cœteras restituet, qui autographum tenet.
6. *Eloquitur ...*) Suadeo legas: *Nam non solum vindicta rigorem contra culpam non excitat.*

Provinciali Lombardiæ, & Inquisitoribus, ut leges a Friderico [1] in hæreticos latas Magistratus observent.

Anno 1252 Die 28 Maii.

Ex Pegna ad calcem direct. Inquisit. pag. 11.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hereticę pravitatis Ordinis Prędicatorum, in Lombardia, Marchia Tervisin., & Romaniola, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLIX.

CUm adversus hereticam pravitatem, quondam Fredericus tunc Romanorum Imperator promulgaverit quasdam leges, per quas, ne pervagetur, compesci poterit pestis illa: Nos illas volentes ad robur Fidei, & salutem fidelium observari, dilectis filiis Potestatibus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum Lombardię, Marchię Tervisin., ac Romaniolę, Nostris damus literis in mandatis, ut eas, quarum tenores ipsis mittimus insertos nostris literis, faciant singuli in eorum Capitularibus annotari, contra hereticos sectę cujuslibet, secundum eas, exacta diligentia processuri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti Potestates, Consilia, & Communitates, Mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos eos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in Terram, appellatione remota, cogatis. Quod si duo ex vobis his non interfuerint, unus ea nihilominus exequatur. Datum Perusii V Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Nono.

Mandat ut supra.

1. *Friderico*.) Ut supra ad *XXXI Octobr. MCCXLIII.*

Nobilibus viris, universis Magistratibus &c. ut auxiliarem manum præbeant Inquisitoribus.

Anno 1252 ......

Ex Pegna ad calcem Director. Inquisit. pag. 14.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Nobilibus viris, universis Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & Potestatibus, Rectoribus, Consulibus, & Communitatibus Civitatum, & aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Tarvisinam, & Romaniolam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLX.

EX commissi Nobis Apostolatus tenemur officio super gregem Dominicum vigilare solicite, ac prudenter, ut pestis hereticę pravitatis, quę, dum serpit ut cancer in universali Dei Ecclesia, quamplures corrumpit fidelium, & plurimos mortaliter sauciat, exactę diligentię studio ab ipsis eminus propellatur, ac tanto propensius intendatur ad tam pestiferi morbi curam per Nos, & alios, qui sunt animalia oculata, & lucernę ardentes super ejusdem candelabrum, quanto gravior ex contagio ipsius morbi, & pestilentior anima-

Exordium a pastorali solicitudine.

Fratres Ordinis generaliter in Lombardia &c. Inquisitores delegati.

Mandat ut supra.

Inquisitionis effectus.

animarum sequitur corruptela. Cum igitur Fratres Ordinis Prędicatorum, Inquisitores generaliter in partibus Lombardię, Marchię Tarvisinę, & Romaniolę duxerimus super hujusmodi negotio deputandos, ut ipsorum prudentia deprehendat hujusmodi pestis contagione infectos; qui siquidem latentes in eisdem partibus demoliuntur quotidie vineam Domini, tanquam vulpeculę, caudas habentes colligatas in unum, sed diversas ad magis nocendum facies pretendentes: Universitatem vestram rogandam, hortandam duximus, & monendam, per Apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatenus ad reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, eisdem Fratribus in ipsius prosecutione negotii, cujus quidem salutaris effectus profectus est Catholicę Fidei, ac hereticę perversitatis defectus, requisiti ab eis, opportunum impendatis auxilium, consilium & favorem; & sic eis brachii secularis potentia, cum necesse fuerit, super hoc favorabiliter assistendo, quod adversus tales libere potestatis Ecclesiasticę sibi commissę valeant exercere censuram; & vestra inde devotio dignis in Christo possit laudibus commendari. Alioquin sententias, quas in rebelles, vel etiam negligentes, in hoc iidem Inquisitores rite duxerint promulgandas, ratas habebimus, & faciemus, auctore Deo, usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Datum Perusii V Idus ..... (1), Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Idus ....*) Supplendum videtur *Junii*, ita quod Die IX Junii datum sit hoc Diploma. Conjectatio est, & hoc uno nititur, quod ex contextu, debet ista, Bullam XIII Maii subsequi.

Anno 1252 Die 13 Junii.

Inquisitoribus, ut non obstantibus mendis (1), quæ irrepserunt in quædam Diplomata, juxta eorum tenorem quæstionem instituant in hæreticos.

Ex Pegna ad calcem Director. Inquisitor. pag. 12.

CCLXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Inquisitoribus hereticę pravitatis, Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Marchia Tervisana, & Romaniola, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

Cum literę nostrę, quas super negotio heresis, in Lombardia, Marchia Tervisana, & Romaniola extirpandę, nuper a Sede Apostolica Fratres vestri Ordinis reportarunt, processerint, sicut accepimus, in aliquibus propter nimiam festinationem incorrectę: discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus incorrectionis non obstante dispendio, quod ex superfluitate, vel diminutione literę seu syllabę, sive dictionis unius, vel plurium, inducatur, in memorato negotio procedatis juxta earundem continentiam literarum. Datum Perusii Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Mendis.*) *Ex corruptione* enim *latinitatis* quoddam privilegium nomine *Alexandri II titulatum* reiicit *Gregorius VII lib. I Epistol. XXXIII.*

Anno 1252 Die 20 Junii.

Cardinali Hugoni (1) S. Sedis Apostolicæ Legato, ut ab impedimento Matrimonii nonnullos solvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 702.

CCLXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Oratorum supplex petitio.

Committit ut supra.

Ex parte dilecti filii Ægidii nati Vveinci de Hodege, civis Leodien. (2) fuit Nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse cum Ida Domicella dicalecavallaresca loci ejusdem per verba contraxerit de presenti, corporali super hoc nihilominus prestito a partibus juramento, eademque Domicella ipsum Ægidium quarto gradu consanguinitatis attingat, dispensare secum, quod hujusmodi confirmare (3) matrimonium valeat, misericorditer curaremus. Quia vero, sicut intelleximus, de separatione hujusmodi matrimonii multa possent discrimina provenire, idemque civis, prout ejus nobis literis intimasti, carissimo in Christo filio nostro VV.... (4) Regi Romanorum Illustri devotus esse dicatur, & obsequiosus esse proponat, presentium tibi auctoritate committimus, ut cum eisdem, quod impedimento hujusmodi non obstante, contractum matrimonium inter ipsos libere confirmare valeant, & in sic contracto licite remanere, premissis circumstantiis perpensis attentius per te, vel per alium, auctoritate nostra, dispenses. Datum Perusii XII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Nono.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Leodien.*) In *Belgio*.
3. *Confirmare.*) Id est: *ratum habere*, vel legendum: *Consummare*.
4. *Vv....*) *Vuillelmo*, de quo sæpius supra.

Magistro Generali, ne quis ex nostris fiat Episcopus sine licentia Generalis Magistri, vel Prioris Provincialis. Anno 1252 Die 15 Julii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol.* 720.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXIII.

PEtitio tua Nobis exhibita continebat, quod cum aliqui Fratres tui Ordinis in aliquibus Ecclesiis in Episcopos eliguntur, vel etiam postulantur, iidem Fratres, licet proprium velle non habeant, sut uolle, pro eo quod renunciaverunt mundo, & proprię voluntati, & per se nequeant consentire, tamen irrequisitis Prioribus suis Provincialibus, quorum licentia, & testimonium essent in talibus requirenda, interdum electionibus, sive postulationibus, de se factis temere consentiunt, & locorum Archiepiscopi Fratres ipsos in Episcopos assumere, ac ordinare pręsumunt, propter quod plerumque in eodem Ordine scandalum generatur; super quo provideri per Sedem Apostolicam humiliter postulasti. Quia vero prędictum Ordinem, cum sit rectę vitę speculum, & salutiferę conversationis exemplum, semper de bono in melius cupimus, Deo propitio, prosperari auctoritate pręsentium, de speciali gratia districtius inhibemus ut nulli pręfati Ordinis Fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari forte contigerit, electioni, sive postulationi de se factę audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicunque alius Prelatus, vel etiam Legatus Sedis ipsius, dictos Fratres, nisi de tua, vel ipsorum Priorum Provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia, & consensu, aut Sedis ejusdem speciali mandato, oomeo promovendi Fratris specialiter exprimente, ad Episcopatus, vel alias dignitates extra dictum Ordinem assumere, vel ordinare pręsumat. Non obstantibus aliquibus literis a Sede Apostolica impetratis, cujuscunque tenoris existant, etiam si plenam, & expressam de illis, aut de toto tenore ipsarum oporteat fieri mentionem. Nos enim nihilominus decernimus irritum, & inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi a quibuscunque contigerit attentari, auctoritate Sedis Apostolicę semper salva. Nulli ergo &c. inhibitionis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis &c. Datum Perusii Idib. Julii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Supplex petitio Magistri Ordinis.

Encomium Ordinis.

Inhibitio.

Derogationes.

Sanctio poenalis.

1. *Archivo.*) Autographum asservatur in Cœnobio nostro Bononiensi. Aliud ejusdem tenoris *Datum Perusii III Idus Julii, Pontificatus Innocentii IV Anno IX*, lege *Tomo I Thesauri Anecdotorum P. Martene Ascetæ Congregationis S. Mauri Ord. S. Benedicti pag.* 1046.

Magistro, & Prioribus Ordinis, ut Fratres quibus ad alium Ordinem transire (1) concessum est, intra bimestre vel trimestre habitum ipsius suscipiant. Anno 1252 Die 15 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 721.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXIV.

IN gravem cordis nostri redundat offensam, si quod a Nobis salutis obtentu conceditur, in perniciem convertatur, non sine illorum scandalo, quorum mens ad hoc ferventius invigilat, ut & sibi per innocentis vitę meritum,& aliis proficiant per exemplum. Cum itaque sępe contingat, quod aliqui ex Fratribus vestris, prout accepimus, ad hoc a Sede Apostolica licentiam obtinent ad Religionem aliam transeundi, ut proprii motum sequentes arbitrii possint per seculum nequiter evagari, dignum esse providimus, ut super hoc salubre remedium apponamus. Hinc est, quod, nisi dicti Fratres infra duos, vel tres menses post obtentam licentiam supradictam se ad aliam Religionem contulerint, & ipsius habitum susceperint regularem, vobis, ut ex tunc, prout vestri Ordinis honestati expedire videritis, contra ipsos procedere valeatis, liberam, auctoritate pręsentium, concedimus facultatem. Datum Perusii Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Exordium.

Concedit ut supra.

1. *Transire.*) Dicam in *Tractatu De Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

Cardinali Hugoni (1), ut Praeposituram Argentinen. (2) alicui conferat. Anno 1252 Die 21 Augusti.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 723.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli Sanctę Sabinę, Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXV.

CUm super Prępositura Argentinen. Ecclesię principales sint adhuc in ipsius dispendium litigantes, propter quorum concursum ejus ordinatio impeditur; Nos eidem Pręposituręę, quę propter concertationes diversas competentium de certa pacifice non est ordinata persona, cum super ea nondum de alicujus vita liquere dicatur, volentes per viam compendii providere, mandamus, quatenus, vocatis omnibus, qui se in illa jus habere proponunt, & aliis, qui fuerint evocandi, omnes, quę super eadem Prępositura moventur, concordia, vel judicio terminare de plano (3) studeas quęstiones, faciens quod decreveris &c. Quod si nullum contendentium super eam inveneris jus habere, tu eidem Pręposituręę, auctoritate nostra, de illa venerabile fratre Nostro Episcopo Argentinen. consulto, per te, vel per alium provideas, de quo tibi

Mandat ut supra.

tibi melius videbitur, consideratis omnibus, expedire; non obstantibus aliquibus literis Apostolicis, per quoscumque super ipsa obtentis, vel processibus habitis per easdem. Contradictores &c. Datum Perusii XII Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Hugoni.*) De quo in *sequenti Appendice*.
2. *Argentinen.*) In *Alsatia*.
3. *De plano.*) Id est non in forma Judicii, sed in modum Denuntiationis.

Anno 1252 Die 31 Augusti.

Archiepiscopo Mediolanensi, Laudensi (1) Episcopo, & Præposito Sancti Nazarii Mediolanensis, ut inquirant de virtutibus ac miraculis Servorum Dei Petri (2) de Verona, & Dominici ejus Socii.

Ex Archivo [3] Ordinis.

CCLXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Mediolanen., Episcopo Lauden., & dilecto filio Preposito Sancti Nazarii Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium; quam sapienter ad Canonizationem Sanctorum Ecclesia devenias.

JUdicium Ecclesię de his, qui Martyrum creduntur accessisse Collegiis, & Coronas decoris de manu Domini suscepisse, non tam passio, quam aureola passionis informat. non tam miraculorum signa confirmant, quam evidentia testimonia operum Sanctitatis. Verum quoniam recolendę memorię viros, Petrum de Verona, & Dominicum Ordinis Prędicatorum Fratres, quos quidem negotio Fidei contra hereticorum perfidiam fideliter insistentes, ministrorum heretice pravitatis sęva occidit insania, Martyrum cętibus aggregatos, pręter justissimam patiendi causam, & decorę vitę meritum, quo Deo placere usque ad exitum studuerunt, clara, quibus coruscare dicuntur Miracula, protestantur, dilecti filii Clerus, & Populus Mediolanen. per communes, ac fideles nuncios Nobis humiliter, & cum instantia supplicarunt, ut ad gloriam Dei, robur Fidei, depressionem perfidię, ac christianę devotionis augmentum eosdem inclytos viros, quos regnare cum Christo in Ecclesia triumphanti pretiosa eorum mors, & multifaria prodigiorum argumenta significant, curaremus in Ecclesia militanti Sanctorum Catalogo aggregare. Licet autem supplicationem hujusmodi favore benevolo suscepimus prosequendum, cum jam Fidei ratio attelletur, tamen, ut super hoc rei veritas inexpugnabiliter innotescat, & invidia contradictionis cujuslibet adversitatis irrefragabiliter convincatur, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus de ipsorum Fratrum vita, atque miraculis solicite inquirentes, testes idoneos super his per vos, & per alios curetis legitime auctoritate nostra recipere & juxta interrogatoria, quę vobis sub Bulla nostra mittuntur interclusa, examinare prudenter, eorundem testium depositiones fideliter in scriptis redactas, sub sigillis vestris ad Sedem Apostolicam transmissuri. ut in negotio, sicuti secundum Deum videbitur, procedatur. Quod si non omnes iis exequendis simul poteritis interesse, duo, vel singuli vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Perusii II Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Cleri & populi Mediolanensis supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *Laudensi.*) In *Insubria*.
2. *Petri.*) Sancti, De quo superius *XIII Junii MCCLI.* Legendus *Thomas De Lentino* Auctor Coævus apud *Surium ad XXIX April.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum habes in Cœnobio nostro *S. Eustorgii Mediolanen.*

Anno 1252 Die 31 Augusti.

Cardinali Hugoni [1] S. Sedis Apostolicæ Legato, ut ab impedimento Matrimonii nonnullos solvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 724.

CCLXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero, Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex oratoris petitio.

EX parte dilecti filii Johannis de Hoxhe militis (2) fuit Nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse olim cum Helvidi muliere Leodien. (3) Diœcesis per verba de pręsenti matrimonium contraxisset, ac postmodum inter eos, carnali copula subsecuta, sit compertum, quod dictus miles Helvidem ejusdem mulieris filiam, quam de alio viro susceperat ante contractum hujusmodi matrimonium inter eos, de Sacro fonte levarit, quod in matrimonio sic contracto, per quod inter ipsum; & dictę mulieris consanguineos pacis fędera reformata dicuntur, impedimento hujusmodi non obstante, licite remanere valeat, de nostra eis permissione liceret. Gerentes itaque de circumspectione tua fiduciam in Domino pleniorem, obtentu carissimi in Christo filii nostri VV..... (4) Regis Romanorum Illustris, & multorum nobilium per suas Nobis super hoc literas supplicantium, pręsentium tibi auctoritate committimus, quod eisdem Militi, & Mulieri super ipso matrimonio, & Prole descendente ab ipsis, dummodo sine gravi scandalo fieri valeat, & negotio prędicti Regis expediat, provideas, dispensando, prout secundum Deum utriusque saluti videris expedire. Datum Perusii II Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Committit ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*.
2. *Militis.*) Id est: *Nobilis*.
3. *Leodien.*) In *Belgio*.
4. *VV....*) *Vuillelmi* sæpius memorati.

Cardi-

Cardinali Hugoni (1) S. Sedis Legato, ut Comitem Harcimanum De Grueninge a quodam impedimento Matrimonii solvat.

Anno 1252 Die 31 Augusti.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 725.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXVIII.

EXhibita nobis dilecti filii nobilis viri Comitis Harcimani de Grueninge petitio continebat, quod dissensionis auctor tantum inter ipsum, & nobilem virum Comitem de Veringe, Constantien. (2) Diœcesis; dissensionis materiam seminavit, quod ex ea non solum bonorum ipsorum sequebatur destructio, sed vicinorum locorum incolis, ac universis exinde transeuntibus multa corporum, & rerum pericula imminebant: Unde ad sedandam hujusmodi dissensionis materiam, & inter eos pacis fędera reformanda, idem Comes de Grueninge Nobilem mulierem Hedvvige natam dicti Comitis de Veringe juravit ducere in uxorem, ac etiam desponsavit. Verum quia prefatus Comes de Grueninge ipsam mulierem quarta linea consanguinitatis contingit, non ipse prius duxit ad consummationem hujus matrimonii procedendum, quam super hoc recursus ad Sedem Apostolicam haberetur, Nos humiliter supplicans, ut, cum ad reformationem pacis inter ipsos Comites, & multorum periculum evitandum, nihil adeo, sicut consummatio ejusdem matrimonii operetur, salubre remedium apponere curaremus. Attendentes igitur, quod urgens necessitas, & evidens utilitas dispensationem exposcit, mandamus, quatenus, consideratis diligenter circumstantiis universis, si utilitati, & negotio Reverendissimi in Christo filii nostri VV.... (3) Regis Romanorum Illustris videris expedire, dictis Comiti de Grueninge, ac mulieri, auctoritate nostra, per te, vel per alium dispensando concedas, ut, impedimento hujusmodi non obstante, possint, si velint, ad consummationem matrimonii predicti procedere; ac insimul licite remanere. Datum Perusii II Kaleudas Septembria, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Supplex oratoris petitio.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

2. *Constantien.*) In *Germania.*

3. *VV...*) *Vuilielmi* de quo sæpius.

Ordinem nostrum eximit a cura Monialium, exceptis Monasteriis Sancti Sixti (1) de Urbe, & Sanctæ Mariæ de Pruliano (2).

Anno 1252 Die 26 Septembr.

Ex Arch. (3) Ord. lib. A. fol. 722.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXIX.

EVangelicę prędicationis officium, in quo vos habet incumbens assidue fidelium populorum Pastoribus Ecclesiasticę solicitudinis necessitas adjutores, ea inter ceteras occupationes salutiferę actionis prerogativa prefertur, ut vix inveniatur aliquod exercitium in operibus pietatis, quod illi debeat anteferri. Propterea, ut sermo Domini inoffensis progressibus provehatur, oportet calceatos in preparatione Evangelii pacis pedes, nunc prefertim cum negotium Fidei adversus pestem pravitatis hereticę per suffragia temporis succrescentem, patrocinium defensionis implorat, non solum a secularibus, verum etiam a quibusdam aliis sanctę occupationis implicationibus expediri. Sane vehemens dudum Nobis suasit consideratio pietatis, ut nonnullarum Religiosarum Mulierum Collegia, vestro insererentur Ordini, & tanquam corporis vestri membra, secundum datam vobis cęlitus gratiam, per disciplinam vestrę solicitudinis regerentur, quatenus vasa fragilia feminarum, virilis virtutis soliditas, in sanctificationis honorificentia custodiret. Verum, sicut ex parte vestra fuit coram Nobis & Fratribus nostris expositum, per hujusmodi solicitudinem, vestro adversum proposito, interrumpitur, & turbatur in vobis, lectionis & doctrinę sacrę profectus, quorum disciplina reformatur in populo, reddens ipsum acceptabilem Domino, & bonorum operum sectatorem, & contra Fidei Catholicę inimicos, ad convincendas rationabiliter ipsorum versutias, doctorum pugilum acies ordinatur, sicque assumpti a vobis (4) negotii contra vulpeculas parvulas, quę vineam Domini audacioribus solito impetunt morsibus, prosecutio impeditur Nos igitur noleotes (5), ut privata nostrę circa personas prędictas miserationis humanitas, in publicę utilitatis dispendium convertatur, cum illarum necessitatibus aliter valeat provideri, ab omni cura, & solicitudine quantumlibet meritoria Monasteriorum Monialium incorporatorum vobis, seu commissorum, vel quomodolibet unitorum, Sancti Sixti de Urbe, quod utpote ad Romanam Ecclesiam pertinens, specialioris curę favore prosequimur, & S. Marię de Pruliano Tolosanę Diœcesis, quod per B. Dominicum ordinatum, & factum postmodum fel. rec. Gregorius (6) Papa predecessor noster vobis commisit, Monasteriis duntaxat exceptis, vos, & Ordinem vestrum, de prędictorum Fratrum nostrorum consilio, vestris inclinati precibus, duximus auctoritate prę sentium penitus absolvendos. Non obstantibus aliquibus Sedis Apostolicę, seu Legatorum ipsius privilegiis, indulgentiis, vel literis super incorporatione vel commissione, sive unione hujusmodi hactenus impetratis; Quas, vires nolumus obtinere, etiamsi contineatur in eis, quod aliquę ipsis, cujuscunque tenoris impetratę, vel impetrandę literę non obsistant; Vobis nihilominus indulgentes, ut ad recipiendum hujusmodi Monasteriorum curam, & solicitudinem aliquam, per indulgentias, seu literas predictę Sedis, vel Legatorum ipsius, si quas super incorporatione, commissione, vel unione talium, Ordini vestro facienda, impetrari contigerit, cogi nullatenus valeatis. Nulli ergo &c. nostrę absolutionis, & concessionis &c. Datum Perusii VI Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Exordium commendat prędicationis officium nostris familiare.

A quibus expeditus esse debeat Evangelii præco.

Nonnulla Monasteria Monialium Ordini cooptaverat Pontifex.

Fratrum supplex petitio.

Absolvit ut supra.

Derogationes.

Sanctio pœnalis.

1. *S. Sixti.*) Videas Diploma *Datum XVII Decembr. MCCXIX.*
2. *Praliano.*) Dixi superius *XV Octobr. MCCXV.*
3. *Archivo.*) Idem Diploma transcripsit *Ususmaris pag. 25.*
4. *Vobis.*) *Usasmaris* legit: *Nobis.*
5. *Nolentes.*) *Usumaris* legit: *Volentes*, sed in *Erratis* scripsit: *Nolentes.*
6. *Gregorius.*) *IX.* Diplomate *Dato XXIV Martii MCCXXXVI.*

Anno 1252 Die 30 Septembr.

Cardinali Hugoni (1), ut cantanda a quibusdam Monialibus Ordinis Sancti Benedicti definiat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 725.

CCLXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex petitio Monialium.

SIgnificaverunt Nobis dilectę in Christo filię Abbatissa, & Conventus Monasterii Beatę Marię in Frimburgh, Ordinis S. Benedicti, Trajecten. (2) Diœcesis, quod Orationes quędam in earum Monasterio & libris habentur, decantari solitę ab antiquo post B. Benedicti Ordinem, & Officium, quę observant; quę quidem propter sui prolixitatem tędium generant, & impedimentum ingerunt in Divinis, sed eas verentur propter conscientiam pretermittere, absque Sedis Apostolicę licentia speciali, super quo provideri sibi a Nobis humiliter petierunt. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus super hoc eisdem provideas, prout secundum Deum ipsarum animarum saluti videris expedire, dummodo non derogetur propter hoc ipsius Ordinis institutis. Datum Perusii II Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in sequenti *Appendice.*
2. *Trajecten.*) In *Germania.*

Anno 1252 Die 25 Novemb.

Priori S. Mariæ ad Gradus, & Archipresbytero S. Sixti Viterbien., ut de Vita & Miraculis Venerabilis Rosæ (1) testes interrogent.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 730.

CCLXXI.

Innocentius Episcopus, Servus, Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum, & Archipresbytero S. Sixti Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ven. Rosæ Viterbiensis.

SIc in Sanctis suis mirabilis, & benedictus in secula Deus noster venerandę memorię Rosam virtute, ac fortitudine in huius vitę solitudine dicitur solidasse, ut inter mundanos incursus, & vitiorum illecebras, virginei floris integritate servata, per virtutum ardua immaculato calle pertransiens, ac nitorem in conscientia perferens, foris aliis, velut Rosa redoluerit per exemplum, ac tandem secundum pietatis fidem, thronum glorię conscendere meruerit, choris virgineis sociata, prout clara Miraculorum indicia, quę in terris Divina Bonitas operari dicitur, protestantur, ne lucerna sub modio lateat, sed luceat ad veritatis agnitionem infidelibus, & fidelibus ad Fidei fulcimentum; His sane miraculorum signis, ac prodigiis dilectus filius Electus, Clerum, Consilium, & Populus Viterbien. merito, quin potius meritorie excitati, Nobis humiliter, & humaniter supplicarunt, ut fidelium testimonia super ipsius novellę Rosę fragrantia, videlicet vitę meritis, & miraculorum assertionibus recipi faceremus. Ita quod, quę felicitatis potiri creditur premiis in Ecclesia triumphanti, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; & quę gloriosa Dei Virgo coram hominibus claruit, pia innotescat patrona pro hominibus coram Deo. Nos igitur ipsorum laudabile votum favore benevolo cupientes prosequi, cum in re tam profundi judicii, tanta expediat maturitatis cautela procedi, ut his, qui perversitatis heretice fermento corrupti, loqui audent mala de Bonis, & in electis pingere maculam, ut Ecclesię sponsę Christi species decoloretur in membris, nullus insultandi fidelibus aditus relinquatur: Discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus super ipsius Rosę vita, & miraculis, Testes fide dignos, atque legitimos, quos undecunque produci contigerit, coram vobis legitime recipere, ac de singulis circumstantiis juxta interrogationis formam, quam vobis sub Bulla nostra transmittimus, prudenter examinare curetis, & ipsorum dicta fideliter in scriptis redacta, & sub propriis inclusa sigillis, in diversis locis caute servanda, deponere studeatis, donec predictis Electo, Clero, Consilio, & Populo Nobis supplicantibus, vel motu proprio ea viderimus requirenda, ut tunc eis inspectis, secundum Deum, prout motum nostrum res clarius nota formaverit, in negotio procedamus. Non obstante indulgentia, qua tibi fili Prior specialiter, vel Ordini tuo generaliter a Sede Apostolica &c. Datum Perusii VII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Cleri, Consilii & Populi Viterbien. Supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *Rosæ.*) Consulendus *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad An. MCCLII a pag. 14. ad 19.*, hic tamen non alienum esse videtur exscribere quæ notat idem auctor pag. 18. num. XVI. *Praclara evasit per Italiam* (immo per universum orbem) *pracipue in Tuscia, hujus Virginis* (Rosæ) *memoria . . . Agunt de ea Martyrologium Romanum, & Ordinis Prædicatorum, Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italia, & in Topographia Martyrologii. Marcus Ulissipponensis II Parte Chronic. Lib. II Cap. XVI, Silvarius Razzi in Vitis Sanctorum Hetruscorum, Abrahamus Bzovius . . . . . . volvunt & revolvunt corpus* (S. Rosæ) *Sanctimoniales, & vestes superinducunt pretiosiores, idque absque lasione, aut membrorum dissolutione . . . . . incendio consumptum est Anno MCCCLV ejus Sepulcrum, igne devorante omnia qua erant in Sacello, immo & vestes, quibus induebatur, incinerante, & annulos plures, quos habebat in digitis, liquefaciente, nec tamen vim ullam aut lasionem minimam sacro intulit Corpori, Deo ad insignis thesauri commendationem, obstupescentibus hominibus, & Monialibus, ab incendio corpus reservante.* Integrum adhuc *Viterbii* visitur.

Epi-

Episcopo Elenensi (1), ut auxilio sit Inquisitoribus ab Apostolica Sede delegatis. Anno 1252 Die 25 Novembr.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Elenensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXII.

GAudemus in Domino puritatem Fidei cariffimi in Christo filii nostri... Aragonum Regis (3) illustris dignis in Deo laudibus commendantes, quod, sicut lectę Nobis ipsius literę continebant, quę spiritualium attulere Nobis materiam gaudiorum, ipse tanquam Princeps Catholicus pravitatem hęreticam desiderat de Regnis, & Terris (4), suę ditioni subjectis, totis viribus extirpare. Quia vero non solum te decet nullum prestare impedimentum prosecutioni hujusmodi negotii, verum etiam adesse indefesso studio, Nobis tacentibus, & prodesse, cum non sit dubium, te in hoc prosequi proprium interesse; Fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Inquisitoribus super ipsa pravitate in tua Dięcesi, auctoritate Apostolica deputatis (5) super Inquisitione hujusmodi, nullum obstaculum interponas, quin potius eis hoc impendas eis efficaciter auxilium, consilium, & favorem; ita quod diligentię tuę studium clareat per effectum, & Nos sollicitudinem tuam possimus merito commendare. Datum Perusii VII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimo. Mandat ut supra.

1. *Elenensi.)* In Gallia Narbonensi.
2. *Archivo.)* In quo Exemplar. Autographum habes in Cœnobio *Barchinonensi*.
3. *Regis.)* *Jacobi I.*
4. *Terris.)* Vide Diploma *XX Augusti MCCXLV.*
5. *Deputatis.)* Legendum Diploma *XX Octobr. MCCXLVIII.*

Cardinali Hugoni Apostolicæ Sedis Legato, ut quæstionem habeat de injuriis (1), Guillelmo Romanorum Regi & Crucesignatis a quibusdam illatis. Anno 1252 Die 12 Decembr.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 726.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXIII.

AD nostram noveris audientiam pervenisse, quod Sculte·us (2), milites, & homines Castri de Confluentia, Treveren. Dięcesis, ad ven: Fratris nostri Archiepiscopi Treveren. (3) eorum Domini temporalis instinctum, in carissimum in Christo filium nostrum G... (4) Regem Roman: Illustrem Crucesignatos, & alios de exercitu dicti Regis manu irruentes armata, nonnullos ex ipsis vulnerare, alios occidere, quosdam spoliare, & captivare temere presumpserunt, aliquibus miserabiliter in Rheni flumine suffocatis, in ipsius Regis injuriam, & Ecclesię, ac Imperii negotii generalis non modicum detrimentum. Ne igitur tantę presumptionis temeritas, propter impunitatem transeat aliis in exemplum, mandamus, quatenus, si de plano (5), & absque judicii strepitu, super hoc per te, vel per alium inquirens, inveneris ita esse, dictum Archiepiscopum moneas, vel monere facias, ut plenariam super his satisfactionem ad mandatum tuum, immo nostrum impendere.. (6) forte contempserit, tu ex parte Nostra peremptorię (7) cites eundem, ut infra duos menses post citationem hujusmodi compareat personaliter coram Nobis prout decuerit, recepturus. Si vero in statuendo sibi termino ad Nostram venire presentiam recusabit, subditos ejus ab obedientia ipsius, in penam inobedientię suę, usque ad satisfactionem congruam, absolvere non postponas. Quod tamen feceris per tuas &c. Datum Perusii II Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimo. Quid actum sit exponit. Mandat ut supra.

1. *Injuriis.)* *Suscepit graves & justas iras Innocentius*, inquit Odoric. *Raynaldus* ad An. MCCLII num. XVIII, *in Treverensem Archiepiscopum, cum eo jubente, vel conniventę, Confluentiæ, quæ ditionis ipsius erat, sculteto Duce, a Militibus præsidiariis, Civibusque in arma concurrentibus, Guillelmi quædam Crucesignatæ Copiæ partim cæsæ, partim disjectæ, aut præter labentis Fluminis aquis mersæ fuissent .... unde severitatem in Archiepiscopum, qui Regiam suorum opera Majestatem violarat, distrinxit.*
2. *Sculdetus.)* Videas *Annotationem VI* in Diploma *Datum XXVI Octobr. MCCXLIII.*
3. *Treveren.)* Seu *Trevirensis*. In *Germania*.
4. *G...)* *Guillelmum*, de quo superius *XXVII Novembr. MCCL.*
5. *De plano.)* Dixi ad Diploma *XXI August. MCCLII.*
6. *Impendere....)* Sic exple: *Faciat, quod si forte.*
7. *Peremptorie.)* Dixi superius *XV Julii MCCXLIII.*

Cardinali Hugoni, Apostolicæ Sedis legato, ut mandatis Pontificis non obtemperante Archiepiscopo (1) Trevirense, Capitulum alium eligat Archiepiscopum. Anno 1252 Die 12 Decembr.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 727.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXIV.

AD nostram noveris audientiam pervenisse, quod &c. (2). Capitulo Treveren. ex parte nostra injungens, ut in certo termino, quem eis duxeris statuendum, aliquos ex se, plenam ab ipsis eligendi coram Nobis alium in Archiepiscopum Treveren., vel recipiendi vice omnium eum, quem in Pastorem Ecclesię Treveren. duxerimus providendum, habentes plenariam facultatem, ad presentiam nostram mittant; quod autem feceris &c. Datum Perusii II Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Archiepiscopo.)* Dixi ad præcedens Diploma.
2. *Quod &c.)* Sicut in præcedenti Diplomata ad hæc usque: *Non postponas.*

Anno 1252 Die 24 Decembr.

F. Bartholomæo (1) Germano Regis (2) Angliæ, ut non obstante defectu natalium possit ad Pontificatum assumi.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 731.

CCLXXV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bartholomęo de Ordine Prędicatorum, Capellano nostro, Germano carissimi in Christo filii nostri Regis Anglię Illustris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Licet contra illegitime genitos principales emanaverint Canonicę Sanctiones, quas convenit generaliter observari, solet tamen Apostolicę Sedis benignitas, cum specialis ratio id exposcit, rigorem earum lenitatis mansuetudine temperare, pręcipue circa illos, qui defectum hujusmodi scientia, moribusque compensant. Cum igitur, sicut intelleximus, clarę memorię Rex (3) Anglię Pater tuus coniugatus te genuerit de soluta, Encomium F. Bartholomæi. Nos attendentes tuę vitę progressum, virtutum profectibus, & multiplici dono scientię adornatę, tecum, ut non solum in susceptis Ordinibus licite ministrare, Dispensat ut supra. verum etiam ad Pontificatus Apicem, si te ad eum prestante Domino vocari contigerit, huiusmodi tuorum Natalium non obstante defectu, assumi, eumque recipere libere valeas, auctoritate pręsentium, de speciali gratia dispensamus. Sanctia pœnalis. Nulli ergo nostrę dispensationis &c. Datum Perusii IX Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Bartholomæo.*) Quod Episcopus fuerit iste, non legi; Certe non erat Anno MCCLIV, ut videre est ex *Bulla* - Tuis - *Data XII Augusti MCCLIV.*
2. *Regis.*) *Henrici III.*
3. *Rex.*) *Johannes* dictus *sine Terris.*

Anno 1253 Die 9 Januar.

Cardinali Hugoni (1), ut Guerardum quendam Episcopum constituat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 727.

CCLXXVI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid actum sit refert. Licet olim super provisione dilecti filii Guerardi, Prępositi Ecclesię Sancti Georgii Colonien., fratris Nobilis viri Arnoldi Domini de Dist. nostri & Ecclesię Romanę devoti, de aliquo Episcopatu, quem ipse duceret acceptandum, quam cito vocaret, in Regno Alemanię facienda, tibi sub certa forma direxerimus scripta nostra, idem tamen, grata se opportunitate ad id offerre tardante, Nobisque interim revocantibus, & literas super Archiepiscopatus & ... (2) habendas irritantibus, ita quod hi, ad quos pertinet, de illis disponendi, libera sit facultas, proventum spei de nostra in hac parte concepte gratia non suscepit: Movente igitur Nos, & efficaciter impellente ad spiritualiter (3) aliquid super hoc demandandum, quod carissimus in Christo filius noster Vv... (4), Rex Romanorum illustris, apud Lugdunum pro hujusmodi Mandat ut supra. provisione viva Nos voce rogavit, quodque tu, & idem Rex nuper pro ipso G..... instanter per literas supplicastis, mandamus, quatenus revocatione hujusmodi non obstante in ejusdem G..... provisione procedas juxta priorum continentiam literarum. Datum Perusii V Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*
2. *Et...*) Adderem: *Episcopatus.*
3. *Spiritualiter.*) Legendum: *Specialiter.*
4. *Vv...*) *Vuillelmus* de quo supra.

Anno 1253 Die 10 Januarii.

Fratribus nostris & Minoribus, ut adversus Saracenos [1] Crucem prædicent in Regnis Castellæ, & Legionis.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 732.

CCLXXVII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Prędicatorum, & Ministris Minorum Fratrum Generalibus in Regnis Castellę, ac Legionis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Regis Castellæ & Legionis encomium. Carissimus in Christo filius noster Rex Castellę, ac Legionis Illustris, ut Princeps Catholicus, & Deo devotus, aspirans ad augmentationem fidei, & nominis Christiani, prout Nobis intimare curavit, contra Saracenos de Africa, inimicos Crucis, transfretare proponit, cum bellatorum multitudine copiosa. Mandat ut supra. Quia vero ad prosecutionem hujusmodi negotii auxilium Christi fidelium est plurimum opportunum, mandamus, quatenus in ejusdem Regis succursum contra Saracenos ipsos, per Regna Castellę, ac Legionis, Crucem, per vos, vel per alios Fratres vestrorum Ordinum, quos ad hoc eligendos duxeritis, prędicetis, & studeatis ipsam recipere volentibus impertiri, concessuri omnibus illis, qui propter hoc in personis propriis, & expensis, aut in personis tantum, cum eodem Rege transfretabunt, sive in expensis suis miserint idoneos bellatores, & eis etiam, qui juxta facultatem, & qualitatem suam, secundum vestrę, & vestrorum, quibus hoc commiseritis, discretionis arbitrium, de bonis suis contulerint, pro conducendis, vel remunerandis idoneis bellatoribus in ipsius Regis subsidium destinandis, seu alias aliquot de bonis propriis pro hujusmodi subsidio erogabunt, juxta qualitatem, & quantitatem subsidii, & devo-

devotionis affectum, illam suorum peccaminum veniam, de quibus veraciter corde contriti, & ore confessi fuerint, quę succurrentibus, & mittentibus in Terrę Sanctę subsidium in generali Concilio est concessa. Volumus autem, quod vos, & illi, quibus hęc commiseritis, ea, quę pro conducendis hujusmodi bellatoribus, & alia etiam, quę pro prędicto subsidio fuerint erogata, fideliter colligatis, depositurí eadem penes aliqua tuta loca, Regi assignanda prędicto, cum per se, vel per Vicarium suum iter arripere voluerit, contra Saracenos hujusmodi transfretando. Datum Perusii IV Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Saracenos.*) Quæ de hoc scripserunt Auctores paucis commemorat *Odoric. Raynald. Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLIII num. XLIV. In Hispania meditatam a patre Ferdinando in Africam expeditionem, Alfonsus Castellæ & Legionis Rex urgebat, jamque ab elapsis retro Annis in Cantabrico litore constandæ classi incubuerat, cum Romanum Pontificem hoc anno rogavit, ut viris piis munus demandaret, ad sollicitandos pro Concione Populos, ut in arma sacra prosilirent.... piis desideriis respondit Innocentius.*

Priori Ordinis Prædicatorum, & Ministro FF. Minorum in Regno Navarræ, ut de Sacro Bello contra Saracenos suscipiendo dicant ad Populum. Anno 1253 Die 10 Januar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 733.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Ministro Minorum Fratrum, Generalibus, in Regno Navarrę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXVIII.

CArissimus (1) in Christo &c. (2) ipsos per Regnum Navarrę absque turbatione carissimi in Christo filii nostri, Regis Navarrę Illustris, per vos &c. (3). Datum Perusii IV Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Carissimus.*) Videas *Annotationem I in præcedens Diploma.*
2. *Christo &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *Succursum contra Saracenos.*
3. *Per vos &c.*) Sicut in eodem ad finem usque. Rex autem *Navarræ* de quo ibi, ille ipse est *Theobaldus*, cognomine *Magnus*, de quo sæpius infra. Regnavit ab anno MCCXXXIV ad MCCLIV.

Cardinali Hugoni (1) Sanctæ Sedis Legato, ut etiam extra Legationis suæ limites possit recipere restituenda, & Excommunicatos absolvere. Anno 1253 Die 11 Januar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 728.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXIX.

DEvotioni tuę, pręsentium auctoritate, mandamus, quatenus, si qui usurarii, vel alii aliqui, aliena illicite detinentes, de terris extra legationem tuam, ubicunque tibi expedire videbitur, pœnitentia ducti, usuras, & sic ablata, restituere voluerint, si, per Diœcesanum, & Presbyteros Parochialium Ecclesiarum terrarum ipsarum, hoc publice proposito in locis, in quibus viderint expedire, non appareurint aliqui, quibus eorum restitutio debeatur, prędicta, & alia male acquisita, & redemptiones votorum, si aliis non debentur, necnon & illa, quę manuum injectores, & incendiarii pro redimendis suis laboribus impendent, per te, vel per tuos Nuncios, a te specialiter deputandos, exigere, ac recipere non postponas. Contradictores &c. Datum Perusii III Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo. Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in *sequenti Appendice.*

Archidiacono & F. Danieli Ord. Prædicat. Bononien., ut confirment quædam statuta edita pro studentibus Bononiensibus. Anno 1253 Die 12 Januar.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 732.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono, & Fratri Danieli Ordinis Prędicatorum Bononien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXX.

DIlecti filii Rectores, & Universitas Scholarium Bononien. quędam dicuntur edidisse Statuta salubria, & honesta, quę ad utilitatem, & bonum statum ipsorum redundare noscuntur, ad quorum observationem se juramento pręstito, obligarunt; Nos itaque ipsorum supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus statuta ipsa, prout sunt licita, & honesta, auctoritate Apostolica confirmantes, ea faciatis firmiter observari; Contra non obstante, si aliquibus est ab Apostolica Sede concessa indulgentia, quod interdici, suspendi &c. Datum Perusii II Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Decimo. Mandat ut supra.

Cardi-

Anno 1253 Die 20 Januar.

Cardinali Hugoni [1], S. Sedis Legato, ut nonnullos ab impedimento Matrimonii solvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 751.

CCLXXXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex oratorum petitio.

DEvotionem, quam venerabilis frater noster Magdeburgen. (2) Archiepiscopus, & dilectus filius oobilis Vir Hernestus Comes de Clichen. Othonien., & Advocatus de Gera Nuemburgen. Dięces., una cum suis circa Romanam gerunt Ecclesiam, Nobis diligenter per tuas literas expressisti, affectuose deposcens, quod dilecta filia in Christo Cecilia relicta (3) Nicolai Comitis de Halandis (4), consanguinea ipsius Archiepiscopi, & Revuinus natus prętati Comitis (5), ut non obstante quod quarta affinitatis linea se contingunt, matrimonialiter copulari valeant, ac etiam, quod nobilis vir Henricus Advocatus de Pleuve, frater predicti Advocati de Gera, & Aleedis nata Nobilis viri Hermanni de Luthemberg, Nuemburgen. Dięcesis, quam idem Henricus pro fędere pacis inter se, ac illius coosanguineos duxit, & tertia affinitatis linea sunt conjuncti, manere possint, in matrimonio sic contracto, dispensare cum eis de benignitate solita dignaremur. Nos itaque digne volentes, quod dictus Archiepiscopus, & iidem Nobiles apud Nos pro suis Nunciis invenisse gaudeant gratiam benevolentię specialis; probatę circumspectioni tuę, pręsentium tenore, committimus; ut cum pręfatis personis super hujusmodi matrimoniis, auctoritate nostra, dispenses, si negotio Ecclesię, ac imperii quod in Partibus illis agitur, & utilitati carissimi in Christo filii nostri Romanorum Regis (6) Illustris id videris expedire. Datum Perusii XIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Committit ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice*.
2. *Magdeburgen.*) In *Germania*, ubi cetera, de quibus hic, civitates.
3. *Relicta.*) Idest Vidua.
4. *Halandis.*) Seu *Hallandia* in *Dania*.
5. *Comitis.*) *Hernesti* scilicet, de quo superius.
6. *Regis.*) *Vuillelmi*, de quo sæpius supra.

Anno 1253 Die 24 Januar.

Nostris in terra Cumanorum [1] constitutis, ut accedentibus ad Conciones Indulgentiam possint impertiri.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 735.

CCLXXXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Cumanię Partibus constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium de Cumanorum conversione.

EX eo Nobis causa magnę iucunditatis, & exultationis affertur, quod, sicut nuper a fide dignis accepimus, Cumani, qui hactenus in cęcitatis, & ignorantię tenebris ambulantes, fidem Catholicam impugnabant, nunc per Dei gratiam, via veritatis, quę Christus est, per vos ipsos exposita, redire volunt ad cultum Fidei Christianę: Nos igitur cupientes, ut iidem Cumani ad audiendum Verbum Dei, cum per vos in eorum auribus seminatum fuerit, eo libentius currant, quo exinde potiora beneficia se cognoverint percepisse, dandi Indulgentiam viginti, vel triginta, seu etiam quadraginta dierum, prout expedire videritis, omnibus accedentibus ad prędicationes vestras, cum ipsas in Terra eorundem Cumanorum ex causa prędicta feceritis, cuilibet vestrum concedimus, auctoritate pręsentium, facultatem. Datum Perusii IX Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Concedit ut supra.

1. *Cumanorum.*) Dixi ad *XXXI Julii MCCXXVII.*

Anno 1253 Die 25 Januar.

Statutum editum in gratiam Cœnobii nostri Treviren. (1) confirmat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 733.

CCLXXXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Treveren., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid ab Archiepiscopo Trevirensi statutum sit dicit.

EX tenore vestrę petitionis accepimus, quod cum quondam Nicolaus de Ponte, miles Treveren., iuxta Domum vestram, quandam domum in modum Claustri construxerit, venerabilis Frater noster Archiepiscopus Treveren., paci, & quieti vestrę, vel ejus, in hac parte consulere volens auctoritate ordinaria duxit deliberatione provida statuendum, ut in dicta Domo prefati militis nullus Religiosus Conventus, cujuscunque Ordinis, vel sexus, existat, sine vestro consensu possit in posterum collocari, prout in patentibus ejus literis, inde confectis, plenius dicitur contineri. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, statutum hujusmodi, sicut provide factum est, ratum, & firmum habentes, ipsum auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrę Confirmationis &c. Datum Perusii VIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Confirmat ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Treviren.*) In *Germania*.

Car-

Cardinali Hugoni, S. S.A. L., ut Monasterio de Cruciligen. (1) Ord. S.Augustini (2) consulat contra Constantiensem Episcopum.

Anno 1253 Die 28 Januarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 728.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, A. S. Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXXXIV.

DIlecti filii Prior, & Conventus Monasterii de Cruciligen., extra muros Constantien. Ordinis S. Augustini sua Nobis insinuatione monstrarunt, quod cum Nos dudum, venerabili Fratre nostro Constantien. Episcopo suggerente Nobis, quod Monasterium ipsum, propter malitiam habitantium in eodem, esset in spiritualibus, & temporalibus graviter deformatum, curam, & administrationem ipsius sibi a Nobis committi obtinuerit, usque ad beneplacitum nostrę voluntatis, idem non ad Reformationem potius, ut dicitur, intendens ejusdem, bona ipsius Monasterii propriis usibus applicat, pręponendo eisdem Priori, & Conventui seculares personas in opprobrium Regularis Ordinis, ac faciendo per ipsas eis victum tenuem cibi, & potus viliter ministrari, bona ejusdem Monasterii dilapidans enormiter, & consumens in animę suę periculum, plurimorum scandalum, & enormem ejusdem Monasterii lęsionem. Et cum dudum contra quosdam adversarios suorum armatorum multitudinem congregasset, iidem armati in eodem Monasterio hospitantes, pauperes, debiles, & infirmos, quorum aliqui erant in mortis articulo constituti, alii vero languoribus validis laborabant, de Hospitali ejusdem Monasterii inhumaniter ejecerunt, illud, quod ad refugium Infirmorum, & miserabilium Personarum pie hactenus deputatum fuerat in equorum stabulum convertentes, animalibus, & aliis bonis, ex quibus Prior, & Conventus prędicti sustentari debuerant consumptis totaliter ab eisdem, necnon & quibusdam Villis, & Mansis pręfati Monasterii per prędictos adversarios in ipsius Episcopi odium incendio devastatis. Quare fuit ex parte dictorum Prioris, & Conventus Nobis humiliter supplicatum, ut cum per hoc idem Monasterium, quod spiritualiter florere, ac temporalium abundare solebat, ad extremę paupertatis miseriam sit redactum super hoc eis misericorditer providentes, eidem Episcopo super cura, & administratione ipsius Monasterii, nisi quatenus jure Dięcesanorum sibi subesse dignoscitur, imponi perpetuum silentium faceremus. Licet igitur talia de prędicto Episcopo de facili credi non debeant, cum non sit verisimile, ut taliter famam suam in proprię salutis interitum negligat, & contemnat; quod tamen, si pręsidium obtinent firmitatis, eidem Monasterio in tanto constituto discrimine deesse non possumus, nec debemus, mandamus, quatenus inquisita super iis diligentius veritate, si tibi constiterit, ita esse, super hoc auctoritate nostra providere procures, prout, secundum Deum, utilitati ejusdem Monasterii videris expedire. Contradictores auctoritate eadem, appellatione postposita, compescendo, non obstante aliqua indulgentia eidem Episcopo ab Apostolica Sede concessa, quod interdici &c. seu aliquibus Confirmationis literis super Commissione hujusmodi a Sede Apostolica impetratis. Datum Perusii V Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Supplex Prioris & Conventus petitio.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Cruciligen.*) In *Germania*.

2. *Augustini.*) *Hospitalariorum* scilicet, ut liquet ex sequentibus.

Statutum ab Albanensi [1] Episcopo in hæreticos editum, confirmat.

Anno 1253 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum, & Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia, Romaniola, Marchia Anconitana, & Tervisina, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXXXV.

CUm venerabilis Frater noster Albanensis Episcopus auctoritate nostra super extirpatione pravitatis hęreticę, inter alia duxerit statuendum, ut Inquisitores hęreticorum in Provincia Lombardię a credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus hęreticorum, ad obedientiam Ecclesię redeuntibus, sub pęna pecuniaria cautionem exigerent, quod Fidem Catholicam firmiter teneant, & ulterius favorem aliquem hęreticis non impendent, & Nos Statutum hujusmodi approbaverimus, ex abundanti, ut firmior vester maneat in hac parte processus, prędicta vobis, & his, quos in hujusmodi contigerit ministerio subrogari, Auctoritate pręsentium duximus committenda. Datum Perusii IV Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Quid ab Albanensi Episcopo sancitum sit, dicit.

Approbat ut supra.

1. *Albanensi.*) *Petro de Collemedio*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCXLIII. pag. 115.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Illud exscripsit *Pegna ad Calcem Director. Inquisitorum pag. 25.*

Ar

Anno 1253 Die 30 Januar.

Archiepiscopis, & Episcopis, ut ex mulcta pecuniaria hæreticorum Inquisitoribus sumptus suppeditent.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCLXXXVI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, per Lombardię Provinciam constitutis, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Tenor confirmationis statuti ab Episcopo Albanensi in hæreticos editi.

CUm per nostras vobis mandemus literas, ut hereticorum credentes, fautores, receptatores, & defensores, qui post pręstitam cautionem, quod Fidem Catholicam firmiter teneant, & ulterius hereticis favorem aliquem non impendant, in id, quod abjuraverant, sunt relapsi, & quos in posterum relabi forte contigerit, ad solvendam pęnam, ab ipsis promissam, juxta ordinationem venerabilis fratris nostri Albanensis (2) Episcopi, auctoritate Apostolica factam, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis: fraternitati vestrę per scripta Apostolica mandamus, quatenus de his, quę taliter recipere vos continget, dilectis filiis Priori Provinciali Ordinis Pędicatorum, & Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia, Romaniola, Marchia Anconitana, & Tervisina, & substituendis eisdem, in expensis providere curetis, ad Inquisitionis hujusmodi officium opportunis. Datum Perusii III Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar. Illud idem Diploma exscripsere *Cherubinus in Bullar. Romano in Innocentio IV Const. X*, & *Pegna pag.* 15.

2. *Albanen.*) De quo in præcedenti Diplomate.

Anno 1253 Die 1 Februar.

F. Agnello, Vicario Conventus de Esculo (1), ut ab impedimento publicæ honestatis Gualfridum quendam immunem faciat.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 734.

CCLXXXVII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Agnello Ordinis Fratrum Pędicatorum, gerenti vices Prioris in Domo ipsorum Fratrum de Esculo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex oratoriæ petitio.

PEtitio dilecti filii Gualfridi, civis Esculan., Nobis exhibita continebat, quod Raynerius frater ejus cum Flore de Lisa puella, tunc infra septennium (2) constituta, sponsalia per verba de futuro contraxit, cumque completo septennio idem Gualfridus cum eadem Flore, quam pędictus Raynerius repudiavit, sponsalia duxerit contrahenda, dictus Gualfridus Nobis humiliter supplicavit, ut cum ipso, quod pędictam Florem, non obstante publicę honestatis justitia, possit sibi matrimonialiter copulare, dispensare de benignitate Sedis Apostolicę curaremus. De tua itaque circumspectione gerentes in Domino fiduciam pleniorem, mandamus, quatenus, si est ita, cum eodem Gualfrido super hoc, auctoritate nostra, dispenses. Datum Perusii Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Esculo*.) Seu *Asculo*, vulgo *Ascoli in Piceno*.

2. *Septennium*.) Alias igitur infra septennium contracta sponsalia, ne nuptiæ fierent, quandoque obstabant. Dixi QUANDOQUE, nullum siquidem hujusmodi præmatura sponsalia plerumque, etiam tunc, impedimentum creasse, liquet ex *Cap. Literas*. & ex *Cap. Accessit. Lib. IV Decretal. Tit. II de Desponsatione impuberum*. Ceterum ex hoc Diplomate capiti *Juvenis. Lib. IV Decretal. Tit. I de Sponsalib. & Matrimon.*, non nihil lucis potest afferri.

Anno 1253 Die 3 Februar.

Provinciali & Inquisitoribus Lombardiæ, ut Potestates &c. Jacobum de Laclusa in carcerem detrudant; alioquin per censuram Ecclesiasticam ad id compellantur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCLXXXVIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Pędicatorum Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia, Marchia Tervisina & Romaniola, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quæstiones institutas & sententiam in Jacobum de Laclusa a Fratribus nostris latam, refert.

SIgnificantibus dilectis filiis Fratribus Guidone (2) de Sexto, & Raynerio (3) Placentin. (4), Ordinis vestri, Nobis innotuit, quod, cum ipsos Inquisitores hereticę pravitatis in Civitate, ac Diœcesi Mediolanensi duxerimus deputandos, iidem intellecto, quod Jacobus de Laclusa Civis Mediolanensis errabat in Fide Catholica, secundum formam sibi a Nobis traditam citaverunt ipsum peremptorie, ut veniret coram eis juraturus super hoc, mandatis nostris, & Ecclesię, obedire: verum, quia dictus Civis hoc facere pertinaciter recusavit, pędicti Fratres quosdam testes fide dignos contra eum, servato juris ordine, receperunt, per quorum dicta constitit evidenter, quod pędictus civis est hereticus manifestus, & quod ipse ad damnationis suę cumulum, mortem bonę memorię Fratris Petri (5) Veronensis ejusdem Ordinis tunc Inquisitoris pravitatis hujusmodi, diabolica persuasione procurans, sacrilegis interfectoribus ejus dedit quandam pecunię quantitatem (6) in defensionem, ac favorem hereticorum, & Fidei orthodoxę, ac Romanę Ecclesię detrimentum. Quare pędicti Fratres, memoratum civem pronuntiantes hereticum, de Heresi per definitivam sententiam condempnarunt eundem, & perpetuo carceri mancipandum. Unde Nos dile-

dilectis filiis Nobilibus viris universis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Potestatibus, Rectoribus, Consulibus, & Communibus Civitatum dictorum Castrorum, & aliorum locorum per Lombardiam, Marchiam Tervisin., & Romaniolam constitutis, nostris damus literis in mandatis, ut prędictum civem, si eum ad loca eorum jurisdictioni subjecta venire contigerit, cum omnibus bonis suis capere, ac in perpetuo carcere detinere procurent. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si prędicti Marchiones, Comites, Barones, Potestates, Rectores, Consules, & Communia, mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos eos ad id, monitione premissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Quod si duo ex vobis iis non interfuerint, unus ea nihilominus exequatur. Datum Perusii III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Quid Nobilibus viris & Potestatibus præscriptum sit, dicit.

Mandat ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Asservatur insuper in Cœnobio *Mediolanensi*.
2. *Guidone.*) *Guidottus* vocatur ab *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad An. MCCLIII pag.* 141.
3. *Rayneria.*) De quo supra. Consulendus etiam *Echard* loco laudato *ad An. MCCLVIII pag.* 154.
4. *Placentino.*) *Placentiæ* siquidem in *Italia* natus est noster ille, non *Palentiæ* in *Hispania*. Hinc Emendandi *Bailletus* & alii nonnulli.
5. *Petri.*) Sancti, de quo superius *XIII Junii MCCLI.*
6. *Quantitatem.*) Quadraginta nummos. *Bzovius ad Annum MCCLI num. III.*

F. Raymundo [1] de Pennafort, ut electionem Abbatis S. Saturnini confirmet.

Anno 1253 Die 9 Februar.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol.736.

CCLXXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo de Pennafort, Ordinis Prędicatorum, Barchinone commoranti, Capellano, & Pęnitentiario nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUa Nos dilectus filius Prior, & Conventus Monasterii S. Saturnini de Tavernul. [2] ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Urgellen. Dięcesis, petitione monet, quod Monasterio ipso Abbatis Regimine destituto, ipsi convenientes in unum, spiritus Sancti gratia invocata, Bernardum de Vemeto Priorem Prioratus S. Andreę infra Pontes, ejusdem Ordinis, dictę Dięcesis, virum utique, ut asserunt, providum, & honestum, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, in eorum Abbatem canonice, & concorditer postularunt, cui Abbas S. Marię Rivipolea prędicti Ordinis, ad quem Prioratus ipse immediate pertinet, concessit licentiam ad ipsum Monasterium transeundi. Quare dicti Prior, & Conventus Nobis humiliter supplicarunt, ut postulationem hujusmodi admitti, & eidem Postulato, mandaremus munus benedictioni impendi. Quocirca mandamus, quatenus, si tibi constiterit, dictum Monasterium ad Nos nullo medio pertinere, inquisita de modo postulationis, Postulantium studiis, & Postulati meritis diligentius veritate, si Postulationem ipsam inveneris de persona idonea canonice celebratam, eam admittens, auctoritate nostra facias eidem Postulato munus Benedictionis impendi, & a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi; recepturus ab eo postmodum pro Nobis, & Romana Ecclesia fidelitatis solitę juramentum, juxta formam, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam; Formam autem Juramenti, quod ipse pręstabit, de verbo ad verbum per ejus patentes Literas, suo sigillo signatas, Nobis per proprium Nuncium studeas quantocius destinare; alioquin ea rite cassata &c. Contradictores &c. Datum Perusii V Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Oratoris supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *Raymundo.*) Sancto, de quo sæpius supra.
2. *De Tavernul.*) In *Catalonia*.

Fratri Vvillelmo de Cika [1], ut prædicet, & prædicare faciat Crucem contra Conradum [2].

Anno 1253 Die 10 Februar.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 735.

CCXC.

Innocentius, Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Vvillelmo de Cika, Ordinis Prędicatorum, Capellano carissimi in Christo filii nostri VV... [3] Regis Romanorum Illustris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD promotionem negotii Ecclesię Generalis & Romani Imperii, totis affectibus, & jugi solicitudine vigilamus; & ut idem negotium finem accipiat consummationis optatę optimum, libenter solicitę diligentię studium adhibentes, impendendo ad hoc quantum possumus operam, & aliorum opem nihilominus implorando. Hinc est, quod Nos de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus per te, vel alios tam Religiosos, quam seculares etiam, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, proponens, juxta datam tibi, & his, quibus id commiseris, a Deo prudentiam, fidelibus in Regno Alemannię verbum Crucis, eos, ut contra Conradum natum quondam F... olim Romanorum Imperatoris, ejusque fautores, suscepto Crucis signaculo viriliter se accingant, studiosis, & sedulis exhortationibus inducere non postponas. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa, quam Nobis licet indignis, Deus ligandi, atque solvendi tribuit potestatem, omnibus, qui laborem istum utiliter, & efficaciter in propriis personis subierint, & expensis, ac eis, qui non in personis propriis, sed in suis duntaxat sumptibus, juxta facultates, & qualitates eorum idoneos destinaverint bellatores, necnon, & illis, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumpserint onus ipsum, illam suorum peccatorum veniam, de quibus veraciter corde contriti, & ore confessi fuerint, indulgemus, ipsosque illo Privilegio, eaque volumus immunitare gaudere, quę Terrę Sanctę succurrentibus in Generali Concilio [4] sunt concessa; hujusmodi quoque remissionis concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum omnes illos,

Exordium a pastorali solicitudine.

Mandat ut supra.

Indulgentiam Plenariam Crucesignatis & aliis quibusdam elargitur.

illos, qui adversus eundem Conradum, & ejus fautores de bonis suis congrue ministrabunt, vel impendent consilium, & auxilium opportunum. Datum Perusii IV Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Cika.*) Dixi ad *XXVII Novembr. MCCL.*
2. *Conradum.*) Nondum ergo mortuus *Conradus* ille *Friderici II* filius, uti autumat *Bzovius ad An. MCCLIII num. II.*
3. *Vv....*) *Vuillelmi*, seu *Guillelmi*, de quo superius.
4. *Concilio.*) *Lugdunense I.*

Anno 1253 Die 20 Februar.

Episcopo Tusculano [1], ut ex Fratribus nostris & Minoribus, ad prædicandum Tartaris [2], destinandis, nonnullos creet Episcopos, ipsisque speciales quasdam concedat facultates.

Ex Oderico Raynaldo ad An. MCCLIII num. XLIX.

CCXCI. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Tusculano, A. S. Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Regis Franciæ petitio.

ATHleta Christi precipuus, & Christianissimus Princeps carissimus in Christo filius Illustris Rex [3] Francię, ad ampliandum cultum Christianę Fidei, ardenter aspirans, suis Nobis literis intimavit, ut cum, sicut ipse accepit a suis Nunciis [4], quos misit ad Tartaros, nonnulli ex eis Fidem Christi susceperunt per Baptismum, & quamplures ex ipsis, prout creditur, si proponeretur eis Verbum salutis, ad viam veritatis, quę Christus est, per Lavacrum Regenerationis redirent; conveniens, & salutiferum sibi videtur, & multis, ut quia procurante Calipho [5] de Baldach [6], Christiani, qui sunt in partibus illis, paucissimos babent Episcopos, aliqui de Fratribus Prędicatoribus, & Minoribus, qui ad prędicandum eis sunt destinandi, promoverentur ad vacantes illarum [7] Ecclesias ad Episcopalis apicem dignitatis; qui possent Ordines conferre, & alia Ecclesiastica Sacramenta, quę ad Episcopos pertinent, exercere, ac haberent etiam facultatem dispensandi cum illis, qui ad Fidem noviter convertentur, ut in gradibus non prohibitis in lege Divina, si necessitas, vel utilitas exigit, matrimonialiter valeant copulari, & quoad observationem jejuniorum secundum Constitutiones Ecclesiasticas passim non tenerentur astricti, donec per inhabitantem gratiam, in Fide Catholica fortius radicati, ad hęc, & aliis convenientia Christianis ritibus observanda se reddiderint aptiores. Quia vero Fratrum industrię earundem partium habere potes notitiam pleniorem, premissa omnia tuę providentię committimus, ut super his ordines, disponas, & facias, prout animarum saluti, & utilitati, & promotioni hujusmodi negotii videris expedire. Datum Perusii X Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Committit ut supra.

1. *Tusculano.*) *Othoni* scilicet, seu *Odoni*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad An. MCCXLIII pag.* 107.
2. *Tartaris.*) De quibus in Diplomate *Dato XXIII Julii MCCLIII.*
3. *Rex.*) *S. Ludovicus* IX.
4. *Nunciis.*) *F. Andrea, & F. Johanne de Carcassona*, Ordinis nostri alumnis, quos Anno MCCXLVIII *S. Ludovicus* ad *Tartaros* misit. Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad An. MCCLIII pag.* 140.
5. *Calipho.*) Sic impii *Mahumetis* successorem vocant.
6. *Baldach.*) *Civitas ista*, inquit Auctor Epistolæ, quam exscribit *Odoric. Raynal. ad An. MCCXIV num. III* &c. *Caput est totius legis Agarenorum*. Olim *Seleucia*, nunc *Bagdatum* vocatur, teste *Sansone*. Perampla ac munita sita est ad *Tygrim* Fluvium.
7. *Illarum.*) Supple: *Partium*.

Anno 1253 Die 26 Februar.

Monialibus Monasterii Sanctæ Mariæ de Nazaret (1), ut privilegiis universis, ac Indulgentiis Ordinis nostri gaudeant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii Sanctę Marię de Nazareth extra muros Papien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex Monialium petitio.

EXigentibus devotionis vestrę meritis libenter annuimus, & petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur, sicut lecta coram Nobis, ex parte vestra petitio continebat, Nos olim Ordini Fratrum Prędicatorum vos incorporantes, curam vestram ejusdem Ordinis Fratribus duxerimus comittendam, ac postmodum eosdem Fratres a cura omnium Monasteriorum Monialium unitorum, sive incorporatorum Ordini supradicto penitus per literas Apostolicas absolvisse (3) dicamur, decernendo nihilominus Indulgentias, & Privilegia dictis Monialibus, ab Apostolica Sede concessa, seu concedenda super his nullius existere firmitatis; Nos vestris devotis supplicationibus Inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut nullum per hoc vobis, quominus existentes unitę, ac incorporatę Ordini supradicto, universis privilegiis, ac Indulgentiis ejusdem Ordinis vobis competentibus gaudeatis, atque aliis, quę per unionem hujusmodi estis adeptę, prejudicium valeat generari; ita tamen, quod dicti Fratres per hoc ad gerendam Monasterii vestri curam nullatenus teneantur. Nulli ergo &c. Datum Perusii IV Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Indulget ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Nazareth.*) De quo supra *XXVII Novemb. MCCL.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Absolvisse.*) Diplomate Dato *XXVI. Septemb. MCCLII.*

Cardi-

Cardinali Hugoni S. Sedis Legato, ut Godefredo quarundam terrarum decimas conferat.

Anno 1253 Die 11 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 745.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXCIII.

EX parte dilecti filii Nobilis viri Ducis Brabantię (1) fuit Nobis humiliter supplicatum, ut Nobili viro Godefredo Domino de Pervves, & Gribergis consanguineo, & consiliario suo, exponere se, ut asserit, devotioni Romanę Ecclesię, ac carissimi in Christo filii nostri VV... (2) Regis Romani Illustris obsequiis cupienti, Decimas terrarum, quę in Dominio ipsius G.... (3) de novo redigi contigerit ad culturam, tertia parte Decimarum ipsarum Rectoribus Ecclesiarum, in quarum consistuut Parochiis, vel personaliter in eis deservientibus reservata, concedere, de speciali Apostolicę Sedis gratia curaremus: Quocirca discretioni tuę presentium auctoritate, committimus, ut super hoc agas vice nostra, prout negotio Ecclesię, ac utilitati prefati Regis tua providentia viderit expedire. Datum Perusii V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Ducis Brabantię supplex petitio.

Committit ut supra.

1. *Brabantia.*) In *Belgio*, is erat *Henricus III.*
2. *VV...*) *Vuillemi* de quo sæpius supra.
3. *G...*) *Godefredi.*

Cardinali Hugoni Sanctæ Sedis Legato, ut Duci Brabantiæ (1) nonnullas Decimas concedat.

Anno 1253 Die 11 Martii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 746.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXCIV.

EX parte dilecti filii Nobilis viri, Henrici Ducis Brabantię Nobis extitit humiliter supplicatum, ut, cum ipse in obitu Patris sui gravibus remanserit debitis obligatus, ac propter hoc Romanę Ecclesię, ac carissimo in Christo filio nostro VV... Regi Romanorum Illustri, assistere hactenus nequierit, prout gessit, & gerit in votis, eidem in relevationem debitorum hujusmodi, quo potentior fiat in subsidium Regis ejusdem, Decimas terrarum, quas in ipsius dominio de novo redigi contigerit ad culturam concedere de speciali Apostolicę Sedis gratia curaremus; Quo circa discretioni tuę (2) &c. Datum Perusii V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Brabantiæ.*) Ut in præcedenti Diplomate.
2. *Tuæ &c.*) In eodem.

F. Bartholomæo (1) Episcopo Nimociensi, ut Fratres Ordinis absolvere possit a censuris & isti valeant idem absolutionis beneficium Episcopo impertiri.

Anno 1253 Die 11 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 738.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bartholomęo de Ordine Prędicatorum, Episcopo Nimocien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXCV.

CUm nonnullos Religiosos plerumque contingat ex humana fragilitate in casibus illis excedere, in quibus excommunicationis sententiam & notam irregularitatis incurrunt; Nos tuę, ac illorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, qui tecum de licentia nostra morantur, saluti providere volentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eisdem Fratribus hujusmodi absolutione, ac dispensatione indigentibus, auctoritate nostra, beneficium absolutionis impendere, ac cum eis valeas dispensare; dictis quoque Fratribus absolvendi te super his, & dispensandi tecum in consimilibus libera sit de nostra permissione facultas; nisi adeo gravis, & enormis excessus fuerit, propter quem Sedes Apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Perusii V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Concessio.

Sanctio pœnalis.

1. *Bartholomæo.*) De quo in *sequenti Appendice.*

F. Petri (1) Episcopi Humarensis electionem confirmat.

Anno 1253 Die 11 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 737.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro de Ordine Prędicatorum, Episcopo Humaren., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXCVI.

CUm sicut venerabilis Frater noster Archiepiscopus Hydrosien. (2), Metropolitanus tuus, Nobis exposuit, Nos ei viva voce dedimus in mandatis, ut Humaren. Ecclesię Pastore, ut dicebatur, tunc de jure vacanti, provideret de persona idonea in Episcopum, & Pastorem; Idem attendens te virum provi-

providum & discretum, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, & quod per tuę diligentię studium dictą Ecclesia possit in utroque, auctore Domino, grata suscipere incrementa, hujusmodi auctoritate mandati, de te providit Ecclesię memoratę: Nos igitur ipsius Archiepiscopi, & tuis precibus inclinati, quod per eundem provide factum est in hac parte ratum, & gratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. nostrę Confirmationis &c. Datum Perusii V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Confirmatio.

1. *Petri.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.

2. *Hydrusin.*) Seu *Hydruntinus*, in Regno *Neapolitano*.

Anno 1253 Die 25 Martii.

Cælitibus annumerat S. Petrum [1] Martyrem, & ipsius festum die XXIX Aprilis celebrandum [2] decernit.

Ex Archivo [3] *Ordinis*.

CCXCVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

MAgnis, & crebris declarata prodigiis Christianę Fidei rectitudo, jam novo, Sancti novi, decorata martyrio, signorum recentium fulgore coruscat, & multis hactenus roborata portentis, nunc singularium miraculorum insignis confirmatur. Ecce de instanti, & moderno Fidei pugile, nova gaudia prodeunt, triumphalia signa notescunt, vox fusi sanguinis intonat, inclyti martyrii tuba clangit, terra non silet sudans aspersione cruoris, resonat regio nobili predita bellatore, ipsequemet gladius parricidam proclamat. Hęc sunt certe, certa Fidei sacrę indicia, hęc ipsius idonea testimonia, hęc ejus dignissima munimenta. Propter quod lętati sunt cęli; & terra in tanti perceptione gaudii pariter exultavit. Grandis adest matri Ecclesię causa lętitię; multa ei materia jucunditatis advenit. Habet unde Domino canticum novum cantet, unde immensę laudis hymnum referat Deo suo. Habet Plebs Catholica unde plaudat levatis Altissimo manibus, sonoris jubilet vocibus, & lętis animis jucundetur; Habet Christiana concio, unde devotas Conditori concinat cantiones. De Orto siquidem Fidei, nuper in mensam Regis ęterni, dulcis allatus est fructus. De vinea Ecclesię in regium calicem affluens noviter liquor influxit; quoniam fęcundus palmes hostili mucrone concisus habuit plus humoris, quia cohęsit pressius vivę viti. De Predicatorum Ordine florido prodiit rosa rubens, quę regalibus oblata conspectibus, intulit suavitatem odoris. De hujus Ecclesię fabrica electus est lapis, qui pressura, & tunsione politus decenter supernis ędibus est insertus. In cęlesti quoque rosario flos amęnus, rubro colore rutilans, nunc est natus in mundo, & candido Sanctorum collegio novum munditię lilium est exortum; Unde factum est magnum in Cęlo gaudium, exultantibus Sanctis omnibus, & solempnitatem agentibus tanti festi. Sane B. Petrus de Ordine Fratrum Predicatorum, Lombardus origine, prudenter attendens dolosi mundi fallacias, & devia seculi defluentis, cujus blanditiis quis ęditur cum linitur, cum ab his in adolescentię annis provide declinasset, vitę semitam eligens tutiorem, ut a lubricis caute pede retracto, firmis posset incedere gressibus, ad divina obsequia se totaliter transtulit, in evangelicę institutionis observantiam cuncta sua convertens studia, & universas dirigens actiones, rectum, ac lucidum callem sequens, salubrem videlicet ipsius Ordinis Regulam, per quam regi valeret, & dirigi, duci etiam, & induci ad speratam requiem post laborem. In qua utique triginta fere annorum spatio, fultus caterva virtutum, Fide preambula, spe astante, comite Charitate, sic prevaluit, & profecit, circa ipsius maxime defensionem Fidei, pro qua totus ardebat, quod contra illius diros hostes, mente intrepida, ferventique spiritu, continuum certamen exercens, suum tandem agonem diutinum, victrici superante martyrio, feliciter consummavit. Et sic ipse Petrus, firmus in petra Fidei, petra demum passionis allisus, ad petram Christum digne laureandus ascendit. Porro, ne sacra suorum actuum Nos exempla pretereant, aliqua de vita ejus, ad instructionem, & profectum audientium, referamus. Ipse namque veritatis filius, & bonitatis alumnus, conversatione conspicuus, spectabilis fama, & opinione mirabilis, miro pręsulsisse nitore munditię, virginitatem integre custodisse, nec mentis habuisse nec corporis corruptelam, & nullius mortalis criminis sensisse contactum, firma suorum Confessorum assertione monstratur. Et quia servus delicate nutritus protervit in Dominum, carnem suam assidua cibi, & potus parcitate restrinxit. Ne vero per otii desidiam, hostilibus pateret insidiis, in justificationibus Domini exercebatur assidue, ut, eo circa licita totaliter occupato, locum in ipso illicita non haberent, & a spiritualibus nequitiis tutus esset. Nocturna quidem silentia, humanę deputata quieti, post dormitionem brevem decurrebat in studiis lectionum, & somni tempus vigiliis occupabat. Dies autem impendebat commodis animarum, vel sedulis imminendo predicationibus, vel confessionum audientię insistendo, aut hereticum dogma pestiferum validis rationibus confutando; in quibus specialis dono gratię noscitur claruisse. Devotione insuper gratus, humilitate lenis, obedientia placitus, benignitate suavis, pietate compatiens; patientia constans, charitate pręstabilis, & in cunctis morum maturitate compositus, alios profusis virtutum aromatibus attrahebat, fervens quoque amator Fidei, cultor precipuus, propugnator ardentior, sic animo suo illam impresserat, sic se totum in illius manciparat obsequium, quod queque ipsius verba, & Fidei opera, virtutem redolebant; Cujus dulcedinem lingua ejus, velut redundans favus, copiose distillans, semper illius documenta suavia propinabat. Pro hac, inquam, mortem subire cupiens, hoc principaliter a Domino attentis, & crebris supplicationibus postulasse probatur, quod non sineret, eum ex hac luce migrare, nisi sumpto pro illa calice passionis. Unde quia meruit tantus Athleta specialem palmam de pugna tam strenua reportare, ac in cęlibem patriam sertis pręsignitus roseis, introire, cum de Civitate Cuman. (4), ubi Fratrum sui Ordinis, ibi

B. Petri Ord. Prædicator. vita commendatur.

Per XXX annos in Ordine Prædicator. vixit.

Martyr occubuit.

Ipsius virtutes recensentur.

Quam ardenter martyrium expetierit.

Ubinam passus sit.

ibi morantium Prior erat, Mediolanum pergeret, pro exequenda Inquisitione contra hereticos, sibi ab Apostolica Sede commissa, sicut in publica predicatione predixerat, quidam de ipsorum hereticorum credentibus, prece illorum inductus, & pretio, in eum, iter salutaris propositi prosequentem, funestus insilit: In agnum utique lupus, ferus in mitem, in pium impius, furibundus in mansuetum, in modestum effrenis, prophanus in sanctum presumit insultum, exercet conatum, mortem intentat. Sacrum autem illius caput gladio crudeliter impetens, diris in ipsum impressis vulneribus, & satiato sanguine justi ense, venerandum illum, non divertentem ab hoste, sed exhibentem se protinus hostiam, & cesoris sustinentem in patientia truces ictus, dimisit, spiritu petente superna, in ipso loco passionis occisum. Ipso quoque sacrilego, percussuras in Christi ministrum geminas inculcante, ille non querulosa voce murmurans, sed sufferens omnia patienter, suum Domino spiritum commendabat, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Symbolum etiam cepit dicere Fidei, cujus nec in hoc articulo desiit esse preco, prout ipse nephandus (5), qui a fidelibus captus fuit, & quondam Frater Dominicus (6), qui comes illius erat, & ab ipso lictore percussus, diebus aliquibus supervixit, postea retulerunt. Sic granum frumenti cadens in terram, & Infidelium manibus compressum, & mortuum, uberem consurgit in spicam; Sic botrus in torculari calcatus, liquoris redundat in copiam; Sic triticum attritum in area, in Dominicum horreum, excussa palea, deportatur; Sic aromata pilo contusa, odorem plenius circumfundunt; Sic, inquam, Regnum celorum a violentis percipitur; sic per Fidem a Sanctis Regna sublimia devincuntur. O quam insigne Martyrium, quod titulus tam gloriosus illustrat! Pro defensione namque, & exaltatione catholice Fidei, & observatione obedientie Romane Ecclesie, vir ille venerabilis, acerrimam mortem tulit. Hic in Ecclesia tanquam Sydus radians, & lumine Fidei, & gratia predicationis emicuit. Hic jam in Celo quasi luminare conspicuum, & splendore glorie, & multorum coruscatione signorum effulget; Quia non vult Dominus ipsius abscondere Sanctitatem, nec meritorum suorum virtutem supprimere in occulto, sed inter lucentia Sanctorum candelabra manifestius exaltare, ut omnibus, qui in Ecclesie domo habitant, proferat clarum lumen. Nam nec in vita latere sic potuit, quin Miraculorum claritate pateret. Cujusdam etenim Nobilis filium pre nimio, & horribili totius gule tumore, nec loqui, nec spirare valentem, levatis ad Deum manibus, & Crucis in eum facto signaculo, illoque accipiente ipsius cappam, & in infirmo supponente loco, sanavit. Idem quoque Nobilis, vehementi postmodum corporis torsione gravatus, credens, & metuens exinde sibi mortis imminere discrimen, cappam ipsam, quam ex tunc conservaverat, reverenter fecit afferre. Qua suo apposita pectori, mox vermem quendam, duo habentem capita, & pilorum densitate villosum evomuit, plena liberatione secuta. Cuidam etiam juveni muto, immisso digito in os ejus, sueque lingue soluto ligamine, beneficium loquele concessit. Hec & alia plura dum viveret, dignatus est per eum Dominus operari. Post mortem vero ipsius, lampades ad sepulcrum ejus venerabile dependentes, plures per se ipsas absque omni humano studio, & ministerio, divinitus sunt accense. Quia conveniens nimis erat, ut quoniam igne, ac lumine Fidei excellenter claruerat, singulare de ipso ignis, & luminis Miraculum appareret. Quidam autem dum vesceretur cum aliis, & illius sanctitatem, & Miracula depravaret, sumpto quodam sub hac obtestatione morsello, quod eum non posset, si circa hec delinqueret, transglutire, sensit mox ipsum gutturi suo sic herentem, ut illum educere, vel inducere non valeret; Quare ilico penitens, & jam, vultus mutato colore, quasi sentiens vicine mortis eventum, facto intra se voto, quod linguam de cetero ad talia non laxaret, fuit protinus illo evomito liberatus. Idropica quedam ad locum passionis ipsius auxilio viri perveniens, fusa ibi oratione, sanitatem integram mox accepit. Obsessas a Demonibus longo tempore mulieres, Martyr ipse, dejectis illis cum multo sanguinis vomitu de corporibus, liberavit; Febres expulit, languoresque curavit plurimos & diversos. Cujusdam sinistre manus digitum, ex morbo fistule plurium foraminum concavitate defossum, mira consolidatione sanavit. Quidam insuper puer ex casu gravissimo sic oppressus, ut motu, & sensu penitus destitutus, tanquam mortuus defleretur, mox apposita de terra suo pectori, sacro ejusdem Martyris cruore contacta, incolumis exsurrexit. Quedam, cujus carnem cancer edax sedula corrosione vorabat, linitis hujusmodi terra vulneribus, est curata. Alii etiam diversis infirmitatibus occupati, qui sepulcrum ejus in vehiculis, & aliis sustentaculis adierunt, exinde postmodum, plena incolumitate recepta, sine aliquibus subsidiis rediere. Ad hec magna hereticorum, & ipsorum credentium, multitudo, cum tantam Fidei adverterent efficaciam, & ad eam, tot certis, & appertis signorum indiciis, tanquam quibusdam clamantibus preconibus, vocarentur, nec possent quasi tam valide illorum instantie non parere, ad ipsius lucem Fidei, de sui erroris nubilo est conversa. Quid plura? His & quam multis aliis Miraculis gloriosis, magnificavit Dominus Sanctum suum, & colendum exhibuit universis. Letetur itaque totus fidelium cetus, & laudum carmina Deo concinat alta voce, quod a suis tanquam Christi coheredibus, mansiones celice possidentur. Exultet mater Ecclesia, quod palmes sunt, quem in agro Fidei plantavit, & coluit, in celeste plantarium est translatus; Gaudeat & insignis Fratrum Predicatorum Ordo, quod ex eo prosiliit stella micans, cujus fulgentea radii in lumen hic peregrinantium diffunduntur. Erubescant fallaces heretici, evangelice quidem falsarii veritatis, quod sua mendacia commenta vilescunt, & convalescunt Catholica, & Apostolica documenta. Obmutescant dolosa ipsorum labia, & impudentes frontes decidant tam confuse, cum ille, cujus veracem instructionem, & salutaria monita renuebant, cuique mortis intulere supplicium, in celo jam regnet inter agmina beatorum: Et mirum, cum aperte conspiciant Dei Ecclesiam talibus fulciri columpnis, talibus parietibus circumcingi, talibus consurgere incrementis, talibus propugnaculis communiri, talibus defensari patronis, talibus Miraculis illustrari, quod nichilominus in noctis tenebris, & mortis caligine gradiuntur, quodque a suis oculis squamas non abjiciunt cecitatis, ut verum lumen videant, & sequantur. Ceterum quia convenit, ut quem Dominus in celo magnificat, mundus colat, Nos de Sanctitate Vite, ac veritate Miraculorum ipsius Martyris inquiri fecimus diligenter: Et quia post inquisitionem solertem, studiosam examinationem, & discussionem solempnem plura etiam, & majora de ipso comperimus, quam insinuata fuissent, eum de communi Fratrum nostrorum, & Prelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio, & assensu, confisi de Omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, Sanctorum Martyrum Catalogo duximus ascribendum. Ideoque universitatem vestram monemus, & hor-

Causa Martyrii. Mortem suam, concionem habens prædixerat.

Symbolum Fidei in extremo spiritu recitat. Ipsius comes F. Dominicus.

Quæ viventem ipsum commendarunt, miracula percurrit.

Post mortem patrata recenset.

Quanta exultare lætitia, & gaudio triumphare debeat Mater Ecclesia. Hæreticorum fallaciæ ex hoc omnibus manifestæ.

B. Petrus Sanctorum Martyrum catalogo ascribitur.

XXIX Aprilis festum ipsius celebrandum decernit. Indulgentia conceditur visitantibus ejus sepulcrum.

& hortamur attente, per Apostolica scripta vobis precipiendo mandantes, quatenus tertio Kal. Maii festum ejusdem devote ac solempniter celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari, ut pia ejus intercessione, & hic a noxiis protegi, & in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Et ut ad venerabile ipsius sepulcrum ardentius, & affluentius Christiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejusdem Martyris colatur festivitas, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui cum reverentia illuc in eodem festo annuatim accesserint, ipsius suffragia petituri, de Omnipotentis Dei misericordia, Et BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Annum unum, & quadraginta dies, accedentibus vero annis singulis ad predictum sepulcrum infra ejusdem Festi quindenam, quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusii VIII (7) Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Petrum.*) Sanctum, de quo superius ad *XIII Jun. MCCLI.* Adeas *Bollandum ad Diem XXIX Aprilis*.

2. *Celebrandum.*) Dicam inferius ad *Bullam* quæ incipit: *Invictorum: Datam Idibus April. MDLXXXVI.*

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Illud idem Diploma exscripserunt *Cherubinus in Innoc. IV num. XI, Ususmaris pag. 26, Castellanus pag. 16 & Illustriss. D. Justus Fontanini in Codice Canonizationum ad annum MCCLIII, ex Thoma de Lentino, & Ambrosio Taegio*. Ceterum sic Autographum jure sequor, ut menda, quibus exemplaria, ab Auctoribus transcripta, scatent, non annotarim.

4. *Cuman.*) seu *Comum* in *Insubria*.

5. *Nephandus.*) Parricida nempe Carnifex, cui nomen *Carinus*. Is ipse est Venerabilis Servus Dei, quem in Beatorum numero Nostrates habent; & merito quidem. Sceleris enim sui conscientia cruciatus ad meliorem frugem brevi se recepit, & ascriptus Ordini nostro, satis spectata fuit ipsius virtus, ut vel perfectioribus esset exemplo. Ejus, velut Sacras, Reliquias ex omni memoria venerantur *Forolivienses*.

6. *Dominicus.*) *Longobardus*. Obiit *Die VIII April.*, inquit *Bailletus in vita S. Petri Martyris*; at cum *S. Petrus* passus sit *Die VII Mensis Aprilis*, uti docet noster *Thomas de Lentino*, Auctor coævus, *in vita ejusdem Sancti*, & *F. Dominicus ab ipso lictore percussus diebus aliquibus* supervixerit, ut loquitur Diploma, a sententia *Bailleti* desciscendum videtur.

7. *VIII.*) Auctores superius laudati, & *Gonzales in Summario Privilegiorum Ordinis Prædicatorum pag.* 14 scripsere: *Nono Kalendas*. Nostri tamen Autographi fidem firmat *Thomas de Lentino* dicens. *VIII Kalendas April., nondum exacto post Martyrium Anno Primo, illum* (S. Petrum) *Perusii in Platea Ecclesiæ Fratrum Dominicanorum . . . Sanctorum Martyrum Catalogo* (Innocentius IV) *statuit ascribendum*.

Anno 1253 Die 2 April.

F. Joanni de Columpna [1] Provinciali Romanæ Provinciæ, ut de sacro Bello adversus hæreticos suscipiendo Fratres nostri dicant ad Populum.

Ex Archivo [2] *Ordinis.*

CCXCVIII Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Joanni de Columpna Priori Provinciali Ordinis Predicatorum in Romana Provincia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

TUnc potissime Conditori omnium acceptabile obsequium exhibetur, cum pro Catholice conservatione Fidei, cujus est ipse perpetuum, ac stabile fundamentum, pura intentione servitur; digne itaque in hoc sibi providimus studiosum, ac placitum impendere famulatum, & precipue in quibusdam Ecclesie Romane terris propter ipsarum vicinitatem vigilare instantius, & validius satagere, contra diros hostes ejusdem Fidei, ut cultura salubris, per Nos impensa vicinis agris Dominicis, utilis sit longinquis, & semen Verbi Divini susum in proximis fructificet etiam in remotis. Licet Apostolica Sedes tales hostes ubique indefessa solicitudine persequatur, nec unquam ab hujusmodi exercitio cessaverit cura ejus: Hinc est, quod devotioni tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus, In remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus per te, ac Priores, seu Fratres Ordinis Predicatorum, tue cure commissos, quos ad hoc videris opportunos, contra hereticos in Patrimonio B. Petri, in Tuscia constitutos, sicut diligentius, & efficacius poteris, predices verbum Crucis. Ut autem tibi, ac Prioribus, & Fratribus eisdem de predicatione hujusmodi, & aliis fidelibus terrarum ipsarum, de Cruce propter hoc assumenda, desiderabile premium producatur: vobis, ac eisdem Fidelibus illam Indulgentiam, idemque privilegium elargimur, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium, in Generali Concilio conceduntur. Ceterum ut salutis tante negotium possit facilius, & efficacius promoveri, tibi, & Prioribus, ac Fratribus eisdem concedimus, quod illis ex fidelibus memoratis, qui propter hoc ad vestram solempnem predicationem accesserint, quadraginta dies de injuncta penitentia relaxetis, & omnibus hujusmodi Crucem sumentibus, qui pro incendiis aut Ecclesiarum fracturis, seu pro Injectione manuum in Clericos, vel alias Religiosas personas Excommunicationis laqueum incurrerunt, possitis absolutionis beneficium, juxta formam Ecclesie, impertiri, proviso, quod damna passis, & injurias satisfaciant competenter; illis tamen exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles, & enormes, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Perusii IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat prædicandam Crucem.

Prædicatoribus & Crucesignatis concedit Indulgentiam.

Facultas absolvendi a censuris Crucesignatos.

1. *Columpna.*) Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad An. MCCXC pag.* 418 &c.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Inquisitoribus, ut per Censuram Ecclesiasticam compellant Magistratus [1] ad leges in hæreticos latas observandas.

Anno 1253 Die 2 April.

Ex Pegna ad calcem Directorii Inquisit. pag. 14.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filila Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia, Romaniola, & Marchia Tervisina, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXCIX.

AD aures nostras pervenit, quod nonnulli Nobilea, Potestatea, & alii de Lombardię, Romaniolę, & Marchię Tarvisin. partibus nolunt Statuta nostra, & Imperialia contra hęreticos edita, in Statutis Civitatum, & locorum, quibus pręsunt, facere scribi, neque jurare juxta mandatum nostrum, se observaturos eadem, & facturos pro posse ipsorum, ab hujusmodi Civitatum, & locorum hominibus observari; Ne igitur mandatum nostrum super hoc directum, pretextu alicujus indulgentię, seu privilegii valeat impediri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Nobiles, Potestates, & alios supradictos ad executionem pręmissorum, juxta ejusdem mandati nostri tenorem, monitione pręmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Non obstante aliqua Sedis Apostolicę indulgentia, quibuscunque personis, sub quacunque forma verborum concessa, cujuscunque tenoris existat, quod excommunicari non possint, vel eorum Terra supponi ecclesiastico interdicto, absque speciali ejusdem Sedis mandato, faciente plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulgentia hujusmodi, & eorum nominibus mentionem. Datum Perusii IIII Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

Derogationes.

a. *Magistratus.*) Vide Diploma *Dat. XV Maii MCCLII.*

Priori Parisien. varia committit [1] circa Crucesignatos pro Terra Sancta.

Anno 1253 Die 2 April.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 738.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Parisien. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCC.

PLanxit hactenus non paululum Mater Ecclesia dolorem suum, videlicet miserabilem statum illius Terrę sanctissimę. quam olim Sanctis promissam Patribus, Dei Filius, inclinatis cęlis homo factus inhabitans, ipsam in propriam hęreditatem, & exhibenda ibidem Mysteria humanę Redemptionis electam, suo pretioso Sanguine consecravit. Luget adhuc amaritudine plena, & męrore confecta, quod pręter (2) quod foras interficit gladius, & domi mors similis est, tamen hostibus ejus alienos Deos colentibus factis in capite, ac profanam immittentibus ad ipsius desiderabilia (3) Sanctuarium Domini, cujus etiam ingressum divina eis interdicit prohibitio, polluitur. Hinc Christicolis in Christi sponsam insurgentibus, & filiis vipereo more lacerantibus matrem, cujus ubera lactaverunt, ex insperato cecidit (4) in illis partibus Exercitus Christianus, quorum & maxime carissimi in Christo filii nostri Regis (5) Francię Illustris casum, lacrymarum inundante diluvio, Ecclesia ipsa deplorans, emittit luctus, multiplicat fletus, & inter singultus, & suspiria vix respirans, clamat ad proximos, recurrit ad notos, & exponit domesticis fidei Salvatoris instantiam, qui sine intermissione singulos Fideles ad tirocinium suum vocat, & necessitatem ingentissimam Terrę Sanctę, cui nisi celeriter succurratur, timendum est, ne Saracenis invalescentibus, vix possit postea de ipsius recuperatione sperari. Attendite itaque universi Catholici, quam ignominiosum sit, locum illum, Salutis nostrę primordium coinquinari spurcitiis, & tanto tempore ab immundissimis gentibus contrectari; consideret quilibet, quam detestabile sit largitori omnium claudere dexteram, & non succurrere Salvatori, & apparebit aperte, quod nec ad effugienda hujusmodi opprobria, nec ad impendenda ei, qui omnia largitur auxilia e[.] ipsius fidelibus dormiendum. Nonne crimine lęsę majestatis involvitur, qui temporali Domino inter inimicos posito negat auxilium, ejusque terram ab hostibus non defendit? Unde cum plus sit Divinam, quam humanam lędere majestatem, non debet aliquis ad succurrendum Deo vivo, & vero, Domino Jesu Christo excitantis tubę sonitum, vel hortantis vocis pręconium expectare, sed sine interpellatione currere, ut non tam pęnam effugiat, quam regni cęlestis mereatur fieri particeps, & cohęres. Consurgite igitur strenui pugiles, Domini athletę, & ad tam sanctum, & laudabile opus virium vestrarum extrema conflantes, armemini protinus Crucis galea contra eos, qui sancta sanctorum coinquinant, & abominationes in ea, & immunditias introducunt, Ne vero dictus Rex, & dilectus filius Comes (6) Pictavien. Crucis assumpto signaculo in succursum dictę Terrę potenter, & magnificenter se accingens, qui non projecerunt animum, projecti, sed resurgunt constantiores, videantur in illis partibus, soli Crucem Domini bajulare, ut sitis una cum eis, & momentanei laboris participes, & ęterni pręmii non expertes, exsurgite in succursum eis viriliter, & potenter apprehendentes arma, & scutum ad ulciscendam illius injuriam, qui probra nostra diluit, & seipsum in Cruce pro nobis vivam hostiam immolavit. Et ut ad id eo libentius & animosius intendatis, quo exinde dona spiritualia, quę temporalibus pręferenda sunt, percepteritis potiora, Nos de Omnipotentia Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa, quam Nobis Deus, licet indignis, ligandi, atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem illum in propriis personis subierint, & expensis, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis ęternę pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis juxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, & illos similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, & eis, qui quartam, seu majorem partem proventuum, & obventionum de redditibus suis ipsius subsi-

Exordium tragęes Terrę Sanctę exponit.

Ut veniant subsidio, hortatur Fideles.

Indulgentia Crucesignatis concessa.

subsidio erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes; qui ad subventionem ipsius Terrę de bonis suis decimam, vel aliam partem pro hujusmodi subsidio ministraverint, aut circa prędicta consilium, & auxilium impenderint opportunum; & qui pro eodem negotio, auctoritate nostra, prędicaverint Verbum Crucis. Volumus etiam, Crucesignatos illo Privilegio, eaque immunitate gaudere, quę in generali Crucesignatorum Indulgentia continetur.

Crucesignati ab usuris pendendis eximuntur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras juramento tenentur astricti, creditores ipsorum, ut remittant eis prestitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, de plano, & absque solemni strepitu, veritate cognita, ecclesiastica precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum sub forma prędicta simili cogi animadversione mandamus. Judęos vero ad restituendas usuras ea, quę convenit, pręcipimus censura compelli, & donec illas remiserint fidelium eis communio denegetur.

Quotidianis distributionibus exceptis, proventus Beneficiorum percipiant Crucesignati Clerici.

Presbyteris autem, & Clericis, qui assumpto, vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi, & Clericis, Parochiales Ecclesias non habentibus, qui fideliter tantum transmiserint per bellatores idoneos, quantum expenderent, si personaliter illuc irent, presentium auctoritate concedimus, ut proventus Beneficiorum suorum, quę perciperent tempore passagii (8), vel Missionis, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, integre percipiant per triennium, ac si personaliter in Ecclesiis, in quibus Beneficia ipsa obtinent, residerent, & si necesse fuerit, eos per idem tempus vendere, vel pignori valeant obligare, non obstante contraria ipsarum Ecclesiarum consuetudine, vel statuto, juramento, vel confirmatione Sedis Apostolicę &c. (9), vel literis Apostolicis, de quibus specialem, & expressam oporteat fieri in presentibus mentionem, seu etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus Indulgentiis, vel non utendis impetratis, aut concessis, juramento prestito, promiserunt; & tam Crucesignatos, quam Crucesignandos postquam receperint signum Crucis, cum uxoribus, familiis, & omnibus bonis ipsorum, sub Apostolicę Sedis, vel Legatorum ejus protectione recipiendo, nequeant ad judicium evocari;

In fidem suam & tutelam Sanctæ Sedis Crucesignatos recipit.

statuentes ut bona ipsorum ex tunc integra maneant, & quieta, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissimo cognoscatur. Archiepiscopi vero, & Episcopi Diœcesani eorundem Crucesignatorum, necnon, & Archidiaconi, & eorum Officiales, nostra freti auctoritate, non permittant prędictos Crucesignatos contra protectionis, & indulgentię nostrę tenorem, ab aliquibus indebite molestari.

Decimas non solutas Terræ Sanctæ adjudicat.

Pręterea volumus, & pręsentium auctoritate concedimus, ut Clerici, & Laici Crucesignati, & Crucesignandi Comitatuum, & Terrarum Dominii, Castellaniarum, & Feudorum dicti Comitis, decimas, non ratione Ecclesiarum, pacifice detinentes, fructus earum hactenus perceptos, in Terrę Sanctę subsidium convertere valeant per se ipsos, vel eidem Comiti secura conscientia exhibere.

Quibus in locis Crucem proponere debeant præscribit.

Quocirca mandamus, quatenus per Francię, ac Navarrę Regna, Provinciam Britanniam, & Burgundiam, necnon, & Comitatus (10), Terras, Dominium, Castellanias, & Feuda prefati Comitis proponas, & proponi facias per alios, quos ad hoc idoneos noveris Verbum Crucis, eos ad id, si necesse fuerit, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compellendo.

Ad solemnem prædicationem accedentibus Indulgentiam elargitur.

Facultates concessæ.

Et ut fideles Christi libentius, & ferventius currant ad Verbum Domini audiendum, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad tuam, & illorum, quibus id commiseris, solemnem prędicationem accesserint, in qualibet Civitate, Villa, vel Oppido, in qualibet convocatione, vel statione, decem, vel XX, seu XXX, seu XL, vel LX dierum Indulgentiam, prout tu, & illi, quibus officium prędicationis committendum duxeris, largiaris, prout videris expedire. Ut autem nihil omnino desit ad commissum tibi officium exequendum, absolvendi juxta formam Ecclesię, in prędictis Regnis, Comitatibus, & Terris aliis manuum injectores in Clericos seculares, & Personas Religiosas, ac incendiarios, ac excommunicatos pro decima vel vigesima deputata ad pacis, ac fidei, & ejusdem Terrę negotia, non soluta, necnon sacrilegos, & eos, qui contra prohibitionem Apostolicę Sedis, vel Legati ipsius, Sepulcrum Domini visitarunt. Illos quoque, qui in partibus Albigen. (11) hęreticis, contra Catholicos auxilium impenderunt, dummodo hęretici, vel eorum credentes non sint, ac eos qui portaverunt ferrum, arma, ligamina, & merces prohibitas Saracenis, vel aliis contra Christianos, dederunt eis consilium, auxilium, vel favorem, necnon Clericos, qui excommunicationis sententiam incurrerunt per bo: me: Gualonem (12), Tituli Sancti Martini in Montibus, Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus Francię Apostolicę Sedis Legatum, in concubinarios promulgatam, & illos Clericos in Prelaturis, Dignitatibus, vel Personatibus constitutos, necnon Presbyteros, & Religiosos quoslibet, qui contra Constitutionem Ecclesię, Leges, vel Physicam (13) audierunt, ac dispensandi cum irregularibus, quos premissa occasione, vel pro eo quod forte excommunicati, vel suspensi alias irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen Crucesignati existant, vel recipiant signum Crucis, vel propriis expensis alios pro se miserint bellatores, vel juxta qualitatem culpę, & facultates suas congruam ad arbitrium tuum, vel illorum, quibus hoc duxeris committendum, de facultatibus propriis miserint portionem, nisi adeo gravis, & enormis excessus fuerit manuum injectorum, quod merito debeant ad Sedem Apostolicam destinari, ac reconciliandi pęnitentes, dummodo sint Crucesignati, vel recipiant Signum Crucis: & alia vota peregrinationis, & abstinentię, commutandi in votum hujusmodi pietatis, & absolvendi eos ab excommunicationis sententia, lata a Nobis, vel ven: fratre nostro Episcopo Tusculan. (14), tunc in partibus Francię Apostolicę Sedis Legato, vel quolibet alio in ipsos Crucesignatos, qui non transfretaverunt in terminis ab Apostolica Sede, vel ejus auctoritate statutis; & dispensandi cum Clericis, qui occasione hujus Irregularitatem aliquam incurrerunt, plenam tibi, ut per te, & alios, hęc valeas exequi, concedimus facultatem; proviso tamen quod prędicti manuum injectores, & incendiarii, injuriam, & damna passis satisfaciant competenter, & debitores Decimę ac vigesimę debitam satisfactionem impendant, & Crucesignati de transfretando in termino, quem eis de consilio, & assensu jam dicti Comitis duxeris prefigendum, sufficientem exhibeant cautionem.

Legitimo impedimento detenti poterunt vota sua redimere.

Si vero aliqui eorundem Regnorum, Comitatuum, & Terrarum legitimo fuerint impedimento detenti, eis redimendi votum Crucis, & tibi, vel aliis, quibus id commiseris recipiendi hujusmodi redemptiones, nomine prędicti Comitis, ac absolvendi eos a voto prędicto, & indicendi ferias (15) diebus de Prędicationibus, juxta tuę, vel ipsorum discretionis arbitrium, libera sit de nostra permissione facultas.

Mandat ut colligat pecunias

Volumus etiam, & mandamus, ut pecuniam, quę ob causas prędictas jam obvenit, vel in posterum obvenerit, per te, ac alios de consilio, & assensu prenominati Comitis fideliter colli-

colligas, assignaturus eam integre sępedicto Comiti, vel de mandato ipsius ad opus ejusdem Terrę, nisi fuerint alii hactenus de mandato Apostolico deputati; illos, qui pecuniam hujusmodi promiserint solvere, vel quomodolibet tenebuntur, per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, compellendo. Ceterum tu, & illi, quibus Verbum hujusmodi commiseris prędicandum, Rectores Ecclesiarum, Regnorum, & Comitatuum, ac Locorum prędictorum moneatis diligenter, & efficaciter inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per Censuras Ecclesiasticas compellendo, ut ipsi cum Parochianis suis ad audiendum Verbum Crucis, devote, ac reverenter accedant, & in ipsis prędicationibus, tu, vel ipsi, quibus id commiseris, ubi expedire videritis, harum literarum tenorem legatis, & legi faciatis cum debita reverentia, & exponi. Ceterum, quod, sicut accepimus, prędicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus tibi, & aliis per quęstuarios (16) impeditur, ne ipsi negotio impedimentum, vel obstaculum aliquod ingeratur, quęstuariis universis, si qui pręsentes fuerint, proponendi advenienti Populo, dum a te, vel aliis, quibus id committendum duxeris, proponitur Verbum Crucis, licentiam penitus interdicas, temeritatem eorum, qui contra pręsumpserint, per Censuram eandem compellendo. Ne vero os bovi trituranti claudatur, tibi in eodem officio laboranti, si expedire videris, pro tribus evectoribus (17), & totidem personis ad hoc necessariis procurationes recipere moderatas concedimus. Ad hęc volumus, & districte pręcipiendo mandamus, ut tam tu, quam illi, quibus hujusmodi Officium commiseris, qui simili tecum auctoritate funguntur, ita sitis in pręmissis exequendis soliciti, quod sine dilatione, absque alio mandato, exequamini ea fideliter, & prudenter. Non obstante, si aliquibus quod excommunicari, suspendi &c. interdici non valeant a Sede Apostolica sit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seu literis ab eadem Sede obtentis, vel obtinendis, per quę prędicta impediri, vel differri possint, & de quibus specialem oportet in pręsentibus fieri mentionem. Datum Perusii IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

assignandas Comiti Pictaviensi &c.

Ut Rectores Ecclesiarum &c. etiam per censuram possit compellere ad audiendum verbum Crucis cum Parochianis.

Facultas interdicendi quæstuariis prædicationem.

1. *Committit.*) Quo paucis cuncta hic necessaria præ oculis sint, audiendus *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLIII num. L. Versabatur adhu. in Syria S. Ludovicus ad Christianam rem, quæ in anceps discrimen adducta erat, sustentandam; Saraceni enim Damasceni, atque Ægyptii, & Babylonii . . . positis mutuis odiis inter se conciliati sunt, bellique molem in Fideles verterunt, & excursionibus in terras, quæ Christo parebant, factis, obvia quæque ferro, flammaque vastarunt.*

2. *Prater . . .*) *Odoricus* legit: *Prater id.*

3. *Desiderabilia.*) Idem addit: *Manum.*

4. *Cecidit.*) *Anno MCCL*, uti notat *Odoricus Raynaldus* ad hunc Annum.

5. *Regis.*) *S. Ludovici IX.*

6. *Comes.*) De quo superius *XVII Junii MCCLI.*

7. *Districtiue.*) Id est cum omni severitate.

8. *Passagii.*) ut supra, ad *XXV Augusti MCCXXXIII.*

9. *Apostolica &c.*) quæ hic desunt, nondum inveni.

10. *Comitatus.*) *Tolosanum*, scilicet, & *Pictaviensem.*

11. *Albigen.*) In *Gallia Narbonensi.*

12. *Gualonem.*) *Jacobum Guallam De Bicheriis*, de quo *Ciacon. Tomo II Vit. Pontif., & Cardinal. ad an. MCCVIII pag. 25.*

13. *Physicam.*) Idest *Medicinam*. Constitutio autem, de qua hic agitur, habetur *libro III Decretal. Titulo L cap. Non magnopere.*

14. *Tusculano.*) *Othone* scilicet, sive *Odone*, de quo *Ciaconius ad annum MCCXLIII pag. 117.*

15. *Ferias.*) Idest *Fidelibus interdicendi laborem, libera sit sibi facultas.*

16. *Quæstuarios.*) De quibus supra ad *XXII Aprilis MCCXXXIII.*

17. *Evectoribus.*) Videas *Annotationem IV ad Diploma VII Decembr. MCCXVII.*

Ædes Sacras Cœnobii Tolosani Die festo S.P. Dominici visitantibus Indulgentiam elargitur.

Anno 1253 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCCI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ecclesię S. Dominici De Tolosa, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN Sanctorum festivitatibus, quę a Christi Fidelibus votiva celebritate coluntur, dignis laudibus glorificatur Omnipotens, Sanctis ipsis debitus honor impenditur, & animarum profectus devotione congrua procuratur. Unde Nos, qui Fidelium ipsorum curam gerimus generalem, cum pre omnibus, quę nostrę incumbunt solicitudini, ad illorum salutem intendere teneamur, multo desiderio cupimus, ut illorum memoriam, quos, exutos jam corpore, Stola glorię induit Rex Cęlestis, venerabiliter recolentes, ipsorum festa, & celebri agant observantia, & solemnitate annua prosequantur: ac ut tanto accuratius ad eorum cultum fideles se pręparent, quanto plus ipsum animabus senserint profuturum, eum nonnunquam insigniis quibusdam, specialibus Indulgentiis videlicet, & remissionibus magnificare studemus, ipsas devote illum exequentibus largiendo. Hinc est, quod cum Ecclesia vestra in honore S. Dominici constructa esse dicatur, Nos ipsum digna coli reverentia cupientes, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad eandem Ecclesiam in illius Festo pura devotione accesserint annuatim, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Perusii III Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Exordium.

Indulgentia.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur *Tolosæ*, Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1253
Die 10 Maii.

Nullus Ecclesiasticum Beneficium Cathedralis Ecclesiæ ex Mandato Apostolico potest obtinere, nisi de eadem Ecclesia mentio specialis sit in eodem Mandato.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 747.

CCCII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Declarat, ut supra.

PEr tuas a Nobis literas certificari postulasti, an cum mandamus alicui Clero, de Prelatura, Personatu, vel Dignitate, aut Prębendali, vel aliquo Ecclesiastico Beneficio in aliqua Ecclesiarum, Civitate, vel Dięcesi provideri, mandatum hujusmodi ad Cathedralem Ecclesiam extendatur. Tenore itaque pręsentium sub brevilloquio respondemus, quod ad Cathedralem Ecclesiam, si de ipsa in eodem mandato mentio non habetur, nostra se intentio non extendit. Datum Assisii VI Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Anno 1253
Die 28 Maii.

F. Bartholomæum [1] germanum Regis Angliæ in suum Capellanum se recepisse declarat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 753.

CCCIII. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bartholomęo de Ord. Fratrum Prędicatorum, germano cariss.mi in Christo filii nostri Illustris Regis Anglię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TUę Religionis, & honestatis obtentu, ac etiam intuitu cariss.mi in Christo filii nostri Illustris Regis Anglię, fratris tui, te in Capellanum nostrum recepimus de nostra gratia speciali; Ne autem id ab aliquo possit in dubium revocari, tibi pręsentes literas super hoc in testimonium duximus concedendas. Datum Assisii V Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

1. *Bartholomaum.*) Cujus mentio supra *XXIV Decembr. MCCLII.*

Anno 1253
Die 4 Junii.

F. Hugoni, S. R. E. Cardinali Legato, ut in quosdam Clericos quæstionem instituat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 750.

CCCIV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tituli S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Guillelmi Romanorum Regis supplex petitio.

EX parte carissimi in Christo filii nostri Vv... (1) Romanorum Regis Illustris fuit propositum coram Nobis, quod licet interdum nonnullis Pręlatis Regni Alemannię, & aliis Personis Ecclesiasticis nostris dederimus literis in mandatis, ut quosdam ipsius Regni Nobiles fautores Conradi (2) nati quondam Friderici Romanorum Imperatoris, monere, & efficaciter inducere procurarent, quod infra certum temporis spatium in eisdem expressum literis, post monitionem ipsorum, ad devotionem Ecclesię redeuntes, Castra, & munitiones Imperii quę detinent occupata, Regi restituerent memorato, alioquin filios, fratres, & consanguineos eorundem Clericos, & Capellanos nostros, Prelaturis, Personatibus, Dignitatibus, & aliis Beneficiis Ecclesiasticis quę obtinent, auctoritate nostra privarent. Contradictores &c. Dictis tamen Clericis, & Capellanis quasdam coram eisdem Prelatis, & Personis proferentibus Indulgentias, quibus eis ab Apostolica Sede concessum esse dicitur, quod patrum, fratrum, & consanguineorum suorum indevotio eis obesse nequeat, quominus possint Prelaturas, Personatus, & Beneficia, Ecclesiastici retinere, mandatum super his Apostolicum non potuit executioni debitę demandari; propter quod idem Rex a Nobis humiliter petiit, ut, cum ex hoc in illis partibus promotioni Romani Imperii, & negotii generalis Ecclesię impedimentum non modicum generetur providere in hac parte sibi Apostolica sollicitudine curaremus. Nos igitur ejusdem Regis precibus inclinati, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra huiusmodi Clericos, & Capellanos, & illos pręcipue, qui de Ecclesiastica redditibus (3) hujusmodi, Apostolicis Indulgentiis nequaquam obstantibus, per te, vel per alium procedas, juxta earundem continentiam literarum prout videris expedire. Datum Assisii II Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Vv....*) *Vuillelmi* de quo sæpius. *MCCL.*
2. *Conradi.*) Vide Diploma *Datum XXVII Novembr.*
3. *Redditibus.*) Aliquid ibi desiderari videtur.

Car-

Cardinali Hugoni (1), ut Fredericus quidam complura Beneficia possit obtinere.

Anno 1253 Die 4 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 749.

CCCV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD faciendam gratiam dilecto filio Frederico Scholari, germano dilecti nobilis viri Henrici Domini de Lichtemben., Advocato Argentino, sua, & suorum cura, Nos, & Romanę Ecclesię devotio inducit. Hinc est, quod Nos suis supplicationibus inclinati, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel per alium cum eo, postquam fuerit clericali charactere insignitus, quod plura Ecclesiastica Beneficia, cum cura, vel sine cura, usque ad summam, de qua, pensatis circumstantiis, & ejus meritis, secundum Deum expedire videris, licite recipere, si sibi canonice offerantur, ac libere insimul retinere valeat, Constitutione Generalis Concilii, & quod minoris, ut dicitur, est ętatis, nequaquam obstantibus, auctoritate nostra dispenses. Proviso quod Beneficia ipsa debitis &c. (2). Datum Assisii II Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Commissio.

1. *Hugoni.*) De quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*. Quæ autem hic notanda forent, dixi superius *ad XXVII Junii MCCXLVI.*

2. *Debitis &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hoc usque verbum. *Negligatur.*

Priori de Venetiis, ut Abbatem, & Monachos de Pomposa ad restituendum quoddam prædium compellat.

Anno 1253 Die 7 Junii

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 754.

CCCVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum de Venetiis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUa Nos dilectus filius Hugactus Miles Tervisinus petitione monet, quod Albertus quondam Abbas Monasterii de Pomposa, eo tempore, quo cum quibusdam Monachis suis extra dictum Monasterium propter guerrarum discrimina morabatur, aliis Monachis eadem occasione extra dictum Monasterium per diversa loca dispersis, quandam possessionem pertinentem ad dictum Monasterium sitam in districtu Ferrarię, quę Polesinus Zochę vulgariter appellatur, recepta ab eo quadam summa pecunię sibi, & Constantino filio suo, de consensu prędictorum Monachorum, sub annuo censu provida deliberatione concessit, prout in publico Instrumento inde confecto, dicitur plenius contineri; Nosque postmodum concessionem ipsam ratam habentes, & gratam, ipsamque auctoritate Apostolica confirmantes, supplevimus defectum, si quis in ipsa extitit, de nostrę plenitudine potestatis, Decano Tervisino super confirmatione ac suppletione hujusmodi sibi Conservatore concesso. Cumque postmodum, eodem Abbate cedente regimini ejusdem Monasterii idem Miles, & natus Conradus Abbatem, & Conventum ejusdem pro eo, quod ipsos super eadem possessione contra Justitiam molestantes, non permittebant eos pacifica ejusdem possessione gaudere, coram eodem Conservatore citari fecissent, idem Conservator in ipsos, quod citati legitime, in prępfixo eis termino peremptorio comparere coram eo contumaciter denegabant, canonica monitione pręmissa, excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgavit, quam cum ad instantiam eorundem Abbatis, & Conventus, juxta formam Ecclesię relaxasset, injuncto, quod eisdem Militi, & nato ejus satisfacerent de expensis, tandem dictis Abbate, & Conventu, non parentibus super hoc mandatis ipsius, dictus Decanus ipsos in sententiam reduxit eandem: sed postmodum idem Abbas, & Conventus ex sufficienti gravamine ab eodem Conservatore se appellasse dicentes, super appellatione sua ad Jacobum Primicerium S. Marci de Venetiis (1) suos Collegas, nollrs literas impetrarunt; quibus nequeuntibus in decisione causę hujusmodi convenire, ac eam ad examen Apostolicum remittentibus, Nos ipsam ad petitionem eorundem Abbatis, & Conventus dilecto filio Magistro Rodulpho de Mirabello, Decano Pictavien., Capellano nostro, commisimus audiendam, qui Militem, & Conradum pręfatos reputans contumaces, dictam excommunicationis sententiam relaxavit. Quare pręfati Miles, & Conradus natus ejus Nobis humiliter supplicarunt, ut cum iidem Abbas, & Conventus jam dictam possessionem detineant occupatam, vel eam aliis duxerint concedendam, super hoc eis subvenire misericorditer curaremus. Nolentes igitur eidem militi & Conrado in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, mandamus, quatenus, si de plano, sine judicii strepitu tibi constiterit de pręmissis, eosdem Abbatem, & Conventum, quod possessionem prędictam eis sine qualibet difficultate restituant, de fructibus medio tempore perceptis ex ea, necnon de damnis, & expensis, quę propter hoc incurrerunt, satisfactionem plenariam impensuri, ex parte nostra monere diligentius, ac inducere non postponas; Quod si moniti non acquieverint in hac parte, tu de Terris, quas idem Monasterium habet in districtu, & diœcesi Tervisin., ad ęquivalentiam possessionis ejusdem, ac etiam pro satisfactione fructuum, & expensarum Militis, & Conradi, pręfatorum, tenendis ab eis, quousque possessionem Corporalem terrarum hujusmodi, contrario non obstante, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici &c., & Constitutione de duabus dietis &c. Dummodo ultima tertia, vel quarta &c., & Indulgentia, quam Fratribus tui Ordinis &c. Datum Assisii VII Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Hugacti supplex petitio.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Venetiis.*) Aliquid ibi desiderari crediderim.

Anno 1253
Die 24 Junii.

Archiepiscopo Prussiæ, & Livoniæ, ut Ecclesiæ Lethoviæ Episcopum constituat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 753.

CCCVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo Prussię, & Livonię (1), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Lethoviæ Rex evulsus ab errore.

CArissimus in Christo filius noster Illustris Rex Lethovię (2) de novo conversus ad cultum Fidei Christianę ferventer in voto gerere dicitur, quod Episcopalis Sedes in suis partibus habeatur, maxime cum ipse Cathedralem Ecclesiam in expensis suis de novo erigere sit paratus, ac ipsam dotare magnifice pro Dei gloria, & honore. Nos itaque piis eius desideriis annuentes fraternitati tuę, de qua in Domino fiduciam specialem gerimus, per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus personam providam, & honestam, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectam, quę sit accepta dicto Regi, cum super hoc ab ipso requisitus extiteris, eidem Ecclesię auctoritate nostra pręficias in Episcopum & Pastorem, &, associatis duobus, vel tribus convicinis Episcopis, ei munus consecrationis impendas, faciens sibi a subditis obedire, & reverentiam debitam exhiberi. Contradictores &c. Recepturus ab eo postmodum pro Nobis, & Ecclesia Romana, fidelitatis solitę juramentum juxta formam, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam; formam autem juramenti &c. Nos enim nihilominus irritum decernimus & inane, si quid super hoc contra mandati nostri tenorem contigerit attentari. Datum Assisii VIII Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Decimo.

Mandat ut supra.

1. *Livonia.*) *Henrico* nempe de quo in *Appendice sequenti*.
2. *Lethovia.*) Seu *Litlandia*, vulgo *Letten*, pars est *Livoniæ*. Emendandus ergo videtur *Odoricus Raynaldus*, qui *ad Annum MCCLIII, num. XXVI* quæ de *Lethovia*, seu *Litlandia*, hoc in Diplomate sancita fuere, de *Lithuania* seu *Lithvvvia* dicta censet. At præterquam quod *Lethovia* & *Lithovvia* distinctæ ac diversæ sunt Provinciæ, uti mox diximus, liquet etiam ex Diplomate Dato *Die XVII Jul. Anno MCCLI* quod Episcopum in *Lithvania* constituendum jamjam decreverat *Innocentius*, actum igitur ageret, si hic de *Lithvania* sermo esset.

Anno 1253
Die 1 Julii.

Cardinali Hugoni (1) S. Sedis Legato, ut Gerardum Dominum De Dolboi ab impedimento matrimonii solvat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 756.

CCCVIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ETsi coniunctio copulę coniugalis in quarta consanguinitatis, vel affinitatis linea facta, sit Canonibus interdicta, provide tamen super his interdum Romana dispensat Ecclesia; maxime cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram Nobis, nobilis vir Henricus Comes de Lucelluntiburgh Treviren. (2), & Gerardus frater ejus dominus de Dolboi Leodien. (3) Diœcesis, in Ecclesię negotiis se tibi obsequiosos exhibuerint, & devotos; Nos intendentes ipsos ob hoc gratia prosequi, & favore, mandamus, quatenus recepta ab eodem Gerardo de adhęrendo Ecclesię, & carissimo in Christo filio nostro VV... (4) Regi Romanorum Illustri, idonea cautione, cum ipso, & nobili muliere Mahadi uxore sua, ut, non obstante quarta consanguinitatis linea, qua sibi ad invicem attinent, in contracto matrimonio remanere libere valeant, auctoritate nostra dispenses, prout videris expedire. Datum Assisii Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*.
2. *Treviren.*) In *Germania*.
3. *Leodien.*) In *Belgio*.
4. *VV...*) *Vuilielmo*, de quo sæpius.

Anno 1253
Die 12 Julii.

Cardinali Hugoni (1), ut Trevirensis (2) Archiepiscopus quædam Beneficia valeat retinere.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 757.

CCCIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VEnerabilem Fratrem nostrum Arnoldum Treviren. Archiepiscopum ob sincerę devotionis affectum, quem ad Nos, & Romanam Ecclesiam in negotio generali habere dignoscitur, volentes speciali prętogativa gaudere, mandamus, quatenus eidem Archiepiscopo, quod Ecclesiastica Beneficia, & Personatus, quę ante promotionem suam obtinuit, prout hactenus ex indulto nostro dicitur habuisse, usque ad nostrum beneplacitum valeat retinere, per te, vel per alium, auctoritate nostra, ejusdem Archiepiscopi devotionis merito suadente, concedas. Contrariis non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis... pręiudicantibus, a Sede Apostolica impetratis, vel etiam impetrandis, seu processibus habitis per easdem, aut si ab eadem aliquibus sit indultum, quod excommunicari &c. Datum Assisii IV Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Hugoni.*) De quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*.
2. *Treviren.*) In *Germania*.

Car-

Cardinali Hugoni (1), ut quæ vacabunt intra triennium, Beneficiorum proventus Trevirensis Archiepiscopus per Annum percipiat.

Anno 1253 Die 12 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 757.

CCCX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni, Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VEnerabilis frater noster Arnoldus Treviren. Archiepiscopus concedi sibi a Nobis humiliter supplicavit, ut proventus Beneficiorum, Personatuum, & Officiorum Ecclesiasticorum, quę in civitate, ac Diœcesi Treviren. usque ad triennium semel vacare contigerit, per unum annum post vacationem ipsorum libere possit percipere, prout hactenus ibidem per aliquod tempus ex indulto nostro dicitur percepisse. Quia igitur, sicut accepimus, idem Archiepiscopus tam Nobis, quam Romanę Ecclesię in negotio generali cum obsequendi promptitudine devotus existit, Nos ipsum ex hoc intendentes in his, & aliis, quantum cum Deo possumus, prosequi gratiose, mandamus, quatenus id sibi per te, vel per alium, auctoritate nostra, suę devotionis merito suadente, concedas. Contrariis non obstantibus, si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari &c. Datum Asisii IV Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandatum.

1. *Hugoni.*) Consulendum præcedens Diploma.

Varia privilegia (1) Evangelii præconibus, seu Missionariis concessa.

Anno 1253 Die 23 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 764.

CCCXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Prędicatorum in terris Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum (4), Bulgarorum (5), Cumanorum (6), Æthiopum (7), Syrorum (8), Iberorum (9), Alanorum (10), Gazarorum (11), Gothorum (12), Zicocorum (13), Ruthenorum (14), Jacobitarum (15), Nubianorum (16), Georgianorum (17), Armenorum (18), Indorum (19), Mosilitorum (20), Tartarorum (21), Hungarorum majoris Hungarię, Christianorum captivorum (22) apud Tartaros, aliarumque Infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque (23) aliarum partium proficiscentibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm hora undecima sit diei hominibus, ut exeant ad opus, usque ad mundi vesperam deputati, & illud Apocalypsis eulogium (24), cito credatur, cum matris Ecclesię consolatione complendum, videlicet oportere viros spirituales, vitę munditiam, & intelligentię gratiam cum Johanne sortitos, populis, & gentibus, linguis, Regibusque multis denuo prophetare, quia non sequetur reliquiarum Israel per Isayam prophetata salutatio (25), nisi, juxta Paulum Apostolum prius introeat gentium plenitudo. Nos, licet immeriti, super Apostolicę Sedis speculam constituti, fideliter, ac prudenter dispensandis Dei ministeriis, & operibus coadjuvandis intendimus, si vergente plenitudine temporis, post pia priorum studia in vineam Domini Sabaoth novos, & pene novissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur quos, juxta professę Religionis officium, zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, quam variis charismatum donis, & Fidei fortitudine trahitis, ubique discurrere, ac vexillum Regis glorię procul levare gestitis, ad gentes, quę Jesum Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui sacrosanctę Romanę Ecclesię non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium injungentes, quatenus seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui mundum dixit se vicisse, confisi, ad illuminationem cęcę multitudinis, & exterminium hereticę falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos, in luce sermonis, & certitudine operis, propositum vobis iter, sine quorumlibet offensione curratis. Ut autem ministerium vestrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut in terris, quę adhuc Sedis Apostolicę magisterio non intendunt, proponere Verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis secure communicare, & ipsos, seu etiam alios converti ad unitatem Christianę Fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesię filiis valeatis: Et Presbyteri ex vobis ipsos aggregatos possint insignire charactere Clericali, & ipsos ad Acolytatus Ordinem promovere. Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apostolicę, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię impertiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros receperunt Ordines, & divina celebrarunt officia sic ligati: Hoc ipsum vobis sit licitum, circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ętatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores, pręterrmissis inferioribus, conferre, seu recipere Ordines pręsumpserunt: si tamen in hoc servata talis forma extiterit, per quam Ordines recepissent: Vobis pręterea dispensare liceat, ut illi ex nationibus, vestrę prędicationi commissis, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus & casibus a Divina minime lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem, & hi, qui ad Ecclesię Catholicę redierint unitatem, ut inter suos habitent, eisque communicent: Nec non, quod Clerici nationum ipsarum, publice ad obedientiam Sedis Apostolicę redeuntes, gaudeant privilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris

Exordium.

Nostrum est, ubique prædicandi.

Nostrates destinat ad infideles, Schismaticos, & hæreticos.

Facultatem concedit communicandi cum excommunicatis;

Conferendi Tonsuram & Acolytatus Ordinem;

Excommunicatos absolvendi, Dispensandi super Irregularitate, & impedimentis Matrimonii a lege Divina non prohibitis.

Clerici redeuntes ad Ecclesiæ unitatem privilegio Clericali gaudere possunt.

Confessiones excipiendi facultas,

Dispensandi super defectu natalium. Item dispensandi cum Apostatis. Absolvendi occisores Clericorum vel Religiosorum. Fundandi de novo Ecclesias, reconciliandi profanatas & Rectores instituendi. Da causis Matrimonialibus cognoscendi. Benedicendi Cœmeteria, Indulgentias impertiendi, & vota commutandi. Habendi Altaria portatile. Altariola, Sacerdotales vestes, corporalia &c. benedicendi. Sanctio pœnalis.

terris prędictis confessiones audire, ac ipsis injungere penitentias salutares, & excommunicatos a Canone, vel alio modo, juxta formam Ecclesię, absolvere; dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earum in casibus, in quibus solent Legati Sedis Apostolicę dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut de regularibus procreati, sit vobis dispensandi facultas; Quam circa illos similiter habeatis, qui ab unitate Ecclesię Catholicę, seu Religione, vel clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & digne satisfacere de commissis; Ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina Ordinis, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt astricti, juxta pręmissam formam, & prędictę satisfactionis modum, absolvere valeatis, & cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. Ad hęc sit vobis absolvendi facultas occisores Clericorum, & Religiosarum personarum, in prędictis partibus constitutos; Fundandi de novo ibidem Ecclesias, & reconciliandi ipsas, quę sunt casu aliquo profanatę, ac de novo fundatis Rectores idoneos providendi; & illis, qui de gentibus, vel schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas, cum quibus in gradibus, a lege divina non prohibitis, contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram deferre contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem, & concordiam redeant, necnon, quod inordinate viventes, de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facietis, Missam, & cetera Divina celebrare Officia, & in eisdem partibus, Cęmeteria benedicere, ac dare Indulgentias, commutare Vota, facultatem, & licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, & Altaria portatilia, more ipsorum, a jam pręfatis Episcopis benedicta, habere, & eis uti possitis, si contingat vos aliquo casu, vestra Altariola non habere, ac vestes Sacerdotales, Altaris pallas, Corporalia, per eos, qui ex vobis sunt Presbyteri, cum necesse vobis fuerit, benedicere, ubi Episcoporum Catholicorum copia non habetur, necnon alia facere, quę ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem catholicę Fidei, ac reprobationem & irritationem illorum, qui Sacris traditionibus contradicunt sicut pro loco, & tempore videbitis expedire. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Assisii X Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Privilegia.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Titulo VIII.*
2. *Archivo.*) Idem exscripserunt *Ususmaris pag. 30, Confettius in Collectione Privilegior. pag. 7, & Rodericus in Nova Collectione & Compilatione Privileg. pag. 16.*
3. *Saracenorum.*) In *Asia*, *Africa*, & *Europa* nonnulli per id tempus degebant.
4. *Græcorum.*) Schismaticorum.
5. *Bulgarorum.*) Horum Regio inter *Danubium Serviam, Thraciam* & *Pontum Euxinum.*
6. *Cumanorum.*) De his sæpius supra.
7. *Æthiopum.*) In *Africa.*
8. *Syrorum.*) In *Asia.*
9. *Iberorum.*) Sic dicti ab *Iberia, Asiæ* Regione. *Rodericus* scripsit: *Iberuorum.*
10. *Alanorum.*) Populi *Sarmatiæ Europeæ, Roxolanis* finitimi.
11. *Gazarorum.*) *Gazaria*, seu *Taurica Chersonesus* vulgo dicitur *Tartaria Minor.*
12. *Gothorum.*) Qui Boreale latus Maris *Euxini* incolebant.
13. *Zicocorum.*) *Asiatici* Populi in ora Boreali *Ponti-Euxini*. Apud *Rodericum* legitur: *Zicorum.*
14. *Ruthenorum.*) Cum illorum, qui in *Germano-Sarmatia*, tum etiam Schismaticorum, qui in parte meridionali *Moscoviæ* degebant.
15. *Jacobitarum.*) De quibus supra ad *XXII Martii MCCXLIV.*
16. *Nubianorum.*) Qui in *Africa* versus *Nilum*, & *Nubiam* Fluvios.
17. *Georgianorum.*) Qui etiam *Iberi* nuncupantur; hi autem ex eo ab *Iberis*, de quibus supra, distinguntur, quod *Georgiana* Regio magnam *Armeniæ* partem complectitur.
18. *Armenorum.*) In *Asia.*
19. *Indorum.*) Orientalium, qui ad ortum Regnum *Sinarum*, ad Septentrionem *Tartariam*, ad occasum *Persiam*, & ad Meridiem Oceanum *Indicum* habent.
20. *Mosilitorum.*) *Ususmaris*, *Confettius*, *Rodericus*, & *Auctor Anni Dominicani* scripsere: *Mostelitarum*. In ejusdem tenoris Diplomate *Dato Die 1 Maii MCCCXVIII* legitur *Macolitarum*; vide inferius ad *XXIII Octobr. MCCCXXI.*
21. *Tartarorum.*) In *Scythia*, & *Sarmatia*, ac in multis aliis locis dominabantur.
22. *Captivorum.*) *Usumaris* scripsit. *Captivatorum.*
23. *Quarumcunque.*) Optime sic, etenim quasi in omnem terram jamjam exierat sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.
24. *Eulogium.*) Id est, *optime dictum.*
25. *Salutatio.*) Sic etiam *Usumaris.*

Anno 1253 Die 26 Julii.

Mediolanensibus, ut vitent tanquam excommunicatum Comitem (1) de Curtenova.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCXII.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Potestati, Consilio, & Communi Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid actum sit refert.

AD audientiam nostram, significantibus dilectis filiis Fratribus Raynerio, & Guidone (3) Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus pravitatis hereticę in Civitate, ac Diœc. Mediolanen., a Sede Apostolica deputatis, noveritis pervenisse, quod cum iidem Fratres Nobilem virum Ægidium Comitem de Curtenova, qui dudum credens, fautor, receptator, & defensor manifestus hereticorum extitit, citavissent legitime, ut veniret coram eis, super his mandatis Ecclesię pariturus, idem Comes comparere coram ipsis in pręfixo sibi termino contumaciter denegavit, dicti vero Fratres, receptis quibusdam fide dignis testibus, contra eum, quia ipsis legitime constitit, quod dictus Comes erat hujusmodi pravitate respersus, in ipsum excommunicationis sententiam promulgarunt, justitia exigente; Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus tanquam excommunicatum Comitem vitetis eundem. Datum Asisii VII Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Comitem.*) Cujus mentio in Diplomate *Dato XXIII Mart. MCCLIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *Mediolanensis.*
3. *Raynerio, & Guidone.*) De quibus supra *III Februar. MCCLIII.*

Nostris

Nostris prædicantibus in Livoniæ (1) & Prussiæ partibus, ut inducant Fideles ad defensionem cujusdam Castri nuper constructi a Fratribus Teutonicis.

Anno 1253 Die 23 Augusti.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol. 759.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum prędicantibus in subsidium Livonię, & Prussię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXIII.

Exordium ab his quæ in Livoniæ & Prussiæ partibus acta sunt.

Fidei negotium in Livonię, ac Prussię partibus a longis retro temporibus inchoatum, pro quo dilecti Filii Fratres Hospitalis S. Marię Teutonicorum sub intrepidę firmitate constantię noscuntur corpus, & animam posuisse, per nostri favoris condecet promoveri subsidium, ut optatum, Deo propitio, consequatur effectum. Sane dicti Fratres, sicut eorum insinuatione percepimus, juxta flumen situm Inter Livoniam, & Prussiam, per quod, Meniole vulgariter appellatum, arma, vestes, & sal, ac multa vitę necessaria Paganis illarum partium, in discrimen Christi Fidelium navigio ferebantur, quoddam Castrum cum gravissimis laboribus, & expensis de novo construere inceperunt. Cum autem Castrum ipsum oporteat mente vigili, & potenti brachio conservari, mandamus, quatenus Fideles terrarum, quę ad prędicandum in subsidium Fratrum eorundem sunt vobis ab Apostolica Sede commissę, vestris piis monitis, sicut efficacius poteritis, inducatis, ut ad tuitionem, & conservationem ipsius Castri, ne a Paganis eisdem, quod avertat Dominus, valeat occupari, procedant viriliter, & potenter, eandem Indulgentiam, quam accedentibus in succursum dictarum Livonię, ac Prussię, prędicta Sedes concessisse dignoscitur, habituri: Mandatum autem nostrum taliter vestra studeat adimplere sinceritas, quod Fratribus, & Fidelibus supradictis per ministerium nostrum in hac parte gaudentibus prosperari, vobis exinde gratię Divinę premium, & Ordini vestro producatur honoris augmentum. Datum Assisii X Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Livonia.*) Legendum Diploma *Datum XXIII Septembris MCCXLIII.*

Fratri Raymundo de Pegnafort, ut cessionem Abbatis Rivipollen. nomine Pontificis admittat.

Anno 1253 Die 25 Augusti.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 760.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo de Pennafort, Pęnitentiario, & Capellano nostro, Barchinone commoranti, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXIV.

EX parte dilecti filii Dalmatii, Abbatis Monasterii S. Marię Rivipollen., Ordinis S. Benedicti, Vicen. [1] Diœcesis ad Romanam Ecclesiam, prout dicitur, nullo medio pertinentis, Nobis fuit humiliter supplicatum, quod cum ipse gravi, & incurabili morbo laboret, & propter hoc tantam debilitatem incurrerit, ut ad exequendum Abbatię Regimen inhabilis sit effectus, cessionem ejus quoad Abbatiam dicti Monasterii recipi faceremus. Nos itaque devotis ejus precibus annuentes, mandamus, quatenus, si est ita, cessionem ipsius vice nostra recipias, ac in bonis pręfati Monasterii provisionem, de qua dum vixerit, sustentari valeat, assignes eidem. Contradictores &c. Datum Assisii VIII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Vicen.*) In *Catalonia.*

Prioribus Ordinis, ut in Fratres in mensa loquentes animadvertant.

Anno 1254 Die 11 Januar.

Ex Archivo [1] *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXV.

Priorum supplex petitio.

Pœnitentiarii & Capellani SS. Pontificis excipiuntur.

Petitio vestra Nobis exhibita continebat, quod quidam Fratres vestri Ordinis asserentes, id eis ex Apostolico indulto licere, quamquam super hoc indulgentiam aliquam non ostendant, loquuntur in mensa, contra ipsius Ordinis instituta, [2] & aliis Fratribus ejusdem Ordinis loquendi licentiam largiuntur. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, corrigendi hujusmodi Fratres, nisi supra hoc indulgentiam Apostolicam vobis ostendant, secundum statuta dicti Ordinis, Pęnitentiariis, & Cappellanis nostris dumtaxat exceptis, vobis universis, & singulis, auctoritate pręsentium, liberam concedimus facultatem. Nulli &c. Datum Laterani III Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Concedit ut supra.

1. *Archivo*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

2. *Instituta.*) Legesis *Constitutiones Ord. FF. Prædicatorum Distinct. I capitulo XII.*

Fratres

Anno 1254 Die 16 Februar.

Fratres nostros commendat Soldano Turchiæ (1).

Ex Arch. (2) *Ord. lib A. fol.* 794.

CCCXVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, Nobili viro Soldano Turchię, Deum verum colere, & timere.

Exordium augustissima Fidei quædam Mysteria proponit.

DEus Creator omniom, ipsius [3] sator, & amator hominum, quod [4] neminem vult perire, euuctos, ut salvi fiant, venire desiderat voluntarios ad suę notitiam veritatis, quę rationabiles creaturas spiritu immortalitatis instaurat, eos enim, ut ipsis in se credentibus innotesceret, condidit, & illis capaces conditoris sui animas, Divinę mentis imagine decoratas indidit [5], ut proposito eis creaturarum visibilium speculo, Creatoris lonuente vestigium, quo ad perceptionem invisibilium, quę Auctorem suum probant invisibilem, & ęternum intellectualis inquisitio, convalescit Ad liberandam autem hanc humanę dignitatem naturę, ob peccatum originis ignorantię tenebris, & carnalium sensuum infectionibus involutam, ut hausto pristinę lucis radio. ad contemplationem veri Dei, solutis errorum vinculis.. [6], passibilem, & mortalem hominem factum misit in fine seculorum hominibus verbum vitę per illud dans eis, qui a Dei gratia fuerant alienati per culpam, filios Dei fieri potestatem, & ad vitam de morte transferri, mortis legibus absolutam. Hujus sane Verbi ministerium idem Dei filius multis videntibus, in Cęlum, unde descenderat, vehiculo proprię virtutis ascendens, non omnibus, sed pręordinatis ad hoc hominibus, quos noię doctrinę disciplinis imbuerat, delegavit, pręlato ceteris vno, Beato videlicet Petro, penes quem in dispensatione cęlestis gratię summa pręhominibus Divinę potestatis auctoritas, resideret; Cui Nos longa intercedentium Patrum series secundum divinę dispositionis ordinem subdidit, paris potestatis, licet imparis meriti, successores. Injunctum itaque principaliter divinitus Nobis cęlestis Verbi pręconium, quo ad cognoscendum solum verum Deum, & quem misit Filium suum unicum Dominum Iesum Christum non debet aures tuas, ac tibi subditę multitudinis pręterire, cujus sonus, Ecclesia Romana, cui pręsum, pręédicante, quam idem Jesus in se ipso fundavit in secula, & primitivorum Prophetarum, & Apostolorum fundamentis originalibus stabilivit, exiit in omnes terminos orbis terrę, quo sepulti peccato, spiritu ad vitam quę in Deo cum Christo est abscondita, suscitantur. Hinc est, quod Nos tuam, tuorumque, salutem, in quibus conceptum de Deo rectę fidei semen, copiosam, vt credimus, filiorum Dei reperiet geniturам, totis desideriorum viribus affectantes, dilectos filios Fratres Ordinis Pręedicatorum viros in Dei lege peritos, latores pręsentium ad tuam nobilitatem destinamus, in quibus Divinus Spiritus pias aures omnem docebit de Deo, ejusque justitia, & futuro seculo veritatem: Rogantes attentius, & pro animę tuę commodo deposcentes, quatenus Fratres ipsos in Dei nomine benigne suscipiens, & caritative pertractans, in tuo Dominio eos vivere patiaris, ut Deo vivo Patri Spirituum per ęternę vitę verba, quę continent, in te pariter, & in tuis, necnon, & in aliis nationibus, ad quas iuxta nostrę Missionis debitum procedere sub tuo conductu voluerint, fructum possint perficere animarum, & ob hoc ipse cęli Deus, Creator tuus, tibi recta fide veraciter. ipsis aperientibus, innotescens, pietati tuę immortalitatis gloriam, & felicitatis gratiam, quę nisi per ipsum, & ab ipso non provenit, largiatur. Datum Lateran. XIV Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Cur Fratres nostros ad ipsum destinaverit, dicit.

Ipsos commendat.

1. *Turchia.*) *Soldano* scilicet *Asiæ Minoris*, quæ etiam nunc a nonnullis *Turchia Major* nuncupatur, & a Turchis *Anatolia* dicitur. Is erat *Alatinus*, seu *Azatinus*, Soldanus *Iconii*, qui *Johannem Gabram* ad *Gregorium IX* jam antea delegarat, uti videre est *Libro VIII Gregor. IX Epist. CXLIV. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLIV, num. IV, Fontana Monument. Dominic. I Parte cap. V pag. 68*, & *Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano I Parte Septembr. pag. 74 Præfationis*, aliique legunt: *Thracia*. En *Fontana* verba: *Innocentius Prædicatores pro Catholica Fide propaganda ad Saladinum Thraciæ misit, Principi illi, ac Georgiæ Prælatis, ut eos benigne reciperent atque tractarent, necnon & Orthodoxam Fidem, quam Romana profitetur Ecclesia, amplecterentur, commendans summopere. Properavere Patres in Thraciam, & humaniter recepti catholicam Fidem dilatavere.* Hæc ille, sed mendosam crediderim lectionem illam: *Thraciæ*. Primo enim, *Thraciam* nondum occupaverant sectatores impii *Mahumetis*, ut in confesso est apud omnes. Secundo Fratres ad *Soldanum* missi, inter viam *Georgiæ* Antistites adituri erant, ut non diffitetur *Fontana*, & liquet ex alio Diplomate de quo nos infra. Adeas hac de re *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLIV num. VI.* At si res ita sit, dic, amabo, quis vnquam ex *Europæ* partibus (inde enim dimittendi erant Nostrates, ex *Pannonia* scilicet *inferiori*, tempore nempe Capituli Generalis *Budæ* celebrandi die XXXI Maii) quis, inquam, ex *Europæ* partibus *Thraciam*, seu *Europæ* Regionem, *Romania*, vel *Rumelia*, vulgo dictam, petens, ad *Georgiam* vsque, quæ est pars *Asiæ*, deflectere cogitasset? Tertio, ex eo hallucinati videntur Auctores laudati, quod recentiorem *Turchiam* ab antiqua non distinxere. At utriusque limites longe sane diversi. *Regnum Turchiæ est valde magnum, & divitiis opulentum*, inquit *Arthonus* auctor XIII seculi, in Histor. Oriental. capit. XIII, apud Odoric. Raynal. ad annum MCCXCIX. num. XXXVI, ... *Confines habet ex parte Orientis cum Armenia majori, & partim cum Regno Georgiæ. Ex parte occidentis dilatatur usque ad civitatem Satalia, quæ supra mare Græciæ situm habet. Ex parte Septentrionis nullos habet cum aliqua terra confines, sed de longo in longum extenditur supra litora maris majoris. Ex parte meridiei partim habet confines cum secunda Armenia, & partim cum Cilicia, & partim usque ad mare Græciæ dilatatur, & respicit Insulam Cypri . . . . . Postquam . . . Turchi occupaverunt terram illam, & habitaverunt ibidem, elegerunt dominum super eos, & illum vocaverunt Soldan, quod idem est quod Rex in idiomate latinorum, & ex tunc terra illa fuit vocata Turquia præcipue a latinis.* His igitur finibus alias *Turchia* circumscribebatur. Immane, quantum illam inter, & *Turchiam* recentiorem discrimen! Latius nunc proh dolor! latius per *Europam*, *Asiam*, & *Africam* imperium suum propagaverunt *Turchi*, ut nemo nescit.

2. *Archivo.*) Et ex *Odorico Raynaldo ad Annum MCCLIV num. V.*

3. *Ipsius.*) *Odoricus* legendum putat: *Ipsorum*. Videtur tamen, *Ipsius* per sillepsim esse appositum, quasi dictum sit, *Ipsius hominis sator*.

4. *Quod.*) *Odoricus* scripsit: *Qui*.

5. *Indidit.*) *Infudit*: sic *Odoricus*.

6. *Vinculis* . . .) Quæ hic desunt sic ex *Odorico* restituenda. *Raperetur, per unigenitum suum coæternum sibi, etiam Majestate potestatis æqualem, sine Impassibilis, & Immortalis injuria Divinitatis, passibilem &c.*

Priori

Priori Lubicensi, (1) ut nonnullos voto simplici obstrictos exsolvat.

Anno 1254 Die 7 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 762.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Ordinis Fratrum Predicatorum Lubicen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXVII.

EX parte Gerardi civis Lubicen., ac G... uxoris sue fuit propositum coram Nobis, quod eadem G... olim infirmitate gravata, idem civis ad militiam Clericalem, dicta vero G... ad Religionem aliquam se transferre ex tunc usque ad biennium jam preteritum, in manus Confessoris eorum secreto, & verbo simplici promiserunt. Quare humiliter petebant a Nobis, ut cum ipsi quinque parvulos habeant, & unum eorum lactentem, qui vix possint absque discrimine ipsorum relinqui, sibi dispensative, quod usque ad quinquennium simul manere valeant, concedere misericorditer curaremus. Quia vero tu de facto, & facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, Nos de tua circumspectione confisi, mandamus, quatenus super premissis auctoritate nostra sibi provideas, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Datum Lateran. Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Supplex oratorum petitio.

Mandat ut supra.

1. *Lubicensi.*] In *Germania*.

Facultates Inquisitoribus concessæ.

Anno 1254 Die 9 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus Heretice pravitatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXVIII.

CUm negotium Fidei Catholice adversus heretice pravitatis errores vobis (2), ut vestra prudentia deprehendat vulpeculas demolientes vineam Domini, sub certa forma per alias nostras literas duxerimus committendum, ut commissum vobis ab Apostolica Sede tam salubre, ac utile Ministerium exequi liberius, ac exercere possitis efficacius in hac parte, interpretandi statuta Ecclesiastica, & Secularia, contra hereticos edita; Et hereticorum filios & nepotes, credentium quoque, fautorum, defensorum, & receptatorum ipsorum, dignitatibus, personatibus, & honoribus quibuscunque, ac beneficiis Ecclesiasticis, & publicis officiis, illos etiam, qui hereticorum vel aliorum predictorum interventu, intuitu, vel gratia talia sunt adepti, vel in posterum assequentur, privandi hujusmodi dignitatibus, personatibus, honoribus, beneficiis, & Officiis, liberam vobis, auctoritate presentium concedimus potestatem. Sane volumus, ut nomina tam accusantium pravitatem hereticam, quam testificantium super ea nullatenus publicentur propter scandalum, vel periculum, quod ex publicatione hujusmodi sequi posset, & adhibeatur dictis hujusmodi Testium nichilominus plena fides; Quod si simul iis non interfueritis exequendis, unus vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Laterani VII Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Undecimo &c.

Negotium Fidei nostris commissum.

Facultas interpretandi statuta contra hereticos edita.

Eorum filios, nepotes, fautores, receptatores &c. dignitatibus, Beneficiis &c. privandi.

Ne publicentur nomina accusatorum & testium.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Illud exscripsit *Cherubinus Tomo I Bullar. Romani in Innocent. IV.* Est XV. Plumbum filis cannabinis appenditur.

2. *Vobis.*) Dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo*. Consulendus *Pegna Commentar. XXIV apud Eymericum in Director. Inquisitor. Parte II pag.* 145.

Inquisitoribus Urbeventanis (1) quædam mandat.

Anno 1254 Die 18 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratri Guidoni de Monte-Catino (3), Ordinis Predicatorum Urbeventan., Inquisitoribus heretice pravitatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXIX.

QUia tunc &c. (4). Datum Laterani XV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Urbeventanis.*) In Ditione Pontificia.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Guidoni de Monte Catino.*) Sic ab Oppido *Italiæ* vocatus *Guido*.
4. *Tunc &c.*) Ut in sequenti Diplomate.

Anno 1254 Die 19 Martii.

Inquisitoribus quædam præscribit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratri Orlando (3) de Civitella Ordinis Prędicatorum Anagnin. (4), Inquisitoribus Hęreticę pravitatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUia tunc potissime acceptabile Jesu Christo exhibetur obsequium, cum ei pro Catholicę Fidei conservatione, cujus est ipse stabile, & perpetuum fundamentum, pura intentione servitur, providimus specialiter in hoc ipsi studiosum, & placidum, eo cooperante, impendere famulatum, & pręcipue in Urbe, in patrimonio B. Petri, & aliis terris Ecclesię, ac in Tuscia, circa quas debemus solicitius vigilare, instantius, & validius satagere, contra ejusdem Fidei duros (5) hostes, ut cultura salubris, per Nos agris Dominicis impensa vicinis, utilis sit longinquis, & Verbi Divini semen fusum in proximis, fructificet etiam in remotis. Licet Sedes Apostolica tales hostes ubique indefessa solicitudine persequatur, nec unquam ab hujusmodi exercitio cessaverit cura ejus; Convenit namque, ut, quia Inquisitores contra pestem hęreticam roborare, ac renovare per diversas seculi volumus regiones, id agere in Urbe, ac terris aliis supradictis, majori opportunitate nunc habita, nullatenus omittamus; Cum quanto propius nostris adsunt aspectibus, tanto justius, nisi attente saluti prospiceremus ipsorum; possemus argui de neglectu. Ideoque discretioni vestrę per Apostolica scripta districte vobis pręcipiendo mandamus, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus negotium hujusmodi, quod principaliter residet cordi nostro, totis assumentes affectibus, & ferventibus animis prosequentes, & ad extirpandam de Civitate, & Dięcesi Anagnin., ac de omnibus locis, vobis ad prędicandum per vestrum Ordinem deputatis, pravitatem hęreticam solicite, ac efficaciter laborantes, si quos ibi de pravitate ipsa culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesię obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores, & fautores eorum, humano timore postposito, juxta sanctiones Canonicas, auctoritate Apostolica procedatis; Invocato contra eos ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Si vero aliqui, hęretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis, juxta formam Ecclesię, absolutionis beneficium impendentes, injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit: proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius se, fallentes, sub agni specie gerant lupum: Quod si forte, quod non credimus, aliqui cujuscunque conditionis huic negotio se opponere, seu illud pręsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per vos procedi libere in eodem: immo nisi foverint illud, & juverint studiose: contra eos secundum Sanctiones Canonicas, eadem auctoritate, libere procedatis. Ut autem prędicta possitis utilius, & liberius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad vestram prędicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore pręsentium concedimus potestatem, illis vero, qui ad impugnandum hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, vobis ex animo auxilium, consilium pręstiterint, vel favorem, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi tres annos de injuncta sibi pęnitentia relaxamus; & si qui ex iis ad prosecutionem hujusmodi negotii contra prędictos hęreticos, fautores, receptatores, vel etiam defensores personaliter iverint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. compescendi quoque, monitione premissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, Prędicatores quęstuarios, quorum interest tantum charitativa subsidia simpliciter petere, ac Indulgentiam, si quam forte habent, exponere, a prędicationis Officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si simul iis non interfueritis, unus vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Laterani XIV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Ut in hæreticos eorumque fautores ac receptatores Diœcesis Anagnin. &c. quæstionem instituant, mandat.

Quam caute absolvendi sint hæretici, dicit.

Non faventes officio Inquisitoris puniendos Decernit.

Indulgentias largiendi facultatem concedit Inquisitoribus.

Inquisitorum est coercendi prædicatores quæstuarios.

1. *Præscribit.*) Dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Orlando.*) *De Civitella* nuncupatus a patria hujus nominis, quæ est in *Aprutio* ulteriori.
4. *Anagnin.*) In *Campania Romana*.
5. *Duros.*) Sic in Autographo præsentis Diplomatis, in alio vero præcedentis legitur: *Diros*.

Anno 1254 Die 23 Martii.

Provinciali Lombardiæ, ac Inquisitoribus, ut Mediolanenses invadant in Comitem (1) de Curte-nova.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCXXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali Lombardię Ordinis Prędicatorum, & Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Civitate, & Dięc. Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Declarat, quam graviter ferat agendi rationem Comitis de Curte-nova.

ÆGidius Comes de Curte-nova, vir nobilis genere, fide tamen ignobilis, apud Castrum de Mongano Cremonen. (3) Dięcesis, quod pertinet ad Ecclesiam Cremonen., multos hęreticos receptans, prout asseritur, eos ibidem manutenet publice, ac defendit, & Uberto Palavicino (4), Dei & Ecclesię inimico fędere damnato conjunctus, perverse agere non quiescit, in Apostolicę Sedis injuriam, & Orthodoxę Fidei non modicum detrimentum. Cum autem contra eundem Comitem dilecti filii Potestas, Consilium, & Commune Mediolanen., tanto ferventius insurgere debeant, quanto ipsius Sedis honorem, & Incrementum Fidei, inter alios ejusdem Sedis affectant, ipsos rogandos duximus attentius, & hortandos, eis dantes

dantes nostris literis in mandatis, ut, si est intra Castrum, capiant prędictum, & munitionem custodire procurent ipsius, ac eosdem hęreticos vobis faciant consignare, ut procedatis contra eos secundum Canonicas Sanctiones; preces per mandatum Nostrum taliter impleturi, quod per rei evidentiam appareat manifeste, ipsos esse Orthodoxę Fidei zelatores, ipsisque pręter Divinum retributionis pręmium a Nobis digne proveniat retributio gratiarum; Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dicti Potestas, Consilium, Commune Mediolanen. mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos, & quilibet vestrum, eos, ad id, monitione pręmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Non obstante, si eis a Sede sit indultum eadem, quod excommunicari minime valeant per literas Apostolicas, quę de Indulto hujusmodi plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem. Datum Lateran. X Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

Derogatio.

1. *Comitem*.) Cujus mentio in Diplomate *Dato XXVI Julii MCCLIII.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Cremonen.*) In *Italia*.
4. *Palavicino*.) Seu *Pelavicino*, de quo dicam inferius *Nota I in Diploma datum IX Decembr. MCCLX.*

F. Romanum (1) Suppriorem Conventus Urbis (2), creat Episcopum Allisan. (3).

Anno 1254 Die 28 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 761.

CCCXXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Romano Electo Allisan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEbitum officii nostri requirit, ut inter solicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa Ecclesias diligentem solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus; in eo pręcipue ut viduatis, ne longę vacationis dispendia patiantur, nostrę diligentię studio provideatur celeriter, de talium substitutione Pastorum, per quos spiritualiter, & temporaliter continuum suscipiant, auctore Domino, incrementum. Cum igitur Ven: Fratrem nostrum A... (4) Episcopum Viterbien., tunc Allisan. electum, ad Viterbien. Ecclesiam duxerimus transferendum, ne Allisan. Ecclesia ex vacatione diutina grave, quod absit, incurreret detrimentum, Nos qui ex jugo Apostolicę servitutis universis sumus Ecclesiis obligati, volentes Ecclesię Allisan. salubriter providere, te tunc Suppriorem Fratrum Prędicatorum Urbis, de plenitudine potestatis, & fratrum nostrorum consilio eidem Ecclesię prefecimus in Episcopum, & Pastorem, firma spe, fiduciaque concepta, quod tuę diligentię studio prędictam Allisan. Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus auctore Domino laudabiliter augmentabis. Quocirca mandamus, quatenus humiliter suscipiens impositum a Domino tibi onus, sic circa commissum tibi gregem solicite studeas diligentius vigilare, ut tibi per vitę meritum, & eidem egregi proficias per exemplum, Nosque te gratię nostrę favore propter hoc prosequi teneamur. Datum Laterani V Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Exordium a pastorali solicitudine.

Pręficit ut supra.

1. *Romanum*.) De quo in *Appendice ad prasentem Pontificatum*.
2. *Urbis*.) Cœnobii S. *Sabina*.
3. *Allisan.*) In Provincia *Terra laboris* sub Archiepiscopo *Beneventano*.
4. *A...*) *Alferium*.

F. Bartholomæum (1) præficit in Episcopum. Pacten (2).

Anno 1254 Die 28 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 762.

CCCXXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bartholomęo de Ordine Fratrum Prędicatorum, Pacten. Electo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MEritorum evidentia, quibus juvari dignosceris, attendentes, dignum esse providimus, quod personam tuam honoris condigni gratia faveremus: hinc est, quod Nos Fratrum nostrorum communicato consilio te Apostolicę Sedis devotum, ac de vita, moribus, & scientia commendatum, Pacten. Ecclesię nunc vacanti prefecimus in Pastorem, firmam fiduciam obtinentes, quod Ecclesia ipsa per diligentię tuę studium in spiritualibus, & temporalibus gratum, auctore Domino, consequi debeat incrementum. Volumus itaque, ac per Apostolica tibi scripta mandamus, quatenus ad eandem Ecclesiam de favore Apostolicę Sedis, & nostro confisus, cum Divina gratia benedictionis accedas, te in cura ipsius, cujus in spiritualibus, & temporalibus plenam tibi administrationem committimus, talem corde solicito redditurus, ut grex tuę circumspectioni creditus in te salutis ministrum reperisse gaudeat, & tibi tandem Pastoris etiam benignitas, unicuique responsura pro meritis, ęternę retribuat gloriam claritatis. Datum Lateran. V Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Pręficit ut supra.

1. *Bartholomæum*.) De quo in *Appendice ad prasentem Pontificatum*.
2. *Pacten.*) In *Sicilia*.

Anno 1254
Die 2 April.

Visitantibus Ecclesiam nostram Sanctæ Mariæ ad gradus Viterbien. diebus festis SS. Dominici, & Petri Martyris, ac per Octavas eorundem, concedit Indulgentiam quadraginta dierum.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCCXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

CUm ad promerenda sempiterna gaudia sanctorum suffragia sint nobis plurimum opportuna, loca sanctorum omnium pia sunt devotione fidelium veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis quodammodo vindicantes patrocinium, apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Ecclesia vestra in festivitatibus Beatorum Dominici Confessoris, & Petri Martyris, quę in ipsa Ecclesia sunt pręcipuę, ac solemnes, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam ipsam in eisdem festivitatibus, & usque ad octo dies sequentes devote, ac venerabiliter visitaverint, quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Lateran. IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Anno 1254
Die 5 April.

Inquisitoribus Italiæ, ut Magistratus &c. Manfredum de Sexto hæreticum, bonaque ipsius detineant.

Ex Arch. [1] *Ordinis*.

CCCXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Italia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid ab Inquisitoribus Mediolanen. actum sit, refert.

AD audientiam nostram, significantibus dilectis filiis Guidone[2] de Sexto, & Raynerio de Placentia, Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Civitate & Diœcesi Mediolanensi, noveritis pervenisse, quod iidem, dudum intellecto, quod Manfredus de Sexto Civis Mediolanen., diabolica fraude seductus, ac perfidię tenebris involutus, veram, & Catholicam Fidem hęreticę detractionis morsibus impetebat, ipsum juxta formam. eis a Nobis traditam, publice citari fecerunt, quod in pręfixo sibi ab eis termino peremptorio in eorum pręsentia compareret, mandatis Ecclesię super premissis pariturus. Verum quia idem Civis in eorum pręsentia constitutus confessus fuit in judicio, coram eis, quod a longe retroactis temporibus fuerat credens, receptator, defensor, & fautor hęreticorum, quodque interfuerat tractatui necis bonę memorię Fratris Petri [3] de Arcaniaco Ordinis Minorum in favorem hęreticorum, & inimicorum Fidei Orthodoxę, & quod quandam pecunię quantitatem collegerat, & dederat quibusdam malefactoribus, qui dictum Fratrem ad ipsorum hęreticorum instantiam peremerunt, & quod etiam, eo procurante, undecim hęretici furtive de carceribus evaserunt, dicti Fratres injunxerunt eidem, ut personaliter Apostolico se conspectui pręsentaret, recepturus condignam pęnitentiam pro commissis; sed pręfatus Manfredus, utpote quem reatus conscientię accusabat, de Apostolicę Sedis desperans misericordia, fugam arripuit, mandato ipsorum penitus obaudito [4], propter quod memorati Fratres ipsum tanquam hęreticum reputantes, sententialiter decreverunt eum, promulgatis adversus hęreticos sanctionibus subjacere; Unde dilectos filios Nobiles viros universos Marchiones, Comites, Barones, necnon Potestates, Rectores, Consules Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum per Italiam constitutos rogandos duximus attentius, & monendos, nostris eis dantes districte literis in mandatis, ut eundem Civem, & bona sua, si ipsum ad loca eorum jurisdictioni subjecta venire contigerit, capere, ac detinere procurent. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si pręedicti Nobiles, & alii mandatum nostrum neglexerint adimplere, vos, vel quilibet vestrum, eos ad id, monitione pręmissa, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis, non obstante, si eis, vel eorum alicui a Sede Apostolica sit Indultum, quod excommunicari non possint per literas Apostolicas, plenam, & expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem. Datum Lateran. Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Quid Magistratibus ceterisque sit in mandatis, declarat.

Mandat ut supra.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.

2. *Guidone*.) Legesis Diploma *Datum III Februar. MCCLIII.*

3. *Petri.*) Non ergo passus est *Petrus* anno MCCLXXXIV. Emendes igitur Auctores, quos laudat, & excipit *Vvadding. ad hunc annum num. III.*

4. *Obaudito*.) Id est *Spreto*.

Priori-

Prioribus Ordinis Prædicatorum Barchinonen., Ilerden., & Perpinian., ut delegent (1) Fratres S. Inquisitionis Officio. Anno 1254 Die 7 April.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Barchinonen., & Ilerden., & de Perpiniano, Elnen. Diœcesis, Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXXVI.

CArissimus in Christo filius noster . . . Aragonum Rex (3) illustris, fervens utique Fidei Orthodoxę zelator, a Nobis, cum instantia petiit, ut aliquos ex Fratribus vestri Ordinis providos, & discretos, ad inquirendum contra hęreticos in Terris suo subiectis dominio deputare Apostolica solicitudine curaremus. Nos igitur ipsius Regis puram, & laudabilem in hac parte intentionem multipliciter commendantes, hujusmodi pię, ac favorabili ejus petitioni clementer duximus annuendum; Ideoque discretionem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandantes, quatenus, ad requisitionem ipsius Regis, aliquos ex Fratribus vestris discretos, vigiles, & idoneos ad hujusmodi exequendum Inquisitionis negotium, sublata difficultate qualibet, deputare curetis; nisi forsan illud aliis in eisdem Terris per Sedem Apostolicam sit commissum: Preces, monita, & pręcepta nostra super hoc taliter impleturi, quod devotionem vestram dignis exinde in Domino laudibus merito commendare possimus. Datum Lateran. VII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Aragonum Regis supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *Delegent.*) De nonnullis tantum *Catalonię* Diœcesibus id intelligendum; uti videre est ex *Bullis Datis XXVI Maii MCCXXXII., & XX Octobr. MCCXLVIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum habes in Cœnobio *Barchinonensi*.

3. *Rex.*) *Jacobus I.*

Indulgentia concessa visitantibus Ædes sacras Ordinis nostri Urbeventanas diebus festis SS. Dominici, & Petri Martyris, ac per Octavas eorundem. Anno 1254 Die 16 April.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Prędicatoribus Urbeventan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXXVII.

CUm ad promerenda &c.(2). Datum Laterani XVI Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum fericis filis appenditur.

2. *Promerenda &c.*) Ut in Diplomate *Dato II April. MCCLIV.*

Tarraconensi, & Narbonensi Archiepiscopis, ac eorum Suffraganeis, ut Inquisitores nostros habeant commendatos. Anno 1254 Die 21 April.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Tarraconen., & Narbonen. Archiepiscopis, ac eorum Suffraganeis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXXVIII.

CArissimus in Christo filius noster, Aragonum Rex illustris, fervens utique Fidei Orthodoxę zelator, a Nobis cum instantia petiit, ut aliquos ex Fratribus Ordinis Prędicatorum providos, & discretos ad inquirendum contra hęreticos, in Terris ipsius Regis subiectis dominio, deputare Apostolica solicitudine curaremus. Nos igitur ejusdem Regis puram, & laudabilem in hac parte intentionem multipliciter commendantes, hujusmodi pię ac favorabili ejus petitioni clementer duximus (2) annuendum. Itaque dilectos filios Barchinonen., & Ilerden., ac de Perpiniano Elnen. Diœcesis, Priores ejusdem Ordinis, rogandos duximus attentius, & monendos, nostris eis districte in virtute obedientię dantes literis in pręceptis, ut ad requisitionem pręfati Regis aliquos ex eorum Fratribus discretos, vigiles, & idoneos ad hujusmodi exequendum Inquisitionis negotium, sublata difficultate qualibet, deputare procurent; nisi forsan illud aliis in eisdem Terris per Sedem Apostolicam sit commissum. Quocirca fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Fratribus pręfati Ordinis, quos ad hoc dicti Priores deputaverint, vestrum favorem, consilium, & auxilium impendatis. Datum Lateran. XI Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Tenor penultimi Diplomatis.

Mandat ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Asservatur Autographum in Cœnobio *Barchinonensi*.

2. *Duximus,*) Diplomate CCCXXVI *Dato VII April. MCCLIV.*

Leges

Anno 1254 Die 20 Maii.

Leges in hæreticos latæ.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 778.

CCCXXIX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD extirpanda de medio Populi Christiani &c. (1). Datum Assisii XIII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Christiani &c.*) Ut supra *XV Maii MCCLII.*

Anno 1254 Die 22 Maii.

Potestatibus, Consiliis, & Communibus Italiæ, ut observent Leges a Friderico II in hæreticos latas.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. A. fol.* 785.

CCCXXX.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, & aliorum locorum Italię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

CUm adversus hereticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator promulgaverit quasdam Leges, per quas, ne pervagetur, compesci poterit pestis illa; Nos illas volentes ad robur fidei, & salutis fidelium observari, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus insertos presentibus, faciatis singuli in vestris Capitularibus adnotari, contra hereticos Sectę cujuslibet, secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Fratribus Inquisitoribus hereticę pravitatis, Ordinis Prędicatorum, vel Minorum, ac eorum singulis literis nostris injungimus, ut vos ad id per Excommunicationem in personas, & Interdictum in Terram, appellatione remota, compellant. Tenores autem &c. (2). Datum Assisii XI Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Archivo.*) Illud idem exscripsit *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLIV. num. XIII pag. 76.*

2. *Tenores autem &c.*) Ut supra *XXXI Octobris MCCXLIII.*

Anno 1254 Die 29 Maii.

Provinciali Lombardiæ, ut instituere, ac amovere possit (1) Inquisitores.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. A. fol.* 775.

CCCXXXI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum, in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a paterna sollicitudine.

LIcet ex omnibus Mundi partibus, quę nomine Christiano censentur, teneamur ex officii nostri debito expurgare letiferam pestem hereticę pravitatis; in Italia tamen imminet Nobis hęc sollicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quę in detrimentum Fidei Catholicę perversos mores peperit, ex vicinitate persensimus abundantius succrevisse. Volentes igitur, in Provincia Lombardię a Bononia, & Ferraria inclusive, usque ad ultimos fines superiorum partium ejusdem Provincię, ac Marchia Januensi, per aliquos de Fratribus Prioratus tui, super hoc partes nostrę sollicitudinis adimpleri; discretioni tuę per Apostolica Scripta mandamus, quatenus tu, vel Vicarius tuus, cum contigerit te abesse, de consilio discretorum Fratrum, quatuor ex ejusdem Prioratus Fratres, viros zelum habentes Christianę Fidei, & opere, ac sermone potentes, assumas, eisque Inquisitionis officium contra hereticos, eorumque fautores, & complices, in prędictis Provincia, & Marchia, juxta formam, quam eis per alias literas nostras expressimus, exequendum injungas: quos eam, quam in eisdem literis comprehendimus, habere volumus potestatem. Si vero quenquam eorundem Inquisitorum, ex causa videris aliquando amovendum, alium illo amoto substituas, pari potestate functurum, quoties id faciendum, deliberatione cum discretis Fratribus prehabita, tibi, vel eidem Vicario, te absente, visum fuerit expedire. Datum Assisii IIII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

1. *Possit.*) De his in *Dissertatione I Tomo Ultimo.*

2. *Archivo.*) Idem exscripsit *Pegna ad calcem Director. Inquisitor. pag.* 19.

Eccle-

Ecclesiarum Prælatis per Italiam constitutis, ut Crucem adversus hæreticos prædicent, & Inquisitoribus adsint.

Anno 1254 Die 30 Maii.

Ex Archivo (1) Ordinis lib. A. fol. 770.

CCCXXXII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis aliis Ecclesiarum Prelatis & Clericis, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a paterna sollicitudine.

MAlitia hujus temporis in diversis mundi partibus, & maxime in Provincia Lombardię, perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis hereticę pravitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad expurgationem igitur ejusdem pestis, juxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus adversus hujusmodi iniquitatis operarios, qui massam Catholicę puritatis fermento proprię contagionis inficiunt, fideles ut consurgant, stentque nobiscum pro Evangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus exhortationibus incitari. Quocirca universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, vos fratres Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi in Civitatibus, & Diœcesibus vestris contra hereticos, eorumque fautores proponere curetis populis publice Verbum Crucis, & eos, qui tacti zelo fidei, ad extirpandam pravitatem eandem, votum assumpserint, Crucis charactere consignare. Ut autem vobis de predicatione hujusmodi, & fidelibus, qui ejusdem Crucis ad hoc votum assumpserint, copiosę mercedis premium afferatur, vobis, & eisdem fidelibus illam Indulgentiam, illudque privilegium elargimur, quę transeuntibus in Terrę Sanctę subsidium in Generali Concilio (2) conceduntur. Cum autem hujusmodi Crucis Verbum proponi contigerit, relaxandi omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad audiendum Verbum ipsum devote affuerint, quadraginta, vel viginti dies de injunctis sibi penitentiis libera sit vobis, fratres Pathiarchę, Archiepiscopi, & Episcopi, & singulis vestrum, de nostra concessione, facultas. Cum autem Inquisitionis contra eosdem hereticos, & predicationis Crucis contra eos, eorumque fautores, officia per dilectos filios Predicatorum, & Minorum Ordinum Fratres sub certo modo, & ordine distinctis locis, & personis, secundum loca congrue ordinatis, per nostras literas mandaverimus exequenda, ut tantę pietatis propositum in eorundem Fratrum manibus omnium vestrum auxiliis adjuvetur, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Fratribus ipsis in prosecutione laboris injuncti, omnes, & singuli prompte, ac favorabiliter assistatis, opportunis eos presidiis efficaciter fulcientes, ita quod zelum Fidei Catholicę, prout decet Ecclesię Principes, & Pastores, ac Ministros, habere, probemini, & pravitatem adversitatis hereticę detestari, Nosque sinceritatis vestrę fervorem dignis super hoc inveniamus laudibus extollendum, quibus erit cura propensior scire qualiter quisque vestrum opus Domini perfecerit in hac parte, utrum videlicet negligenter, ad penam, quod absit; an ad premium, quod affectuose cupimus, diligenter. Datum Assisii III Kalend. Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat Crucis prædicationem.

Indulgentiam concedit Crucesignatis.

Inquisitoribus nostris ac Minoribus suppetias ferant.

1. *Archivo.*) Idem habet *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLIV pag. 69 num. IX.*

2. *Concilio.*) *Lugdunensi I.*

Inquisitoribus nostris Lombardiæ, ut mulcta, a fidejussoribus hæreticorum relapsorum solvenda, deponatur apud tres probatos viros, & inserviat expensis S. Officii.

Anno 1254 Die 30 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 768.

CCCXXXIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus hereticę pravitatis presentibus, & futuris in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

A fidejussoribus hæreticorum relapsorum mulcta solvenda.

SUper extirpatione pravitatis hereticę hoc a vobis in locis, in quibus contra hereticos vobis Inquisitionis officium est commissum, statuimus (1) observandum, ut hereticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus hereticorum ipsorum, ad mandatum Ecclesię redeuntibus, sub certa pena pecuniaria injungatis districte, quod Fidem Catholicam firmiter teneant, & ulterius hereticis ipsis, auxilium, consilium, vel favorem aliquem non impendant, necnon Ecclesię mandatis obediant, & observent, quę eis feceritis, vel unus vestrum, occasione ipsius hereticę pravitatis, & ab eisdem de solvenda hujusmodi pena, si secus fecerint, cautio exigatur. Nos autem vobis, & singulis vestrum, cogendi per Censuras Ecclesiasticas, appellatione remota, tam redeuntes ipsos, quam, & fidejussores, si oportuerit, eorundem ad prestationem, vel solutionem hujusmodi penę pecuniarię, ad quam se obligaverunt, vel obligaverint, si, quod absit, in dictam penam inciderint, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem; pecunia vero, quę de hujusmodi penis, vel ex tertia parte mulctarum, vel condemnationum exigendarum, a quibuslibet personis, & locis, seu bonorum apprehendendorum, occasione heresis, vel hereticorum, secundum tenorem Constitutionum (2) nostrarum, quas in eosdem hereticos, fautores eorum, & alias promulgatas, in Capitularibus Civitatum, & locorum aliorum conscribi mandavimus (3), forte provenerit, penes tres viros fide probatos a vobis, & a Diœcesanis, vel ejusdem Vicario, si idem presens non fuerit, eligendos, deponatur, fideliter conservanda, & de illa vobis, & singulis vestrum necessarię ad prosecutionem negotii contra hereticos expensę sine difficultate aliqua, de ipsius Diœcesani consilio, ministrentur, & eidem Diœcesano de iis quę expendi contigerit, rationis plenarię fidelis computatio exponatur. Datum Assisii III Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Deponende & ad expensas S. Officii adhibenda.

1. *Statuimus.*) Bullis *Datis XXIX & XXX Januar. MCCLIII.*

2. *Constitutionum.*) Legenda Diplomata *Data XXXI Octobr. MCCXLIII, & XXII Maii MCCLIV.*

3. *Mandavimus,*) Diplomate *Dato XIV Maii MCCLII. &c.*

Provin-

Anno 1254 Die 31 Maii.

Provinciali Lombardiæ, ut Fratres nostri Crucem in hæreticos prædicent.

Ex Archivo (1) Ordinis lib. A. fol. 769.

CCCXXXIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Predicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

MAlitia hujus temporis in diversis mundi partibus, & maxime in Provincia Lombardie, perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis heretice pravitatis abundantius solito nosci-tur pullulasse. Ad purgationem igitur ejusdem pestis, juxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus adversus hujusmodi iniquitatis operarios, qui massam Catholice puritatis, fermento proprie con-tagionis inficiunt, fideles, ut consurgant, stentque nobiscum, pro Evangelicis, quas professi sunt, legi-bus defensandis, salubribus exhortationibus incitari. Quocirca devotioni tue per Apostolica scripta di-stricte precipiendo mandamus, quatenus tu, vel Vicarius tuus, cum contigerit te abesse, per te ipsum in Civitatibus, & locis aliis, que infra Prioratus generaliter tibi commissi statutos ab Ordine tuo limites continentur, predicans contra hereticos Verbum Crucis, & per idoneos ad hoc Fratres tuos faciens pu-blice predicari, ac consignari Crucis charactere eos, qui tacti zelo Fidei contra hereticos, eorumque fautores voluerint crucesignari fideles; ad hujusmodi predicationis, & Crucis signationis officium exe-quendum, in Civitatibus, & locis predictis, tot de Fratribus tibi commissis verbo, & opere potentes as-sumas, quot ex eisdem assumptis, singulis Civitatibus, & Diecesibus Prioratus ejusdem bini valeant de-putari. Nos enim tibi, & eorum singulis largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, de in-junctis penitentiis vere penitentibus, & confessis, qui ad audiendum Verbum ipsum devote affuerint, necnon & illis, qui ad extirpandam hereticam pravitatem, signum Crucis acceperint, illam Indulgen-tiam illudque privilegium concedendi, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in Generali conce-duntur Concilio (2) plenam, auctoritate presentium, concedimus potestatem. Datum Assisii II Kal. Ju-nii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Mandat ut supra.

Indulgentia concedenda.

1. *Archivo.*) Idem exscripsit *Pegna ad Calcem Director. Inquisit. pag.* 20.

2. *Concilio.*) *Lugdunense* 1.

Anno 1254 Die 2 Junii.

Nonnullas literas Apostolicas ad prædicandam Crucem, & ad inquirendum in hæreticos datas rescindit.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 70.

CCCXXXV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Ecclesiarum Prelatis presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm super inquisitione pravitatis heretice, & predicatione Crucis contra hereticos, atque fautores, in diversis partibus Italie faciendis ad dilectos filios Fratres Ordinis Predicatorum, & Minorum di-versa dudum Apostolice Sedis scripta manassent, Nos postmodum de consilio fratrum nostrorum, ipsi ne-gotio melius providentes, dicte Inquisitionis, & predicationis Officium, qualiter per ipsos Fratres in pre-dictis partibus geri debeat, duximus per literas nostras nuper editas consultius disponendum. Nos igi-tur omnes literas Apostolicas, que super dictis negotiis a festo Dominice Nativitatis proxime preterite, usque ad Festum Ascensionis (1) proxime transactum, emanarunt sub forma quacunque, penitus revoca-mus, ipsasque ac quicquid earum fuerit de cetero attentatum, aut presumptum, nullius decrevimus existere firmitatis. Volentes in pretactis Inquisitionis, & Predicationis Officiis per Fratres ipsos proce-di juxta formam illam duntaxat, que in literis nostris, quas post Idus Maii (2) proxime preteriti su-per hoc dedimus, continetur, & quod secundum eam factum fuerit, obtinere roboris firmitatem. Datum Anagnie IV Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Rescindit ut supra.

1. *Ascensionis.*) Id est a *Die XXV Decembr. Anni MCCLIII*, usque ad *XIV Maii Anno MCCLIV*. Fuit enim Pascha hoc Anno Die V Aprilis.

2. *Post Idus Maii.*) Seu a *Die XVI Maii*. Hinc certo certius fit, Bullam, quæ incipit: *Ad extirpanda*, quam exscripsimus supra ad *XX Maii MCCLIV* non fuisse rescissam.

Anno 1254 Die 15 Junii.

Leges (1) in hæreticos eorumque conscios latæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCXXXVI.

Innocentius Episcopus, servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NOverit universitas vestra, quod Nos ad instar fel: rec: Gregorii PP. predecessoris nostri excommuni-camus, & anathematizamus universos hereticos, Catharus (3) Patharenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas; Quia de vanitate conveniunt in idipsum. Dampnati vero per Ecclesiam, seculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi, Clericis prius a suis Ordinibus degradatis; Si qui autem de predictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint

Excommunicantur hæretici. Damnati per Ecclesiam relinquantur seculari, ut dicunt, Judicio.

ad

ad agendum condignam penitentiam, in perpetuo carcere detrudantur; credentes autem eorum erroribus similiter hereticos judicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hereticorum excommunicationis sententie decernimus subjacere; firmiter statuentes, ut si, postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curaverit presumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica Officia, seu Consilia, nec ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec Testamenti habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus preterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur; quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alique ad ejus audientiam perferantur; si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur; si tabellio, Instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti; sed cum Auctore dampnato dampnentur, & in similibus (4) idem precipimus observari; si vero Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, Excommunicationis sententia percellantur, alias animadversione debita puniendi; qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque persone propriam innocentiam, congrua purgatione, monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur; Ita quod, si per annum in excommunicatione persliterint, ex tunc velut heretici condempnentur; Item proclamationes (5), aut appellationes hujusmodi personarum, minime audiantur. Item judices, advocati, & notarii nulli eorum officium suum impendant, alioquin eodem officio perpetuo sint privati; Item Clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eleemosynas, aut oblationes eorum recipiant: similiter Hospitalarii (6), aut Templarii (7), ac quilibet Regulares, alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur, absque indulto Sedis Apostolice speciali: Item quicumque tales presumpserint Ecclesiastice tradere Sepulture (8), usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententie se noverint subjacere; Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & projiciant hujusmodi corpora dampnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laice persone liceat publice, vel privatim de Fide Catholica disputare (9); Qui vero contrafecerit excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium, vita, & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii, per quem credat ad Prelati, & Inquisitorum heretice pravitatis notitiam pervenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur. Heretici autem, & receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorum filii usque ad secundam generationem (10) ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim predictos, & quoscumque viros Ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus, & quecumque alia Ecclesiastica Beneficia sunt adepti, ex nunc privamus taliter acquisitis; volentes, ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia, vel similia nequaquam in posterum admittantur; illorum autem filiorum emancipationem nullius esse momenti volumus, quorum parentes post emancipationem hujusmodi ad invium superstitionis heretice a via declinasse constiterit veritatis. Datum Anagnie XVII Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Clerici sunt penitus ab Ecclesiastico Ordine depellendi. Nonnullos tenebit vinculisque mandat. Credentium & hæreseos consciorum, pœnæ. De suspectis super hæresi. Aditum, sermonemque hæreticorum &c. omnes disfugiant. Nullus ipsos Ecclesiastica Sepultura afficere potest. Quid agendum, si secus fiat. Nec ad populum, nec privatim de Fide catholica disserere, laicis licet. Ad hæreticos indicendos unusquisque tenetur. Hæretici, conscii, filii ipsorum ad secundam usque generationem, ad Ecclesiastica Beneficia seu Officia non admittantur. Irrita & nulla est emancipatio filiorum quorum parentes hæresim amplectuntur.

1. *Leges*.) Easdem tulit *Gregorius IX VII Martii MCCXXXVI.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Illud idem exscripsere *Cherubinus Tomo I Bullar. Roman. in Innocent. IV Const. XVIII, Pegna ad Calcem Director. Inquisitor. pag.* 21, *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLIV num. II.* Asservatur Autographum in *Cœnobio S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Catharos*.) De his, & ejusdem furfuris viris dixi superius *XV Maii MCCLII.*
4. *In similibus*.) Quid hoc significet, docet *Hostiensis* in *Cap. Excommunicamus § 6, Credentes.*
5. *Proclamationes*.) Dixi supra ad *XV Maii MCCLII.*
6. *Hospitalarii*.) De quibus sæpius.
7. *Templarii*.) Videas Diploma *Datum XVII Septembr. MCCXLV.*
8. *Sepultura*.) Consulendus *Eymericus III Part. quæst. XL pag.* 611. *Col. II Director. Inquisitor.*
9. *Disputare*.) Ille idem legendus *Parte I quæst. X pag.* 72 *Col. II.*
10. *Generationem*.) Dixi superius *XV Maii MCCLII.*

Privilegia (1) concedit Inquisitoribus.

Anno 1254 Die 19 Junii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. A. fol.* 772.

CCCXXXVII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum Inquisitoribus heretice pravitatis, presentibus, & futuris in Lombardia, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MAlitia hujus temporis in diversis mundi partibus, & maxime in Provincia Lombardie perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus lethifera pestis heretice pravitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur ejusdem pestis, juxta Officii nostri debitum, ex animo intendentes, volumus, adversus hujusmodi iniquitatis operarios, qui massam Catholice puritatis fermento proprie contagionis inficiunt, fideles, ut consurgant, stentque nobiscum pro evangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis salubribus adhortationibus incitari. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta, districte precipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in locis, ubi contra hereticos vobis Inquisitionis Officium est commissum, curetis singuli opportuna instantia, contra eosdem hereticos, eorumque fautores proponere populis publice Verbum Crucis, & eos, qui tacti zelo Fidei ad extirpandam pravitatem eandem votum assumpserint, Crucis charactere consignare. Ut autem vobis de predicatione hujusmodi, & fidelibus, qui ejusdem Crucis ob hoc votum assumpserint, copiose mercedis premium afferatur: vobis, & eisdem fidelibus illam Indulgentiam, illudque privilegium elargimur, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium in generali Concilio (3) conceduntur. Cum autem

Exordium. Ut Cruce consignent eos, qui votum nuncupaverint pro extirpandis hæreticis. Indulgentiæ concessæ.

Sese opponentes, vel non faventes Inquisitionis Officio, ut hæreseos conscii pœnas dent.

Crucesignatos absolvere possint Inquisitores.

Nominatim aliquos excipit.

Dispensandi facultas.

Commutandi vota Crucesignatorum.

Divinis interesse, tempore generalis Interdicti, Crucesignati poterunt.

tem hujusmodi Crucis verbum per vos proponi contigerit, relaxandi omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui ad audiendum verbum ipsum devote adfuerint, quadraginta, vel viginti dies de injunctis pœnitentiis, libera sit vobis, & singulis vestrum, de concessione nostra, facultas. Quod si forte, quod non credimus, aliqua Civitas, Communitas, vel persona cujuscunque conditionis, vel gradus huic tam salubri negotio se opponere, seu illud præsumpserit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios, auctoritate nostra, ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem; immo, si quicunque requisiti illud fovere neglexerint, & juxta officium, & posse suum, studiose juvare: contra eos tanquam defensores, & fautores hæreticorum, sublato appellationis obstaculo, vos, vel vestrum singuli, auctoritate nostra intrepide procedatis; contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, Reges, & Principes Christianos, necnon Crucesignatos pro Terræ Sanctæ succursu curabimus invocare: cum non minus expediat, immo magis. Fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare. Porro ut non solum Inquisitionis vobis super hæretica pravitate commissæ, sed & hujusmodi prædicationis Crucis Officium in manibus vestris congruis favoribus adjuvetur, absolvendi juxta formam Ecclesiæ omnes, qui contra pravitatem hæreticam assumpserint signum Crucis ab interdicti, suspensionis, & excommunicationum sententiis Canonis, & præsertim ab illis, quas pro incendiis, vel effractionibus Ecclesiarum, seu injectione manuum violenta in personas Ecclesiasticas incurrerunt, & aliis quoque sententiis a Nobis, vel auctoritate nostra generaliter promulgatis, nisi adeo gravis, & enormis excessus fuerit personarum, quod ab his oporteat absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam obtineri: necnon, & ab illis sententiis, quas adhærendo, & favendo contra Ecclesiam, quondam Frederico (4), se tunc pro Imperatore gerenti, seu Conrado nato ejus, vel ipsorum fautoribus incurrerunt; Ecelino (5) de Romanis, Uberto (6) Marchione Pallavicino, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Potestatibus, Rectoribus Civitatum, atque locorum, similibusque personis, qui in Ecclesias, & personas Ecclesiasticas sæva exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, duntaxat exceptis; dummodo assumpto Crucis signaculo, votum hujusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur, & ipsi caveant, quod de cetero contra Ecclesiam nunquam erunt, & tam ab ipsis, quam ab aliis præmissis plena de damnis, & injuriis, propter quæ excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas. impendatur: necnon, & dispensandi cum Clericis super irregularitatibus, quas celebrando divina, ligati sententiis Canonis contraxerunt. Commutandi quoque vota eorundem Crucesignatorum, voventium, & votorum qualitate pensata, Terræ Sanctæ votis, aliisque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium, duntaxat exceptis. Concedendi quoque Crucesignatis eisdem quod tempore generalis Interdicti possint interesse divinis Officiis, & Ecclesiastica Sacramenta recipere in locis; in quibus eadem ex indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, dummodo in præmissis casibus, si Ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius absolutionis beneficium assequantur, vobis, & singulis vestrum, auctoritate præsentium, concedimus facultatem. Datum Anagniæ XIII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Privilegia.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) Illud idem exscripserunt *Cherubinus Tomo I Bullar. Roman. in Innocent. IV Constit. XIX, Pegna ad Calcem Director. Inquisitor. pag. 22, Bzovius ad Annum MCCLIV num. III.*
3. *Concilio.*) *Lugdunensi I.*
4. *Frederico.*) Seu *Friderico* II, de quo sæpius supra, ubi etiam de *Conrado.*
5. *Egelino.*) Seu *Ezelino*, de quo superius.
6. *Uberto.*) Legesis *Annotationem IV in Diploma Datum XXV Martii MCCLIV.*

Anno 1254 Die 21 Junii.

Inquisitoribus (1) Lombardiæ, ut statuta in hæreticos edita, una cum Diœcesanis possint interpretari, ac privare beneficiis Ecclesiasticis hæreticorum conscios.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 774.

CCCXXXVIII

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, præsentibus, & futuris, in Lombardia, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

Quibusnam nomina testium super crimine hæreseos exprimenda.

UT commissum vobis Inquisitionis Officium contra pravitatem hæreticam in Provincia Lombardiæ, & Marchia Januen., efficacius, & liberius impleatis. interpretandi, vel declarandi una cum Diœcesanis Locorum, in quibus idem vobis Officium est commissum, vel ipsorum Vicariis, cum Diœcesanos abesse contigerit, statuta contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores ipsorum, edita, & in Capitularibus, seu statutorum libris Civitatum, locorumque, in quibus dictum Officium vobis exequendum incumbit, posita, vel ponenda, quoties in eis apparuerit dubium aliquid, filios, & nepotes, dignitatibus, personatibus, & honoribus, quibuscunque, ac Beneficiis Ecclesiasticis, & publicis Officiis: illos etiam, qui hæreticorum, vel aliorum prædictorum interventu, vel gratia talia sunt adepti, vel in posterum assequentur, eisdem privandi de Diœcesanorum, vel eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, liberam vobis, & singulis vestrum, tenore præsentium concedimus potestatem. Sane si accusatoribus, aut testibus, quos a vobis, vel aliis vice vestra super crimine hæreseos recipi contigerit, ex publicatione nominum eorundem, videritis periculum imminere, eorundem nomina, non publice, sed secreto coram aliquibus personis providis, & honestis, Religiosis, & aliis, ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur, & sic ad cognitionem Judicis instruendam, eorundem Testium depositionibus plena fides, & auctoritas habeatur. Datum Anagniæ XI Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Undecimo.

1. *Inquisitoribus.*) Dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

Inqui-

Inquisitoribus Lombardiæ, ut ad Leges in hæreticos latas servandas, per censuram Ecclesiasticam Potestates ac ceteros compellant.

Anno 1254 Die 7 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 793.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in partibus Lombardię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXXXIX.

VOlentes ut adversus hęreticam pestem consurgant, stentque nobiscum Ecclesię filii, ac Orthodoxę Fidei zelatores, Constitutiones quasdam ad extirpationem hujusmodi pestis edidimus, quas dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis nostris insertas literis misimus, ab ipsis, ut Fidelibus ejusdem Fidei defensoribus, exacta diligentia observandas; per easdem nihilominus literas mandantes eisdem, ut eorum singuli Constitutiones easdem conscribi in suis Capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem heresim, se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant. Quocirca mandamus, quatenus, si dicti Potestates, & alii Civitatum, & locorum, in quibus vobis Inquisitionis contra hęreticos officium est commissum, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos, vel quivis vestrum, singulos eorum ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, remoto appellationis obstaculo, compellatis; Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, vel indulgeri contigerit, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint, vel eorum terrę subiici ecclesiastico interdicto. Datum Anagnię Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno XI (1).

Mandatum.

1. *XI.*) Notam unam Arithmeticam præteriisse Amanuensem, nobis evidens est; & ex eo probatur, quod Nonis Julii, Anno Pontificatus Undecimo *Assisii*, non vero *Anagniæ*, degebat *Innocentius*. Id demonstrant Diplomata Anni MCCLIII, quæ consulas velim. Legendum ergo *Pontificatus nostri Anno XII*, Id est *Anno MCCLIV*. Vid: quæ ad sequens Diploma.

Inquisitoribus Lombardiæ, ut Magistratus Leges, quas Fridericus in hæreticos sanxit, observent (1).

Anno 1254 Die 7 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 794.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in partibus Lombardię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXL.

CUm adversus hęreticam pravitatem quondam Fredericus, tunc Romanorum Imperator, promulgaverit quasdam Leges. per quas, ne pervagetur, compesci poterit pestis ilis; Nos eas volentes ad robur fidei, ac salutem fidelium, observari, dilectis filiis Potestatibus, consiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum Italię, nostris dedimus literis in mandatis, ut ipsas, quarum tenores sibi prefatis insertos literis misimus, singuli faciant in suis capitularibus annotari, contra hęreticos Sectę cujuslibet, secundum eas exacta diligentia, processuri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si prefati Potestates, & alii Civitatum, & locorum, in quibus vobis Inquisitionis officium contra hęreticos est commissum, mandatum super hoc Apostolicum neglexerint adimplere, vos, vel quivis vestrum, eos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, remoto appellationis obstaculo, compellatis. Non obstante si aliquibus ab Apostolica Sede sit indultum, vel indulgeri contigerit, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint. vel eorum terrę subiici ecclesiastico interdicto. Datum Anagnię Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno XI (2).

Mandatum Pœnaeis.

1. *Observent.*) Legendum Diploma *XXVIII Maii MCCLII.*
2. *XI.*) Restituendam notam unam Arithmeticam, & legendum *XII*, jamjam probatum est dum de præcedenti, & confirmari ex eo potest, quod *Pegna* idem Diploma transcribens *ad Calcem Directorii Inquisitor. pag. 23*, sic ex Archivo *Bononiensi* dicit: *Anagniæ Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo*.

Universis Ecclesiarum Prælatis per Italiam constitutis, ut Crucem in hæreticos prædicent, & Inquisitoribus adsint,

Anno 1254 Die 12 Julii.

Ex Archivo [1] *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & dilectis filiis Ecclesiarum Prelatis, & Clericis, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCCXLI.

MAlitia &c. (2). Datum Anagnię IV Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.* In quo Exemplar,
2. *Malitia &c.*) Hoc idem Diploma de verbo ad verbum exscripsimus *ad XXX Maii An. MCCLIV.* Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur,

Anno 1254 Die 27 Julii.

Inquisitoribus Lombardiæ, ut nullo excepto, etiam in privilegiarios quæstionem instituant.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCCXLII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

NE commissum vobis contra hęreticos Inquisitionis Officium quocunque contingat obice prępediri, vobis, & singulis vestrum pręsentium auctoritate concedimus, ut, non obstantibus aliquibus Privilegiis, vel indulgentiis, quibuscumque personis cujusvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, aut Ordinis, seu communitatibus, vel universitatibus civitatum, & locorum specialiter, vel generaliter, sub quacumque verborum expressione, vel forma, ab Apostolica Sede concessis, vel ammodo concedendis, etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas litteras, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes Privilegiorum, vel Indulgentiarum ipsarum, nequeat derogari; maxime quod illi excommunicari, vel ipsorum terrę supponi non possint ecclesiastico interdicto; in eodem Officio, & contra impedientes illud, vel in eo vobis juxta Officium, & posse suum a vobis requisitos assistere non curantes, libere, juxta formam vobis per litteras nostras traditam, procedatis; cum ex hujusmodi, vel aliis privilegiis, & indulgentiis nullum vobis in tantę pietatis negotio velimus obstaculum generari; Ad hęc, si super his, quę circa idem Officium, illudque contingentia, in scriptis fuerint redigenda, Tabellionum Secularium copia forte defuerit opportuna, personis Regularibus cujuscumque Ordinis, qui Tabellionatus Officium in seculo habuisse noscuntur, exercendi illud in his, cum a vobis, necessitate hujusmodi suadente, fuerint requisiti, auctoritate nostra licentiam concedatis, quos ad hoc, constitutione Canonica vel Regulari, contraria nequaquam obstante, ex districto volumus jussionis nostrę pręcepto teneri; quod si nec tales habere poteritis, alios duos viros ydoneos Clericos, vel Laicos, quotiens talis imminebit necessitas, assumatis, qui simul fideliter, ea, quę fuerint a vobis, vel coram vobis ex prędicto Officio gerenda, conscribant; quorum scripta, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, ac si unius personę publicę manu confecta fuissent, inconcussam habere decernimus firmitatem. Datum Anagnię VI Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Religiosi cujuscunque Ordinis munus Tabellionis S. Inquisitionis possunt exercere.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Asservatur etiam in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolan.*

2. *Lombardia.*) *Et Marchia Januensi.* Hæc verba sunt in ipsomet Autographo, sed alia manu.

Anno 1254 Die 29 Julii.

Cum domus hæreticorum destrui jubentur, idem intelligendum de Turribus.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCCXLIII.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Provincia Lombardię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm in Constitutionibus (2) nuper a Nobis contra hęreticos promulgatis, inter alia contineri dicatur expresse, ut domus, in qua hęreticus, vel hęretica, inventus fuerit, ac ei contiguę, si fuerint ejusdem domini, sine spe reparationis funditus destruantur, nostro petistis certificari responso, quid sit de Turribus in casu hujusmodi observandum? Ad quod breviter respondemus, quod nostrę intentionis extitit, & existit, ut in eo casu idem in Turribus, & in Domibus judicium observetur. Lignamina vero, lapides, & tegulas domorum, & turrium, quę taliter destruentur, eo modo distribui decernimus, quo res alias ibidem inventas dividi mandavimus in Constitutionibus antedictis. Datum Anagnię IV Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Declaratio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem habent *Bullar. Roman. Tomo I in Innocentio IV Const. IX, & Pegna pag. 23.*

2. *Constitutionibus.*) Datis *XX Maii MCCLIV.*

Anno 1254 Die 8 Augusti.

Universis Ecclesiæ Prælatis, ut Sancti Petri (1) Martyris Officium celebretur ab omnibus.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. A. fol. 797.*

CCCXLIV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Prępositis, & aliis Ecclesiarum & Religiosorum Ordinis cujuscunque Pręlatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

S. Petri Martyris encomia.

MAgna magnalia de Beato Petro Martyre Ordinis Prędicatorum, natione Lombardo per oras ubilibet innotuere Italicas, & jam usque ad longinquum terrarum per universalem notitiam effulsere, qui, dum in carne viveret, a carnis illecebris, & deliciis alienus, sic virtuose pro Fide Christiana certavit, quod stabili animo susceptum prosecutus agonem gloriosum, tandem de ipsius Fidei hostibus reportavit, Martyrio pręvalente, triumphum: hujus, inquam, triumphi fama in omnem quasi fidelium terram exivit, & ad extrema fere Orbis illius signa lucida radiarunt; fulget jam inter clara sanctorum agmina re-

recens Martyr, & in firmamento Ecclesię novum jam rutilat luminare. O mira Martyris victoria[1] in quo dum caro conteritur, spiritus roboratur: dum certator videtur deficere, fortius convalescit: In quo tunc magis Christi Miles prævalet, cum acrius comprimitur; quia re vera tunc gloriosius hostem vincit, cum inter passiones atroces constantius mortem suffert. O quam admiranda Catholicę Fidei per certamina martyrum defensio provenit. Nam in illorum oppressione, ac cęde, robur ipsa suscipit, & vigorem; quia nequaquam ei demitur, cum sui sibi pugiles taliter adimuntur, quinimmo tunc status ejus erigitur potius, & firmatur; quoniam illi sic moriendo non desunt, sed plus, quam ante vivunt, & assumunt Fidei munimentum (3), & tunc clarius Fidei lampas lucet, cum ardentes lucernę martyrum suppliciorum incendiis corporaliter extinguntur; quod plene, ac liquido patuit in ipsius Beati Petri Martyris passione, quia post gloriosum, & recolendum ejus martyrium, sic suorum multitudine, ac eminentia miraculorum, Fides resplenduit, quod quamplurimi hęretici, eorumque credentes, ipsius Fidei tot, & tantorum ostensione signorum, agnita veritate, ad illius lumen de suorum errorum tenebris propere redierunt. O quam laudandum, & honorandum Athletam! qui hostiles non pavescens occursus, pro lege Dei sui perseveranter in stadio usque ad mortem invicta stabilitate pugnavit! O venerandum virum: & ubique sonoris pręconiis declarandum! Hic est Religionis norma, munditię nitor, morum decus, thesaurus scientię, Prędicationis fulgor, Caritatis ardor, Fidei paries, cumulus gratiarum, virtutum speculum, & fragrantis sanctitatis aroma; hic timor hęreticorum, & tremor, & vivus expugnavit eorum perfidiam, & jam ab ipsis occisus, illos deterret vehementius, & confundit; hic cęli sydus fulgidum, dignus cęlestis regni cohęres, illustris concivis Martyrum, inclytus mensę supernę conviva, & securus patrię sempiternę possessor. Merito itaque tam venerandi Martyris universa plebs catholica recensere debet memoriam, & tota Christi Ecclesia ejus festum solemniter celebrare, ne tantum Dei donum recepisse in vacuum videantur, ac non recognoscere immensam, quam in hoc eis largitus est gratiam, magnificando ipsas, tam eximio Martyre, ac tanti patroni suffragio muniendo. Et certe cum de ipsius consortio universi Beatorum Chori assidue coexultent, inconveniens, & reprehensibile nimis esset, si Christi fideles solemnitatem ejus non susciperent, & agerent reverenter; quem enim Dominus mirificavit in terris, ac sublimavit in Cęlis, debemus & nos & crebris attollere laudibus, & festivitate celebri honorare, ut de illius magnificentia, & gloria communem gerentes lętitiam, & voto, voce, ac opere, quasi quodam pariter psallentes tripudio, congaudeamus in hoc Sanctorum collegio, & digne illius patrocinium mereamur. Quapropter nolentes penitus, ut prędicti Beati Petri Martyris solemnitas aliquatenus negligatur, quem pridem sanctorum Martyrum Catalogo, de communi Fratrum nostrorum, & Prelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio, & assensu, duximus cum ingenti gaudio ascribendum, sicut per alias nostras literas (4) plenius notificavimus, ad universas Provincias destinatas; universitati vestrę per Apostolica scripta districte pręcipiendo mandamus, quatenus considerantes attente, quod in tanti claritate martyrii altis titulis Fides Orthodoxa refulsit, & hęreticum dogma funestum ad confusionis, & ignominię ima ruit, ejusdem Martyris festum, quod celebriter (5) agit Romana Ecclesia, quod etiam principaliter, & studiose propter insigne illius martyrium ab omnibus Catholicis generaliter agi volumus, cum devotione, ac solemnitate omnimoda celebretis, & faciatis a vestris subditis veneratione congrua celebrari. Matutinale Officium de ipso Martyre omnino cum novem lectionibus, & alia de eo nihilominus Officia solemniter, prout convenit, exequentes. Illi vero (6), qui non consueverunt Paschali tempore, quo ipsius Martyris solemnitas agitur, festum aliquod cum novem lectionibus celebrare, Nocturnum, & Divinum Officium cum magna reverentia, & celebritate, juxta morem & modum suum solitum, de Martyre ipso agant; Et ne de ipsius festivitate intervenire unquam possit oblivio, sub simili districtione injungimus, ut diem Festi sui, qui videlicet occurrit III Kalend. Maii, in Kalendariis vestris scribendo, ibi ejusdem Sancti Nomen cum specificatione Ordinis Prędicatorum, solicite designetis. Sic autem pręmissa omnia efficaciter exequi studeatis, quod ipsum pretiosum Martyrem apud Deum possitis habere sedulum adjutorem. Datum Anagnię VI Idus Augusti, Pontificatus nostri Duodecimo.

Cur ipsius festum celebrandum.

Mandat ut supra.

Cum novem lectionibus Matutinale ipsius sit Officium.

Ipsius festum in Kalendariis ad diem XXIX Aprilis scribendum.

1. *Petri*.) Sancti, de quo supra ad *XXV Martii MCCLIII*, & *XIII Junii MCCLI*.
2. *Archivo*.) Autographum habes in Cœnobio *Bononiensi*, illud exscripsere *Odoricus Raynaldus ad An. MCCLIII num. XII*, *Castellanus pag. XIX*, ac *Illustris. D. Justus Fontanini* in *Codice Canonizationum*.
3. *Munimentum*.) *Adsunt ad Fidei Monimentum*, Ex *Mns. Arch. Ordinis*.
4. *Literas*.) Mox laudatas.
5. *Celebriter*.) *Solemniter*; sic *Odoricus*.
6. *Illi vero*.) Sic in Ordine nostro a *Paschate* ad Festum *SS. Trinitatis* unico Nocturno Matutinales etiamnum persolvuntur preces.

F. Bartholomæo (1), ut & ipse & conviventes loquendi (2) in mensa habeant facultatem.

Anno 1254 Die 12 Augusti.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 801.

CCCXLV.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Bartholomęo de Ordine Prędicatorum, carissimi in Christo filii nostri Anglorum Regis Illustris Germano, Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Tuis devotis precibus inclinati, ut tibi socius tuus loquendi in Mensa, & tu ei, & aliis tecum vescentibus tui Ordinis, & Minorum Fratrum, & aliis Religiosis Personis, quibus in mensa loqui est ex debito sui Ordinis interdictum, licentiam tribuere valeas, contraria Constitutione ipsorum Ordinum non obstante, vobis auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Nulli &c. nostrę concessionis &c. Datum Anagnię II Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Concedit ut supra.

1. *Bartholomao*.) Cujus mentio in Diplomate *Dato XXIV Decembr. MCCLII*.
2. *Loquendi*.) Legendum Diploma *Datum XI Januar. MCCLIV*.

Ili-

Anno 1254 Die 19 Augusti.

Inquisitoribus (1) Lombardiæ, ut Roberto hæretico debitam pœnam imponant, effodiant e terra hæreticorum ossa, eaque, necnon quoddam castrum, ac domos exurant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCXLVI.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus hereticorum in Proviocia Lombardię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quæ in causa Roberti gesta sunt singulatim exponit.

AD audientiamoostram, dilecto filio Fratre Raynerio (3) Placentioo Ordinis Predicatorum Inquisitore Pravitatis heretice significante, pervenit, quod, fama publica Robertum dictum Pactam de Gluxiano, Civem Mediolanensem diu de hereseos crimine deferente, Vicarius venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Mediolaneo. primo auctoritate ipsius Archiepiscopi, & postmodum idem Archiepiscopus, quia jam dictos civis propter hoc legitime citatus ab ipsis, contumaciter coram eis comparere contempsit, propter hujusmodi contumaciam manifestam excommunicationis tulerunt sententiam in eundem, qua postea damnabiliter vilipensa, idem reus io malitia sua per annum, & amplius persistens, defendendo hereticos, & publice receptando eosdem, captus propterea extitit, & ad mandatum dicti Archiepiscopi omnem heresim publice abjurare compulsus; ipse vero hujusmodi salutaris abjurationis oblitus, ut proprię salutis immemor, & quod bene ageret nesciens intelligere, in perfidię tam pestiferę incidit recidivum, deterius solito, & apertius hereticorum defensor, & detestabilis receptator ipsorum, tanquam in profundum obrutus peccatorum effectus, nihilominus in favorem heretici criminis, vel heresis criminosę, ac in depressione catholicę Fidei pejora prioribus committendo, propter quod a pręfato Fratre, ejusque Collega (4), Coinquisitore suo, jam dictus reus citatus io predicatione ipsorum publica iterato, omnem heresim iterum abjuravit de stando maodatis Ecclesię super eo, quod post abjurationes pręmissas in eandem heresim taliter, ut pręmissum est, reinciderat, receptando hereticos nequiter, & fovendo, & de veritate dicenda super his, & aliis, de quibus interrogaretur ab ipsis pręstito juramento. Demum Frater, & Collega jam dicti tum per confessiones ipsius civis, tum etiam & per testes legitimos omni exceptione majores comperto, quod ipse per viginti Aonos, vel circiter, publicus credens, receptator, defensor, & fautor hereticorum prę cunctis civibus Lombardię fuisset, quodve tam aote, quam post juramentum pręstitum in manibus pręd
icti Archiepiscopi, & abjurationes pręmissas publice manutenuisset Episcopos, & quosdam alios hereticorum Pręlatos, & quam plurimos hereticos, Magistros quoque in scholis perversitatis, & errorum, actu docentes in Castro suo, quod Gatie vulgariter appellatur, & conventicula captiosa nequiter in eodem castro fovisset, de quo dogmate prodeunte pestifero, non solum terrę vicinę, sed & alię ipsius Provincię pravitatis hereticę corrumpebantur contagio, in multarum dispendium aoimarum, quodque flexis genibus juxta morem hereticorum reverentiam exhibuisset eisdem, dicendo, o boni Christiani orate pro me ad Dominum, alias domos nonnullas in Castro iam dicto per ipsos hereticos construi, eosque inibi habitare permittens, necnoo & quamplura hereticorum corpora. & specialiter Nazarii eorum Episcopi fuissent inibi tumulata, ad suam jam dictum Civem citaverunt pręsentiam, iotendentes ei juxta tenorem mandati Apostolici super pręmissis penitentiam imponere salutarem; sed cum Civis jam dictus omni a se bono cura pręmissa penitudinis relegato, sicut se alienum a proposito salutis effecerat, sic ad vulnerum suorum medelam peniteotię contempsisset remedia sanativa, Frater, & Collega pręd
icti, habito prudentium consilio, spiritualis propter hęc cum mucrone gladii ferientes, manifestum eum esse hereticum, ejusque bona publicanda, & confiscanda tanquam heretici, sententialiter judicarunt, filios, & nepotes ipsius Clericos dignitatibus, personatibus, & universis Beneficiis Ecclesiasticis, laicos vero quibuslibet Officiis, & honoribus publicis perpetuo fore privaodos (5), & tam ipsum Civem, quam & ipsius filios, & nepotes jam dictos subjacere debere perenniter canonicis, & legitimis sanctionibus contra tales editis decernentes. Licet igitur post hęc omnia sępefatus Civis ad monitionem, & mandatum pręd
ictorum Fratris, & Collegę conversionem ipsius in Christo desiderantium super tam detestabilis, & perfidę apostasię reatu parere pręcise mandatis Ecclesię, & publicam super pręmissis devote suscipere, & facere penitentiam sponte se pręstito astrioxerit juramento: Nosque insuper civem ipsum ad nostram peremptorie duximus evocandum pręsentiam, certum ei termioum pręfigentes, iofra quem Apostolico se pręsentaret conspectui, defensionem super pręmissis, si quam pro se habere posset. legitimam ostensurus, idem tamen hujusmodi termino, & defensinoi renuncians, oostro mandato, & dictorum Inquisitorum arbitrio, ac dispositioni pręcise circa pręmissa, & super ipsis omnibus se, ac sua quęque bona commisit, prout in Instrumento publico inde confecto plenius continetur. Verum quia pręscripti Roberti funesta perversitas, & nequitia execranda, eo graviori est vindictę prosequenda censura, quo si adversus eam digna minime adhiberetur correctio, major exinde Orthodoxę Fidei derogatio, & heretici dogmatis favor amplior sequeretur, in multarum perniciem animarum, de consilio Fratrum oostrorum discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus corpora pręd
ictorum hereticorum, & ossa, penitus (6) de tumulis Castri pręfati, dictumque Castrum cum domibus, męniis, ac omnibus munitionibus suis, dictisque ossibus concremari, ac destrui, sine spe rędificationis funditus facientes, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, pręfato Civi de tantę pręsumptionis, & perversitatis errore condignam, & publicam penitentiam imponatis, prout secundum Deum saluti suę videritis expedire, taliter in hujusmodi negotio processuri, quod noster in hac parte processus ad ipsius cedat Fidei fulcimentum, & metu penitentię Civis pręd
icti, male credentium deficiant conciliabula, & erronea evanescant dogmata perversorum. Quod si non omnes his interfueritis, aliqui, vel unus vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Aoagoię XIIII Kalendas Septembris, Pontificatus oostri Anno Duodecimo.

Mandat ut supra.

1. *Inquisitoribus.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominic. Parte I Cap. V pag. 68.*

2. *Archivo*,) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.*

3. *Rayne-*

3. *Raynerio.*) Dixi superius *III Februar. MCCLIII.*
4. *Collega.*) Is erat F. *Guido* de quo ibidem.
5. *Privandos.*) Legendum Diploma *Datum XXXI Octobr. MCCXLIII.*
6. *Penitus.*) Supple: *extrahatis.*

Abbati & Conventui Rivipollen., ut Priori nostro Barchinonensi quasdam possessiones cedant. Anno 1254 Die 15 Septembr.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conventui Monasterii Rivipollen. Ordinis S. Benedicti, Vicen. (2) Diœc., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCCXLVII

EX parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Fratrum de Ordine Prędicatorum Barchinonen. fuit propositum coram Nobis, quod, cum ipsi propter nimiam arctitudinem loci sui, pluries vobis supplicaverint, ut quasdam possessiones vestras illis vicinas & pro ampliatione ipsius loci plurimum necessarias, sibi vendere, vel permutare pro redditibus valoris similis curaretis; vos quamvis affabiliter super hoc eis duxeritis respondendum, tamen id nondum ad exauditionis gratiam perduxistis. Cum autem vestram deceat honestatem, ut justis, & piis eorum votis, ac facilibus, adimpleri, affectu benevolo annuatis, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictas possessiones pro Divina, & nostra reverentia prętatis Priori, & Conventui, si vobis placet, prompta liberalitate donetis, vel sibi saltem pro decenti venditionis pretio, aut juxta bonorum virorum arbitrium, pro aliis possessionibus permutetis; ita quod eis gaudentibus commodum de precibus nostris in hac parte consequi, Nos sinceritatem vestram dignis exinde laudibus in Domino commendemus. Datum Anagnię XVII Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo. Hortatur ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Asservatur Autographum in Cœnobio nostro *Barchinonensi*.
2. *Vicen.*) In *Catalonia*.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Innocentio IV Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

F▲ Hugo de Sancto Charo, Gallus, ex Provinciali Provinciæ Franciæ Presbyter Cardinalis Tit. S. Sabinæ Sabbato quatuor temporum Pentecostes, die nempe XXVIII Maii, Anno MCCXLIV creatus. *F. Nicolaus de Curbio Ord. Minor. Capellan. & a Confessionibus Innocent. IV in vita ejusdem Pontificis num. XII inter Miscellan. Baluzii Tomo VII. Stephanus de Salanacho. Vincentius Bellovacen. Specul. Historial. lib. XXX Cap. CLII. Bernard. Guidonis. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCXLIII pag. 120. Cavalerius Tomo I pag. 23 num. L. Echard. Tomo I Scriptor. Ord, ad an. MCCLXII pag. 194 &c,* ubi ex testimonio Fratris *Nicolai de Curbio* mox laudati promotionis *Hugonis* Annum definit, & Auctores alios emendat eruditus Scriptor. Anno 1244 Die 28 Maii.

PATRIARCHÆ.

F▲ Christianus Patriarcha Antiochenus. *Spondan. Annal, Ecclesiast. ad An. MCCXXXIX num. XVII, & MCCLXVIII num. XIX. Bzovius ad Annum MCCLXVIII num. XII. Fontana Theatri Dominicani Parte I Tit. III pag. 44 ex Odorico ad An. MCCLXVIII, Plod. Parte I lib. I de Viris illustrib. Ord. Prædicator., & Ughello in Mo. Cavalerius Tomo I pag. 28 num. LXVI. Johannes Denjat, in Indice Patriarcharum Antiochenorum pag. 585.* Circa Annum 1248.

ARCHIEPISCOPI.

F▲ Hugo de Sancto Charo S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Lugdunensis. *Onuphrius in Chronicis. Ciaconius in Vit. Pontif. & Cardinal, Tomo II ad an. MCCXLIII pag. 121 &c. Castillo in Chronicis Ord. Parte I lib. II Cap. LXV. Antonius Senensis in Chronicis pag. 66. Fernandez in Archiepiscopis Galliæ. Malvenda Annal. Dominican. ad An. MCCXLIV Cap. IX. Fontana Theatri Domenicani Parte I Tit. LVI pag. 82. Cavalerius Tomo I pag. 23* Anno 1244.

pag.23 num.L. Aliique quos laudat iste loco citato, & in Monito ad lectorem, ubi, quam tuetur, opinionem extra omnem aleam ex quodam Manuscripto positam esse, probat.

Circa Annum 1245. F. Henricus Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas *Bulla* - Cum operosi - *Dat. XXX Mart. MCCXLVI. Acta Sanctorum ad diem V Maii pag.603 Col.I. Echard in Addendis ad Tom. I Scriptor. Ord. Prædicator.* Ille ipse est *F. Henricus* quem mox Archiepiscopum *Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ*, & inferius Episcopum *Chiemensem & Lubicensem* dicemus. Alius plane ab *Henrico* Antistite *Culmensi*, de quo in Indice Episcoporum nobis sermo erit ad An. MCCXLV. Ex hoc autem mihi probatur hæc sententia, quod *Henricus* noster translatus ab *Armachana* Sede ad Archiepiscopatum *Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ*, Archiepiscopi Titulo semper sit insignitus, etiam in Bullis mox laudandis, quibus Episcopales Ecclesiæ *Chiemensis*, & *Lubicensis* ipsi commissæ sunt; *Culmensis* vero Antistes Episcopi duntaxat Titulo ubique donatur; uti videre est ex *Bullis superius exscriptis XV, & XVII Jul. MCCLI, XIX, & XXX Mart., ac III Maii MCCXLVI, XXVIII Augusti, & VII Septembr. MCCXLVII, XXIV Jun. MCCLIII &c. & ex aliis inferius exscribendis ad XXI & XXXI Augusti MCCLVI.*

Anno 1246. IDem F. Henricus ex Armachana ad Archiepiscopalem Sedem *Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ* translatus. *Bulla* - Cum operosi - *Dat. XXX Mart. MCCXLVI &c.*

Anno 1247. F. Reginaldus, seu Raynoldus, ut vocat ipsum *Bernardus Guidonis*, Archiepiscopus Armachanus, Hiberniæ Primas. *Vita Fratrum lib. II Cap. XX. Barnard. Guidonis de Episcop. Hiberniæ, Cavalerius Tomo I pag.15 num. XVI. Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. pag.41. Col. II, & pag. 105 Col. II.* Hinc emendanda quæ scripsit idem *pag 22 Col. I*, ubi *Reginaldum* a *Gregorio IX* Archiepiscopum *Armachanum* constitutum censet.

Circa Annum 1248. F. Raymundus Lozana Segnviensis, Archiepiscopus, aut saltem administrator Hispalensis Ecclesiæ in Hispania *F. Antonius Lorea in Vita F. Petri Tapia Archiepiscopi Hispalen. Parte III Cap. VI §. I apud Cavalerium Tomo I pag.81 num. CCLVI.*

Circa Annum 1250. F. Dominicus Senensis, Archiepiscopus Calaritanus in Sardinia. *Ugurgerius Azolinus in Pompis Senensibus Tit.V. Sovegius in Anno Dominicano Tomo VII in Præfat. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XX pag.64. Cavalerius Tomo I pag.20 num. XXXIV.*

Anno 1252. F. Angelus Maltraversus, Archiepiscopus Candiensis. Metropolis est Cretensis Insulæ in Mediterraneo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XXXV pag.71, & Monument. Dominican. Parte I Cap. IV pag.63. Cavalerius Tomo I pag.30 num. LXXV.* Episcopus *Ferrariensis*, ac tandem Patriarcha *Gradensis* fuit *Angelus* iste. Dicam *in Appendice ad Pontificatum Alexandri IV.*

Anno 1252. F. Marinus Filamarinus, Capuanus Archiepiscopus in Regno Neapolitano *Ughellus in Archiep. Capuan.* Ceterum quod *Ughellus Marinum* Ordinis Alumnum non dixerit minus laborat *Cavalerius Tomo I pag.81 num. CCLVII*, ubi *ex Michaele Monacho in Sanctuario Capuano pag. 466 Edit. Octavii Beltrani, Neapoli MDCXXX, & ex Monumentis Cœnobii S. Dominici Neapolitani* probat *Marinum*, cujus hic mentio, inter Nostrates recensendum.

Anno 1252 Die 10 Maii. F. Henricus Filangerius, Neapolitanus, Romanæ Provinciæ Alumnus, Archiepiscopus Barensis in Regno Neapolitano. *Bulla* - Cum non - *Dat. X Maii MCCLII. Ughellus in Archiep. Baren. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XII pag. 60, Monument. Dominican. Parte I Cap. IV pag. 63 Col.I, & de Romana Provincia pag.315. Cavalerius Tomo I pag.21 num. XLI.*

Anno 1253. EUndem *F. Henricum* Anno MCCLIII *Albanensis* Ecclesiæ in *Latio*, seu *Campania Romana*, administratorem fuisse, testes sunt Auctores mox laudati. Obiit *Neapoli* die XI Octobr. MCCLVIII.

EPISCOPI.

Circa Annum 1242. F. *Raymundus Londinensis, Anglus, Gritisensis Ecclesiæ Episcopus creatus fuit circa Annum Domini Millesimum Ducentesimum Quadragesimum secundum. Dequo nihil aliud refert Fernandez.* Hæc *Fontana* in *Theatro Dominicano Parte I Tit. CCLXXIV pag.199.* Quæ nimis obscure commemorat, nec apertius explanabo, cum *Gritisensem* Episcopatum non noverim, nec alium *Raymundum Londinensem* sciam, præter illum, quem ex *Cavalerio Tomo I pag. 63 num. CXCI* Episcopum *Londinensem* dicam in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI.*

Circa Annum 1242. F. Petrus Remensis, ex Provinciali Provinciæ Franciæ Episcopus Aginnensis, sub Archiepiscopo Burdigalensi in Gallia. *Stephanus de Borbone Auctor æqualis lib. de VII Donis Spiritus S. Parte I Tit. V de Purgatorio Cap. VII*

Cap. VII. Bernardus Guidonis de Episcopis Provincia Tolosanæ. Echard Tomo I de Scriptoribus Ordinis ad an. MCCXLV pag. 115 &c. Hic tamen lapsus eruditus vir *pag. 195 Col. I, Petrum* Anno MCCXXXVI ad Insulam *Aginnensem* promotum dicens, *Guidonis* etenim diserte definit tempus his verbis: *F. Petrus Remensis Gallicus* (gubernavit) *Ecclesiam Aginnensem, cui donatus fuit tempore Magistri Ordinis Fratris Johannis Theutonici circa Annum Domini MCCXLII.* Cum ergo *F. Johannes Teutonicus* electus sit Magister Ordinis die XX Maii An. MCCXLI nunquam certe *ly* CIRCA serviet sententiæ cui obsistimus. Ceterum, ut Auctorea concilies, hic obiter notandum, *Petrum* istum *Remensem*, alium prorsus esse a *F. Petro de Faxa*. Iste siquidem floruit sedente *Bonifatio IX* anno MCCCXCI, ille vero, *Petrus* nempe *Remensis*, e primis fuit, qui *Parisiis* anno MCCXVII Ordini nomen dedit ætate maturus, vir gravis & eruditus, atque inter regiæ urbis Concionatores jamjam nominatus. Consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord ad an. MCCXLV pag. 115.* Ibi notat vir eruditus, quod in II Capitulo Generali *anno MCCXXI, in quo divisæ Provinciæ, Petrus* Remensis *primus Franciæ Provincialis positus est & declaratus.*

F. Jacobus e Castro Arquato Placentinus, Alumnus Cœnobii S. Johannis in Canale, Episcopus Albintimiliensis, seu Vintimiliensis, sub Archiepiscopo Mediolanensi in Italia. *Bulla* -- Assumpti -- *Data XVIII Mart. MCCXLIV. Bulla* -- Ut Ecclesia -- *Data XXI Mart. MCCXLIV. Bernardus Guidonis in Episcop. Provinc. Lombardiæ. Ughellus in Episcop. Albintimilien. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XXI pag.* 119. *Cavalerius Tomo I pag.* 16 *num. XXII.* Inter Episcopos *Placentinos Jacobum* nostrum recensent *Cavalerius* mox laudatus, & *Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCCCLXVIII pag.* 265. & merito quidem. Verum quia designatos Episcopos qui promotioni nuncium remiserunt nullos facio, nec *Placentinum* istum Antistitem nominassem, si vir clarissimus Abbas *Ughellus* de electione *Jacobi* loquens *Edit. II Italiæ Sacræ in Episcop. Placent.*, & accusationem in ipsum conflatam memorans, crimen propulsasset, culpam omnem a *Jacobo* nostro certe depulsurus, id quippe probatu facillimum. Enim vero, qui per vim Episcopatum obtinuerat, uti falso criminabantur nonnulli Mense Decembri An. MCCXLIII, *Jacobus* ipse insimulatus Simonia; lite tandem cognita diligenter, sic crimen diluit, ut Mense Martio An. MCCXLIV laudibus ab ipsomet Summo Pontifice cumulatus, *Albintimiliensis* Episcopus inauguratus fuerit. Id constat ex Bullis mox laudatis, quas ipsemet *Ughellus* excripsit in *Episcop. Albintimilien.* Anno 1244.

F. Jacobus Boncambius, qui ab *Echard Boncampius*, & a *Bernardo Guidonis* de *Bonoscambio* nuncupatur, Bononiæ nobili loco natus ex Vicecancellario S. R. E., Episcopus Bononiensis in Italia. *Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Lombardiæ. Leander Albertus de Viris illustribus Ord. Prædicator. Ughellus in Episcopis Bononien. Echard Tomo I de Scriptoribus Ord. ad an. MCCLX pag.* 160. *Cavalerius Tomo I pag.* 22 *num. XLIV.* Nunc Archiepiscopalis hæc Sedes. Anno 1244.

F. Vualterus, seu Valerius Venetus, Episcopus Tarvisinus sub Aquilejensi Patriarcha. *Ughellus in Episcop. Tarvisin. Fontana Theatro Dominicano Parte I Titulo DLXXIV pag.* 204. *Cavalerius Tomo I pag.* 15 *num. XVII.* Fuit *Vualterus* Nuncius, seu Legatus Apostolicus, ut inferius dicam, nec obiit Anno MCCL, ut ex *Ughello* censet *Fontana*, *Tarvisinam* siquidem rexit Ecclesiam ad Annum usque MCCLV, quo ad *Castellanam* translatus est, ut adnotat *Scottus Tomo V Ital. Sacræ pag.* 544 *Edit. II.* Consulenda etiam quæ notantur *pag.* 1266 *ejusdem Tomi V.* Dicam inferius in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV.* Anno 2245.

F. Guarnerus Episcopus Pomezaniæ designatus. *Bulla* -- Decet -- *Data VIII Novembr. MCCXLV, & Bulla* -- Decet -- *Data VI Octobr. MCCXLVI.* Num fuerit inauguratus, nullus quem legerim, scripsit; Immo Primus *Pomezaniensis* Episcopus ex *Tomo I Germaniæ Sacræ Parte I pag. 55 Col. II fuit Ernestus Ord. Prædicator.*, *qui obiit Anno MCCLXIX.* Anno 1245 Die 8 Novembr.

F. Henricus Episcopus Culmensis sub Archiepiscopo Gnesnensi in Polonia. *Bulla* -- Exquisitæ -- *Data XV Jul. MCCLI. Bulla* -- Multa -- *Data XVII Julii MCCLI. Bulla* -- Ad hæc -- *Data XVII Jul. MCCLI. Bullæ* -- Qui justis -- *inferius exscribendæ ad XXI, & XXXI Augusti MCCLVI.* Germania Sacra *Tomo I pag.* 55 *Col. I. Gaspar. Schutzen in serie Episcoporum Culmensium laudatus ab eruditis editoribus Actorum Sanctorum ad diem V Maii pag.* 603 *Col. I. Echard in Addendis ad I Tom. Scriptor. Ord. Prædicat. Cavalerius Tomo I pag.* 19 *num. XXXII.* Aliique permulti. Emendandi tamen qui *Henricum Culmensem* Episcopum ab *Henrico Chiemensi* Antistite non distingunt, ut diximus in serie Archiepiscoporum ad Annum MCCXLV. *Henricum Culmensem* Episcopum Kalendis Juliis Anno MCCLIV obiisse censent Auctores mox laudati, liquet tamen ex *Bullis* -- Qui justis -- *Datis XXI, & XXXI Augusti MCCLVI* vitam longiorem ipsi datam fuisse. Florebat certe anno MCCLXVII, quo interfuit Concilio *Vratislaviensi*, ut videre est *Tomo XI Conciliorum Labbei Parte I pag.* 858 *ad annum MCCLXVII.* Consulendus etiam *Carolus* noster *a S. Vincentio An. Dominic. Parte I Septembris in Chronologia Mission. pag.* 82. Anno 1245.

F. Henricus Archiepiscopus Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ, ut dixi superius, Episcopus Chiemensis in Salzeburgensi Provincia. *Bulla* - Cum operosi - *Data XXX Martii MCCXLVI. Germania Sacra Tomo I Parte I pag.* 48 *Col. II. Metropolis Salisburgensis Tomo I pag.* 14, & 15. De Anno tamen inter Auctores istos non convenit. Anno 1246.

Circa Annum 1247. EIdem Henrico Ecclesiam Lubicensem commissam fuisse constat ex *Bulla* - Exigentibus - *Data VII Septembr. MCCXLVII.*

Anno 1247. F. Raynerius Lombardus Episcopus Magalonensis sub Archiepiscopo Narbonensi in Occitania. *Bernardus Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Provinciæ. Gallia Christiana in Episcopis Magalonen. Petrus Gariel in serie Præsul. Magalonen. Echard Tomo I Sriptor. Ord. ad an. MCCXLVIII pag. 121. Cavalerius Tomo I pag. 15 num. XV.* S. R. E. Vicecancellarii munus explevit *Raynerius* ab Anno MCCXXXVII ad MCCXLVII, quo constitutus fuit Episcopus *Magalonensis*. Nunc *Montem Pessulanum* translata hæc Sedes.

Anno 1247. F. Robertus Hispanus, Episcopus Sylvensis in Algarviis. *Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. in Indice Episcopor. pag. 22 Col. I ex Appendice Monarchiæ Lusitaniæ, & ex Roderico Acuña Histor. Archiepiscopat. Bracar. Cap. LXI pag. 257*, ubi transfertur ad Annum MCCLIV.

Anno 1247. F. Guillelmus natione Gallus, Episcopus Antaradensis in Phœnice maritima, tunc sub Antiocheno Patriarcha. *Bulla* - Quæ - *Data I Octobr. MCCXLVII. Bernardus Guidonis in Chronicis Summor. Pontific. Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. ad an. MCCXLVIII pag. 121. Cavalerius Tomo I pag. 24 num. 52.* Ille est *Guillelmus* noster, qui, cum F. *Hugone de S. Charo* S. R. E. Cardinali delegatus est ab *Innocentio IV* ad Regulam Carmelitarum recognoscendam.

Anno 1247. F. Guillelmus Barberanus, Episcopus Ilerdensis sub Archiepiscopo Tarraconensi in Catalonia. *Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Provinc. Aragoniæ. Malvenda Annal. Ord. ad Annum MCCXXXVI Cap. VII. Cavalerius Tomo I pag. 20 num. XXXVI.* De Anno inter Auctores non convenit. Consulendus *Diago Histor. Provinciæ Aragon. Libro II Cap. V pag. 108. &c.*

Anno 1248. F. Berengarius de Castro-Episcopali, vulgo *Castel-Bisbal*, Cœnobii Barchinonensis Alumnus, Episcopus Valentinus in Hispania. *Fontana in Theatro Dominicano Parte I Tit. CXII pag. 110, & Tit. CCLXII pag. 197 ex F. Lopez Parte V lib. II. Fernandez in Episcop. Hispan., & Diago in Ms. Catalogo Episcopor. Gerunden. sibi exhibito.* Ipsos excipit *Cavalerius Tomo I pag. 19 num. XXX*, nec de hoc ambigendum, licet inter Auctores de Anno, quo inauguratus fuit *Berengarius* non conveniat; Cum autem F. *Michael Fabra* decessor ipsius e vita cesserit Anno MCCXLVIII, ut ex Inscriptione ipsius Tumuli probat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 16 Col. I*, liquet, eodem Anno ipsi successisse *F. Berengarium*, e *Valentina* ad Ecclesiam *Gerundensem* brevi transferendum. Nunc Archiepiscopalis est Sedes *Valentina*.

Anno 1248. IDem F. Berengarius e Valentino ad Episcopatum Gerundensem translatus. *Bernard. Guidonis in Indice Episcopor. Aragon.* Ceterique Auctores mox laudati, qui omnes uno ore clamant, vel Anno MCCXLVIII, vel MCCXLIX *Berengarium* constitutum fuisse *Gerundensem* Episcopum. Emendandus ergo *Malvenda* noster *Annal. Ord. ad An. MCCXLVI pag. 685. Col. I* qui, ut cujusdam historiæ fidem elevaret, scripsit, *Berengarium Gerundensi* Ecclesiæ præfuisse Anno MCCXLVI. Via certe excidit fidus aliunde, & optimus Auctor. Legenda quæ de *Michaele Fabra* diximus in *Appendice ad Pontificat. Gregor. IX in serie Episcopor. An. MCCXL.*

Circa Annum 1248. F. .... Episcopus Barchinonensis in Catalonia. *Bernard. Guidonis in serie Episcopor. Aragon.*, aliique quos laudat & excipit *Cavalerius Tomo II pag. 157 &c. num. III.* Quis iste fuerit docet *Fontana in Theatro Dominicano Parte I Tit. LXXV pag. 137*, ubi ex *Johanne Lopez Parte V lib. II Cap. VIII* hæc habet: *Petrus Centelles Barchinonensis Episcopus cum esset, ex fructu, quem in vinea Domini faciebant Fratres nostri, permotus, cooperante Spiritu Sancto Ordinis habitum petiit, quem tamen consequi se non posse dixere Patres ob impedimentum pastoralis curæ. Accessit ipse ad Gregorii IX pedes Ecclesiam dimissurus, quod obtinere non valuit, cum ejus vitæ integritas Pontifici Maximo innotuisset. Voti vero compos factus fuit in eo, quod idem Gregorius indulsit illi, ut Ordinis habitum sumeret, retenta Barchinonensi Ecclesia, quod & fecit, vixitque Pastor optimus usque ad Annum MCCLII, quo Martii XXVIII Die, quievit in Domino.* Hinc *Gregorio IX* Summo Pontifice *Petrum* Ecclesiæ *Barchinonen.* præfuisse liquet, quia tamen Annum, quo vota solemnia *Petrus* nuncupavit in Ordine nostro, non definit *Fontana*, Annum MCCXLVIII constitui ex *Bernardo Guidonis* supra laudato. *Memorati* enim *tres Episcopi, scilicet Gerondensis, Barchinonensis, & Hylardensis*, Berengarius nempe, Guillelmus Barberanus, & Petrus Centelles, *simul tempore præsulabantur*, inquit, *Bernardus* noster loco citato.

Anno 1248 Die 4 Decembr. F. Andreas de Albalate, Episcopus Valentinus in Hispania. *Bernardus Guidonis. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLVIII num V. Joan. Lopez Parte* V *lib. II Cap. XVI apud Fontanam Theatro Dominicano Parte I Tit. CXXII pag. 110. Cavaler. Tomo I pag. 23 num. LXXXVII. Echard Tomo I* Scriptor. *Ord. ad an. MCCLXXVII pag. 360.* Nunc Metropolis est hæc Ecclesia.

Anno 1248. F. Alanus o Sullivan ex Episcopo Clonensi Lismorensis Episcopus, ut diximus supra *in Appendice ad Pontificat. Gregorii IX ad Annum MCCXL.*

F. Vin-

F. Vincentius, Bellovacensis Episcopus, sub Archiepiscopo Remensi in Gallia. Ecclesiæ *Bellovacensi* præfuisse *Vincentium*, negant recentiores nonnulli, affirmant alii. Anceps & dubius olim hac de re animo fluctuabam, tanti siquidem erant apud me *Sammarthani*, ut quem e *Gallia Christiana* expunctum vidissem, ipsum ex Episcoporum albo eradendum, pronuntiassem. Verum, cum opus illud elaborandum fuit, re tandem penitus recognita, veris concedens, *Sammarthanos* aliquando neglexi. Enimvero vel ex Pontificiis Diplomatibus, vel ex Instrumentis authenticis, vel ex coætaneorum testimoniis nonnullos Antistites novi *Sammarthanis* ignotos. Sed de his alias dixi fusius in *Præfatione*, quam consulas velim. Ad *Vincentium* veniamus. Num fuerit Episcopus, ex *Sammarthanorum* silentio, ut ingenue dixi, dubitabam olim, at ubi primum calculos utrinque posui, incertus diu non fui quid potissimum eligerem: utriusque enim sententiæ momentis æqua lance pensatis, *Vincentium* Episcopali dignitate donatum esse, mihi persuasissimum fuit. Cur sic sentiam, rationem statim subiiciam. Dein de ejusdem sententiæ recentioribus patronis dicam. Demum adversariorum objecta diluam. Anno 1248.

Consulendos in primis auctores Coætaneos, ut alicujus facti fides firmetur, res est in confesso apud Criticos omnes. *Negativas . . . probationes in quæstionibus facti*, inquit *Natalis Alexander* in *Summa S. Thomæ vindicata* pag.49, *nemo eruditus non exsufflat, & sugillat, ubi argumenta positiva ex adverso militant ab auctorum Coævorum aut supparum testimoniis petita*. Id non modo verum, sed plane decretorium esse, uno ore clamant huiusce seculi Scriptores omnes. Ipsis instar proræ ac puppis est principium mox laudatum. Hoc, veluti lydio lapide, ut verum a falso secernere possit, utitur vir emunctæ naris cum quo nobis res est, *Echard* in S. *Thomæ Summa suo auctori vindicata*, & in opere *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum*. Ergo si vel unus magni nominis auctor, *Vincentio* coævus, ipsum *Bellovacensem* Episcopum fuisse doceat, Scriptorem illum audiamus oportet, illius testimonio credendum; id affirmandum. Porro res ita se habet. Mirum igitur, Fratrem *Ambrosium Altamuram* de audacia accusari ab *Oudino Tomo III Commentariorum de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.454*, quia ad hanc sententiam nostram descendit. *Miror*, inquit Oudinus, *venisse in mentem Gerardi* Johannis *Vossii lib. II de Historicis latinis Cap. LIX pag. 477, editionis ultimæ, Vincentium hunc fuisse* Bellovacensem *Episcopum . . . ., Excusandus tamen eum ita censerent plurimi ante editionem Galliæ Christianæ Fratrum Sammarthanorum, ante quam editam scripsit suum opus, atque iterum recudit anno MDCLI citatus Vossius . . . . Sed nulla venia dignus est Ambrosius de Altamura Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui in Bibliotheca Dominicana ad Annum MCCLXIV* pag.21, *quam Romæ in folio edidit anno MDCLXXVII . . . longe post editam Galliam Christianam hanc adhuc fabulam simplex simul atque audax, positive scribere ausus est. Audiri simul ac rideri dignus . . . . Vincentius Episcopus* Bellovacensis, *Gallus* &c. Hic exscribit *Oudinus* verba *Ambrosii Altamuræ*, ipsum audire præstat. *Fuisse* Vincentium, *Episcopum Bellovacensem*, inquit *Altamura* supra laudatus pag 436, *scribunt Martinus Polonus, S. Antoninus, Johannes Trithemius, Jacobus Philippus Bergomas, Raphael* Volaterranus, *Leander Albertus, Sixtus Senensis, Antonius Possevinus* Societatis *Iesu, Alfonsus Fernandez, Miræus in notis ad Henricum de Gandavo, aliique deinceps*. Siste. Cum tot contumelias in *Altamuram* sic loquentem, iacis *Oudine*, jocaris ne, an serio loqueris? Si *Simplex simul atque audax* sit *Altamura*, qui fidem habuit auctori coætaneo, *Martino* nempe *Polono*, quem nostræ sententiæ patronum agnoscunt ipsimet adversarii, uti videre est apud *Philippum* Labbeum in *Dissertatione Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis Tomo II pag 479, Edition. Parisien. an. MDCL*, quis ex eruditis non simplex, quis non audax censendus est? Ex eo delusum *Oudinum* crediderim, quod sui oblitus, *Martinum Polonum* inter recentiores scriptores forsan ablegarit. Nec solus in hoc culpandus est, cum Labbeus ipse, vir exquisitæ doctrinæ, atque acerrimi judicii in veterum scriptis recensendis, in hoc tamen hallucinatus sit, nec in memoriam revocaverit quæ de *Martino Polono* antea scripserat in *eodem met opere pag.62*. En ipsius verba pag.479. *De eo* [Vincentio Bellovacensi] *Henricus Gandavensis Cap. XLII Catalogi; qui cum Episcopum non vocavit, quod fecere* RECENTIORES *plerique conferto agmine ab aliis jam merito reprehensi*, MARTINUS POLONUS, *S. Antoninus, Johannes Trithemius, Jacobus Philippus Bergomas, Raphael* Volaterranus, *Leander Albertus, Sixtus Senensis, Possevinus, aliique deinceps, quorum lapsus non persequar scrupulosius, in uno hærebo Miræo, qui in notis ad Henricum de Gandavo tribuit illi in primis Episcopatum* Bellovacensem. Hæc *Philippus* Labbeus; sed longe aliter sentiendum, & ut ætas *Martini Poloni*, ipsiusque præstantia in optima luce sint, ipsummet Labbeum, & alios adversarios audiamus, ut ipsimet sint judices. *F. Martinus*, inquit *Labbeus* in *opere mox laudato pag.62, non tantum nomine sed etiam, ut creditur, natione Polonus, patria Corsulanus, ex Ordine S. Dominici . . . . ex Pænitentiario. non Innocentii IV Papæ, qui obiit anno MCCLIV, ut excidit Bellarmino, & aliis, sed Nicolai III, qui Johanni XXI successit anno MCCLXXVII, assumptus ad Archiepiscopatum . . . Gnesnensem in Polonia ab ipso Nicolao III anno MCCLXXVIII, X Kalendas Julii, Viterbii, cum diu inter electos controversia durasset*, Hæc ille. *F. Martinus Polonus, auctor ætate sua, & sequentibus celebris*, verba sunt *Echard Tomo I Scriptorum Ord. Prædicat. pag.361*. Et *pag.362*, de eodem sic loquitur Echard. *Clementis IV Pænitentiarium, ac Capellanum* fuisse (Martinum Polonum) *docet Chronicon, quod eo vivo primum edidit, & in quo ea sibi munera vindicat . . . . iisdem muniis sub sequentibus Pontificibus Gregorio X, Innocentio* V, *Johanne XXI, & Nicolao III continenter functus est. Ab isto ultimo tum Viterbii agente ad Gnesnensem Poloniæ primam, a sex annis vacantem, anno MCCLXXVIII, X Kalendas Julii promotus est, & inauguratus*. Hæc *Echard*. Martinus Polonus *fuisse dicitur*, inquit *Oudinus* sæpe citatus pag.532, *Archiepiscopus Consentinus, ac Innocentii* IV, *qui anno MCCLIV decessit, Pænitentiarius, quæ sane sententia defendi posse videtur aliquot Ms. Codicibus, ubi in Epigraphe, Consentinus nominatur . . . . Sed Archiepiscopum Gnesnensem in Polonia a Nicolao III fuisse constitutum, constat ex Diplomate Pontificio, & Chronicis Poloniæ*. Sit ita. Floruit igitur *Martinus Polonus* sedente *Innocentio* IV, ab anno scilicet MCCXLIII, hoc enim anno creatus est *Innocentius* die XXIV Junii: vel saltem florebat *Martinus Polonus Clemente* IV Summo Pontifice, Anno nempe MCCLXV, quo *Perusii* electus fuit *Clemens* die V Februarii. Ejusdem Pontificis Pœnitentiarii partes agebat. Scripsit sedente eodem *Clemente*, ab anno scilicet MCCLXV ad annum MCCLXVIII, quo diem supremum obiit *Clemens* die XXIX Novembris. Sive igitur vita defunctus sit *Vincentius Bellovacensis* anno MCCLXIV, ut docet *Echard*, sive mortuus sit anno vel MCCLXXX, vel

vel MCCXC, uti falso sibi persuasit *Oudinus pag.451*, certo certius sit *Martinum Vicentio* coævum fuisse. Ex hoc autem sic paucis arguo.

Vixit *Martinus* eadem ætate ac *Vincentius*, fuit ejusdem familiæ, Ordinis nempe Prædicatorum, scripsit vir celebris de *Vincentio*, qui doctrinæ fama ubique clarescebat, cum igitur, ipsismet fatentibus adversariis, *Vincentium* ad Episcopalem dignitatem promotum dixerit *Martinus*, certissimum sit argumentum, rem ita esse. Id si negent adversarii, actum est de sanioribus regulis Critices.

Quid ad hæc possit obiici, ut candide loquar, non video. Si dicant adversarii, interpolata fuisse *Martini* opera, fabellis inquinata esse, & innumeris mendis scatere; Audio. Sed adsunt sinceri, & genuini Codices Manuscripti, hujus generis extant numero multi; quinam sint, & ubi asserventur, ipsemet *Echard* docuit *Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. pag. 368 &c.* hos consulas velim. Habes ex his palmare argumentum, quo sententia nostra firmatur. Nunc de ceteris scriptoribus qui Episcopatum *Vincentii Bellovacensis*, teste *Labbeo Dissertatione Historica de Scriptorib. Ecclesiast. Tomo II pag.479*, vindicarunt, paucis dicendum.

Citatur inprimis *S. Antoninus*, Archiepiscopus *Florentinus*, Ord. Prædicatorum alumnus, cujus cum laude meminerunt Ecclesiasticorum Scriptorum nomenclatores omnes, & ipsimet adversarii. *Anno MCCCCXXXIX lucem primam vidit*, inquit *Echard Tomo I Scriptor. Ord.* pag.817, *& ex quo per ætatem licuit, literis applicitus* est S. Antoninus.

Nostræ sententiæ suffragari *Johannem Tritbemium*, auctor est *Labbeus* citatus. Natus est *Tritbemius* an. MCCCCLXII. Obiit anno MDXVI.

Ad eandem sententiam allegat *Labbeus Jacobum Philippum Bergomatem*, & *Raphaelem Maffeum Volaterranum*. Lucis usuram accepit *Volaterranus* anno MCCCCL. Vita migravit *Volaterris*, ibique sepultus est in Templo *S. Lini*, ubi hoc Epitaphium legitur. *Raphaeli Maffeo Gerardi Maffei F. Doctrina, pietate, ac Sanctitate, cum quovis antiquo comparando, ut ejus indicant opera egregia, testantur Miracula. Vixit annos LXX, menses XI, dies VIII. Obiit anno salutis MDXXI, VIII Kal. Februar. Marius Maffeus Episcopus Cavalicensis Fratri S. P.*

Leander Albertus, vir nunquam satis pro meritis laudandus, ut inquit *Echard Tomo II Script. Ord. pag.137*, inter nostræ sententiæ defensores numeratur a *Philippo Labbeo*. Natus est *Leander* anno MCCCCLXXIX.

Sixtus Senensis, *literis apprime institutus, perspicacissimi ingenii vir, acriorisque judicii*, ut testatur *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.206*, sententiam nostram tuetur *Biblioth. Sanctæ libro IV pag.334*. Natus est *Sixtus* anno MDXX.

Sixtum excepit alter *Senensis, Antonius* scilicet, ejusdem Ordinis Prædicatorum doctor insignis, qui de republica Christiana ubique bene meritus, quo erat in rem literariam affectus animo, Bibliothecas ubique lustrans, Archiva discutiens, antiqua Ordinis monumenta notavit. *Echard Tomo II Scriptor. Ord. Præd.pag.271*. Legesis quæ habet *Antonius* in *Chronicis* & in *Bibliotheca Ord. Fratrum Prædicatorum*. Florebat anno MDL. Ad eandem sententiam citat *Labbeus Tomo II pag.478*, Alfonsum Fernandez, virum gravem, & eximiæ prudentiæ. Ordinem Fratrum Prædicatorum amplexus anno MDLXXXVII, celebris fuit *Alfonsus* ex singulari, quo flagrabat, & in quo vitam insumpsit omnem studio, seu veterum, seu sui ævi ad historiam potissimum Ecclesiasticam, & ad Dominicanam spectantium, qua potuit diligentia, conquirendorum, servandorumque posteris monimentorum. *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.445*.

Auctoritate *Molani* in *Biblioth. Sacra Ms* sententiam nostram tutatur *Aubertus Miræus*, optimus ille scriptor, cujus magnam eruditionem, ut inquit *Morerius* in *Dictionario Historico*, ornabant solida pietas, animique grata lenitas. Vir studiis, scriptisque clarissimus, qui Ordinibus Religiosis Origines, Annalibus gesta, piis Fundatoribus famam, Historiis lucem, Scriptoribus per elogia vitam, Patriæ claritudinem, Ecclesiæ *Antuerpiensi* decus asseruit, ut *Antuerpiæ* legitur in ipsius *Epitaphio*. Excessit e vivis anno MDCXL.

A nobis stat *Antonius Possevinus* in doctissimo, ac laboriosissimo *Sacri Apparatus* opere *Tomo II pag.527*. Vivere desiit anno MDCXI.

Si deessent alii, instar omnium nobis esset *Robertus Bellarminus*, Eminentissimus ille S. R. E. Cardinalis, qui tantam sibi paravit famam *Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Opinioni nostræ adstipulatur in eodem opere *ad annum MCCL. pag.206, Edit. Romæ. apud Bartholomæum Zanetti*. Obiit anno MDCXXI.

Abraham Bzovius, quem *a stili gravitate, rerum delectu, & mira dicendi facilitate* commendat *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.489*, partes nostras propugnat in *Annal. Ecclesiast. ad annum MCCXX num. XIV*. Decessit anno MDCXXXVII.

Gerardus Johannes Vossius vir omnibus apprime notus, eidem sententiæ subscribit *libro II de Historicis latinis Cap. LIX pag.149. Col. II Edit. anni MDCXCIX*. Obiit anno MDCL.

Ambrosius de Altamura rebus Ordinis Prædicatorum illustrandis mirum addictus, ut scribit *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.661*, totus est in probanda nostra sententia in *Bibliotheca Dominicana Appendice ad an. MCCLXIV pag.436*.

Vincentius Maria Fontana, qui, *Echard* judice *Tomo II Scriptor. Ord. pag.660*, non parum laudis meretur, quia viam in re ob antiquitatem, & Codd. Ms. jam latentium aut perditorum inopiam obscura posteris aperuit, multum desudat in firmanda nostra sententia, & in *Theatro Dominicano Parte I Tit. LXXX* auctores citat *Castillum*, *Plodium &c.* quos missos facio.

Arridet etiam nostra sententia inclyto viro *F. Seraphino Thomæ Migael* Aragono, qui ad scribendam Ordinis Prædicatorum historiam mentem appellens, plura in eo genere in lucem dedit & accurata, certisque monumentis fulta, ut observat *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.800*. Consulendus *Migael* in *Præfat. ad vitam S. P. Dominici*.

Eadem sententia probatur Johanni *Michaeli Cavalerio*, cujus laudes celebravi in *Appendice ad Pontificatum Honorii III pag.17*. Ex eo autem potissimum fidem meretur *Cavalerius*, quod id habuerit felicitatis, ut tunc Eminentissimum Cardinalem *Fratrem Vincentium Mariam Ursinum*, nunc Summum Pontificem *Benedictum XIII*, Ordinis Prædicatorum alumnum, sæpius audierit, ipsoque cooperante scripserit, ut

notat

notat *Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.*759. Porro quanta scientiarum omnium, quæ Religiosum decent, Theologicæ, Historicæ, Philosophicæ, juris, sacrorum Rituum &c. peritia eluceat Summus Pontifex *Benedictus*, probant ipsius opera, quæ, ut nuper in Tabulis Chronologicis annotavit *Johannes Dominicus Musantius* Presbyter *Societatis Jesu*, in omni fere disciplinarum genere Summus Pontifex edidit. Vir stupendæ lectionis, memoria est incredibili, tantaque ingenii dexteritate pollet, ut licet summa rerum varietate districtus non secus ac si otio difflueret, nihil fere hisce temporibus sciri, discive possit, quod ille non investiget, sciat, conscripserit. Gratulor igitur *Cavalerio*, qui tanti viri oracula toties excepit, ipsiusque sententiæ utroque pollice subscribo. Abi nunc, & vide num simplex & audax censendus sit, qui tot scriptorum vestigia premens, *Vincentium Bellovacensem* Episcopum affirmaverit.

Ceterum plures alii in eandem ierunt sententiam, quos brevitatis ergo silentio prætermitto. Nonnullos citat *Thomas Pope Blount* in *Censura celebriorum auctorum ad annum MCCXLIV pag.*411 *&c*, ipsum, si licet, adeas. Consule etiam, si placet, Operum *Vincentii Bellovacensis* editionem *Duacenam* anni MDCXXIV Studio PP. Benedictinorum Collegii *Vedastini* vulgatam hocce programmate. *Bibliotheca mundi, seu Venerabilis viri Vincentii Burgundi, ex Ordine Prædicatorum, Episcopi* Bellovacensis *speculum &c.* Scio viros clarissimos in *monito ad lectorem* aliquantula dubitatione æstuare videri, & *Vincentium* Suffraganeum duntaxat, seu administratorem *Bellovacensis* Ecclesiæ fuisse conjectasse. Verum nihil nos movet hic scrupulus, cum solum ex argumento negativo mox diluendo ipsis suggestus sit. Hæc, ut potui, breviter perstrinxi. Nunc Adversarios audiamus.

Bernardi Guidonis auctoritas nobis primo obiicitur, nec enim, inquit Echard, *apud Bernardum Guidonis inter Episcopos ex Ordine assumptos locum habet Vincentius*. Id non diffiteor. Sed legesis *Bernardum Guidonis*, & vide, quam parvi momenti sit hæc obiectio. Sic enim loquitur *Guidonis* in *Prologo ad Indicem Episcoporum*. *Quam plures Fratres, de Ordine Prædicatorum assumpti, Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Episcopalibus, & Cathedralibus Sedibus, dignis meritis præfuerunt, quas decorarunt virtutibus, & salubribus exemplis, & gloriosis moribus informarunt. Sed omnes, qui fuerunt ab initio non ego potui reperire, nec comprehendere eorum numerum, nec nomina, nec tempora, neque locum. Illos autem qui ad meam notitiam qualitercumque pervenerunt, secundum Provincias Ordinis Prædicatorum inferius annotavi Anno Domini MCCCVII, quo hæc scripsi. Erit forsitan post me aliquis, qui obmissa hic consummabit, & quæ desunt adjiciet, vel, assumpta occasione ab istis, melius ordinabit, & perficiet ....tam de his qui fuerunt ante nos, quam de his qui nunc sunt, & qui præerunt in futurum*. Audisti. *Guidonis* candide loquitur. Fatetur mutilum esse Catalogum quem exhibet. Rogat ut aliquis *obmissa consummet, & quæ desunt adjiciat*. Adjicimus nos, adjecerunt alii, adjecit ipsemet *Echard*. Si enim tantæ sit diligentiæ catalogus *Bernardi Guidonis*, ut Religio nobis esse debeat, inter Episcopos aliquem recensere, quem Bernardus non noverit, cur igitur *Echard* in *Indice Episcoporum*, quem legimus *Tomo I Scriptor. Ordinis Prædicatorum pag.*21 *Notitiæ Ordinis*, inter Episcopos numerat *Walterum* Episcopum *Carleolensem*, *Johannem* Episcopum *Burgiaviensem*, *Eliam Robertum* Patriarcham *Antiochen.*, *Mac-Kellium* Archiepiscopum *Cassiliensem* &c. De istis, ac pluribus aliis, ne verbum quidem apud *Guidonem* invenire est. Respondeat igitur eruditus vir. Quicquid dicet accipio.

Nec *Henricus Gandavensis*, inquiunt adversarii, *Vincentium Bellovacensem*, cuius mentionem facit in *catalogo Scriptorum Cap. XLII*, Episcopum vocat. Ita sane, sed, amabo, quid inde? Ergo Episcopus non fuit *Vincentius*. Absit, ut consequens istud alicui probetur. Scripsit *Henricus Gandavensis*, non de Episcopis, sed de Scriptoribus, hinc *Capite sequenti*, seu *XLIII*, *loquens de B. Alberto Magno*, quem Episcopum fuisse nemo negabit, ne verbum quidem habet de illius Episcopatu; sicut igitur, ipsismet fatentibus adversariis, falvo Episcopatu *Alberti*, siluit *Henricus*, idem de *Vincentio* dicant, necesse est. Id sane apertius videtur, quam ut probandum sit, sed age, hic recinam exempla nulli non decantata. Texuit *Henricus* catalogum operum *Vincentii Bellovacensis*, nec tamen meminit *Libri Gratiæ, libri laudum Virginis Gloriosæ, libri de S. Johanne Evangelista, libri de eruditione filiorum Regalium, Epistolæ consolatoriæ ad S. Ludovicum, Libri de Sancta Trinitate, Expositionis Orationis Dominicæ, Tractatus de moralis Principis institutione, Tractatus de Pœnitentia*, aliorumque Opusculorum, quæ genuina opera ipsius *Vincentii* sunt, ut demonstrant innumeri Codices Ms. & optime novit *Echard*. Si dum vir eruditus *Tomo I Scriptorum Ord. Prædicatorum a pag.* 236 *ad* 241 hæc omnia suo auctori *Vincentio* jure ac merito vindicabat, aliquis ad aurem ipsi insusurrasset: *Nullius ex istis operibus meminit Henricus Gandavensis*. Respondisset certe, quod *Ficulneus gladius* est iste, cum nullius roboris sit argumentum negativum, ubi positiva tenemus. Placet ista defensio; Hac una siquidem omnes adversariorum conatus infringi possunt.

At, inquit *Oudinus Commentar. de Scriptor. Ecclesiast. Tomo III* pag.454, *Constat ... ex Tomo II Galliæ Christianæ iis temporibus, quibus Vincentius Burgundus in Episcopatu Bellovacensi ob Doctrinam & pietatem floruit, duos Episcopos tenuisse cathedram, seu Episcopatum Bellovaci, Robertum nempe de Cressonsart ab anno MCCXXXI ad annum MCCXLVIII, & Guillelmum de Grez, seu de Gressibus, ab anno MCCXLVIII ad annum MCCLXVI, cui & tertius a Vincentio Burgundo prorsus alter successit*. Hæc Oudinus.

Ea, qua par est observantia veneror *Sammarthanos*, viros scilicet illos, *quorum doctrinam suspexit orbis literarius, quique in illustranda nostra historia, sive sacra, sive profana ætatem tutam contriverunt*, uti notant eruditissimi *Asceta Congregationis Sancti Mauri Ordinis S. Benedicti* in *Præfatione ad novam Galliam Christianam numero II.* At, ut ibidem observarunt viri clarissimi, *quam arduum sit* omnium Episcoporum *Galliæ* seriem exhibere, *quamque difficiles nodos, & pene herculeos habeat, probant frequentes lapsus Fratrum Sammarthanorum in sua Gallia Christiana*. Et sane *Claudius Robertus* jam antea, ab anno scilicet MDCXXVII, seriem Præsulum Gallorum deduxerat in sua *Gallia Christiana*, sed virum, alioquin eruditum, errasse, videntes *Scævola & Ludovicus Sammarthani*, additamenta ad *Galliam Christianam* summo labore adornarunt anno MDCLVI. Aliquid humani & istos passos esse, conclamarunt omnes; adfuit *Dionysius Sammarthanus Asceta Congregationis Sancti Mauri*, & anno MDCCXV vir omni laude dignus, ac de re literaria optime meritus, novam *Galliam Christianam* publici juris fecit. Sicut ergo nemo non laudat *Dionysium*, dum ex perampla chartarum supellectili, *sæpe invenit in peregrinis tabulariis*, ut ipsemet fatetur loco laudato, *quæ domestica minime suppeditarant*; cur, amabo, aliis vitio vertetur, si auctoris supparis auctoritate freti, aliquem

Episco-

Episcopum *Sammarthanis* ignotum alicubi sedisse probent? Verum pedetentim rem expendamus. *Constat ex Secundo Tomo Galliæ Christianæ*, inquit Oudinus, *iis temporibus, quibus Vincentius Burgundus ... floruit, duos Episcopos tenuisse cathedram &c. Constat*, & cuinam? Mihi certe non *constat*. *Robertus de Cressonsart* sedit quidem ab anno MCCXXXI ad annum MCCXLVIII, quo defunctus est in Insula *Cypri*, ut testatur *Guillelmus Nangius* in *Chronicis* apud *Dacherium Tomo X. Spicilegior. pag.* 534, sed *Guillelmum de Grez* sic immediate *Roberto* successisse, ut *Bellovacensis*, Episcopus fuerit anno MCCXLVIII, nec dicunt *Sammarthani*, nec probant. *Ab anno MCCXLVIII*, inquit Oudinus, *ad annum MCCLXI &c.* Pace *Oudini* dixerim, neuter ex istis annis a *Sammarthanis* definitur. Non ille, cum ex Sammarthanis, *defunctus est Guillelmus XXII Februarii, die Festivitatis Cathedræ S. Petri anno MCCLXVI.* Anno autem MCCXLVIII *Guillelmum* successisse *Roberto*, nec vola, nec vestigium reperire est apud *Sammarthanos*. Primum Instrumentum, quo probant Episcopatum *Guillelmi*, datum fuisse, ferunt, anno MCCLVII, quis ergo alius a *Vincentio* sedit *Bellovaci* ab anno MCCXLVIII ad annum MCCLVII? Id unum quærimus, cetera postmodum diligentius excussuri.

Sed, inquit *Oudinus* pag 455, *quod mirum est, ac aperti mendacii Altamuram confundit* (viden viri modestiam) *eo ipso tempore, quo ab illo Episcopus Bellovacensis constituitur, ipse Vincentius circa annum MCCLIV, vel MCCLVI, degebat in Abbatia Regalis-Montis, Cisterciensis Ordinis, quam S. Ludovicus Galliæ Rex, nominis Nonus, ædificaverat ingentibus sumptibus, ubi & officium Lectoris in Theologia exercebat. Illis enim annis circiter præfatis positus, scripsit ad Margaretam Galliæ Reginam, S. Ludovici Regis uxorem opus suum de eruditione puerorum Regalium, ut ex ejus prologo constat.... Quis autem, nisi bardissimus homo, credat Vincentium Bellovacensem, si Episcopus hujus Sedis fuisset, Episcopatu suo relicto voluisse tunc temporis exercere officium Lectoris in Theologia apud Abbatiam Regalis-Montis, Ordinis Cisterciensis in Episcopatu ipso Bellovacensi? Superant ista fidem humanam.* Bona verba quæso, tot enim maledicta cuique cordato displicent. Ad rem. Nec Sedi suæ nuncium anno MCCLIV remisisse *Vincentium*, nec officium Lectoris in Theologia apud Abbatiam *Regalis-Montis* tunc exercuisse, censemus, sed *Oudinum* nec Cælum nec terram tetigisse contendimus. Enim vero certa res est, & omnibus manifesta, Præsules in instituendis Galliarum Principibus utiliter sæpius operam posuisse. Nec hic lectorem remorabor exemplis, norunt omnes piæ memoriæ *Meldensem* Episcopum, clarissimum illud Ecclesiæ Gallicanæ lumen, hæreticorum malleum dico, *Benignum Bossuet*. Nemo nescit, quo studio, rogatu *Ludovici XIV*, *Delphinum* educarit. Dicimus igitur *Vincentium Bellovacensem* idem munus, rogante *S. Ludovico*, alias explevisse in Regia domo *Regalis-Montis*, in Episcopatu *Bellovacensi* sita. Nec gratis id a nobis asseritur. Primo siquidem, si bene meminit *Oudinus*, idem docet *pag.* 463, en ipsius verba: *Quæ immensa opera, petente, & sumptus ministrante Rege Francorum ... Ludovico IX, cujus filiorum præceptor, atque Institutor fuit, composuisse dicitur* Vincentius. Secundo idem asseverat *Boulæus Tomo III Historiæ Universitatis Parisien. in Catalogo Illustrium Academicorum pag.* 713. *Quod opus immensum*, inquit Boulæus, *petente & sumptus ministrante ... Ludovico IX, composuisse dicitur, cujus filiorum Præceptor, & instructor fuit* Vincentius Bellovacensis. Tertio huic opinioni favent *Stephanus de Salbunaco* & *Bernardus Guidonis* apud *Echard* in *Summa S. Thomæ suo auctori vindicata* pag. 24. *Frater Vincentius Bellovacensis scripsit Epistolam consolatoriam de morte amici* (sic vocant ipsius discipulum) *ad Sanctum Ludovicum Regem Franciæ super morte primogeniti sui, ut patet in ea; cujus Regis fuit familiaris & domesticus quam plurimum. Item Tractatum de eruditione puerorum nobilium ad Reginam Franciæ Margaretam uxorem Sancti Ludovici: erat enim Domesticus Regiæ domus.* Hinc Officium illud Lectoris, de quo toties ipse *Vincentius*. Nec enim, ut interpretatur *Oudinus*, Lector erat Monachorum *Regalis-Montis*, sed familiæ regiæ. Primo siquidem iis in locis, quæ nobis objicit *Oudinus*, munus illud juxta Regis beneplacitum executum se profitetur *Vincentius*. Secundo postquam dixit, *se ad exercendum Lectoris officium juxta sublimitatis regiæ beneplacitum*, apud *Regalem-Montem* commoratum esse, modum quo illud expleverit exponit asserens, *Regem & familiam regiam se concionantem diligentius ac reverentius audivisse, eundem libros suos lectitare solitum, ad comparandos scribendosque necessarios sibi codices sumptus regia liberalitate suppeditasse, Margaretam Reginam, Philippum primogenitum, Theobaldum Navarræ Regem, ejus generum, ad scribendum solicitius excitasse, ac opuscula quædam a se exegisse, ad id etiam potissimum laborasse se, ut de multis libris, quos aliquando legerat, colligeret ad mores Principum, & curialium pertinentia, quatenus speciale quid in promtu haberet, ad quod opportune posset recurrere, quando illi incumberet hujuscemodi generibus hominum, Principibus, Militibus, consiliariis, Ministris, ac ceteris, sive in curia residentibus, sive foris rempublicam administrantibus, ea quæ ad vitæ honestatem, & animæ salutem spectant, unicuique prout statui suo competeret, privatim, vel publice suadere.* Hæc *Vincentius*. Quot annis hoc officio functus sit, non facile dictu. Scopum certe non attigit *Oudinus pag.* 456 dicens: *Agebat adhuc officium Lectoris in eadem Abbatia anno MCCLX, atque exinde scripsit Epistolam, seu librum consolatorium de morte Ludovici primogeniti ad S. Ludovicum IX Galliæ Regem Sanctissimum, ut ex hoc Prologo constat ... Regiæ majestati vestræ scribendi fiduciam, & ausum mihi præbet, sublimitatis vestræ dignatio, qua plerumque, cum juxta beneplacitum vestrum in Monasterio Regalis-Montis ad exercendum Lectoris officium habitarem:* Scopum, inquam, non attigit *Oudinus*, enim vero hæc ultima verba *Vincentii ... cum .... habitarem*, & probant ipsum alias domicilium ibidem habuisse, & demonstrant ipsum tunc alibi commoratum. Unde post pauca: *Itaque*, inquit Vincentius, *mox ut de loco sepulturæ* (id est de Abbatia *Regalis-Montis*, ibi enim sepultus est Ludovicus) *reversus sum ad Domum nostram* &c.

Emendandus etiam *Oudinus* ibidem, tempus mortis *Vincentii* definiens his verbis: *Longe serius mortuus credendus est, cum inter Ms. Codices Bodlejanæ in Anglia Bibliothecæ, Codice MDCCCXLVI in Ms. Codicibus Thomæ Bodleji, Litera A. Codice VII num. V. Fratris Vincentii Epistola de Antichristo, missa Papæ Benedicto habeatur*; emendandus, inquam, quia hujus Epistolæ, scriptæ ad *Petrum de Luna*, auctor est *S. Vincentius Ferrerius*, non autem *Vincentius Bellovacensis*, ut ex ipsamet Epistola liquet. Hic jam plura non dicam, satis enim mihi multa verba fecisse videor, tum ut evincerem *Vincentium Bellovacensem* Episcopum fuisse, tum ut objecta adversariorum diluerem.

F. Bar-

F. Bartholomæus de Bragantiis Italus, Nimociensis Episcopus in Cypro Insula sub Archiepiscopo Nicosiensi. *Bulla* - Cum nonnullos - *Data XI Mart. MCCLIII. Ughellus in Episcop. Vicentia. Echard Tomo I Script. Ord. pag.254 &c. Cavalerius Tomo I pag.27 num.LXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Titulo CCCCXXIII pag.248.* Audiendus etiam ipsemet Bartholomæus in Instrumento quod exscripsit *Echard* mox laudatus; ubi hæc habet: *Rex Christianus cum Regina, & fere tota domo regia Christianæ Religionis amore mare transiit, tempore quo nobis licet indignis Nimonicensis* (seu Nimociensis) *civitatis, quæ in Regno Cypri est, Pontificatum Apostolica Sedes contulit.* Anno scilicet MCCXLVIII quo *S. Ludovicus* iter habuit transmarinum, ut diximus in *Annotatione VI ad Bullam* - Ut voventes - *Datam XXII Jan. An. MCCXLVIII.* Hinc non arridet eorum sententia, qui *Bartholomæum* Anno vel MCCXLVI, vel MCCL, Episcopum *Nimociensem* constituunt. Multo minus etiam probantur, qui Anno MCCXLVI, vel MCCL, ex *Nimociensi Vicentinum* Episcopum *Bartholomæum* fuisse volunt. Translatus quidem fuit *Bartholomæus* ex *Nimociensi* ad *Vicentinam* Ecclesiam, ut dicemus in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV*, sed liquet ex *Bulla* - Cum nonnullos - superius citata, *Bartholomæum* Anno MCCLIII *Nimociensi* Ecclesiæ præfuisse. Ceterum si quis obiiciat, Apostolicis literis datis *Perusii V Idus Februarii Pontificatus Innocentii IV Anno IV. Bartholomæum* creatum fuisse *Nimociensem* Episcopum, ut censet *Fontana* supra laudatus; Firma, facilis est & prompta responsio: Cum enim *Innocentius IV*, ab Anno Secundo Pontificatus ad VIII, *Lugduni* fuerit, ut constat ex Bullis superius exscriptis, certo certius sit, mendum irrepsisse, & emendandam esse diem ascriptam hujusce Diplomatis, quod Datum fertur ab *Innocentio IV Perusii V Idus Februar. Pontificat. Anno IV*, id est, die *IX Februar. An. MCCXLVII*, non vero *MCCXLVI*, ut autumat *Fontana*, istud ad aliud mendum attexens. Anno 1248.

F. *Thomas Anglus, Episcopus Aboensis IV in Finlandia sub Upsalensi Archiepiscopo. Sic refertur in Historia Ecclesiæ Sueticæ Lincopingiæ edita Anno MDCCVII in IV pag. 381, & remittitur ad Catalogum Episcoporum Aboensium editum a Paulo Justen. Episcopo Aboensi.* Hæc *Echard* noster in *Supplemento novissimo.* Extat ad calcem *Tomi II de Scriptorib. Ord. Prædicat. pag. 1.* Legesis etiam quæ laudat idem *Tomo I de Scriptor. Ord. pag.* 428 *Col. II.* Circa Annum 1248.

F. Guido de Turre, Gallus, Provinciæ Franciæ Alumnus, Episcopus Claromontanus sub Archiepiscopo Bituricensi in Gallia. *Bernard. Guidonis de Episcop. Provinciæ Franciæ. Claudius Robertus, & Sammarthani in Gallia Christiana. Echard Tomo I de Scriptoribus Ord. pag.* 404. *Col. I. Cavalerius Tomo I pag.44 num.CXXV.* Obiit *Guido* Anno MCCLXXXVI. Anno 1250.

F. Johannes Hungarus, Episcopus Scardonensis, sub Archiepiscopo Spalatensi in Dalmatia. *Thomas Archidiaconus Spalatensis apud Lucium de Regno Dalmatiæ pag. 366. Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. in Indice Episcopor. pag. 25 Col. II.* Florebat adhuc *Johannes* noster Anno MCCLXVI, ergo distinguendus ab alio Fratre *Johanne Hungaro*, de quo superius ad Annum MCCXLI. Hic siquidem lapidibus obrutus hoc Anno MCCL Martyr occubuit, ille fuit Episcopus constitutus hoc eodem Anno, diuque rexit Ecclesiam suam. Floruit *Scardonensis* ille in *Dalmatia*, hic, *Hungarus* nempe, in *Hungaria*. Anno 1250.

F. Jacobus Episcopus Tudertinus in Umbria nullo medio subjectus Summo Pontifici. *Ughellus in Episcop. Tudertin. Fernandez de Episcopis Italiæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit.DCIX pag.315. Cavalerius Tomo I pag.XVI num.XX.* Anno 1250.

F. Florentius Romanæ Provinciæ Alumnus, Episcopus Narniensis in Umbria nullo medio subjectus Summo Pontifici. *Ughellus in Episcop. Narnien. Razzius. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCCCXI pag.245. Cavalerius Tomo I pag.17 num.XXVI.* Anno 1250.

F. Paulus Polonus, Episcopus Posnaniensis, sub Archiepiscopo Gnesnensi in Polonia. *Bzovius de rebus gestis in Polonia Cap.VI ex Severino Cracoviensi. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit.CCCCLXXIX pag.269. Cavalerius Tomo I pag.43 num.CXXI. Bernardus Guidonis in Indice Episcop. Poloniæ*, Sed alia manu. Circa Annum 1250.

F. Algisius Pergamensis, ut scribit *Guidonis*, seu Algisius, vel Aloysius de Rosate, nobilis Bergomas, Alumnus Provinciæ Lombardiæ, Episcopus Ariminensis sub Archiepiscopo Ravennatensi in Italia. *Ughellus in Episcop. Ariminen. ex Registris Vatican. Epist.CCCLXX lib.VIII Innocent.IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit.LII pag.131. Cavalerius* mox laudandus. Anno 1250.

AD Bergomensem Ecclesiam Mediolanensi Archiepiscopo subjectam translatus est idem *Algisius* Anno MCCLI. Testes sunt Auctores mox laudati; *Bernardus Guidonis in Indice Episcoporum Provinciæ Lombardiæ; Cavalerius Tomo I pag.26 num.LXII.* Anno 1251.

F. Ymbertus, seu Umbertus, patria & professione Lugdunensis, Episcopus Sistaricensis sub Archiepiscopo Aquensi in Provincia. *Bernardus Guidonis in Indice Episcopor. Provinciæ Provinciæ. Echard ex Monumentis Cœnobii Sistaricen. Tomo I de Scriptorib. Ordin. in Indice Episcopor. pag.23. Col.II. Cavalerius Tomo I pag.41 num.CXII.* Anno 1251.

num. CXII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. DLII pag. 296. Censet Fontana *Ymbertum* sedisse ab Anno MCCXLV. Verum constat ex *Gallia Christiana Sammarthanorum in Episcop. Sistaricen.* electum fuisse VIII Kalend. Augusti An. MCCLI.

Anno 1252 Die 7 Februar. F. Rogerius de Lentino Siculus, Cœnobii S. Dominici Neapolitani Alumnus, Episcopus Melphiensis, vulgo *Melfi*, in Regno Neapolitano, nullo medio subjectus Summo Pontifici. *Bulla* - Cum - *Data VII Februarii MCCLII. Ughellus in Episcop. Melphien. Cavalerius Tomo I pag.* 22 *num. XLV.* Vir fuit *Rogerius* summæ prudentiæ, *Siciliæ* Pro-Rex, ac S. S. A. Legatus, ut dicemus inferius.

Anno 1252 Die 27 Augusti. F. Gotifredus, Episcopus Torcellanus, sub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Episcopis Torcellan. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. DXCIII pag.* 310. *Cavalerius Tomo I pag.* 20 *num. XXXIII. Gotifredum* Anno MCCLIV electum autumat *Bonolus Annotat. I in Italiam Sacram Ughelli Tomo V pag.* 1385 *Edit. II.*

Anno 1252 Die 31 Martii. F. Petrus de Terracina, Episcopus Cajetanus in Regno Neapolitano, nullo medio subjectus Summo Pontifici. *Ughellus in Episcopis Cajetan. ex Reg. Vatican. Libr. IX Innocent. IV Epist. CCLXVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CXVI pag.* 149. *Cavalerius Tomo I pag.* 20 *num. XXXV.*

Circa Annum 1252. F. Gregorius de Lentino Siculus, Episcopus Melphitensis, vulgo *Molfetta* in Regno Neapolitano, nullo medio subjectus S. Sedi Apostolicæ. *Theodorus de Valle in Compendio Virorum illustrium Ord. Prædicator. Provinciæ Regni Neapolitan. Parte I fol.* 29 *apud Cavalerium Tomo I pag.* 18 *Tit. XXVII.*

Anno 1252. F. Vittus Polonus, Primus Lithuanorum Episcopus. *Bzovius de Rebus gestis in Poloniæ Provincia Ord. Prædicator. Capite VI, ubi ex Antiquo Martyrolog. Cracoviensi hæc habet.* B. Vittus primus Episcopus Lithuanorum. *Idem Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCXXXIII num. III, & ad An. MCCLII num. V. Cavalerius Tomo I pag.* 18 *num. XXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. CCCXLI pag.* 217, *& Monum. Dominican. Parte I Cap. IV pag.* 58.

Anno 1252. F. Bartholomæus Varellus, Siculus, Episcopus Liparensis, & Pactensis, olim sub Archiepiscopo Messanensi. *Pirrus in Sicilia sacra. Ughellus in Episcop. Pacten., & Liparen. Cavalerius Tomo I pag.* 42 *num. CXIII. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLII num. VI ex Reg. Vatican. lib. IX Innocent. IV Epistol. CCLXXXV.* Hinc crediderim quidem *Bartholomæum* jam ab Anno MCCLII Episcopum *Liparensem* fuisse creatum, ut docent Auctores laudati, verum Ecclesiæ *Pactensi* non præfuit ante Annum MCCLIV, uti liquet ex *Bulla* -- Meritorum -- *Data XXVIII Mart. MCCLIV.*

Anno 1253 Die 11 Martii. F. Petrus Episcopus Humarensis, sub Archiepiscopo Hydruntino, in Regno Neapolitano, tunc Sedes hæc erat. *Bulla* -- Cum sicut -- *Data XI Mart. MCCLIII.*

Anno 1253 Die 12 Augusti. F. Pancratius, ex Priore Cœnobii Anagnini, Episcopus Bituntinus sub Archiepiscopo Barensi in Regno Neapolitano. *Ughellus in Episcop. Bitunt. ex Reg. Vatican. lib. XI Innocent. IV Epistol. XCVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XCIV pag.* 143. *Cavalerius Tomo I pag.* 26. *num. LX.*

Anno 1253 Die 13 Decembr. F. Thomas Fusconi de Berta, nobilis Romanus, Episcopus Senensis. *Ugurgerius in Pompis Senen. Ughellus in Episcop. Senen. ex Reg. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. LXXXIX pag.* 98. *Cavalerius Tomo I pag.* 19 *num. XXXI.* Sedit *Thomas* Annos XX. Obiit Anno MCCLXXIII. Nunc Metropolis est *Senensis* Ecclesia. Anno MCCLII Episcopum *Cephalodensem*, seu *Cephaludensem* sub Archiepiscopo *Messanensi* in *Sicilia* electum fuisse *Thomam* nostrum, testes sunt Auctores mox laudati.

Anno 1253. F. Petrus Bernardus, Gallus, Episcopus Agathensis sub Archiepiscopo Narbonensi in Occitania. *Gallia Christiana in Episcop. Agathen. Fernandez in Episcop. Galliæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. IX pag.* 115. *Cavalerius Tomo I pag.* 43 *num. CXXII.*

Anno 1254 Die 14 Maii. F. Adolphus, ut fert *Ms. Guidonis*, seu Arnulphus, Viterbiensis, Episcopus Humanatensis in Italia, nullo medio subjectus Summo Pontifici. *Bernardus Guidonis in Indice Episcopor. Marchiæ Anconitanæ. Ughellus ex Reg. Vatican. lib. XI Innocent. IV Epist. DCXXXV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcoporum pag.* 23 *Col. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Titulo CCXCIV pag.* 204. *Cavalerius Tomo I pag.* 37 *num. XCIX.* Solemni Corporis S. P. *Dominici* Translationi Anno MCCLXVII adfuisse *Arnulphum*; testis est *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 256 *Col. I.* Obiit *Arnulphus Viterbii* Die XX Augusti Anno MCCLXXIX. *Ughellus ex ipsius Epitaphio.*

F. Romanus, ex Suppriore Cœnobii S. Sabinæ de Urbe Episcopus Allifanus in Samnio sub Archiepiscopo Beneventano. *Bulla* -- Debitum -- *Data XXVIII Mart. MCCLIV. Ughellus in Episcop. Allifan. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XXV pag. 122. Cavalerius Tomo I pag. 20 num. XXXVII.* Anno 1254 Die 28 Martii.

LEGATI.

Quatuor ex FF. Prædicatoribus, Anselmum scilicet, seu Anselinum, Alexandrum, Simonem, & Albertum, seu Albericum, ad Imperatorem Tartarorum Oratores ex Concilii Lugdunensis Decreto Innocentium IV hoc Anno misisse, Auctor est *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLV num. XIII ex Vincentio Bellovacensi*, aliisque, quos consulas velim. Adeas etiam *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Ann. MCCXLIX pag. 122, Fontanam Theatro Dominicano Parte II Tit. II pag. 353, & Malvendam Annal. Ord. Prædicator. ad An. MCCXLV a pag. 670 ad 677.* Anno 1245.

F. Henricus, ex Archiepiscopo Armachano Archiepiscopus Prussiæ, Livoniæ, & Estoniæ &c. S. S. A. Legatus. *Bulla* - Cum is - *Data Die III Maii MCCXLVI, aliaque Diplomata superius exscripta.* Anno 1246.

F. Vvalterus Venetus, Episcopus Tarvisinus, ut in hac Episcoporum Appendice ad Annum MCCXLV dixi, Legatus ad Balduinum II. *Ughellus in Episcop. Tarvisin., Fontana Theatro Dominicano Parte II Tit. II pag. 354, & Monument. Dominican. pag. 56 Col. II.* Anno 1246.

F. Desiderius, ad Aragoniæ Regem Jacobum Legatus. *Bulla* - Receptis - *Data Lugduni X Kalend. Jul. Pontificat. Innocent. IV Anno III apud Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLVI num. XLIV* &c. Legendus etiam *Bzovius ad eundem Annum num. X.* Anno 1246.

IDem F. Desiderius Anno MCCXLVII in Lusitaniam Legatus. *Bulla* - Literis tuis - *Data XI Maii MCCXLVII.* Anno 1247.

F. Andreas, ipsiusque socii, ad Orientales, ut eos ad concordiam cum Ecclesia Romana reducerent, Legati. Legesis Epistolas, quas Catholicon Orientis, Carholicon Jacobitarum, Nestoriani, & Primas Jacobitarum ad Innocentium IV scripsere. Extant in *Archivo Ord. lib. A. a fol. 643 ad 651.* Ipsas exscripsere *Vvadingus Tomo I Annal. Minor. ad Annum MCCXLVII. Bzovius in Annal. Ordin. Prædicat. Ms. ad An. MCCXLVII, & Odoricus Raynald. Annal. Ecclesiast. ad eundem Annum num. XXXII &c.* Ille ipse est *Andreas* noster, quem *de Longiumello* vocamus; vir strenuus, qui rerum agendarum peritus, variis, qua Pontificiis, qua Regiis Legationibus hoc seculo XIII perfunctus est, uti docet *Bzovius* laudatus. Anno 1247.

NOnnullos ex Fratribus nostris ad Saracenorum Sultanos ab Innocentio IV Legatos esse, constat ex literis eorundem Sultanorum, quas *ex libro IV Innocentii IV* exscripsit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCXLVII num. LVII* &c. Extant etiam in *Archivo Ord. lib. A. a fol. 625 ad 635.* Anno 1247.

F. Bartholomæus de Bragantiis, Episcopus Nimociensis, ut diximus hac in Appendice ad Annum MCCXLVIII, Legatus ad partes Syriæ ab Innocentio IV. *Morerius in supplemento Dictionarii Historici, Fontana Theatro Dominicano Parte II Tit. I pag. 343 ex Ughello in Episcop. Vicent. & Spondano in Auct. Cronolog. & Monument. Dominican. Parte I Cap. IV pag. 56. Carolus a S. Vincentio in An. Dominicano Parte I Septembr. pag. 30 Præfation.* Anno 1248.

F. Hugo a S. Charo, S.R.E. Cardinalis, ut supra, Legatus a Latere in Germaniam. Id liquet ex *Bullis superius exscriptis ad Annum MCCLI.* Adeas etiam *Annales Ecclesiast. Malvendam Annal. Ord. Præd. pag. 665. Echard Tomo I Scriptor. Ordin. pag. 195.* Anno 1251.

F. Rogerius de Lentino, Legatus in Siciliam. Legenda Diplomata superius exscripta ad *VII & X Martii An. MCCLI.* Anno 1251.

ALEXANDER IV

(a) Alexander IV lib. I Epist. I, II &c.

(b) Urbanus IV lib. I Epist. I.

Patria Campanus, de Castro Gennæ in Diœcesi Anagnina, ex Comitibus Signiæ oriundus, Electus (a) fuit Romanus Pontifex XII Kalendas Januarias, die nempe XXI Decembris An. MCCLIV. Coronatus est die XXV ejusdem Mensis. Cessit e vita VIII (b) Kalendas Junias, die scilicet XXV Maii MCCLXI. Sedit Annos VI, Menses V, dies IV.

Anno 1254 Die 31 Decembris.

Paternum amorem in Fratres Ordinis Prædicatorum demonstrans, ipsorum precibus se commendat.

Ex Archivo (1) Ordinis.

I.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Generali, & universis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.



Umma summi artificis providentia summe universa disponens, certum modum, rectumque ordinem universis statuit creaturis, imponens singulis metas suas, earumque statum propria limitum determinatione distinguens, ut per discretionem hujusmodi vitaretur in rerum universitate confusio, & tot differentium entium essentia tali differentia servaretur. Hac itaque ordinis congruentia operator ille Omnipotens discreta congessit, fęderavit varia, contexuit dissimilia, copulavit diversa, elementa ligavit, compegit orbem, mundi firmavit machinam, totumque universum mira omnium interveniente concordia stabilivit. Sic & universalis Ecclesia, distributis in ea gradibus, officiisque distinctis, directa horum dispositione, stabilique ordinatione, consistit. Quia cum hujusmodi Ministeria gradatim inter se differant, dum potiores minoribus imperant, & inferiores superioribus reverenter intendunt, dum hi humiliter subsunt, & illi benigne pręsunt, dum congruis illi premunt jussionibus, & devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in diversis Ecclesię officiis conveniens consonantia, totumque ipsius Ecclesię corpus in suo decoro statu per hanc ordinatam, & consonam diversitatem feliciter pręservatur, quandam delectabilem, & continuam ministeriorum suorum decenti convenientia, in conspectu Altissimi resonans harmoniam. Et quoniam ad subsistentiam multorum, & regimen pręesse oporteret unum singulare pręcipuumque, pluralitas in pręsistentia (a) scissuram induceret, subsistentibus discrimen inferret, & solidam gubernaculi disrumperet firmitatem; pręeminet quidem ob hoc dispositione Divina cunctis Ecclesiis Apostoli Petri Sedes, a qua velut a Capite ad ipsas Ecclesias, tanquam cohęrentia sibi membra, per ejusdem Apostoli Successores documenta salubria, vivendi norma, munimina opportuna, & canonica instituta procedunt. Verum quia fragilis est, & caduca conditio terrenorum, quibus ingruit senectus ex tempore, ex exercitio lassitudo, languor ex permanentia, ex consistentia casus, & ex diuturnitate defectus, labilis humana natura huic legi corruptionis addicta, quanto longius suum esse producitur, tanto tendit propius ad non esse: propter quod vivendi spatium in unoquoque mortali sua innata infirmitate restringitur, & proprię fragilitatis occasu desinit in quolibet vitę cursus. Hic profecto status occiduus omnibus communiter imminet, magnis, quippe, & parvis, Pręlatis, & subditis, sublimibus pariter atque imis. Sed licet ecclesiastico gregi Pastorum suorum decessus eveniens turbationem non modicam ingerat, & dolorem, magnam tamen affert sibi lętitiam grata subrogatio successorum, & pręsertim cum in substitutione non intervenit tarditas, & voluntatum communio intercedit. Sane fel: rec: Innocentio Papa prędecessore nostro VII Idus Decembris in Regno Sicilię, in Civitate scilicet Neapolis, de angusto, & tetro carnis carcere vocato, sicut speramus, ad spatiosum, & lucidum cęli palatium, ut de multis laboribus, quos pro Ecclesię honore, ac libertate constanter pertulit, mercedem quietis percipiat sempiternę, ac deinde ipsius solemniter celebratis exequiis, ejusque Corpore honorifice, prout decuit, tumulato, Nos tunc Ostien., & Velitrin. Episcopus, & ceteri Fratres nostri mox (4) pro eligendo successore simul convenimus, dirigentes mentes ad Deum, ut eregi suo Pastorem idoneum consueta misericordia largiretur. Cumque, ut moris est, Spiritus Sancti postulato suffragio, singulorum vota diligenter exquisita fuissent, in Nos demum suum converterunt intuitum, direxerunt animos, & conceptus expressere, ac firmavere consensus, pręeligentes indignitatem nostram ad exequendum tantę officium dignitatis, cum nostrorum parvitatem meritorum deceret subesse potius, quam tanto culmini pręsidere. Nos autem nostram attendentes imbecillitatem, & insufficientiam cogitantes, pensantes quoque tam gravis sarcinę molem, & tanti honoris altitudinem advertentes, nimium trepidavimus, validoque membra nostra obriguere pavore, ac intra nos cor nostrum vehementi quasi stupore gelavit, & eorundem intentioni Fratrum pro posse restitimus, contra concordes ipsorum affectus plurimum reluctantes, renuendo prorsus ad Summi Pontificatus apicem sublimari, & exorando instanter, ut imponerent alii onus istud. Ipsi vero suo proposito fortius insistentes, nostra recusatione, ac deprecatione omnino repulsa, personam nostram quantumcunque renitentem quadam violentia coegerunt, & extensis in eam manibus ad assentiendum eorum desideriis nos pertinaciter attraxere. Unde, ne Divinę videremur providentię obviare, suęque dispositioni obicem protervę difficultatis inserre, ac ne scandali, vel dissensionis materiam pręberemus, devicti dura, & ferventi prędictorum Fratrum instantia, votis ad ultimum, quanquam inviti, acquievimus eorundem, submittentes nostrę debilitatis humeros ad portandum: non quod de aliqua nostra virtute fiduciam habeamus, sed quia de illius speramus auxilio, qui pro eo laborantibus dat ferre jugum suaviter, & leniter onus suum portare, qui de affluentis suę bonitatis irriguo sperantium in se pectora largiflue compluit, & fęcundat, qui balbutientium linguas suę vir-

S. Romanæ Sedis Primatus.

Innocentius IV Die VII Decembris e vita cessit.

Cardinalis Ostiensis & Velitrinus succedit Innocentio.

Alexandri IV humilitas.

virtutis potentia eloquentes efficit, & facundas. Porro quia nostrum recognoscimus imperfectum, propter quod aliis subsidiis potissime indigemus, ad sinceram devotionem vestram confidenter recurrimus, vestraque suffragia fiducialiter postulamus, rogantes vos, & attentius exhortantes, quatenus sedula nos apud Deum intercessione juvetis, solventes linguas in preces, & in juges pro Nobis orationes labia exercentes; ex intimis quęsumus affectibus supplicationes ad cęlum dirigite, ac sine intermissione Nos Deo sacris vestris interventionibus commendate, crebra ob hoc sibi munera, & sacrificia offerentes, ut super Nos imbrem gratię suę pluat, & rorem solitę benignitatis infundat: quod Nos actus nostros dirigentes ad ipsam Ecclesiam suam, quam nobis committere voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege vigilantię nostrę credito curam gerere debitam juxta suum beneplacitum valeamus, nam cum sitis de curis secularibus eruti, & de mundi retibus expediti, commodius, & frequentius intendere orationi potestis, & contemplationis alis, ad supplicandum, & colloquendum Deo, levius, & expeditius elevari. Oretis insuper, ut Conditor orbis, & Dominus prostratis guerrarum, & inimicorum fluctibus, pacis impertiatur tranquillum, Matrem Ecclesiam protegat, & exaltet, & ei cunctos ipsius humiliet inimicos. Nos vero, quia semper vestri Ordinis speciales amatores extitimus, & honoris, & boni sui fervidi zelatores, firmiter in animo gerimus, vos, & eundem Ordinem paterna benevolentia confovere, vobisque continue opportunis adesse presidiis, & vestrum ac eiusdem Ordinis statum congruis roborare gratiis, & assidue in melius, adjutore Domino, conservare. Datum Neapoli II Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Precibus Fratrum sese commendat.

1. *Archive.*) In quo Exemplar ex *Regesto Alexandri IV, lib. I Epist. II.* Idem Diploma datum Fratribus Minoribus exscripsit *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad Ann. MCCLIV num. XXII pag. 81.*
2. *Præsistentia.*) Fortassis: *Præsidentia.*
3. *VII Idus.*) Lapsi ergo scriptores, *Innocentium Quartum* VIII Idus, vel etiam Idibus Decembris mortuum dicitantes.
4. *Mox.*) Ex hoc etiam, & sequentibus verbis liquet, via excidisse nonnullos, qui fabellam Interpontificii Anni unius, vel duorum, obtrudunt.

Literas, quibus Religiosorum privilegia resciderat Innocentius, irritas esse jubet (1) Alexander IV.

Anno 1254 Die 21 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis (3) Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prelatis, & ceteris personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quam Regularibus, cujuscunque Ordinis, vel professionis exiliant, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

NEc insolitum est, nec novum, ut ea quę per occupationem, vel in festinantia (4) fiunt, pro eo quod congruę deliberationis limam pretereunt, in propensioris considerationis reducantur examen, ut rectiora, & elimatiora, per attentionem plenioris discussionis, emanent. Sane quędam ab Apostolica Sede tempore fel. rec. Innocentii PP. IV predecessoris nostri literę (5) processerunt, in quibus ipse universis Religiosis cujuscunque professionis, vel Ordinis, districte in virtute obedientię injungebat, ut Parochianos alienos diebus Dominicis & festivis non reciperent de cetero in suis Ecclesiis, seu Oratoriis temere ad Divina, nec ipsos ullatenus ad Penitentiam admitterent, sine suorum licentia Sacerdotum, nec eis in suis predicarent Ecclesiis ante Missarum sollempnia; pro quibus audiendis, prima diei parte, iidem Parochiani consueverunt, & debent in suis Ecclesiis convenire, nec sermones etiam sollempnes facerent illa hora, sed nec ad predicandum sollempniter, ad Parochias alienas accederent, nisi essent ab earum Sacerdotibus invitati, vel saltem, nisi se ad id humiliter peterent & obtinerent admitti, nec ea die qua Diocesanus Episcopus, vel alius loco ejus, predicaret sollempniter, maxime in Ecclesia Cathedrali, aliquis ipsorum in eadem civitate vel loco, presumeret predicare. Si vero in casu licito, Parochianum alterius eos in suis Ecclesiis recipere ad sepulturam contingeret, omnium, quę obtentu consequerentur hujusmodi sepulturę (6), portionem canonicam, etiam non requisiti, infra octo dies, a tempore receptionis eorum, Episcopo, vel Sacerdoti de cujus Parochia mortuus esset assumptus, exhibere curarent. Si autem aliquis Religiosorum ipsorum, hujusmodi (7) transgressor, contra predicta, vel aliquid predictorum, venire presumeret, preter inobedientię vitium, & excommunicationis sententiam, quam eum incurrere voluit ipso facto, gradus sui periculo subjaceret, & nichilominus, a Diocesano ad premissa universa, & singula observanda, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, districtius cogeretur, nullis ei contra hęc indulgentiis, vel privilegiis Apostolicis valituris. Verum, quia super premissis literis cogitare attentius, & studiosius deliberare proponimus, pacis commodum, & quietis solatium Ecclesiis, & Personis Ecclesiasticis potissime cupientes, prefatas literas, & si quę alię super predictis, vel eorum aliquo contra prefatos Religiosos, vel aliquos ex ipsis, generaliter, vel specialiter preter formam communem & solitam processere, ac mandata, seu precepta facta in eis, vel earum auctoritate, duximus penitus revocanda; Ideoque universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus per hujusmodi literas, vel occasione mandatorum, seu preceptorum, aut sententię, quę continent, nichil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant, vel vigorem. Datum Neapoli II Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Summa literarum Innocentii IV, quas rescindit Alexander.

Revocat ut supra.

1. *Jubet.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulis VII, & IX.* Adeas *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLIV num. II, III, IV, V, & VI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Asservatur etiam in *Mediolanensi Cœnobio S. Eustorgii.* Illud idem Diploma transcripsere *Castellanus pag. 28, Usufmaris pag. 34, Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 18, Bulæus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 273, Martene in Thesauro Anecdotorum Tomo I ad Annum MCCLIV pag. 1059.*
3. *Universis.*) Hoc, aliaque nonnulla verba desiderantur in inscriptione quam legit *Usufmaris.*
4. *Festinantia.*) Ex Usufmare: *Infestinantiam.*
5. *Literæ.*) Videas *Tractat. de consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*
6. *Sepultura.*) Ibidem de hac materia *Tit. IX.*
7. *Hujusmodi.* *Usufmaris* scripsit: *Hujus præcepti.*

Anno 1255 Die 4 Januarii.

Episcopo (1) Bergomensi, & Provinciali nostro Lombardiæ, ut ab excommunicationis, & interdicti sententiis Bergomates absolvant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 804.

III.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Pergamen. (2), necnon dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cur Bergomates exectatione devincti fuerint, narrat.

EXhibita nobis Potestatis, & Communis Pergamen., petitio continebat, quod fel. record. Innocentius (3) Papa Prędecessor noster, necnon quidam Apostolicę Sedis Legati, eorumque (4) specialiter, pro eo quod ipsi Potestas, & Commune quondam Friderico (5) olim Imperatori, & C.... (6) nato ejus, ipsorumque Officialibus, & sequacibus contra Ecclesiam adhęserunt, excommunicationis, & in Civitatem, & Diœcesim Pergamen. interdicti sententias promulgarunt, & incurrerunt iidem sententias hujusmodi in prędictis, & eorum sequaces generaliter promulgatas, quas, ad cor reversi petierunt humiliter per Sedem Apostolicam relaxari. Quamvis igitur excessus hujusmodi eo esset puniendus severius, quo diutius in hujusmodi sententiis persisterunt; nos tamen exemplum imitantes ipsius, cujus miserationes super omnia opera sunt ejusdem, ac volentes mansuetudine temperare rigorem, relaxandi juxta formam Ecclesię circa excommunicatos, & interdictos ipsos, pręstito juramento de parendo mandatis ejusdem, hujusmodi excommunicationis, & interdicti sententias, discretioni vestrę, de qua plenam fiduciam obtinemus, liberam auctoritate pręsentium concedimus potestatem, injuncto eis pręcipue a nobis, in virtute pręstiti juramenti, quod persecutoribus Ecclesię non adhęrebunt, nec pręstabunt auxilium, vel favorem de cetero contra eam, & quod carissimo in Christo filio nostro VV.... (7) Regi Romanorum Illustri, sicut dilecti filii Cives Mediolanenses, debitę fidelitatis exhibeant juramenta. Datum Neapoli II Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Committit ut supra.

1. *Episcopo.*) Fratri nempe *Algisio*, seu *Alorsio de Roxiate* vel *Rosate*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
2. *Pergamen.*) Sic Bergomum Seculo XIII nuncupatum fuisse, dictum est ad *An. MCCLI die XIII Junii*.
3. *Innocentius.*) *IV.*
4. *Eorumque.*) Turbatum locum crediderim.
5. *Friderico.*) *II.*
6. *C....*) *Conrado*, de quo sæpius supra.
7. *VV....*) *Vuilielmo* scilicet, qui pro adipiscenda Imperii corona, & ut hostem Ecclesiæ, *Manfredum*, debellaret, hoc anno cogitabat *Italiam*.

Anno 1255 Die 21 Januarii.

Ut solemni ritu diem festum (1) S. P. Dominici omnes agant.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 530.

IV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Pręlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEum in Sanctis ejus benedicere admonemur, & Sanctos in suis operibus tanquam nostrę ędificationis exemplaria gloriosius prędicare, ut, in transumpto Episcopi Compostellani sicut (3), creatori, & datori nostro in beneficiis gratificemur acceptis, & vitam venturi seculi, quam Deus fideliter se colentibus repromisit, per grata devotionis obsequia mereamur. Hac siquidem consideratione fel: rec: Gregorius (4) Papa Prędecessor noster pia & sancta deliberatione ordinavit, & statuit, festivitatem beati Dominici Confessoris Fundatoris Ordinis Fratrum Prędicatorum ubique debere solemniter celebrari. Sed quia ordinatio hujusmodi salubris, & ab omnibus approbanda, prout accepimus, in locis plerisque negligitur, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus festivitatem ipsius Sancti, juxta ordinationis premissę tenorem, tam venerabiliter celebretis, & faciatis a vestris subditis celebrari, quod Sanctum ipsum apud Dominum in eodem transitu intercessorem mereamur habere propitium, & ad devotionem meritoriam populos vestros exemplis salutaribus accendatis, quibus debetis in vobis ipsis ostendere, qualiter in Sanctis suis Deus debeat honorari. Datum Neapoli XII Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Festum.*) Lege *Bullam a Gregorio IX datam die III Julii MCCXXXIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus hæc verba: *Johannes miseratione Divina Episcopus Barchinonensis, venerabilibus Canonicis, Hebdomadariis Sedis, necnon dilectis in Christo universis, & singulis Ecclesiarum Rectoribus, Hebdomadariis, Vicariis perpetuis, & Capellanis, Curatis per Civitatem, & Diœcesim Barchinonensem constitutis, vel eorum locatis, ad quos præsentes pervenerint, Salutem in Domino. Noveritis nos vidisse, & legisse quandam chartam Pergamenam Reverendi in Christo Patris, & Domini Domini Romei recolendæ memoriæ Ilerdensis Episcopi ejusque sigillo in quadam cordula de serico vermilii, croceique coloris in pendenti sigillatam tenoris præsentis. Præsentis scripturæ testimonio patent universis, quod nos Romeus Miseratione Divina Episcopus Ilerdensis vidimus, & diligenter inspeximus quoddam privilegium Sanctissimi Patris Felicis Rec. Domini Alexandri Papæ quarti, vera Bulla plumben ejusdem in filis cannabis more Romanæ Curiæ Bullatum, non abolitum, non cancellatum, nec abrasum, nec in aliqua sui parte vitiatum, sed omni prorsus vitio, & suspicione carens, ut prima facie apparebat, cujus quidem Privilegii tenor sic se habet.* Hic inscribitur Bulla, dein sic legitur. *Quod Privilegium ad requisitionem Prioris Domus Prædicatorum Ilerdæ, cum ipse aut Fratres ejusdem domus ipsum Privilegium portare non possent ad aliquam* (Turbatus videtur locus) *Sine magno periculo, ipsum transcribi fecimus de verbo ad verbum, dictumque transcriptum authenticamus, ac sibi auctoritatem nostram præstamus, ut eidem sicut Originali fides perpetuo habeatur. In cujus rei testimonium ad majorem roboris firmitatem præsens transcriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Ilerdæ XXVI die mensis Junii anno a Nativitate Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo primo. Qua siquidem charta per nos, ut præmittitur, visa, & recognita pro parte Conventus Fratrum Prædicatorum, domus Barchinonen. fuit nobis humiliter supplicatum, ut prædictum Festum Sancti Dominici in Civitate & Diœcesi Barchinonen. per omnes Christi fideles coli, seu celebrari,*

& a

& a negotiis temporalibus cessari mandaremus. Nos vero dicta supplicatione inclinati, & alias attendentes tenorem Privilegii Apostolici antedicti, vobis dicimus, & mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, firmiter, & districte, quatenus prima die Dominica, vel Festiva postquam præsentes receperitis, in Sede, & Ecclesiis vestris prædicta omnia, & singula notificetis, & explicetis populis, seu plebibus vobis commissis, ipsasque plebes ex parte nostra moneatis, ipsisque præcipiatis, ac salubribus monitis inducatis, ut dictum Festum Sancti Dominici singulis annis colant, & celebrent, & die dicti Festi a negotiis temporalibus desistant (Viden Barchinonensium pietatem) *penitus atque cessent, ut vos, & ipsi consequamini ab illo habere præmium, qui in centuplum remunerat omne bonum. In quorum Testimonium præsentes fieri, & sigilli nostri appensione jussimus communiri. Datum Barchinone XXXI Die Julii anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo secundo. Johannes Episcopus.* Autographum est in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*

3. *In Transumpto Episcopi Compostellan. sicut.*) Ab Amanuensi hæc verba, quæ superne.

4. *Gregorius.*) *IX*, Diplomate supra laudato.

Ut Præpositi Ordinis Fratrum Prædicatorum, sicut & ceteri, possint ab excommunicatione, & aliis censuris absolvi (1).

Anno 1255 Die 21 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. V.

Indulget ut supra.

ORdinis vestri generosa plantatio, quę multę religionis, & honestatis flores & fructus protulit, effuso longe lateque laudabilis conversationis odore, vos (3) provocat, ut salutifera vestra commoda favore benevolo prosequentes tranquillitatem vestram, quantum cum Deo possumus, foveamus. Hinc est, quod cum, sicut asseritis, ex indulto Apostolicę Sedis, vobis liceat vestri Ordinis Fratres curę vestrę commissos ab excommunicatione absolvere, & cum eis super irregularitatibus dispensare, nisi adeo gravis fuerit & enormis excessus, propter quem merito sit Sedes consulenda prędicta, vobis auctoritate prȩsentium indulgemus, ut Fratres dicti Ordinis, quos pro tempore proprios habueritis confessores, absolutionis, ac dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, juxta Indulti prȩfati tenorem valeant impertiri; ne hi, qui inter vos prȩesse noscuntur, deterioris conditionis, quam ceteri censeantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrȩ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Neapoli XII Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Absolvi.*) Consule *Tractatum de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Braciniensi Bullario fol. 7.* ex Autographo *Bononiæ* asservato. Adeas etiam *Castellanum pag.* 44.

3. *Vos.*) Legendum) *Nos*, uti videre est ex Autographo de quo inferius.

Magistro Generali, ut, quem elegerit, possit unus ex Fratribus ipsius confessionem excipere (1).

Anno 1255 Die 26 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Ordinis Prędicatorum. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VI.

Indulget ut supra.

NE pro dilatione pȩnitentiȩ periculum immineat animarum, tibi, & successoribus tuis, quod aliquos de Fratribus vestri Ordinis possitis vobis eligere confessores providos & discretos, qui audita confessione vestra quotiens opus fuerit absolvant vos, & injungant vobis pȩnitentiam salutarem, auctoritate prȩsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Neapoli VII (3) Kal. Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Excipere.*) Videas *Tractat. de consensu Bullae. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filiis appenditur. Illud exscripsit *Usufmaris pag. 33.*

3. *VII.*) *Usufmaris* legit: *XII.*

Priori Ordinis FF. Prædicatorum Barchinonen., ut cum Archidiacono Dertusensi (1), super Irregularitate dispenset.

Anno 1255 Die 28 Januarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 806.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Barchinonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VII.

Factum refert.

EX parte dilecti filii Archidiaconi Dertusen. Ordinis S. Augustini fuit propositum coram nobis, quod olim dum Bononię scholasticis Disciplinis insisteret, Regularem habitum aliquando non portavit, non credens propter hoc incurrere Excommunicationis sententiam, contra Regulares proprium non portantes habitum promulgatam (a). Postmodum vero dum gravi ęgritudine premeretur a Generali Pęnitentiario bonę memorię Dertusen. Episcopi Confessore Claustrali in Ecclesia Dertusen. ab hujusmodi sententia obtinuit juxta formam Ecclesię se absolutum: Unde Nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi, ne hoc prętextu electio celebrata de ipso in prędicta Ecclesia, Pastore vacante, impediri contingat, de-

be-

Mandat ut supra.

benignitate solita curaremus. Ideoque mandamus, quatenus, si per prędictum Pęnitentiarium de hujusmodi ejusdem Archidiaconi absolutione constiterit, & idem Pęnitentiarius persona talis exitat, cui fides super hoc debeat adhiberi, denunties ipsum nominata sententis post absolutionem prędictam non fuisse ligatum, ac secum super irregularitate, si quam ex eo quod ante se forte Divinis immiscuit, contraxisse dignoscitur, quam Electioni prędictę nullum impedimentum prętare volumus, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animę suę saluti videris expedire. Datum Neapoli V Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Dertusen.*) In *Catalonia*.
2. *Promulgatam.*) Ergo antequàm *Bonifatius VIII Cap.* -- Ut periculosa -- *Tit. XXIX lib. III in Sexto Decretal.*, excommunicationis pœna constituta, decerneret, *ne de cetero aliquis quamcunque Religionem tacite, vel expresse professus, in Scholis, vel alibi, temere habitum Religionis sua dimitteret*, illud idem vetitum erat.

Anno 1255 Die 28 Januarii.

Archiepiscopo, & Priori Ordinis FF. Prædicatorum Colonien. (1), ut cujusdam Abbatis electionem confirment.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 805.

VIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo, & dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Colonien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilecti filii Conventus Monasterii Inhelin. Vvordeshunen., Ordinis S. Benedicti, Padeburnen. (2) Diœcesis, sua Nobis petitio monet (3). quod Monasterio ipso, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, Abbatis regimine destituto, ipsi convenientes in unum, & invocata Spiritus Sancti gratia, ut est moris, dilectum filium Hermannum, tunc ipsius Monasterii Monachum, virum providum, ut asserunt, & honestum, atque in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, in Abbatem suum canonice, ac concorditer elegerunt, Nobis humiliter supplicantes, ut cum rectis dispositionibus nihil debeat difficultatis afferri, confirmari Electionem hujusmodi, & benedici Abbatem prędictum in illis partibus, mandaremus. Quocirca mandamus, quatenus inquisita de modo Electionis, studiis eligentium, & Electi meritis diligentius veritate, si Electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmantes, faciatis eidem Abbati a subditis suis debitam obedientiam, & reverentiam exhiberi, ac munus Benedictionis impendi, recepturi ab eo postmodum, nostro, & Ecclesię Romanę nomine, fidelitatis solitę juramentum, juxta formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus introclusam; formam autem juramenti &c. alioquin eadem electione rite cassata &c. Contradictores &c. Datum Neapoli V Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Colonien.*) Unus est ex Imperii Electoribus Archiepiscopus *Coloniæ Agrippinæ*, quæ in *Germania* ad *Rhenum* sita est.
2. *Padeburnen.*) In *Vuestphalia*.
3. *Sua Nobis petitio monet.*) Legendum: *Sua Nos petitione monent*.

Anno 1255 Die 31 Januarii.

Ut, si prior electio rescindatur, posterior vel per literas, vel per procuratores facta confirmari possit (1).

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 806.

IX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ut ea, quę interdum circa Electionis negotium incumbunt expedienda pro tempore, celerius, & salubriter valeant expediri, vobis auctoritate pręsentium de gratia concedimus speciali, ut cum in aliquo vestri Ordinis Capitulo, vel Conventu de Provinciali aut Conventuali Priore occurrerit electio facienda, Electores Prioris hujus, eis, qui pro confirmatione mittuntur ipsius, si ex aliqua causa Electio hujusmodi non procedat, libere possint committere, quod alium eligant in Priorem. Superior quoque ad quem hujusmodi confirmatio pertinet, illum de Fratribus ejusdem Ordinis, quem ipsi Electores per literas suas ab eo petierint, eis in Priorem concedere valeat, si eodem modo Electus ab ipsis, forsitan non fuerit confirmatus. Nulli &c. nostrę concessionis &c. Datum Neapoli II Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio supradicta.

Sanctio pœnalis.

1. *Possit.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. III*.

Uni-

Anno 1255 Die 3 Februarii.

Universis Ecclesiarum Prælatis, ut S. Petri Martyris diem Festum omnes agant ubique III Kalendas Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

X.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Prępositis, & aliis Ecclesiarum, & Religiosorum cujuscunque Ordinis Pręlatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MAgna magnalia de B. Petro Martire Ordinis Prędicatorum natione Lombardo &c. (2). Quapropter nolentes penitus, ut prędicti Beati Petri Martiris sollempnitas aliquatenus negligatur, quem pridem felicis recordationis Innocentius (3) Papa prędecessor noster Sanctorum Martirum catalogo, de fratrum suorum & Prelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, consilio, & assensu, duxit cum ingenti gaudio ascribendum, sicut per suas literas plenius notificavit ad universas Provincias destinatas, universitatem vestram rogamus &c. Datum Neapoli III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud asservatur in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Legitur apud *Castellanum pag.* 21, *Ususmarem pag.* 32, *In antiquis Constitutionibus Ord. Prædicat. typis editis Anno MDV num.* 48, *in aliis Anni MDVII num.* 49.

2. *Lombardo &c.*) Ut in *Diplomate dato VIII Augusti Anno MCCLIV*, ubi quicquid desideratur hic, invenire est.

3. *Innocentius.*) *IV.*

Anno 1255 Die 3 Febr.

Cardinali Hugoni (1) ut de consilio Magistri, & nonnullorum Fratrum Ordinis, Regulam, Constitutiones, ac consuetudines Fratrum Prædicatorum diligenter inspiciat, & utiliora in unam Regulam redigere queat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio H.. Tituli Sanctę Sabinę Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SAnctis desideriis & rectis consiliis, ac justis operibus, quasi ab ętate tenera, te virtutum Dominus insignem reddidisse dignoscitur, & pię vitę, ac religiosę conversationis affectum in tuo corde per dies singulos augere videtur; prout impręsentiarum clarissima edocet conjectura, videlicet, quod apud nos humiliter & suppliciter institisti, ut licet saluberrimus, & famosus Ordo dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum virtutum cultui ferventer invigilet, ac rigori disciplinę continue sit adstrictus, providere tamen de circumspectione Sedis Apostolicę dignaremur, ne vigor regularis observantię in eodem Ordine per aliquem Successorum ipsius incuriam, seu negligentiam, vel desidiam, quod absit, impostерum valeat enervari. Nos itaque tuum laudabile ac dignissimum favore propositum plenis affectibus amplectentes, pręsentium tibi auctoritate concedimus, quod de consilio Magistri & discretorum Fratrum ipsius Ordinis, quos tua circumspectio duxerit eligendos, Regulam, Constitutiones, & consuetudines eorundem diligenter inspicere, ac ex illis quę potiora & utiliora fuerint, eligere valeas, & in unam Regulam redigere, sive de ipsis aliter ordinare, prout expedire videris, ad ejusdem Ordinis conservationem inviolabilem, & perpetuam firmitatem. Datum Neapoli III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium ab encomio Cardinalis Hugonis, & Ordinis FF. Prædicatorum.

Concessio.

1. *Hugoni.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1255 Die 11 Februarii.

Templum S. P. Dominici Neapoli dedicatum visitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Prędicatorum Neapolitan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

COnsecrationes Altarium, in quibus Christus immortaliter vivens ad nostrorum abolendam criminum corruptelam in ministerio immolatur Altaris, Christianus Populus cum puritate animi venerari tenetur, dedicando membra sua Domino, servitura justitię in satisfactione, quę prius iniquitati, & immunditię serviebant, ut sic quę per Christi Ministros in Ecclesiis visibiliter exhibentur mistice in templo fidelis animę divinitus peragantur. Cupientes itaque, quod Ecclesia vestra, quę per nos ad honorem Dei, & B. Dominici Confessoris, Institutoris Ordinis vestri, extitit dedicata (2), congruis honoribus a Christi fidelibus frequentetur, & frequentantes pro tali solempnitate, quam peragunt, spirituali munere gratulentur, de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in anniversario die dedicationis ejusdem, vel usque ad octavam dedicationis ipsius diem causa devotionis accesserint annuatim unum Annum & quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Neapoli III Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium.

S. Dominici Templum ipsemet dedicavit Pontifex.

Indulgentia.

1. Ar-

1. *Archivo.*) In quo Autographum, & Exemplar authenticum Autographi asservati in Cœnobio *S. Dominici Neapolitani.*

2. *Dedicata.*) *Alexander IV* siquidem, Summus ille Pontifex literis ac pietate cultissimus, priscorum Antistitum vestigia premens, ad hoc imprimis invigilabat, ut rebus sacris quisque consuleret. Hinc ægre ferebat Templa & Altaria, quæ solemni ritu dedicata non erant; &, ut exemplo esset Episcopis, ipsemet operi se accingens, *Neapoli*, *Romæ*, *Viterbii*, *Assisii*, &c. Ædes & Aras Deo Optimo Maximo sæpius consecravit. Legas hac de re præsens Diploma, & aliud exscribendum *XX Maii MCCLV.* Consulendi *Ciaconius*, *Andreas Victorellus*, *Oldoinus & Papebrochius* in *Alexandro IV.* De his insuper audiendus *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLX pag.* 219. Videas etiam, si placet, Inscriptiones, quas ex Tabulis marmoreis transcripsere *Victorellus* & *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II pag.* 139, 140, 141. Extat alia *Viterbii* in Ædibus sacris Eremitarum *S. P. Augustini*. Ceteras, ne longum sit, missas facio. Id unum notes velim, *Alexandrum* scilicet operam in his & studia sæpius collocasse; Primo, ut hinc salus animarum, & major Dei gloria efflorescerct; Secundo, ut incruentum Missæ Sacrificium, quo cælestis illa victima, præcipuum Religionis decus, Christus offertur, decentius conficeretur: Tertio, ne in ipsum incideparentur, quæ magno patruo suo, *Innocentio* nempe *III*, Princeps Apostolorum *S. Petrus* objectaverat anno MCXCVIII. Factum narrat ipsemet *Innocentius III, libro I Epistola CCCLVII*, cujus mentio apud multos. Legitur apud *Stephanum Baluzium*, & *Franciscum Bosquetum* in *Collectione Epistolarum Innocentii III.* Eandem habes apud *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad an. MCXCVIII num. XIX.* Huc etiam respicit Inscriptio, quæ visitur in Templo *Vaticano* sub Statua *S. P. Dominici*, ubi Primo quæ de *Innocentio III* mox diximus describuntur, dein sic legitur: *Divino hoc plane exemplo eruditus, parilique solicitudine excitatus Benedictus Papa XIII, Ord. Prædicatorum, vocatus antea Fr. Vincentius Maria Ursinus, Card. Episcopus Portuensis, Archiepiscopus Beneventanus, ad supremum Summi Pontificatus honorem evectus Anno MDCCXXIV, inventa jam hujus Basilicæ minoribus ex quadraginta duabus Aris unam & viginti, vel dissecratas, vel unquam non Sacro oleo inunctas formas illico canonica restituendas jussit, ac variis eas, distinctisque diebus solemniter dedicavit. Cujus rei M. P. Mense Mart. MDCCXXVII.* Hinc discimus, *Benedictum XIII* iisdem de causis, quibus ductus est *Alexander IV*, multum esse in Templis & Altaribus consecrandis. Sed, dum totus incumbit, ut ad normam Sacrorum Canonum vitam dirigat suam, *Benedictus* vicit *Alexandrum*; iste siquidem quindecim circiter Ædes & Aras Deo immortali sacravit, ille vero dum variis Diœcesibus præfuit Templa trecenta quinquaginta sex, & Altaria fixa Mille quadringenta sexaginta tria consecravit, Arasque portabiles uncxit sexcentas viginti: Ut jam Summus Pontifex sedet, Templa viginti duo, ac Altaria fixa centum quadraginta octo, ad hanc usque diem *XI Novembris MDCCXXVIII*, solemni ritu dedicavit, decemque portabiles Aras inunxit. Hæc vix apud posteros habitura fidem, vel egomet vidi, vel ex oculatis spectatissimæ fidei testibus didici.

Anno 1255 Die 22 Februarii.

Ut Præpositis suis, vel iis, quibus Præpositi facultatem fecerint, & non aliis, peccata confiteantur (1) Fratres Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Decernit ut supra.

Sanctio pœnalis.

CUm Magister, & Priores Ordinis vestri more periti medici vinum & oleum sciant infundere vulneribus sauciati (3), auctoritate vobis prȩsentium inhibemus, ne aliqui vestrum alii, quam Prȩlatis suis peccata sua confiteri prȩsumant, nisi necessitatis urgente periculo, vel nisi forsan dictus Magister, vel Prior proprius, alicui Fratri licentiam dederit Fratri alteri ejusdem Ordinis confitendi. Nulli ergo &c. Datum Neapoli VIII Kalend. Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Confiteantur.*) Dicetur in *Tractatu de consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Illud exscripsit *Ususmaris pag.* 13. Habes etiam in *Thesauro Anecdotor. P. Martene Tomo I ad An: MCCLIV pag.* 1060.
3. *Sanciati.*) *Ususmaris* legit: *Sauciatis.*

Anno 1255 Die 28 Februarii.

Priori FF. Prædicatorom Cremonen. (1), ut Guillelmum de Advocatis ab excommunicationis sententia absolvat, & super irregularitate cum eodem dispenset.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 807.

XIV. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Cremonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

EX parte Guillelmi de Advocatis, Canonici Cremonen., fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse quondam Friderico (2) tunc Romano Imperatore, & Henrico (3) nato ejus, necnon aliis excommunicatis prȩsentibus, per metum ipsorum Friderici, & Henrici (4) . . . . . Officiis immiscuerit se divinis, providere sibi de absolutionis beneficio, ab excommunicationis sententia, quam participatione hujusmodi noscitur incurrisse, ac dispensationis gratia curaremus. Nos igitur ejusdem Guillelmi supplicationibus inclinati, prȩsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus, consideratis omnibus circumstantiis, dictum Guillelmum absolvas ab hujusmodi excommunicationis sententia juxta formam Ecclesię vice nostra, & injuncto sibi quod fuerit iojungendum, & injungi talibus consuevit, dispenses cum ipso super Irregularitate dicto modo contracta, prout ejus saluti videris expedire. Datum Neapoli II Kaleodas Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Cremonen.*) In Ducatu *Mediolanensi* ad *Padum* fluvium.
2. *Friderico.*) *II.*
3. *Henrico.*) Quem *Salzeburgensis* Archiepiscopus anathemate ferierat, uti videre est *Lib. IX Epistola CLXXII Gregorii IX* apud *Odoricum Raynal. Annal. Ecclesiast. ad An: MCCXXXV num. X.*
4. *Henrici . . . .*) Lacunam sic explerem: *Divina celebraverit, & postmodum Officiis immiscuerit se Divinis.*

Pari-

Parisiensi Episcopo, Provinciali FF. Prædicatorum, ac Ministro FF. Minorum Franciæ, ut in electionem Nivernensis (1) Episcopi inquirant.

Anno 1255 Die 8 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 808.

XV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisien., & dilectis filiis Priori Provinciali Prędicatorum, & Ministro Minorum Fratrum in Francia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid actum sit narrat.

DElato ad Sedem Apostolicam negotio Electionis, quę in Ecclesia Nivernen. vacante de dilecto filio Vvillelmo de Grandiputeo Nivernen. Archidiacono dicitur celebrata, Procurator illorum, qui dictum Archidiaconum elegerunt instanter petebat a nobis, Electionem hujusmodi confirmari. Cumque dilectus filius Arnulphus dictus Rex, & Renaudus de Conctis, Canonici Nivernen., se illi super hoc ducerent opponendos, tandem ipsi pro se, & quibusdam Canonicis suis, quorum Procuratores exiltunt, electionem ipsam non debere confirmari dixerunt, obiicientes quędam in electionis formam, & aliqua in electi personam. In formam scilicet, quod fuit omissa collatio, & communis Electio non extitit subsecuta. In Personam vero, quod dictus Guillelmus tantum patitur in visu, & literatura defectum, quod exinde inhabilis redditur ad tantę apicem Dignitatis; Iidem etiam Arnulphus, & Renaudus pro se duntaxat ei pluralitatem Personatuum objecerunt, videlicet quod Archidiaconatum Nivernen., & Thesaurariam Senonen. absque dispensatione Sedis Apostolicę obtineret, & licet de partibus ipsis constiterit, tamen pars electi asserit, esse cum eo super hoc sufficienti auctoritate Apostolica dispensatum. Verum quia super aliis pręmissis non potuit apud Sedem Apostolicam fieri plena fides, nos de vestra circumspectione confisi, cognitionem tam super iis, quę obiiciuntur in formam, quam electi personam, & examinationem ipsius super literaturę, ac visus defectu, vobis auctoritate pręsentium duximus committendam, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandantes, quatenus receptis legitimis probationibus super pręmissis, quę dicuntur in formam, Dispensationem super eisdem partibus vobis faciatis ollendi, & examinantes Personam ipsius Guillelmi super defectibus supradictis ad confirmationem vel infirmationem ejusdem Electionis infra tres menses a prima die, quam Partibus ad procedendum in negotio duxeritis assignandam, ne pręfata Ecclesia ex dilatione negotii detrimentum incurrat, Deum solum habentes prę oculis, procedatis juxta Canonicas sanctiones, & si eam legitime infirmari contingat, super facultate eligendi hac vice Pastorem in dicta Ecclesia, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, decernatis, facientes &c. Si vero propter subterfugia Partium, vel quocunque alio modo, negotium ipsum infra dictos menses nequeat terminari, vos illud ex tunc instructum, vel non instructum, ad nostrum remittatis examen, prępfixo Partibus termino peremptorio competenti, quo tempore cum rationibus, & munimentis suis, ac probationibus, & omnibus aliis dictum negotium contingentibus, sic instructę ad audiendam sententiam per se, vel Procuratores idoneos compareant coram Nobis, ut illud ulterius ad partes illas remitti nequaquam oporteat, sed apud dictam Sedem possit finaliter expediri. Proviso, quod si negotium ipsum ad nos remitti contingat, Personam ejusdem Electi, tam super literatura, quam visus defectu diligenter examinare curetis, & utrum juxta vestrum arbitrium sufficientis, vel competentis literaturę ad Episcopatum existat, aut non, & si ex defectu visus reddatur inhabilis ad Episcopale Officium exercendum, vel si ad hoc habilis habeatur, nobis per vestras literas distincte, & fideliter exponatis. Ceterum si forte idem Electus examinationem vestram super pręmissis subire noluerit, & negotium deberet alias ad nostram pręsentiam destinari, auctoritate nostra mandetis eidem, ut examinatus (2) apud dictam Sedem personaliter, seu (3) nostro conspectui representet; Non obstante indulgentia, qua Fratribus vestrorum Ordinum, filii Prior, & Minister, prout dicitur, a Sede Apostolica est concessum, quod se de causis non teneantur intromittere per literas Sedis ejusdem, quę de Indulgentia hujusmodi non fecerint mentionem. Quod si non omnes &c. Datum Neapoli VIII Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Committit ut supra.

1. *Nivernensis.*) In *Gallia Celtica* ad *Ligerim* fluvium.
2. *Examinatus.*) Lege: *Examinandus*.
3. *Seu.*) Nonne melius *se*?

Priori Parisiensi Ordinis FF. Prædicatorum Inquisitori amplissimam facultatem concedit (1).

Anno 1255 Die 10 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 814.

XVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

CUpientes ut Inquisitionis negotium contra hereticam pravitatem solicitudini tuę commissum ad Dei gloriam, & augmentum fidei Catholicę in tuis manibus feliciter prosperetur (2) compellendi, appellatione remota, per Censuras Ecclesiasticas, per te, vel alios, quos ad hoc idoneos duxeris eligendos, omnes illos, qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis per quoscunque hactenus factę contra hereticos, Credentes (3), Receptatores, seu Fautores eorum, ut ea, sublato cujuslibet difficultatis, seu dilationis dispendio, tibi exhibeant, necnon & absolvendi a sententia excommunicationis omnes illos, qui dimissa hereticorum perfidia ad unitatem Catholicę fidei libere, ac humiliter redire voluerint; ac etiam reconciliandi eos Ecclesię, a qua noscuntur diabolica suggestione precisi; convocandi quoque Clerum, & Populum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum contra tales, itaut in ferendis sententiis contra ipsos

possis peritos, & discretos, prout expedierit, advocare; dandi quoque omnibus accedentibus ad convocationem hujusmodi auctoritate nostra quadraginta dierum Indulgentiam; procedendi etiam contra illos, qui ad partes Comitatui Tolosano contiguas se transtulerint, ut sic canonicam effugiant ultionem; faciendi quoque observari inviolabiliter omnia statuta provide edita, tam in Conciliis Legatorum (4) Sedis Apostolicę, quam etiam in forma pacis (5) olim initę inter Ecclesiam Romanam, & carissimum in Christo filium nostrum Regem (6) Francię Illustrem ex parte una, & quondam R... (7) Comitem Tolosanum ex altera, quę negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii, & augmento fidei fuerit opportunum, necnon & ut in eodem negotio summarie absque judicii, & advocatorum strepitu procedere valeas auctoritate presentium tibi concedimus facultatem. Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles, per Censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compescas. Non obstante si aliquibus a Sede sit indultum eadem, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, nisi plenam, & expressam, vel de verbo ad verbum fecerint de indulto hujusmodi mentionem, & Constitutione de duabus Dietis edita in Concilio (8) Generali. Datum Neapoli VI Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Clausula Derogatoria.

1. *Concedit.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Prosperetur.*) Hoc enim anno desudatum est in Galliis, ad delendas reliquias hæreticorum *Albigensium*, ut docet *Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. ad An. MCCLV num. XXXIII.*
3. *Credentes.*) De quibus in *Nota XLII ad Bullam datam XXXI Octobris MCCXLIII.*
4. *Legatorum.*) Adversus Albigenses *Legati* ab anno MCXLVII ad annum MCCLV sunt numero XXIV. Ipsorum nomina recenset *Percinus Monument. Convent. Tolosani Parte II pag. 9*, ubi etiam differit de *Conciliis* a S. Sedis Apostolicæ Legatis in eosdem hæreticos congregatis.
5. *Forma pacis.*) Extat ad calcem *Tomi V Scriptor. Francicor. apud Duchesnium.*
6. *Regem.*) *S. Ludovicum IX.*
7. *R....*) *Raymundum Juniorem.*
8. *Concilio.*) *Lateranen. IV, Cap. XXXVII.*

Anno 1255 Die 18 Martii.

Confirmat Literas, quibus solum Cœnobio Messanensi (1) construendo necessarium concesserat Octavianus Cardinalis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 811.

XVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Messaneo., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Religionis vestrę meretur honestas, ut vos speciali diligentes in Domino caritate, Apostolicę Sedis gratia prosequamur, spe nobis proposita, ut divinis obsequiis tanto diligentius intendatis, quanto propensiori favore vos senseritis confoveri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus annuentes, locum quendam in Civitate Messanen. ad dominium Curię pertinentem, qui dicitur Castellum maris, quem dilectus filius noster Octavianus Sanctę Marię in via lata Diaconus Cardinalis Apostolicę Sedis Legatus, cum capella, domibus, plateis, & spatiis, quę sunt ibi, in quo aliquando consuevit esse castrum, pro construendo Monasterio vestri Ordinis, & morando ibidem, auctoritate sibi commissa vobis concessit de gratia speciali, prout in literis inde confectis perspeximus plenius contineri, auctoritate Apostolica confirmamus &c.(2). Ad hujusmodi itaque rei perpetuam firmitatem tenorem literarum ipsarum de verbo ad verbum duximus pręsentibus inserendum, qui talis est. Octavianus (3) miseratione Divina S. Marię in via lata Diaconus Cardinalis Apostolicę Sedis Legatus, venerabili viro Priori, & Fratribus Prędicatoribus de Messan. dilectis in Christo sibi, salutem in Domino. Petitionis vestrę porrectę nobis series continebat, quod in loco valde inepto, & nimis a Civitate Messanen. remoto, moramini, adeo quod persępe contingit vos Civitatem eandem intrare, & inde ad locum prędictum redire non posse propter flumariam, (4) quę decurrit inter locum ipsum, & Civitatem, & inundantiam etiam pluviarum, propter quod supplicastis nobis, ut locum alium ad dominium Curię pertinentem, quod dicitur Castellum maria, cum capella, & domibus, plateis, & spatiis, quę sunt ibi, in quo aliquando consuevit esse Castrum, pro construendo Monasterio vestri Ordinis, & morando ibidem vobis concedere deberemus. Nos autem attendentes, quod in loco inhabili non potestis commode Domino famulari, petitione vestra clementer admissa, locum prędictum, quod dicitur Castellum maris, cum capella, & domibus, plateis, & spatiis, quę sunt ibi, ad construendum in eo Monasterium vestri Ordinis, & morandum ibidem, auctoritate nobis commissa concedimus vobis de gratia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. In cujus rei testimonium pręsentes literas fieri feci, & sigilli nostri munimine roborari. Datum Neapoli XIII Indictione, Pontificatus Domini Alexandri Papę Quarti Anno primo. Nulli &c. nostrę Confirmationis &c. Datum Neapoli XV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Confirmatio donationis.

Tenor literarum Cardinalis Octaviani.

Sanctio pœnalis.

1. *Messanen.*) In Insula *Siciliæ*. Hujus Diplomatis mentio apud *Bzovium Annal. Eccles. ad an. MCCLV num. VIII*, citat *Epistolam CCXXVI Libri I Alexandri IV.*
2. *Confirmamus &c.*) Addendum: *Et præsentis scripti patrocinio communimus.*
3. *Octavianus.*) *Ubaldinus*, ad fluctuantem *Siciliam*, in obsequio S. Matris Ecclesiæ continendam Legatus. Consule *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad Annum MCCXLIII pag. 123.*
4. *Flumariam.*) Id est *Torrentem*, ab Italis *Fiumara* dictum.

Uni

Universis Ecclesiarum Prælatis Fratres Prædicatores & Minores studiosè commendat.

Anno 1255 Die 9 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Prępositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Pręlatis, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinum FF. Prædicatorum, & Minorum.

PAtris Æterni benignitas pro sui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda salute, inter personas plurimas divinis obsequiis deputatas viros in Ecclesia sua sancta constituit conversationis & vitę honestę conspicuos, ac scientię titulis insignitos; Hi sunt dilecti Deo & hominibus Fratres Ordinum Prędicatorum, & Minorum, qui semper suum affectum ad amorem cęlestium dirigentes, virtutem divini nominis per orbem terrę publicant, & Christianę Religionis ampliando cultui (2) vigili attentione desudant. Hi sunt, qui, vitam & merita B. Pauli contemplantes, gloriantur in sola Cruce Domini, spernendo mundi solatia pro deliciis Paradisi. Hi sunt, qui hostes animę per scutum fidei, loricam justitię, gladium spiritus, salutis galeam, & hastam perseverantię debellantes, obtinere satagunt, ut Catholicis universis, fidei, spei, & caritatis augmenta proveniant, ac perfidis veritatis via pateat, & hereticę pravitatis insania evanescat. De tantorum siquidem meritorum provenit claritate, quod nos Fratres eosdem affectu sincerissimo in Christo diligimus (3), & ipsos ubique terrarum statu gaudere pacifico affectamus, pro re indigna, & nimis amara ducentes, si quis de numero fidelium, & potissime Pręlatorum, eos aliquibus turbat injuriis, vel offensis. Rogamus itaque devotionem vestram, & per Dei misericordiam obsecramus, per Apostolica vobis scripta mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes, quatenus illos ex eis, qui sunt in vestris Civitatibus & Diœcesibus constituti, seu qui ad presentiam vestram quomodocunque (4) pervenerint, pro divina & nostra reverentia, affabiliter, & benigne recipere, ac eos vestrę caritatis studeatis affluentia confovere, permittendo ipsos uti libere regularibus eorum observantiis, & statutis per Sedem Apostolicam approbatis, ac etiam indulgentiis, & literis, quas circumspecta pietas Sedis ejusdem eis olim concessisse dignoscitur de sua gratia speciali. Ceterum prędictos Fratres, de favoris vestri plenitudine plenius honorantes, eis libenter concedatis, ut quę sunt opportuna pro animarum salute fieri, ab eis auctoritate nostra libere valeant exercere; presertim cum ipsi cordi habeant, ministerium suum ita laudabiliter & prudenter exequi, quod exinde apud vos possint sinceram & stabilem benevolentiam promereri. Preces autem nostras, quas vobis ex intimo cordis affectu dirigimus, sic adimpleat vestra sinceritas, quod propter hoc vobis gratiosi favoris premia opportuno tempore compensemus. Datum Neapoli V Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Commendatio.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Mediolani* in Cœnobio S. *Eustorgii*. Illud idem exscripsere *Castellanus* pag.22, *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag.*22, *Auctor Speculi Minor. Tract. I pag.*5, *Monument. Ord. Minor. Tractatu I pag.*24, *Confettius pag.*9, *Martene in thesauro Anecdotorum Tomo I ad annum MCCLV pag.*1061. Legitur etiam in *Constitutionibus Ord. Præd. typis editis An. MDV num. L, in aliis An. MDVII num. LI.*

2. *Cultui*.) Ex *Vvaddingo*, *Castellano* &c. *Cultum*.

3. *Diligimus*.) Iidem legunt: *Diligamus*.

4. *Quomodocunque*.) Quidam *Quocunque*; alii scribunt: *Quandocunque*.

F. Raynerio (1) Placentino, ut sibi ab Innocentio IV commissum munus Inquisitoris obeat.

Anno 1255 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raynerio de Placentia Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

OLim felicis recordationis Innocentius Papa prędecessor noster Inquisitionem contra hereticos & fautores eorum in Provincia Lombardię sub certa forma tibi per suas literas dicitur commisisse; Nos itaque, qui vigilanti studio ad hoc intendimus, ut capiantur vulpeculę, quę conantur vineam Domini demoliri, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus in hujusmodi procedas negotio juxta directarum ad te ipsius Prędecessoris continentiam (3) literarum. Datum Neapoli Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut suo pra.

1. *Raynerio*.) De quo sæpius supra. Consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCLVIII pag.*154.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Mediolani* in Cœnobio S. *Eustorgii*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Continentiam*.) Vide notam II in Diploma datum XVII Martii MCCXXVIII.

Anno 1255 Die 14 Aprilis.

Quædam Parisiensis Universitatis Statuta probat, nonnulla temperat, cetera rescindit (1).

Ex Arch. (2) *Ord. lib A. fol.* 818.

XX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Magistris & Scholaribus Parisiensibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Universitatis Parisiensis encomium.

Quasi lignum vitę in paradiso Dei, & quasi lucerna fulgoris in domo Domini est in sancta Ecclesia Parisiensis studii disciplina. Hęc quippe velut fęcunda (3) eruditionis parens, ad irrigandum sterilem Orbis faciem, fluvios de fontibus sapientię salutaris cum impetu foras mittens, ubique terrarum Dei letificat civitatem, & in refrigerium animarum flagrantium siti justitię, aquas doctrinę dividit publice in plateis. Ibi nimirum ordinatus est per Providentiam Conditoris ad opus, ad custodiam (4) Doctorum, Ordo pręcipuus, ut ad vitę fructum rationabilis creaturę deducat affectum, ne in gustum mortis vetita veteris pręvaricationis illecebra seducatur. Ibi humanum genus originalis ignorantię cęcitate desorme, per cognitionem veri luminis, quam scientia (5) pietatis assequitur, reddita visionis specie, reformatur. Ibi pręcipue dat Dominus sponsę suę os, & sapientiam, ac linguam mysticis eloquiis eruditam, cui resistere nequit omnis adversitas improborum. Ut igitur consortii v. stri communicabile, ac commune omnibus bonum, omni pacis custodia servare curemus, & favorabilibus patrociniis communire, ne in commune publicę salutis exitium, illud, ęmula caritatis, & unionis invida, satanę labefactare possit astutia; instructa quippe modis innumerabilibus ad nocendum, in Nobis, quos licet indignos cunctis mortalibus Dei dignatio superintendere voluit de supremo fastigio domus suę, pręcipua sollicitudinis vigilantia excitatur, & cor nostrum urit curę stimulus specialis. Olim sane, sicut accepimus, cum quibusdam scholaribus Universitatis vestrę collegis fuissent a Vigilibus Civitatis Parisiensis atroces injurię irrogatę; uno illorum occiso, reliquis graviter vulneratis, & in carcerem, & in vincula conjectis, demum vos, quibus, ut dicitur, fel: rec: Gregorius Papa prędecessor noster indulsit, ut si vobis, vel alicui vestrum injuria, vel excessus inferatur enormis, utpote mortis, vel mutilationis membri cujusquam, nisi, congrua monitione pręmissa, infra XV dies fuerit satisfactum, licitum sit vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones: attendentes, quod licet (6) iidem scholares, quos sacrilega carceravit injuria, ut asseritur, vobis fuissent (7) in crastino redditi semivivi, justitię tamen executio in (8) injuriarum hujusmodi pręsumptores videbatur ultra debitum prorogari, scholas a lectionibus suspendistis. Verum (9) cum nec sic justitię debitum proveniret, vos tantę enormitatis articulo suggerente de communi consilio ad dictas injurias secundum Deum, & justitiam quantum vobis foret licitum, si judicis tepesceret officium, prosequendas, & ad quasdam ordinationes alias vos per obligationem roboratam juramentis adhibitis, ut dicitur, astrinxistis. Et quia super his dilecti filii Bonus-homo (10), & Elias (11) Prędicatorum Ordinis Fratres, scholas regentes Parisius in Theologica facultate, ex certis causis, se ordinationibus, & obligationi hujusmodi subiicere noluerunt, ad Sedem Apostolicam appellando, eos beneficio societatis in magistralibus privavistis, ipsosque privatos publice nunciantes, injunxistis districte, ut scholares lectiones eorum de cetero non audirent, ne ipsorum auditores a pęna, quam Universitas infligere talibus (12) consuevit, se possent per ignorantiam excusare. Demum (13) cum iidem Fratres super hoc ad dictę Sedis pręsidium confugissent, fel: rec: Innocentius (14) Papa prędecessor noster, audito, quod inter vos, & cives, qui prędictas injurias irrogaverant, discordia per satisfactionem fuerat jam sopita, volens de medio vestrum submovere materiam controversię, & pacifice reformare mutuę caritatis affectum, ipsos Fratres ad vestrum collegium & consortium restituit de gratia speciali, prohibitionem, seu mandatum factum scholaribus auditoribus eorundem penitus revocando, ac dando vobis suis literis in mandatis, ut prędictos Fratres sine difficultate, seu dilatione, resumentes ad statum pristinum, & ad Collegium Magistrorum, ac Universitatis consortium admittentes, eos occasione pręmissorum nullatenus vexaretis; venerabilibus fratribus nostris Silvanectensi (15), & Ebroicensi (16) Episcopis super hoc mandati Apostolici executoribus deputatis. At licet ad vos mandatum restitutionis, & revocationis hujusmodi pervenisse dicatur, ipsi tamen Fratres usque nunc adipisci efficax suę restitutionis commodum, vobis quędam obiicientibus, nequiverunt. Ceterum vos, filii Magistri in Theologia Parisius tunc Regentes, hęc statuta, deliberatione habita (17), edidistis, ut videlicet de cetero Religiosus aliquis non habens Collegium Parisius, & cui est a jure publice docere prohibitum, ad societatem Magistrorum nullatenus admittatur, utque (18) singula Religiosorum Collegia singulis Magistris actu Regentibus, & unica schola de cetero sint contenta. Ne quoque aliquis Baccallarius (19) in Theologica facultate promoveatur ad Cathedram, nisi prius examinaverit semetipsum, saltem aliquos libros Theologię glosatos, & Sententias (20) in scholis alicujus Magistri actu legentis, diligenter legendo. Quod si aliquis contra dictas ordinationes vestras venire pręsumpserit (21), ei societas vestra tam in principiis, quam in aliis subtraheretur omnino. Quicunque vero Baccallarius licentiatus fuerit, & huic ordinationi consensum pręstare noluerit requisitus, eum statuistis excludi a consortio Magistrorum, & eidem tam in principiis, quam in aliis societatem magistralem (22) penitus denegari; pręmissis statutis Universitatis, ut dicitur, accedente consensu, reverentia tamen, & obedientia Sedis Apostolicę, ac aliorum quibus obedire tenemini, semper salva. Statuistis insuper, ne ullus Magister in quacunque facultate ad Collegium Magistrorum, vel consortium (23) Universitatis eorum aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione Magistrorum, vel saltem coram tribus Magistris suę facultatis, ad hoc specialiter deputatis, juraverit (24) Statuta vestra licita, & honesta, & vobis expedientia, se firmiter servaturum; secreta quoque & consilia vestra post inhibitionem sibi factam a vobis fideliter celaturum, quodque (25) obligationibus vestris licitis & honestis, ac vobis expedientibus pręcipue ex tenore privilegiorum vestrorum vigorem capientibus pacifice concorditer consentiet (26). Et, ut hoc firmius servaretur, addidistis, ut nullus Magister principium alicujus Baccallarii tenere, vel ejus principio interesse pręsumat, nisi prius ei constiterit, quod idem Baccallarius ad prędicta

Quæ Gregorius IX in gratiam ejusdem Universitatis sanxerat refert.

Fratres Bonus homo & Elias ab Universitate repulsi Summum Pontificem appellarunt.

Innocentius IV discordias Universitatis sedarat.

Statuta ab Universitate edita.

modo prehabito fit ligatus, nec idem Baccalarius, si alio modo inceperit, Magister aliquatenus a vobis habeatur. Statuistis preterea, ut si cessante studio Parisiensi ob causas consimiles, vel alias rationabiles, aliquis interim Baccalarius in aliqua facultate de novo solemniter incipere, vel aliquis eorum, qui prius legerunt (27), suas iterum resumere presumpserit (28) lectiones, ex tunc a consortio vestro in perpetuum excludatur, nec Parisius, seu alibi, ubi studium transferri contigerit, inter Magistros, seu scholares aliquatenus admittatur, & pęna consimili scholaris, qui interim causa studii Parisius venire presumpserit, puniretur, nisi transgressores predicti presumptionem suam ad arbitrium Universitatis vestrę curaverint (29) emendare. Et hęc ordinastis, & statuistis sub pęna, quam infligere potestis, inviolabiliter observanda; nihilominus recensentes excommunicationis sententiam, quę in transgressores premissos extitit, ut proponitur, promulgata, ab omnibus inviolabiliter observari, salvis in omnibus jure, ac libertate Canonicis Parisien. quantum ad omnia, in quibus, & per quę a vestris Ordinationibus, & statutis auctoritate Apostolica, seu quacunque alia, sunt exempti. Porro dilectis filiis Priore Predicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Parisiensium (30) suam ad Sedem predictam, refugium oppressorum, deferentibus quęstionem, quod vos (31) occasione statutorum hujusmodi a vobis, eis exclusis, pro vestro libito editorum, ipsos, & liberum, & quietum statum Magistrorum, & Fratrum eorundem Ordinum Parisius studio insistentium, ac scholarium suorum indebite turbabatis, prefatus Innocentius nec expediens reputans, neque decens predictis omnibus (32) pressuras hujusmodi, vel molestias irrogari, vobis suis dedit literis in mandatis, ut ab ipsorum quibuslibet novis molestiis, & inquietationibus, predictis statutis nequaquam obstantibus, desistentes, nihil penitus usque ad Festum Assumptionis B. Virginis proxime tunc venturum, in eorum, vel pristini status ipsorum, presumeretis prejudicium attentare. Et quoniam inter vos, & Fratres predictos idem Innocentius omnem scandali, & discordię cupiebat materiam amputare, ut sub vinculo pacis pacificis scientię studiis vacaretis, supradictis Episcopis per sua scripta mandavit, ut tam vos, quam Fratres eosdem ex parte sua peremptorie citare curarent, quod in premisso Festo, nisi sub iis interim (33) proveniret concordia, per procuratores idoneos ad ipsius presentiam veniretis, ut super premissis quod utile, salubre, & conveniens prospiceret, auctore Domino, ordinaret, nec permitterent iidem Episcopi, Fratres eosdem a vobis contra premissa medio tempore molestari. Denique idem Predecessor morte preventus, nihil potuit juxta pium (34) conceptum animi sui super eodem negotio definire, sicque nos habuit in hujusmodi sollicitudinis cura, sicut & in ceteris pastoralis angustię laboribus, licet immeritos, Successores. Vestro itaque sufficiens (35) ad Ordinationem suscipiendam habente mandatum, & predictorum Prioris, & Fratrum Procuratoribus, necnon & dilecto filio Magistro Ordinis Predicatorum, qui cum illis postulabat hoc ipsum, in nostra presentia constitutis, premissa omnia, & processus habitos diligenter inspeximus, quęcunque in auditorio nostro super his utrinque fuere proposita diligenter intelleximus, & tandem per viam pacis, quę processus est gratię, ad dirimendum inter partes exortę controversię scrupulos, nos, Domino dirigente, aliqua ex premissis ordinationibus, & statutis a vobis editis, ut salubrius maneant, & utilius commoditati proficiant generali, de fratrum nostrorum consilio moderanda providimus; Cetera vero, ne rigore districtionis unitatem communionis exasperent, resecanda. Etenim circa id, quod statuere voluistis, ne ullus Religiosus nullum (36) Parisiis habens Collegium, & a jure publice (37) docere prohibitus, in Magistrorum Collegium ullatenus (38) admittatur, & singula Religiosorum collegia singulis Magistris actu regentibus, & unica schola de cetero sint contenta, consideranda Nobis ea diligenter occurrunt, quę memoratus Gregorius (39) circa statum scholarium, & scholarum Parisien. statuisse dicitur observanda: Videlicet, quod quilibet Cancellarius Parisien. deinceps creandus, coram Episcopo, vel de ipsius mandato in Capitulo Parisien. vocatis ad hoc, & presentibus pro Universitate scholarium duobus Magistris, in sua institutione jurabit (40), quod ad Regimen Theologię, & Decretorum bona fide secundum conscientiam suam, loco & tempore secundum statum Civitatis, & honorem, ac honestatem facultatum ipsarum nonnisi dignis licentiam largietur (41), nec admittet indignos, personarum, & nationum acceptione submota. Ante vero quam quenquam licentiet infra tres menses a tempore petitę licentię, tam ab omnibus Magistris Theologię in Civitate presentibus, quam aliis viris honestis, & literatis, per quos veritas sciri possit de vita, scientia, & facundia, necnon proposito, & spe proficiendi, ac aliis, quę sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat, & inquisitione sic facta, quid deceat, & quid expediat bona fide, det, vel neget secundum conscientiam suam, petenti licentiam postulatam. Magistri vero Theologię, & Decretorum, quando incipiunt (42 legere, prestabunt publice juramentum, quod super premissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit, quod consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit, Parisiensibus Canonicis libertate, ac jure in incipiendo habitis, in sua manentibus firmitate. Cum ergo ex Constitutione hujusmodi liqueat manifeste, quę (43) in licentiando scholares ad scholarum regimen Cancellario sit facultas, & quanta sibi super hoc religio fidei, & circumspectionis necessitas indicatur (44), videri potest acutius intuenti, auctoritate Constitutionis Apostolicę, quę statui scholarum, & scholarium providens, certos Cancellarii officio terminos potestatis indulget, per Constitutionem vestram in propagandi studii dispendium derogari. Volumus (45) itaque Cancellarii potestatem in Constitutione sępefati Gregorii, circa statum Parisien. studii declaratam, nulla (46) imminutione convelli. Ipse tamen (47) circa licentiandos hujusmodi tam de secularibus, quam de Regularibus, non solum ea, quę attendenda in Constitutione ipsius Gregorii exprimuntur, verum etiam statum, & necessitatem Ecclesię Generalis, & populorum salutem diligenter attendat, & iis, quos suffragantibus meritis, & suadentibus circumstantiis viderit ad Magisterium promovendos, sic faveat, quod capacem sensum a natura sortiti (48) ad profectum scientię, proposito studiosis magistralis tituli premio (49), provocentur, & ad gubernaculorum officia, quę intra sanctam Ecclesiam sępius imminent, personis idoneis dispensanda, suppetere possit virorum copia probatorum, presertim in arte artium, quę profecto est regimen animarum. Ex eo autem quod aliqua (50) Secularium, vel Religiosorum Collegia, de licentia Cancellarii plures meruerunt habere Magistros hactenus, aut scholas, nolumus eis (51) circa proprietatem, vel possessionem habendi hujusmodi jus in posterum provenisse; sicut iis qui non plures, vel nullum hactenus habuisse noscuntur, nolumus ex hoc viam aliquem (52), vel plures habendi precludi, si Cancellarius omnibus, quę considerari debent, inspectis, alicu-

De his ad Sedem Apostolicam Fratres Prædicatores & Minores provocant.

Ab Innocentio IV lata sententia.

Alexander IV decernit ut supra.

alicujus, vel plurium licentiam eis viderit, prout sibi competit, concedendam. Illud autem, quod de Baccallariis statuistis, ad Magistralem Theologicę facultatis cathedram, nisi aliquos ejusdem facultatis libros glosatos, & Sententias in scholis alicujus Magistri actu regentis legerint, nullatenus admittendis, sic duximus temperandum, ut repelli tales non debeant, si ubicunque Parisius, dummodo in loco publico, & honesto, eos prędictos libros legisse patuerit: nec etiam hoc ipsum probationis experimentum exigi volumus circa illos, de quibus alias manifeste constiterit, quod ad scholarum regimen sint idonei comprobati. Statutum vero, quo decrevistis, ne ullus Magister in facultate quacunque ad consortium Magistrorum, vel Collegium Universitatis aliquatenus admittatur, nisi prius in plena congregatione Magistrorum, vel saltem coram tribus Magistris suę facultatis ad hoc specialiter deputatis; pręstito juramento, quod secreta, & consilia vestra post inhibitionem sibi factam a vobis, bona fide celabit, alioquin pęnę subjaceat in statuto hujusmodi constitutę, hoc moderamine mitigamus, saluti animarum, & conscientiarum, ac famę periculis pręcaventes; ut si talibus ardua, & difficilia negotia ab Universitate commissa fuerint in secreto tenenda, illa sic teneantur bona fide celare, quod nemini ea in ejusdem Universitatis dispendium revelabunt, nisi forte talia essent, quę (53) non possent sine animarum periculo subticeri. Denique super cessatione scholarum, non obstante alia ordinatione, vel contraria constitutione, a vobis (54) edita, eam formam duntaxat observari volentes, quam pręfatus Gregorius in Constitutione, quam super hoc edidit, noscitur tradidisse, quod videlicet si forte vobis hospitiorum subtrahatur taxatio, aut, quod absit, vobis, vel alicui vestrum injuria, vel excessus inferatur enormis, utpote mortis, vel membri mutilationis, nisi, congrua monitione pręmissa, infra XV dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere Lectiones; & si alicui vestrum indebite carcerari contigerit, fas sit vobis, nisi, monitione pręhabita, cesset injuria, statim a Lectione cessare; si tamen id videritis (55) expedire. Eidem formę adiiciendo statuimus, ut cum pro aliqua ex causis in eadem Gregorii Constitutione contentis, Universitas vestra Lectiones duxerit suspendendas, omnes Magistri tam Regulares, quam Seculares ipsas suspendere teneantur, eas nisi cum Universitate minime resumpturi. Sane si super observantia hujus statuti, de Lectionibus suspendendis, & ejus, quod pręmittitur, videlicet de secretis, & consiliis Universitatis minime revelandis, aliquam obligationem videritis deliberatione provida statuendam, qua tam pręsentes Magistri, quam posteri ad ea explicite, ac specialiter astringantur, vobis, dummodo duę partes Magistrorum Theologicę facultatis, & eo modo duę partes Magistrorum singularum facultatum reliquarum, videlicet Canonistarum, Physicorum, & etiam Artistarum, suum super hoc voluerint pręstare consensum, id faciendi liberam concedimus facultatem. His itaque statutis, & ordinationibus secundum moderationem nostram robur inviolabilis observantię habituris, cetera pro pace vestra, suadente providentię consilio, resecamus; denuntiantes, ne Magistri Regulares, vel Seculares ea servare teneantur ex debito pręstiti juramenti, vel ad ea observanda in posterum sacramento ligentur, libertatibus Parisiensis Ecclesię in omnibus, & per omnia semper salvis, & in aliis Universitatis vestrę Privilegiis, Indulgentiis, & Immunitatibus in suo nihilominus robore duraturis. Prędictos insuper Prędicatorum Ordinis Fratres Theologicę facultatis Magistros, ad Magistrorum consortium, ipsosque ac auditores eorum ad Universitatis collegium de nostrę potestatis plenitudine restituentes omnino, & decernentes ad eadem consortium, & collegium a vobis in dulcedinis ubere sine difficultate qualibet admittendos, omnes sententias privationis, seu separationis a consortio Universitatis, vel similibus, sive pęnas alias in eosdem Fratres vel scholares eorum, pręmissorum occasione prolatas, penitus revocamus.

Clausula derogans.

Non obstantibus statutis quibuslibet, juramento, pęna, sive obligatione, vel confirmatione qualibet (56) roboratis, aut literis a Sede Apostolica impetratis, vel de cetero impetrandis, quę de pręsenti ordinatione, ac providentię nostrę statuto plenam, & expressam non fecerint mentionem.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Ordinationis, Constitutionis, & revocationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Neapoli XVIII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Rescindit.*) Ut enim extra scholas fierent Fratres Mendicantes, nullum non moverant lapidem *Guillelmus* quidam *de Sancto amore* nuncupatus, & alii nonnulli *Parisiensis* Universitatis Magistri. Celebris est hæc controversia. Ipsius mentio apud omnes, qui de XIII seculo scripsere; sed quia studium partium Scriptorum animos in varias opiniones distraxit, id unum rogo; Christi Vicarium audias lector, ipsi instar omnium erit *Alexander.* Ceterum nec contumelias, quibus Fratres Prædicatores lacerat *Boulaeus* in *Historia Universitatis Parisiensis*, nec calumnias, quibus proscindit ipsos, colligam, immo nec consectabor ipsius singula verba. Injuriam ulciscimur orantes pro persequentibus, *maledicimur, & benedicimus.* De hoc tamen expostulabo sæpius, quod, ut Fratres calumnietur, Bullas Pontificias adulterat *Boulaus*, ut verba in contrarium sensum detorqueat, phrases commutat. Id ex contextu Diplomatum alias arguebam, nunc ex Autographis evincam. Videas *Diplomata XXVII Junii MCCLVI, XXIII Maii MCCLVII &c.*

2. *Archivo.*) Idem habes apud *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad An. MCCLV pag. 97, Boulaeum Histor.* Universitat. *Parisien. Tomo III pag.* 282.

3. *Fœcunda.*) *Boulaus* scripsit: *Fœcundæ eruditionis.*

4. *Ad custodiam.*) Idem: *Atque.*

5. *Quam scientia.*) Librarius *Vvaddingi* legit: *Qua.*

6. *Licet.*) Desideratur apud *Boulaeum.*

7. *Fuissent.*) Ex eodem: *Fuerant.*

8. *In.*) Idem: *Contra.*

9. *Verum.*) Ex Boulæo: *Unde.*

10. *Bonus-homo.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordin. Prædicat. ad An. MCCLIII pag.* 139.

11. *Elias.*) *Bruneti* nuncupatus, alumnus *Tolosanæ* Provinciæ, de quo legendus *Echard* mox laudatus.

12. *Talibus.*) Apud Boulæum: *In talibus.*

13. *Demum.*) Ex eodem: *Veram.*

14. *Innocentius.*) Desiderantur *Innocentii* Diplomata. Quo tempore data sint docet *Gonzaga I Parte in Conventu Parisiensi apud Boulaeum Tomo III Histor.* Universitatis *Parisien.* pag. 254 his verbis: *Accessit paulo post tumultus Parisiis exortus inter cives & scholasticos adeo gravis, & multorum cædibus cruentus, ut hi de transferendo in Angliam studio, relicta Lutetia, serio consultarent. Cum his consiliis nollent Fratres acquiescere, nec scholasticis adversus Lutetianos* (Parisienses) *tumultuantibus adesse, illos e scholis publicis, & facultatis consortio semotos publice legere, aut disserere prohibuerunt. Re ad Summum Pontificem Innocentium IV delata, Kalendis Julii an. Pontificatus XI, qui in Christi An. MCCLIV incidit, gravissimis ad Universitatis Rectorem, Doctores, & Proceres missis literis auctoritate Apostolica præcepit, ut Magistros Minores, & Prædicatores, a suo consortio per injuriam ejectos, restituerent, horum lectionibus publicis scholasticos seculares adesse permitterent, & sine ulla difficultate, aut cunctatione ad pristinum statum, gradumque resumerent. Idem rursus altera Bulla data Assisii VII Kalendas Septembr. eodem anno Magistros, & Universitatem Parisiensem hortatus est, deinde jussit, non tantum molestos non esse Magistris Fratrum Minorum, & Prædicatorum, sed eosdem omni potius humanitate, & amicitia fovere, & ut hoc omnino præstarent, Episcopos Silvanectensem, & Ebroicensem* invigi-

invigilare, & prospicere praecepit. Perlegimus & aliud paulo antiquius Diploma, quo idem Pontifex anno summi Sacerdotii sui 2 (legerem II, seu XI) constituit, ut ejusdem Theologicae Facultatis & Scholae publicae, & disputationes sacrae, & honorabiles gradus FF. Minoribus, & Praedicatoribus cum aliis liberi, & communes essent.

15. *Silvanectensi.*) In *Insula Franciae*.
16. *Ebroicensi.*) In *Normannia*.
17. *Habita.*) Boulaeus: *Adhibita*.
18. *Usque.*) Idem: *Et quod*.
19. *Baccallarius.*) Seu *Baccalaureus*.
20. *Sententias.* Id est *Sententiarum libros a Petro Lombardo editos*.
21. *Praesumpserit.*) Ex Boulaeo: *Praesumeret*.
22. *Magistralem.*) Boulaeus: *Magistrorum*.
23. *Consortium.*) Quaedam hic desiderantur apud *Boulaeum*.
24. *Juraverit.*) *Vuaddingus* legit: *Jurassent*.
25. *Quodque.*) Ex Boulaeo: *Atque*.
26. *Concorditer consensies.*) Idem: *Concorditerque consensurum*.
27. *Prius legerunt.*) Boulaeus: *Prius vexeriat*. Apud *Vuaddingum* vero: *Primum legerunt*.
28. *Praesumpserit.*) Vuaddingus: *Praesumpserint*.
29. *Curaverint.*) Ex eodem: *Curaverit*.
30. *Parisiensium.*) Desideratur apud eundem.
31. *Vos.*) Ex eodem: *Nos*.
32. *Omnibus.*) *Boulaeus* scripsit: *Ordinibus*.
33. *Interim.*) Deest apud eundem.
34. *Pium.*) *Boulaeus* legit: *Primum*.
35. *Sufficiens.*) Idem habet: *Sufficienter*.
36. *Nullum.*) Boulaeus: *Ullum*.
37. *Publice.*) Idem: *Publico*.
38. *Ullatenus.*) Ex eodem: *Nullatenus*.
39. *Gregorius.*) Apud *Boulaeum* turbatus locus.
40. *Jarabit.*) Ex Vuaddingo: *Curabit*.
41. *Largietur.*) Idem: *Largiretur, nec admitteret*.
42. *Incipiunt.*) Boulaeus: *Incipient*.
43. *Qua.*) Ex eodem: *Quod*.
44. *Indicatur.*) *Boulaeus* legit: *Judicatur*.
45. *Volumus.*) Scripsit idem: *Nolumus*.
46. *Nulla.*) Ex Boulaeo: *Ulla*.
47. *Ipse tamen.*) Boulaeus: *Cum ipse tamen*.
48. *Sortiti.* Ex Vuaddingo: *Sortiri*.
49. *Praemio.*) Boulaeus: *Honore*.
50. *Aliqua.*) *Boulaei* librarius scripsit: *Alieni*.
51. *Nolumus eis.*) Forsan: *Volumus*. Boulaeus autem legit: *Eos*.
52. *Aliquem.*) Ex eodem: *Aliquam*. Ex Vuaddingo: *Aliquam habendi, vel plures praecludi*.
53. *Qua.*) Boulaeus: *Quod non possent sine animarum periculo subiicere*.
54. *Vobis.*) Ex Vuaddingo. *Nobis*.
55. *Videritis.*) Boulaeus: *Credideritis*.
56. *Qualibet.*) Desideratur apud *Boulaeum*.

Episcopis Aurelianensi, & Antissiodorensi (1), ut ad observanda quae decrevit Pontifex, Universitatem Parisiensem compellant.

Anno 1255 Die 14 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 828.

XXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Aurelianensi, & Antissiodorensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quae Sanxerit summatim refert.

CONtroversiam dudum inter dilectos filios Magistros, & scholares Parisienses ex parte una, & quosdam Religiosos ex altera, super quibusdam statutis, inimico homine superseminante, subortam, nos per ordinationem providam de Fratrum nostrorum consilio sopientes, dilectos filios Bonum-hominem (3), & Eliam Ordinis Predicatorum Fratres Parisius in Theologica facultate Magistros, dudum occasione predicte controversie per Magistros Theologie, & alios nomine Universitatis Scholarium Parisiensium a Magistrorum consortio, & ipsius Universitatis Collegio separatos, quos a fel: rec: Innocentio (4) Papa predecessore nostro postmodum restitutos de gratia speciali, iidem Magistri, & alii licet super hoc mandatum Apostolicum receperint, noluerunt admittere, ad idem Magistrorum consortium, ipsosque, & auditores eorum ad Universitatis Collegium restituimus, omnia de nostre plenitudine potestatis, omnes sententias privationis, seu separationis a consortio Societatis, vel Collegio Universitatis, aut similibus, sive penas quaslibet, vel prohibitiones in eosdem Fratres, vel auditores eorum premissa occasione prolatas penitus revocando. Dictorum quoque statutorum quedam resecanda (5) penitus, quedam vero, ut salubrius proficiant, moderanda, & alia etiam ordinanda, que pro Studii Parisiensis conservatione providimus, prout ex literis (6) nostris super hoc confectis, que: Quasi lignum Vite: incipiunt, vobis liquere poterit evidenter. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ordinationem ipsam faciatis inviolabiliter iuxta earundem literarum continentiam (7) observari; contradictores per Censuras Ecclesiasticas, appellatione (8) postposita, premissis, seu quod predictus predecessor executionem restitutionis predictorum Fratrum dicitur dudum aliis commisisse, aut si aliquibus sit indultum, quod absque Sedis Apostolice speciali mandato excommunicari, interdici, vel suspendi; seu extra suam Diocesim, vel ultra, sive extra certum locum ad judicium evocari nequeant, sive qualibet Apostolica indulgentia, de qua expressam, seu de verbo ad verbum fieri mentionem oporteat, vel per quam hujusmodi executio impediri valeat, vel differri, aut Constitutione de duabus Dietis edita in Concilio (9) Generali, non obstantibus, compescendo. Quod si non ambo &c. Datum Neapoli XVIII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Antissiodorensi.*) Is erat *Guido de Melloto*. *Aurelianensi* vero Ecclesiae praeerat *Guillelmus de Bussi*.
2. *Archivo.*) Adeas etiam *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 21, & Boulaeum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 286.*
3. *Bonum-hominem.*) Consulas Annotationes in praecedens Diploma.
4. *Innocentio.*) *IV.*
5. *Resecanda.*) Boulaeus. *Resecando ... Moderando ... Ordinando*.
6. *Literis.*) Praecedentibus.
7. *Continentiam.*) Ut supra *XVII Martii MCCXXVIII.*
8. *Appellatione &c.*) Desunt haec apud *Vuaddingum*, & *Boulaeum*.
9. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXXVII.*

Magi-

Anno 1255 Die 14 Aprilis.

Magistris Theologiæ Parisiensibus, ut FF. Bonum-hominem & Eliam, ipsorumque auditores in Universitatem adsciscant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 829.

XXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistris facultatis Theologię Parisius commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Facti narratio. Controversiam dudum inter vos, & Universitatem scholarium Parisien. ex una parte, & quosdam Religiosos ex altera, super quibusdam statutis, inimico homine superseminante, subortam, per Ordinationem providam, de Fratrum nostrorum consilio, sopientes, dilectos filios Bonum-hominem, & Eliam Ordinis Prędicatorum Fratres Parisius in Theologica facultate Magistros occasione prędictę controversię, per vos, & alios Magistros Parisienses nomine Universitatis a vestro consortio, & Universitatis Collegio separatos, quos vos, Magistri, a fel. rec. Innocentio (3) Papa prędecessore nostro restitutos de gratia speciali, licet super hoc mandatum Apostolicum receperitis, noluistis admittere ad idem consortium, ipsosque, ac auditores eorum ad Universitatis Collegium restituimus omnino de nostrę plenitudine potestatis, omnes sententias privationis, seu separationis a consortio Societatis vestrę (4), vel Collegio Universitatis, aut similibus, sive pęnas quaslibet, vel prohibitiones in eosdem Fratres, vel auditores eorum pręmissa occasione prolatas penitus revocando. Mandat ut supra. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus Fratres, & auditores prędictos (5) infra (6) quindecim dies post receptionem pręsentium juxta restitutionis, & revocationis nostrę tenorem sine difficultate qualibet ob nostram, & Apostolicę Sedis reverentiam in dulcedinis ubere admittatis, & tractare curetis (7) de cetero socialiter, & benigne. Pœna iis qui non paruerint constituta. Alioquin volumus usque ad satisfactionem condignam eos, qui ex vobis contradictores extiterint, suspensionis ab officiis, & Beneficiis sententię subjacere. Datum Neapoli XVIII Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Adsciscant.*) Legenda præcedentia Diplomata.
2. *Archivo.*) Est etiam apud *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag.* 23, & *Boulaum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.* 286.
3. *Innocentio.*) *IV.*
4. *Vestræ.*) Desideratur apud *Boulaum*.
5. *Prædictos.*) Ex Boulæo: *Ipsorum*.
6. *Infra.*) Idem: *Intra*.
7. *Tractare curetis.*) *Boulæus* legit: *Tractetis*. *Vvaddingus*, *Tractaveritis*.

Anno 1255 Die 15 Aprilis.

Ut arbitratu suo consiliarios advocare, ipsosque sibi Socios adjungere possint Inquisitores (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 825.

XXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., & aliis Inquisitoribus hereticę pravitatis, deputatis ab eo in terris dilecti filii nobilis viri Comitis Pictaviensis, & Tolosani, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Committit ut supra. Cupientes, quod in negotio Inquisitionis contra hereticam pravitatem solicitudini vestrę ab Apostolica Sede commisso, ad laudem Dei, & augmentum Catholicę fidei pro vitę circumspectionis studio efficacius procedatur, ut in ferendis sententiis contra illos, qui de ipsa pravitate convicti fuerint, discretos, & peritos, prout expedire videritis, ut eorum super hoc consilio utamini, advocare, ac eis, quod super hoc vobis pareant, in virtute obedientię districte pręcipere valeatis, auctoritate pręsentium vobis concedimus facultatem. Datum Neapoli XVII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Inquisitores.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo*.

Anno 1255 Die 15 Aprilis.

Cavet, ne quis absque S. Sedis Apostolicæ speciali mandato a pœnis impositis a Fidei censoribus aliquem solvat (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 815.

XXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., & aliis Inquisitoribus hereticę pravitatis, deputatis ab eo in terris dilecti filii nobilis viri Comitis Pictaviensis, & Tolosani, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Auctoritate vobis pręsentium concedimus facultatem, ut si aliqui a penitentiis Ecclesię pravitatis hereticę (2) ipsis impositis, a quocumque, absque speciali mandato Sedis Apostolicę minus juste fuerint absoluti, vos errata hujusmodi ad salutem penitentium, ne facilitas venię, ipsos, quod absit, ulterius ad peccandum protrahat, provide corrigere, ipsosque in statum meliorem reducere valeatis. Contradictores &c. Datum Neapoli XVII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Solvat.*) Legesis *Dissertationem I Tomo ultimo*.
2. *Pœnitentiis Ecclesiæ pravitatis hæreticæ.*) Id est: *Pœnis quibus Ecclesia mulctat hæreticos*.

F. Ray-

F. Raynerio (1) ceterisque Fidei Censoribus, ut ex Statutis (2) ac praeceptis Innocentii IV inquirant in Haereticos.

Anno 1255 Die 26 Aprilis.

Ex Pegna ad calcem Direct. Inquisit. pag. 24.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raynerio, ac aliis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXV.

CUm auctoritate fel: recordationis Innocentii (3) Pape predecessoris nostri in Lombardia Inquisitionis officium contra hereticos fueritis hactenus executi, nos, desiderantes tam nocivam pestem pravitatis heretice, que pullulare in illis partibus consuevit, cum omni solicitudine extirpare, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus secundum a Deo vobis datam prudentiam, auctoritate nostra, in ejusdem Inquisitionis officio procedatis, juxta ipsius predecessoris directarum continentiam literarum. Statutis contra hereticos editis, que idem Predecessor in capitularibus civitatum, & locorum Italie annotanda, & servanda mandavit (4), ac literis (5) Ecclesiarum Prelatis, & aliis Lombardis, super negotio ipso directis, in suo robore duraturis. Datum Neapoli VI Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Raynerio.*) Vide Bullam - Olim - *Datam XIII April. MCCLV.*
2. *Statutis.*) Legenda *Diplomata Data XV Maii MCCLII, XX Maii, & XV Junii MCCLIV &c.*
3. *Innocentii.*) *IV.*
4. *Mandavit.*) *Bulla Data XXII Maii MCCLIV.*
5. *Literis.*) *Datis XXX Maii MCCLIV.*

Ampliat, & declarat nonnulla capita Constitutionis Innocentii IV, quae incipit: *Ad extirpanda* (1).

Anno 1255 Die 30 Aprilis.

Ex Bullario (2) Romano in Alexand. IV Constitut. II.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus hereticorum in Provincia Lombardie, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXVI.

CUm secundum tenorem constitutionum felicis recordationis Innocentii (3) Pape predecessoris nostri, quas in capitularibus Civitatum, & locorum Italie annotari mandavit, contineatur, quod quilibet Potestas, seu Rector cujuscunque Civitatis seu loci infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos, & Catholicos, & duos notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneantur, quos Diecesanus, si presens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Predicatores, & duo Minores, ad hoc a suis Prioribus, si Conventus ibi fuerint eorundem Ordinis (4), deputati, duxerint eligendos, per quos inquirantur heretici, & etiam capiantur. Teneatur insuper idem Potestas, vel Rector infra decem dies sui regiminis syndicare (5) precedentem proxime Potestatem, vel Rectorem, & ejus etiam assessores per tres viros Catholicos, & fideles, electos ad hoc per Diecesanum, si fuerit presens, & per Fratres Predicatores, & Minores, de omnibus, que in Constitutionibus prefatis, & Legibus, que contra hereticos, & eorum complices, editis continentur. Et, sicut ad audientiam ipsius nostri Predecessoris pervenit, earundem Constitutionum super his plerumque impeditur effectus: pro eo scilicet, quod interdum, illi, qui predictos viros debent eligere, electioni hujusmodi non possunt interesse, vel nolunt; Nos ad instar Predecessoris ejusdem, super his, sicut convenit, providere volentes, statuimus, ut si Diecesanus, & Fratres Minores, predicte electioni predictorum virorum noluerint, vel non potuerint interesse, per aliquem vestrum, seu illos, quibus id duxeritis committendum, in locis, in quibus Inquisitionis officium exercetis, eligere personas, seu viros huiusmodi libere valeatis, vobis, & vestrum singulis auctoritate presentium indulgemus. Non obstante juramento, quod predicti Potestates, & Rectores, de observandis prefatis Constitutionibus exhibere tenentur, a quo ipsos, quantum ad hos articulos, sive casus duximus absolvendos. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Neapoli II Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Tenor Declarandorum.

Declarat, & ampliat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Ad extirpanda.*) Ut *XV Maii MCCLII, & XX Maii MCCLIV.*
2. *Bullario.*) Idem exscripsit *Pegna ad calcem Directorii Inquisitorum pag. 24 ex Directorio Sabellano fol. 354.*
3. *Innocentii.*) *IV.*
4. *Ordinis.*) Legerem: *Ordinum.*
5. *Syndicare.*) *Seu quaestionem instituere in praecedentem proxime Potestatem.*

Fratri Raymundo (1) de Pennafort, ut Ilerdensis (2) Episcopi cessionem admittat ipsique de Bonis Episcopalibus pensionem statuat congruam & honestam.

Anno 1255 Die 5 Maii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 833.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo de Pennafort Ordinis Predicatorum, Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXVII.

USque in senectam, & senium in officio pastoralis cure perductus venerabilis Frater noster Episcopus Ilerden., nobis humiliter supplicavit, ut, cum confectus senio, & nimia corporis debilitate gravatus nequeat Pastorale Officium, ut expedit, adimplere, ac per hoc oneri Pontificalis officii cedere sit paratus, cessio-

Mandat ut supra.

cessionem ipsius recipere curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus, consideratis diligenter circumstantiis universis, si Ecclesiæ Ilerdensi videris expedire, recipiens cessionem hujusmodi vice nostra, præfato Episcopo de bonis Episcopalibus pro sustentatione sua provisionem congruam, & honestam studeas assignare, ac facias eum pacifica ipsius possessione gaudere. Contrariis non obstantibus. si aliquibus, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas sit indultum. Datum Neapoli III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Raymundo.*) Sancto, de quo sæpius supra. 2. *Ilerdensis.*) In *Catalonia*.

Anno 1255 Die 7 Maii.

Abbati Inlemmin. (1), Cisterciensis Ordinis, & Provinciali FF. Prædicatorum Alemanniæ, ut Marchionem Brandeburgensem, & filiam Ducis Saxoniæ ab impedimento consanguinitatis immunes faciant.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 831.

XXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Inlemmin. Cisterciensis Ordinis, Brandeburgensis Diœcesis, & Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum Alemanniæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

EX parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ducis Saxoniæ ac Johannis Marchionis Brandeburgen fuit nobis humiliter supplicatum, ut eidem Marchioni, & nobili mulieri natæ dicti Ducis contrahendi Matrimonium ad invicem, & confirmandi contractum, ac in eo licite remanendi, non obstante, quod iidem tertia consanguinitatis linea sunt conjuncti, licentiam de benignitate Sedis Apostolicæ largiremur. Licet igitur conjugalem contractum copulæ inter tales fieri Canones districtius interdicant, & raro, vel nunquam, nisi ex magnæ utilitatis, & necessitatis causa Sedes ipsa consueverit impedimentum hujusmodi per dispensationis gratiam submovere, quod tamen plura propter quæ Sedis ejusdem clementia potest honeste ad prædictam inclinari gratiam, fuerunt proposita coram nobis, præsertim prompta exhibitio, utilium, & magnorum servitiorum ab eisdem Nobilibus in Ecclesiæ, ac carissimi in Christo filii nostri VV... (2) Regis Romani Illustris generali negotio impensorum, & odiorum præteritorum fomitis in illis partibus extinctio salutaris, & cautela quæ per hoc futuris malis posse dicitur præcaveri; Nos eisdem Nobilibus, omnem, quam cum Deo possumus gratiam facere, suadentibus eorum meritis, intendentes, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus propositis hujusmodi servitiorum, & aliarum necessitatum utilibus causis, diligentius inquisitis, & attente perspectis, eisdem auctoritate nostra petitam licentiam concedatis, cum ipsis super impedimento hujusmodi Consanguinitatis dispensando, prout vestra circumspectio secundum Deum viderit expedire. Quod si non omnes &c. Datum Neapoli Nonis Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Inlemmin.*) In Marchia *Brandeburgensi*, Provincia *Germania*. 2. *VV...*) *Vuillelmi* de quo sæpius supra.

Anno 1255 Die 11 Maii.

Ut Fratres ad Dignitates extra Ordinem nostrum elati, vel efferendi, Magistro Generali, vel ceteris Præpositis libros, & alia, quæ tempore promotionis habuerint, permittant (1).

Ex Bullar. [2] *Usus maris pag.* 33.

XXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Præcipit ut supra.

EX parte vestra nobis extitit intimatum, quod cum contingat interdum ad Episcopatum, & alias dignitates aliquos de Fratribus vestri Ordinis promoveri, ipsi libros, & alia, quæ tempore suæ promotionis habebant, licet non ad eos, cum proprium habere non liceat, sed ad Ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare præsumunt, in suarum præjudicium animarum. Quare suppliciter postulastis a nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus. Nos igitur eorundem Fratrum saluti paterna volentes sollicitudine providere, ut libros. & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, seu habere, constiterit, tibi, fili Magister, vel Prioribus, & Conventibus suis, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis Fratribus jam promotis in virtute obedientiæ, præsentium auctoritate, præcipimus. Illos autem, quos promoveri contigerit, ne resignare differant districtius inhibemus, nisi forsan eorum usum eis ad tempus de gratia duxeritis concedendum. Datum Neapoli V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Permittant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Bullario.*) Idem habes apud *Castellanum pag.* 25, & in *Constitutionibus Ord. Præd. Anni MDVII num. LIV.* Ejusdem tenoris Diploma Fratribus Minoribus datum ab *Alexandro IV* innovavit Summus Pontifex feliciter regnans Benedictus XIII Constitutione quæ incipit: *Postulat humilitati nostræ Divina dispensatione commissum*. Data est *Romæ* apud *S. Petrum* Nonis Martii Pontificatus Anno Primo. Hoc aureo Diplomate *Regularibus professis cujuscunque Ordinis interdicitur, ne, cum ad Episcopalem Dignitatem, vel alias Prælaturas Ecclesiasticas promoventur, secum asportare præsumant Libros, Mobilia, & alia quæcunque Bona, quæ tempore suæ promotionis apud se, vel alios habebant, exceptis duntaxat Scriptis, propriis Indumentis, & Breviario, sub pœna suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda, Summo Pontifici pro tempore existenti reservata,* cum

cum innovatione, confirmatione, ac extensione consimilium Constitutionum Alexandri IV, & Clementis IV. Necnon Superioribus Regularibus quibuscunque facultas concedendi ad tempus iisdem Promotis usum prædictorum Bentrium abrogatur, cum clausulis ac derogationibus opportunis. Exscribetur Die VII Martii MDCCXXIV; ibique leges Monitum ad Episcopos Regulares petitum ex Vita S. *Fulgentii Ruspensis* Episcopi, *Cap. XVIII, & XIX, ex Epistola LXXXIV lib. V Innocentii III*, & ex Doctore Angelico S. Thoma *Secunda Secundæ Quæst. LXXXVIII art. XI ad IV, Quæst. CLXXXV art. VIII in corpore, & Quæst. CLXXXVIII. art. VIII ad III.* Jussu Sanctissimi vulgatum est illud Monitum Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ MDCCXXIV.

Priori & Fratribus de Balma (1) ut Minores & Sacros Ordines (2) ab Episcopo Sistaricensi suscipere queant.

Anno 1255 Die 12 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 833.

XXX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum de Balma juxta Sistarium, Vapincen. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEvotionis augmentum vobis Deo propitio provenire confidimus, si super his, quę digne cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Cum itaque Civitas Vapincen. per unam Dietam a vobis, sicut asseritis, sit remota, & tum propter hoc, tum etiam propter viarum discrimina, sit vobis difficile adire ven. Fratrem nostrum Episcopum Vapincen. pro suscipiendis Ordinibus ab eodem; Nos vestris supplicationibus inclinati, ut a venerabili Fratre nostro Episcopo Sistaricen., qui vobis magis propinquus esse dignoscitur, Minores, & Sacros Ordines in domo vestra, vel alibi rite, ac statutis temporibus, usque ad nostrum beneplacitum recipere valeatis, vobis auctoritate prę sentium indulgemus. Nulli &c. nostrę Concessionis &c. Datum Neapoli IV Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concedit ut supra. Sanctio poenalis.

1. *Balma.*) *Sistaricense* siquidem Cœnobium Provinciæ *Provincia* situm est in ea Civitatis *Sistaricensis* parte, quam *Balmam* vocant, quæque *Vapincensi* subest Episcopo.

2. *Ordines.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

Priori Glasquen. (1), ut Episcopi Glasquen. votum abstinentiæ ab esu carnium in opera Misericordiæ commutare possit.

Anno 1255 Die 14 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 834.

XXXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Glasquen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte venerabilis fratris nostri Episcopi Glasquen. fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse iamdudum sponte voverit, in domo propria semper ab esu carnium abstinere, & nunc senectute, ac debilitate multa depressus, id absque corporalis salutis dispendio nequeat observare, dispensare cum ipso super hoc misericorditer curaremus. Gerentes igitur de tua prudentia fiduciam in Domino pleniorem, prę sentium tibi auctoritate committimus, ut, si est ita, cum eodem Episcopo, quod possit votum huiusmodi, tam in eleemosynas, quam in alia opera misericordię commutare, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum videris expedire. Datum Neapoli II Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Commissio.

1. *Glasquen.*) In *Scotia meridionali*.

Visitantibus Ædes sacras Ordinis FF. Prædicatorum Diebus Festis BB. Dominici & Petri Martyris, ac per Octavas eorundem, Indulgentiam (1) impertitur.

Anno 1255 Die 14 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus Tolosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm ad promerenda sempiterna gaudia Sanctorum suffragia sint nobis plurimum opportuna, loca Sanctorum omnium pia sunt fidelium devotione veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipsi nos amabiles Deo reddant, & illorum nobis quodammodo vendicantes patrocinium apud ipsum, quod merita nostra non obtinent, eorum mereamur intercessione obtinere. Cupientes igitur, ut Ecclesia vestra in festivitatibus BB. Dominici Confessoris, & Petri Martyris, quę in ipsa Ecclesia sunt pręcipuę, ac solemnes, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pęnitentibus. & confessis, qui Ecclesiam ipsam in eisdem festivitatibus, & usque ad octo dies sequentes, devote ac venerabiliter visitaverint, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Neapoli II Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio Indulgentiarum.

1. *Indulgentiam.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo, quod habes in Cœnobio nostro *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud ejusdem tenoris Exemplar asservatur in Archivo Ordinis. Datum est *VII Idus Septembres Pontificatus Alexandri IV Anno Primo*, Christi MCCLV, pro visitantibus Ædes Sacras Cœnobii *Remensis* Ord. FF. Prædicatorum. Extat Autographum in eodem Cœnobio.

Anno 1255 Die 20 Maii.

Concedit Indulgentiam (1) unius Anni, & trium Quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Mariæ ad Gradus Viterbien.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum, Ecclesię Sanctę Marię ad Gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ædes illas sacras dedicarat ipsemet Alexander.

Splendor Paternę glorię, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium, de clementissima ipsius Majestate sperantium, tunc pręcipue benigno favore prosequitur, cum ipsorum devota humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Cum itaque dignum sit, quod veneranda vestra Ecclesia, quę per Nos ad honorem Dei, & Beatę Virginis, propriis fuit manibus dedicata (3), frequenter a Christi fidelibus honoretur, & eis ibidem pro ipsorum devotionis meritis, proveniat assecutio specialis beneficii; Nos de Omnipotentis Dei Misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in Anniversario die Dedicationis ejusdem, & quindecim diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint, annuatim unum Annum, & tres quadragenas de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii XIII Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Primo (4).

Concedit ut supra.

1. *Indulgentiam.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*
3. *Dedicata.*) Ultima Dominica Aprilis Anno MCCLVIII consecratum fuisse Templum illud, ex Tabula marmorea, quæ in eo est, docet Auctor *Conatus Chronico-Historici ad Catalogum Pontif. Parte II pag. 50.* Vide supra *XI Februar. MCCLV.*
4. *Primo.*) Sic Amanuensis. Legendum: *Anno Quarto*, Primo enim, *XIII Kalendas Junias Pontificatus anno Primo* nondum *Neapoli* discesserat *Alexander IV*, ut ex Auctoribus coævis, & ex Diplomate mox exscribendo, *die XXIII Junii*, constat. Secundo, quod *Viterbium* anno duntaxat MCCLVII petierit *Alexander* ex *Regesto Pontificio* demonstrat *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLVIII num. VI.* His adde quæ *nota III* dicta sunt.

Anno 1255 Die 22 Maii.

Ne Prædicatores Ordini suo ascribant (1) Fratres Minores.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II ad An. MCCLV. num. XI pag. 108.

XXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quo vos &c. (2). Datum Neapoli XI Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Ascribant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Vos &c.*) Ut in *sequenti Diplomate.*

Anno 1255 Die 23 Junii.

Magistro & Fratribus Prædicatoribus, ne FF. Minores in Ordinem suum adsciscant (1).

Ex Bullario Castellani (2) pag. 44.

XXXV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Quo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius, ut in cunctis providi sitis, & vigiles, affectamus, turbationis non modicę spiritum assumentes, si de vobis quodcunque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane admirantes accepimus, quod vos non absque offensa rectitudinis, quę in vestris debet actibus haberi continue specialis, Fratres Minores, & eorum Ordini obligatos frequenter ad vestrum recipitis, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes. Verum cum ex hoc scissurę possit & scandali exoriri materia, quę solatium pacis ęternę quęrentibus debet omnimode existere peregrina, universitati vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię pręcipiendo, mandamus, quatenus tam Fratres eosdem, quam eorum Ordini voto, & juramento etiam obligatos, nullatenus de cetero, pretextu indulgentię alicujus, seu aliquarum literarum obtentarum a Sede Apostolica, vel etiam obtinendarum in posterum, quę de pręsentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prius petita Ministri sui fuerit & obtenta licentia, recipere (3) pręsumatis; alioquin, decernentes irritum, & inane quicquid per vos in hac parte contra pręceptum nostrum contigerit attentari, pręsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi pręsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter repręsentent, ab ea sicut visum fuerit absolvendi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Neapoli IX Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Inhibitio.

1. *Adsciscant.*) *Turbas aliquas, vel pacis rupturas inter utrumque Ordinem tunc exortas, ex his literis colligendum*, inquit *Vvaddingus* Annal. Minor. Tomo II ad An. MCCLV num. XII pag. 108, *quibus ut moderentur, utriusque instituti Præfecti Generales serius de restauranda pace, & stabilienda fraternitate egerunt ad invicem Mediolani, inde scribentes communi nomine....Epistolam encyclicam ad sui nominis sectatores.* Extat hanc antea Epistola *Tolosa* & *Carcassone*. Hanc ex-

exscripserunt *Vvaddingus* laudatus, *Percinus* noster in *Monument. Convent. Tolosani ad Annum MCCLV pag.* 55, & alii quamplures.

2. *Castellani.*) Adeas etiam *Rodericum in nova collectione Privilegior. pag.* 26, *Vvaddingum supra laudatum &c.*

3. *Recipere.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

Cisterciensibus, ut SS. Dominici & Petri Martyris Festa celebrent (1).

Anno 1255. Die 21 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Cistercii, ac Generali Capitulo Cisterciensis Ordinis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIcet Apostolica Sedes per justum & meritorium judicium B. Dominicum Confessorem, Institutorem Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Beatum Petrum Martyrem ejusdem Ordinis, Cathalogo Sanctorum ascribens, per universos mandaverit eorum festa solempniter celebrari, vos tamen occasionem sumentes, ex eo quod id vobis specialiter non extitit demandatum, Sanctorum ipsorum festa solempnitate debita, ut dicitur, minime celebratis. Hinc est, quod universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus attendentes, quod Sanctorum meritis inclita gaudia illi procul dubio assecuntur, qui eum venerantur in ipsis, quorum gloria ipse est & retributio meritorum, per universum Ordinem vestrum prędictorum Sanctorum festivitates solempniter celebrari faciatis juxta quod per Sedem eandem pie noscitur ordinatum. Datum Anagnię XII Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Celebrent.*) Non displiceat hic audire quæ scripsit eruditus *Manriquez Annal. Cistercien. ad Annum MCCXXXIV Cap. III num. VIII*, ubi hæc habet. *Qua die Tolosæ in primo omnium Cænobio, quod Dominicus struxit, & in quo Ordo confirmatus legitur . . . primum illius Festum peragendum instabat, atque totius tum populi, tum Cleri, sed præcipue filiorum Sancti lætitia præparabatur, peragi nec debere, nec posse sine Cistercio, ipse etiam ostendit de Cælo missus, & cuidam Monacho Sancto Grandis-Sylvæ, Haimerico de Solemniaco, in magna, ut par erat, gloria apparens, ut pergeret Tolosam enixe rogavit, atque ibi interesset suorum cætui, qui celebris, solemnisque instabat, quamvis Grandis-Sylvanis ignoraretur.* Hæc ille ex *Stephano Salanacho* auctore coætaneo.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Illud exscripsere *Percinus ex Ms. Pruliï in Monumen. Convent. Tolosani seculo I ad An. MCCLIV pag.* 54, & *Martene in Thesauro Anecdotor. Tomo I ad Annum MCCLV pag.* 1063.

F. Raynerio, & aliis Inquisitoribus, ut in Lombardia & Marchia Januensi ex Legibus, ac Constitutionibus Innocentii IV in hæreticos quæstionem instituant.

Anno 1255 Die 26 Julii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Raynerio Placentin., & aliis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus Hęreticę pravitatis in Lombardia & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm auctoritate felicis recordationis Innocentii PP. Prędecessoris nostri in Lombardia, & Marchia Januen., Inquisitionis officium contra hęreticos fueritis hactenus executi, Nos desiderantes tam nocivam pestem pravitatis hereticę, quę pullulare in illis partibus consuevit, cum omni sollicitudine extirpare, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus secundum a Deo vobis datam prudentiam, vos ac vestrum singuli, auctoritate nostra in ejusdem Inquisitionis officio in ipsis Lombardia & Marchia procedatis, juxta ipsius Prędecessoris directarum vobis continentiam literarum; Constitutionibus & legibus contra Hęreticos editis, quę idem Prędecessor in Capitularibus Civitatum & locorum Ytalię annotanda & servanda mandavit, ac literis Ecclesiarum Pręlatis, & aliis Personis Lombardię & Marchię supradictę super negotio ipso directis in suo robore duraturis. Datum Anagnię VII Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Idem habes supra *XXVI April. MCCIV*, ubi quæ hic desiderantur invenies.

Archiepiscopis, & Episcopis, ut Nicolaum Vercellensem (1), Fidei & Ordinis desertorem, in potestatem Inquisitorum dent.

Anno 1255 Die 27 Julii

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in quorum Diecesibus Frater Nicolaus Vercellen., olim de Ordine Prędicatorum, inventus fuerit, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DIlectus filius Frater H.... (3) Magister Ordinis Fratrum Prędicatorum nobis significare curavit, quod cum Frater Nicolaus Vercellen., tunc ejusdem Ordinis apud Alexandriam (4), in multis esset circa fidem Catholicam erroribus deprehensus, tandem errores ipsos fuit coram Suppriore, ac Conventu loci ejusdem sponte confessus; Propter quod ab eodem Ordine per dictum Suppriorem ejectus, ad Monasterium de Locedio Cistercien. Ordinis, Vercellen. Diecesis, convolavit; Sed idem Frater N.... (5) Inquisitorum hereticę pravitatis, qui de speciali mandato felicis recordationis Innocentii (6) Papę prędecessoris no-

F. Humberti Magistri Generalis Ordinis supplex petitio.

nostri Abbatem & Conventum ejusdem Monasterii ad exhibendum ipsum sibi cogere poterant, judicium metuens, ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis ultra montes se, dicunt, transtulisse; Ne igitur ex pestifera ipsius Fratris conversatione religiosis viris, vel aliis, hereticę infectionis periculum generetur, dilectos filios universos Abbates, & Conventus Ordinum Cistercien., Premonstraten., & aliorum, ad quos literę nostrę pervenerint rogandos, attentius duximus & hortandos. nostris sibi in virtutę obedientię literis firmiter injungentes, ut eundem Fratrem N.... (7) si apud aliquos eorum fuerit, dilecto filio Fratri Raynerio (8), vel quibuslibet aliis ejusdem Ordinis Predicatorum Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia, vel eorum singulis, examinandum & judicandum assignare procurent. Quocirca Fraternitati vestrę per Apostolica Scripta mandamus, quatenus, si dicti Abbates, & Conventus preces nostras, & quod eis injungimus, neglexerint adimplere, singuli vestrum eos. seu quoscunque alios receptatores ipsius, ad id, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellatis. Non obstantibus aliquibus indulgentiis, aut privilegiis Sedis Apostolicę. vel aliis generaliter, seu specialiter concessis, quod excommunicari, suspendi, vel interdici, non possint absque speciali mandato Sedis ejusdem, faciente plenam, & expressam de indulto hujusmodi mentionem, aut si deberet de Cistercien., vel alio quovis Ordine mentio fieri specialis, vel quibuslibet aliis. per quę hujusmodi negotium valeat impediri, & constitutione de duabus dietis edita in Concilio (9) generali. Datum Anagnię VI Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Vercellensem.*) Sic à patria, quæ est in *Pedemontio*, nuncupatum.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *H....*) *Humbertus de Romanis*, V Magister Ordinis electus feria II *Pentecostes* die I Junii in Capitulo Generali *Budæ* in *Hungaria* celebrato anno MCCLIV.
4. *Alexandriam.*) In *Liguria*.
5. *N....*) *Nicolaus Vercellensis*.
6. *Innocentii.*) *IV.*
7. *N....*) *Nicolaum*.
8. *Raynerio.*) Vide *XIII April. MCCLV.*
9. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXXVII*, ut sæpius dictum est.

Anno 1255 Die 28 Julii.

Magistro Generali, ac FF. Ordinis Prædicatorum, ut Apostatas in carcerem detrudere (1) queant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIX. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Devotionis vestrę precibus benignum impertientes assensum &c. (3). Datum Anagnię V Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Detrudere.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum desideratur.
3. *Assensum &c.*) Ut in *Diplomate Dato XXVIII Martii MCCXLVI.*

Anno 1255 Die 28 Julii.

F. Raynerio (1), ceterisque Fidei censoribus, ut ex Literis Innocentii IV de Bello, pro Religione suscipiendo, Conciones habeant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XL. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Raynerio Placentin., & aliis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum felicis recordationis Innocentius (3) Papa Prędecessor noster contra hereticos prędicationem Crucis vobis duxerit per suas litteras (4) committendam, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus in negotio procedatis eodem, juxta litterarum continentiam earundem. Datum Anagnię V Kalend. Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Raynerio.*) De quo *XIII April. MCCLV.*
2. *Archivo.*) Ubi Autographum. Aliud ibidem asservatur *Datum V Idus Augusti Pontificat. Alexandri IV Anno IV.* Istud transcripsit *Pegna ad calcem Directorii Inquisitorum pag.* 25. Utriusque plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Innocentius.*) *IV.*
4. *Litteras.*) Superius exscriptas *XXXI Maii MCCLIV.*

Anno 1255 Die 21 Augusti.

Inquisitores Burgundiæ & Lotharingiæ absolvit (1) ab officio.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLI. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus de Bisuntio, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Absolvit ut supra.

Cum, sicut asseritis, in commisso vobis contra hereticos in Burgundia, & Lotharingia, Inquisitionis officio diuturne & usque ad lassitudinem nimiam laborantes, propter expensarum defectum, & alia impedimenta illud utiliter exequi nequeatis, absolvi ab officii hujusmodi onere humiliter postulastis. Nos igitur, ne deinceps labor vester reddatur inutilis, vestris supplicationibus inclinati, vos a dicta Inquisitione duxi-

duximus absolvendos. Datum Anagniç XII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Absolvit.*) Ibidem restitutum sacrum Inquisitionis Tribunal ex sequentibus Bullis, & ex *Dissertatione I Tomo ultimo* videre est.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Inquisitoribus (1) Provinciæ, ut partem pœnæ, quam ab annis triginta pendebat Aymericus, in alia pietatis opera commutent.

Anno 1255 Die 2 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus hereticç pravitatis, in partibus Provinciç a Sede Apostolica deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte Aymerici de Bressols Laici de Castro Sarraceno Tholosan. Diocesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse pçnitentiam impositam ei ab Inquisitoribus pravitatis hçreticç pro his, quç in hujusmodi pravitate, elapsis jam triginta annis, commiserat, pro magna parte duxerit percomplendam, quia residuum non potest perficere, confectus senio & paupertate gravatus, dispensare cum eo super hoc misericorditer curaremus. Quocirca discretioni vestrç per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi residuum commutetis eidem in alia opera pietatis, prout animç suç saluti videritis expedire. Datum Anagniç IV Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo. Mandat ut supra.

1. *Inquisitoribus.*) Fratribus scilicet *Johanni a S. Petro*, & *Reginaldo*, uti liquet ex *IV Regesto Inquisitionis Tolosanæ*.

2. *Archivo.*) In quo Authographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Mulieribus, Repentitæ vulgo nuncupatis, Ædes sacras Sanctæ Mariæ supra Minervam concedit (1).

Anno 1255 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

QUoniam te (3) studiose cognovimus animarum lucra sectari, & misericordiç manum in fauces Inferni confidenter iniicere, ut inde ad vitam eripias, qui ad interitum rapiuntur, dignum duximus votum tuum, ut expedit, in hujusmodi pietatis operibus, facultatis nostrç viribus adjuvare. Exordium. Sane nonnullç mulieres in Urbe degentes, quç Repentitç dicuntur, salutari pudore confusç, super his, quç in carnis suç corruptione gesserunt, in semitam mandatorum Dei decreverunt convertere de viis inquinationis prçteritç pedes suos, & pro modulo fragilitatis humanç, membra sua, quç hactenus iniquitati ad iniquitatem servire fecerunt, de cetero justitiç in sanctificationem munditiç dedicare. Harum autem conversioni congratulans, & de pçnitentia peccantium communicans gaudiis Civium Supernorum, pia de salute ipsarum solicitus cogitasti, quod in aliquo loco ad hoc idoneo disponantur, ubi sequestratç a mundi contagiis Deo vivant, & de cordibus suis crebris fletibus diluant maculas carnalium vitiorum, ut videre Deum, purgatis mentium oculis, mereantur sub religiose vivendi censura, factus hortus conclusus, & fons Domini consignatus. Tuam igitur super hoc piam prudentiam commendantes, eamque volentes Apostolicis favoribus promovere, indulgemus, quod eisdem mulieribus, & aliis, quç ipsis in hac salutis captandç professione successerint, Ecclesiam Sanctç Mariç in Minerva, seu aliam, quam magis eis aptam in Urbe fore cognoveris cum domibus, hortis, possessionibus, juribus, & pertinentiis suis perpetuo auctoritate nostra concedas, inducensque eas in corporalem possessionem eorum, & defendens inductas, ac informans Regularibus alicujus approbati Ordinis institutis, sub quorum observantia ibidem perpetuo Domino famulentur, Clericis Ecclesiç prçdictç, vel alterius, quam eis concesseris, in aliis Urbis Ecclesiis collocatis, vel reservata ipsis sustentatione congrua de proventibus possessionum Ecclesiç sic concessç, donec cuilibet Concedit ut supra. ipsorum provisum fuerit de beneficio Ecclesiastico competenti; Non obstante aliquo Sedis Apostolicç indulto quibuscunque concesso, seu statuto quocunque juramento, confirmatione Sedis Apostolicç, vel firmitate alia roboratis. Clausula derogans. Invocato &c. Datum Anagniç VIII Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Concedit.*) Ob loci angustiam mulieres illas ad *S. Pancratium* translatas, docet *Fontana Monument. Dominic. Parte I Cap. V ad annum MCCLV pag. 70, & 71.* Hoc autem anno Fratres Prædicatores in Cœnobii *Minervitani* possessionem venisse disces ex eodem *Fontana De Romana Provincia Cap. II Tit. I pag. 51*, & ex *Josepho de Medrano Histor. Provinciæ Hispan. Ord. Prædicat. Tomo II Parte I lib. V Cap. XLVII pag. 417* &c. Quid de hoc sentiendum sit, dicam inferius.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

3. *Te.*) *Johannem* alloquitur *Tituli S. Laurentii in Lucina* Presbyterum Cardinalem, Ordinis *Cisterciensis* alumnum. Consule *Ciaconium Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCXLIII pag. 118, & ad an. MCCLIV pag. 142.*

Anno 1255 Die 5 Octobris.

Fratribus nostris Pisanis (1), ut Interdicti (2) tempore Divina celebrare possint.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XLIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus Pisarum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Concessio. Clausula Derogans.

QUanto studiosius Divinę contemplationi vacatis, divinis obsequiis Domino famulando, tanto petitiones vestras his consonas favorabilius exaudimus. Hinc est, quod vobis auctoritate pręsentium indulgemus, ut cum generale terrę fuerit interdictum, liceat vobis, clausis ianuis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, secundum Indulgentias Ordini vestro ab Apostolica Sede concessas, divina officia celebrare. Non obstante quod felicis recordationis Innocentius (4) Papa prędecessor Noster Civitatem Pisanam, tam arcto supposuit interdicto, ut nulli quamtumcunque privilegiato liceat in illa eadem celebrare Divina. Nulli ergo &c. Datum Anagnię III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Pisanis.*) In Hetruria. Cur Sacrificiis interdicti essent *Pisani*, disces a *Paulo Tronci Annal. Pisan. ad An. MCCL.*
2. *Interdicti.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Pisis* asservato.
4. *Innocentius.*) *IV.*

Anno 1255 Die 11 Octobris.

Abbatissæ, & Conventui Monasterii Sancti Petri Puellarum Barchinonen. (1), ut Fratribus nostris possessiones quasdam concedere possint.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 535.

XLV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus ... Abbatissę, & Conventui Monasterii Sancti Petri Puellarum Barchinonen., ad Romanam Ecclesiam omnimode pertinentis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

LOcus, in quo dilecti filii ... Prior, & Fratres Ord. Prędicatorum Barchinonen. habitant, prout asserunt, adeo arctus existit, quod ipsi non possunt ibi commode commorari. Nos itaque ipsorum supplicationibus inclinati, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut eisdem Priori, & Fratribus de possessionibus censualibus, quas Monasterium vestrum iuxta domum eorum habet, quantum ipsis necesse fuerit, concedere valeatis, dummodo iidem Prior, & Fratres de aliis possessionibus, ex quibus ęquivalentem annuum Censum possitis percipere, vobis, & eidem Monasterio providere procurent. Non obstante juramento, quod tu, filia Abbatissa, de non alienandis possessionibus prędicti Monasterii absque licentia Romani Pontificis pręstitisti. Datum Anagnię V Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.* asservato.

Anno 1255 Die 16 Octobris.

Indulgentiam (1) elargitur visitantibus Ædes sacras Monasterii Sancti Nicolai ad Caves Argentinen. (2) Die festo Sancti Nicolai.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 837.

XLVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Nicolai ad Caves Argentinen. Ordinis Prędicatorum. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Concessio.

IN Sanctorum festivitatibus, quę a Christi fidelibus votiva celebritate coluntur dignis laudibus, gloriatur omnipotens, Sanctis ipsis debitus honor impenditur, & animarum profectus devotione congrua procuratur. Unde nos, qui Fidelium ipsorum curam gerimus generalem, eum prę omnibus, quę nostrę incumbunt solicitudini, ad illorum salutem intendere teneamur, multo desiderio cupimus, ut illorum memoriam, quos exutos jam corpore, stola generali induit Rex cęlestis, venerabiliter recolentes, ipsorum Festa, & celebri agant observantia, & solemnitate annua prosequantur, ac ut tanto accuratius ad eorum cultum se pręparent, quanto plus ipsum animabus senserint profecturum, eum nonnunquam insigniis quibusdam spiritualibus, Indulgentiis videlicet, & remissionibus magnificare studemus. Hinc est, quod eum Ecclesia Monasterii vestri, in honorem B. Nicolai constructa esse dicatur, nos ipsum digna coli reverentia cupientes, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad eandem Ecclesiam in illius Festo pura intentione accesserint annuatim, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, XL dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnię XVII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Indulgentiam.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Argentin.*) In *Alsatia*.

Indul-

Indulgentia concessa visitantibus Ecclesiam Monasterii S. Nicolai ad caves Argentinen. (1) die Dedicationis ejusdem. Anno 1255 Die 16 Octobris.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 838.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Nicolai ad Caves Argentinen., Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLVII.

SI juxta divinę Scripturę testimonium Judęi, qui umbrę deserviebant Legis, Dominum in locis Deo dicatis orabant, sibi sacrificia offerentes, multo magis his, quibus veritas per Jesum Christum illuxit, in Consecratis ei Ecclesiis convenire ięctantes, attente orare, ac offerre devote laudes, & munera sibi debent, necnon eo crebrius ipsum inibi deprecari, quo suo specialius cultui deputatę noscuntur, & benignius in eis votis annuere creditur supplicantium. *Exordium.* Unde nos, qui de Summi Apostolatus specula cunctorum saluti prospicimus, multo desideramus affectu, quod plebs Catholica in hujus maris periculoso pelago constituta, frequenter Ecclesiarum ipsarum adeat limina, Salvatoris misericordiam, & suffragia Sanctorum in illis, ut evadat animarum naufragium, humiliter petitura; & ut avidius hujusmodi devotionis exercitium amplectatur, nonnunquam ex ipsis Ecclesiis spiritualium aromatum donariis, Indulgentiis, videlicet, & remissionibus honoramus, ut exinde odore salutifero prodeunte, plebs eadem ad suavitatem illius affectuose concurrat. *Concessio.* Hinc est, quod nos Ecclesiam Monasterii vestri, ad honorem Beati Nicolai, ut asseritis, dedicatam, digna veneratione visitari fidelium cupientes, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad eam in Die suę Dedicationis accesserint, annuatim, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, XL dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnię XVII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Argentinen.*) Ut in praecedenti Diplomate.

Parisiensi Cancellario, ne legendi Parisiis in aliqua facultate licentiam faciat iis, qui Bullæ incipienti: *Quasi lignum* (1): obtemperare noluerint (2). Anno 1255 Die 7 Decembris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Cancellario Parisien. (4), Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLVIII.

LIcet nos olim pro Studii Parisiensis conservatione quędam circa Studium ipsum de Fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda, prout in literis nostris exinde confectis quę: Quasi lignum vitę: incipiunt: plenius continetur; nonnulli (5) tamen Magistri & scolares Parisien. Ordinationem ipsam, ut audivimus, observare non curant (6), immo in ipsius Studii perturbatione (7) contra ipsam multipliciter moliuntur. Volentes igitur, ut prefata nostra Ordinatio ab omnibus reverenter, & simpliciter observetur, discretioni tuę per Apostolica scripta, firmiter precipiendo, mandamus, quatenus regendi Parisius in aliqua facultate nemini licentiam tribuas, qui dictam Ordinationem noluerit observare. *Mandat ut supra.* Datum Laterani VII Idus (8) Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Quasi lignum.*) Vide *Diploma datum XIV April. MCCLV.*
2. *Noluerint.*) Nonnulli siquidem Magistri, & Scholares *Parisienses* imperium Bullæ Pontificiæ detrectarant, immo, ut eluderent oraculum, seque subducerent excommunicationis sententiæ, dimisso Scholarum exercitio, nuncium remiserant privilegiis & juribus Universitatis. Hinc consortium Academicum dissolvendum curaverant, sed frustra. Ne igitur Doctores illi intermissa studia repetere possint anteaquam Diplomati morem gesserint, cavet *Alexander*.
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Illud exscripsit *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tome III pag. 293.*
4. *Parisien.*) Apud *Boulæum* sic legere est: *S. Genovefæ Parisien.*
5. *Nonnulli.*) Non enim omnes, sed aliqui dantaxat, ab Apostolico Decreto deficientes, conspiraverant in Fratres Mendicantes. Id ex hoc Diplomate liquet, & ex alio *Dato XXIV Junii MCCLIX* luce meridiana clarius est. Miror, ad hæc non attendisse *Boulæum*, & passim contendisse nervos, ut probaret Doctores omnes, & Scholares *Parisienses* olim Diplomata Pontificia neglexisse.
6. *Curant.*) Ex Boulæo: *curarunt.*
7. *Perturbatione.*) Idem: *Perturbationem contra ipsum.*
8. *Idus.*) *Boulæus* legit: *Kalendas.*

Aurelianensi & Antissiodorensi (1) Episcopis, ut excommunicent, etiam nominatim, temerarios violatores (2) Bullæ, quæ incipit: *Quasi lignum vitæ*. Anno 1255 Die 7 Decembr.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Aurelianensi, & Antissiodorensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLIX.

CUm nos olim pro Studii Parisiensis conservatione quędam circa Studium ipsum de fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda, prout in literis nostris exinde confectis, quæ: Quasi lignum Vitę: incipiunt, continetur plenius, vobis executoribus deputatis, vos, ut audivimus, in Magistros, & scho- *Enarratio facti.*

& scholares Parisienses, qui ordinationem ipsam observare non curant, monitione premissa, excommunicationis sententiam generaliter, exigente justitia, promulgastis. Verum quia, ut dicitur, quidam ex eisdem Magistris, & scholaribus ordinationis nostre temerarii transgressores, sententiam ipsam in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum contemnunt, fraternitati vestre per Apostolica scripta firmiter precipiendo, mandamus, quatenus illos, qui prefatam Ordinationem nostram, quam ab omnibus Magistris, & scholaribus Parisius commorantibus firmam, & illibatam servari volumus, quacunque arte, vel ingenio servare non curant, monitione premissa, nominatim, ac specialiter excommunicare, ac excommunicatos denuntiare, per vos, ac alios ubicunque expedire videritis, usque ad satisfactionem condignam, appellatione aliqua, seu (4) eorum, qui postquam eis de prefata ordinatione nostra innotuit, a dicta Universitate recessisse dicuntur, nequaquam obstantibus, nullatenus postponatis. Quod si non ambo exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Laterani VII Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Antissiodorensi.*) Consule *Diploma Datum XIV Aprilis MCCLV.*

2. *Violatores.*) *Guillelmum* scilicet *de Sancto-amore*, *Odonem de Duaco*, *Nicolaum Decanum de Barro*, & *Christianum Bellovacensem*. Hi sunt, quos excommunicatione devinxerunt *Aurelianensis*, & *Antissiodorensis* Episcopi.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar.

4. *Seu.*) Adderem: *Statuto*.

Anno 1255 Die 8 Decembris.

Archiepiscopo Bituricensi, Priori Prædicatorum Parisiensium, & Andegavensi Archidiacono, ut formam pacis Comitem inter Blesensem & Conventum Monasterii Tironensis (1) initæ, diligenter expensam confirment.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 816.

L.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Situricen., (2) & dilecto filio Priori Fratrum Predicatorum Parisien., & Archiepiscopo (3) Transligen. in Ecclesia Andegaven., (4) Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid actum se refert, & formam pacis describit.

EX parte dilecti filii Abbatis, & Conventus majoris Monasterii Tironen. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, fuit propositum coram nobis, quod carissimo in Christo filio nostro Illustri Rege (5) Francie ad reformandam pacem, & concordiam inter eosdem Abbatem, & Conventum ex parte una, & nobilem virum Comitem Blesen ex altera, super eo quod idem Comes Advocatie (6) Patronatus, & alia jura se in ipso Monasterio habere dicebat, & quibusdam aliis articulis interponente feliciter partes suas, demum, eodem mediante, ac tractante Rege, in talem pacem, & concordiam consenserunt, ut certis redditibus dicto Comiti a prefato Rege de Regalibus proventibus assignatis predictum Monasterium cum omnibus pertinentiis suis exhibita propter hoc ab eisdem Abbate, & Conventu eidem Regi certa pecunie quantitate, sit ab omni jure, quod dictus Comes se in illo habere dicebat, liberum, & penitus absolutum; Ita quod nihil possint ipse Comes, vel heredes, seu quilibet successores ejusdem in ipso Monasterio ulterius vendicare, & quod idem Monasterium cum omnibus membris, & pertinentiis suis in terris, & districtu ipsius Comitis existentibus, de cetero sub regia protectione, ac defensione consistat. Ita quod predictus Rex, & Successores ejus in Regno Francie hujusmodi protectionem, seu defensionem in alium non transferent, sed illam penes se totaliter retinebunt, & in signum quod ejusdem Monasterii custodes, & defensores existant, annis singulis, quibus idem Rex, vel Successores predicti ad predictum Monasterium declinabunt, XL libras Turnnenses semel tantum in anno, etiam si plures ipsos eodem anno ad idem Monasterium declinare contigerit, percipient in Monasterio supradicto, nec aliquod aliud ipsi, vel Ballivi eorum, aut aliqui alii pro eis exigent, vel percipient in ipso Monasterio, seu membris ejusdem: Unde nobis idem Abbas, & Conventus humiliter supplicarunt, ut, cum ex tali pace, ipsis, & eorum Monasterio utilitas magna proveniat, eis firmandi pacem hujusmodi, & complendi ea omnia, que ad ipsius pacis pertinent firmamentum, licentiam concedere de benignitate solita curaremus. Ideoque discretioni vestre de Fratrum nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus forma predicte pacis, & omnibus ejus articulis, circumstantiis, & conditionibus diligenter inspectis, & provida meditatione pensatis, si vobis constiterit, predictam pacem in utilitatem prefati Monasterii redundare, prefatis Abbati, & Conventui auctoritate nostra hujusmodi licentiam concedatis, proviso, quod in prejudicium Romane Ecclesie, cujus juris, & proprietatis ipsum Monasterium esse dignoscitur, nihil penitus attentetur. Quod si non omnes &c. Datum Laterani VI Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Tironensis.*) Hujusce Diplomatis meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLV num. VIII*, cujus hæc verba. *Archiepiscopo Bituricensi, & Priori Parisiensi Ordinis Prædicatorum, & Archidiacono Andegavensi, ut capitula concordiæ & pacis, quæ tunc a Rege Galliarum Ludovico, inter Abbatem & Monasterium Turonense ex una parte, & Comitem Blesensem ex alia parte stabiliebatur, cognoscerent, & si Monasterio utilia perspexissent, ut abbati, atque Monasterio licentiam stabiliendi concederent, injunxit* Alexander. Hæc ille qui de *Turonensi* Monasterio ibi sermonem esse putat: crediderim tamen, Diploma loqui de *Tironiensi* Cœnobio Ord. *S. Benedicti*, sito in *Carnotensi* Diœcesi. *Gervasius* Abbas tunc præerat illi Cœnobio.

2. *Situricen.*) Sic Amanuensis. Lege *Bituricen.*, in *Gallia Aquitanica*. Præerat tunc *Bituricensi* Metropoli *B. Philippus Berruier*, *S. Guillelmi* nepos, vir magnæ sanctitatis, qui Prædicatores Fratres *Bituricum* allectos unice diligebat. Addam ex *Gallia Christiana Sammarthanorum*, & *ex alia Claudii Roberti in Archiepiscopis Bituricensibus*, Beatum Philippum Corpus *B. Ursini* in capsa argentea reposuisse *Anno MCCXL Die XIV Junii*. Hinc vocant Festum *S. Ursini Rosarum*. Fuit *B. Ursinus* primus *Bituricensis* Antistes. Floruit primo Ecclesiæ Seculo, primumque locum tenet, inter unum & viginti illustrissimæ *Ursinorum* familiæ heroes, quos Cælitum fastis ascriptos referunt Annales Ecclesiastici.

3. *Archiepiscopo.*) Sic Amanuensis hallucinatus ex breviata voce *Arch.* Ceterum, si attendat lector, fatebitur legendum: *Archidiacono*.

4. *Andegaven.*) Vulgo *Angers* in *Gallia Celtica*.

5. *Rege.*) Is erat *S. Ludovicus IX.*

6. *Advocatiæ.*) Genus est feudi.

Au-

Aurelianensi, & Antissiodorensi (1) Episcopis, ut ab Officiis, & Beneficiis submoveant ad tempus Guillelmum de Sancto-amore, ceterosque Magistros, ac Scholares Parisienses, qui Bullæ, quæ incipit - *Quasi lignum* - infra quindecim dies non paruerint.

Anno 1255 Die 10 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Aurelianensi, & Antissiodorensi Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab enarratione Facti.

AD audientiam nostram pervenit, quod Magister Vuillelmus (3) de Sancto-amore, & quamplures alii Magistri, & Scolares Parisienses postquam eis innotuit de ordinatione nostra, quę incipit: Quasi lignum vitę: super studii Parisiensis conservatione edita, & de mandato, quo dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum Parisius in Theologica facultate Regentes, in Magistrorum consortium & Universitatis Collegium, recipi, mandabamus, ab ejusdem Universitatis collegio recedentes, quandam novam societatem Parisius inierunt, ut mandatum, & ordinatio nostra, quę ipsi debuerant suscipere reverenter, saltem quoad dictos Magistros Fratrum recipiendos in consortium Magistrorum, finem, quem intendimus, per hujusmodi astutiam non haberent; sed si corda eorum non excitasset malitia, intellexissent utique, quod cum prędicta mandatum & ordinationem sibi jam cognita, potuerint, nec curaverint adimplere, si tale quid postmodum effecerunt, propter quod eorundem mandati & ordinationis non posset executio provenire, gravem notam de inobedientię vitio incurrebant; Cum etiam Universitatis nomine, in pręfata ordinatione nostra sępius repetito, intelligamus, & velimus intelligi, omnes Magistros & Scolares commorantes Parisius cujuscunque Societatis, seu Congregationis existant: constat tam supradictos recedentes ab Universitatis Collegio, quam in ipso etiam remanentes, ad omnia, quę ordinatio nostra continet, pariter obligari. Ut autem pręfati Magistri & scolares, quorum intellectum nimia in hac parte superbia obfuscasse videtur, pęna justa docente, cognoscant, quam reverenter, & humiliter, ac simpliciter, Apostolicę Sedis mandatum & ordinationem, debuerint suscipere, ac servare, fraternitati vestrę per Apostolica scripta, firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus inquirentes super his, de plano & sine strepitu judicii veritatem, si inveneritis, quod pręfatus Magister G... (4), vel aliqui Magistri Parisien. (5) in Theologica Facultate dictos Magistros Fratrum ad magistrorum consortium infra quindecim dies post receptionem supradicti mandati nostri, vel quod ipsi & alii Magistri & scolares Parisienses eosdem Fratres, & ipsorum scolares, ad Universitatis collegium, juxta prędictorum mandati & ordinationis tenores minime recepissent, dictos Magistros Theologię ab officiis & beneficiis denuntietis, & faciatis denuntiari suspensos, ipsosque, ac aliquos etiam de aliis Magistris & scolaribus Parisien., quos in pręfata inobedientia principales inveneritis extitisse, ab omnibus Ecclesiasticis Beneficiis, auctoritate nostra, usque ad satisfactionem condignam, suspendere procuretis, suspensiones ipsas ubicunque videritis expedire, per vos & alios publicantes. Non obstantibus, quod ipsi postquam eis de pręfatis mandato & ordinatione nostris innotuit ab universitatis collegio recesserunt, vel quod a vobis pręfatę ordinationis executoribus appellasse dicuntur, quia excommunicationis sententiam tuleratis in omnes Magistros, & scolares Parisienses, qui ordinationem hujusmodi non servabant, seu Constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali: Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Laterani IV Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Clausula derogatoria.

1. *Antissiodorensi.*) Legesis *Diplomata data XIV April.*, & *VII Decembr. MCCLV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Illud exscripsit *Usus maris pag.* 34.

3. *Vuillelmus.*) *Guillelmus scilicet de Sancto-amore.*

4. *G...*) Idem *Guillelmus*.

5. *Parisien.*) Quæ sequuntur, ad hæc usque verba: *Eosdem Fratres*, desiderantur in Bullario *Usus maris*.

Provincialem FF. Prædicatorum in Francia, & Guardianum FF. Minorum Parisiensium Fidei censores rogatu Sancti Ludovici constituit (1) in Galliarum Regno.

Anno 1255 Die 13 Decembris.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. A. fol.* 839.

LII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali FF. Prędicatorum in Francia, & Guardiano FF. Minorum Parisiensium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab Apostolicæ Sedis diligentia in tuenda Fide.

PRę cunctis mentia nostrę desiderabilibus Catholicę incrementum Fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos, vel sentimus ad illius depressionem, quacunque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut detractionibus, & abrogabilibus derogando, seu commentis eandem mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua sternenda molimina eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos cognoscimus conspirare. Unde quia in aliquibus partibus regni Francię adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorsus aversi ruentes (3) per devium falsitatis, pestiferas ad concutiendum orthodoxę murum Fidei machinas construebant, molientes ipsum (4) fallacium argumentationum impulsibus demoliri; Sedis Apostolicę diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusius (5) serperet morbus iste, remedium adhibuit opportunum, instituens illic viros idoneos, quorum honesta conversatio exemplum tribueret puritatis, & erudita labia doctrinam funderent salutarem, ut sacro ipsorum ministerio pręfatę partes ab hu-

Cur in Gallia Fidei censores constituti sint indicat.

hujusmodi contagio purgarentur. Et licet horum ducatu homines partium earundem, in rectam semitam sint directi, & per hos (6) multis sit ibidem periculis obviatum, cupientes tamen anxie, ut negotium ibi fidei juxi profectu, elisis omnino erroribus, fortius convalescat, vigilare ad hoc per nos, & alios, prout solertius possumus, non cessamus: & modo circa idipsum eo iludemus attentius, quo carissimum in Christo filium nostrum Illustrem Regem (7) Francię ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Quare habita deliberatione providimus ibidem ad presens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputare. Quia igitur de solicitudine, prudentia, & industria vestra firmam in Domino fiduciam obtinemus, vos (8) tanquam inter alios prelectos, in predicto Regno ad instantiam prelati Regis ad hoc duximus deputandos: discretioni vestrę per Apostolica scripta, districte precipiendo, mandantes, ac in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, Inquisitionis officium contra hereticos ad extirpandam de Regno ipso, ejusque districtu hereticam pravitatem, exceptis Terris dilecti filii nobilis viri Pictavii, & Tolosę Comitis, in quibus fidei negotium certis personis (9) specialiter est commissum, sub spe mercedis eternę totis assumentes affectibus, sic efficaciter prosequi studeatis, ut per solicitudinis vestrę prudentiam de predicto Regno, ac ejus districtu radix iniquitatis heretice succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quę perversis moribus demoliuntur eandem, fructus afferat catholicę puritatis, facientes vobis quaternos, & alia scripta, in quibus Inquisitiones factę contra hereticos, & processus contra ipsos habiti, continentur, a quibuslibet detentoribus assignari. Si quos autem de pravitate predicta culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesię obedire, necnon & receptatores, defensores & fautores eorum, juxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu divino timori postposito, procedere procuretis: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: contradictores, & rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus literis ad quoscunque alios, exceptis locorum Diœcesanis, super hujusmodi negotio ab Apostolica Sede directis, quas auctoritate presentium revocamus; nec tamen pretextu commissionis specialiter eisdem Diœcesanis super hoc factę processum vestrum in eorundem Civitatibus, & Diœcesibus volumus impediri. Nec per hoc quod Fidei negotium generaliter in presato Regno vobis committimus, commissiones a presata Sede ipsis factas, si forsan illarum, seu (10) ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Si vero aliqui ex hereticis ipsis, heretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impendentes, injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit; proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter ad vomitum, & vos, immo potius seipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Ut ergo commissi vobis officii debitum liberius exequamini committendi citationes, testium examinationes cum de predicto crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, & sententiarum denuntiationes, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, plenam vobis concedimus facultatem. Non obstante, si Religiosis quibuslibet, quod causarum, vel negotiorum commissiones minime teneantur suscipere, quodque excommunicari, vel interdici, aut suspendi nequeant a Sede Apostolica sit indultum. Sed quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore, durę ac dignę severitas ultionis, volumus, & mandamus, ut vos, vel quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine predicto, ipsumque contingentibus, oportuerit, adhibeatis vobis duas Religiosas, & discretas personas, sub quarum presentia per viros idoneos fideliter eorum testium deposita conscribantur. Ceterum cum aliqui (11) fuerint judicandi heretici, vel incarcerationis pena perpetuę alicui pro hujusmodi crimine infligenda; ad id de Diœcesanorum, vel Vicariorum suorum, si ipsi, Diœcesanis absentibus, presentes fuerint, consilio procedatis, ut in tantę animadversionis judicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum ut predicta possitis utilius, & liberius exercere, vobis largiendi viginti, vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus pœnitentibus, & confessis, qui ad vestram convocationem propter hoc faciendam, accesserint, plenam tenore presentium concedimus facultatem. Vobis siquidem pro hujusmodi negotio laborantibus, & omnibus personaliter (12) vobis assistentibus in eodem, illam peccatorum veniam indulgemus, quę succurrentibus Terrę Sanctę in Generali Concilio (13) est concessa. Illos vero, qui ad impugnandum hereticos, fautores, & receptatores, ac defensores eorum vobis ex animo auxilium, consilium prestiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, tres annos de injuncta sibi penitentia relaxamus, & si qui ex iis in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendo quoque, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, predicatores questuarios (14) a predicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habeant, exponere, liberam vobis tribuimus facultatem. Quod si non ambo &c, Datum Laterani Idibus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Galliarum Regis pietas commendatur.

Constituit ut supra dictum est.

Clausula derogans.

Quomodo cum deponentibus errores agendum sit, decernit.

Ampla facultas Fidei censoribus concessa.

Quam diligenter expendendi sint testes. Quonam modo ferendæ sententiæ.

Indulgentia XL Dierum a Fidei censoribus concedenda.

Plenariam Indulgentiam SS. Pontifex nonnullis elargitur.

1. *Constituit.*) Audiendus *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLV num. XXXIII. *Creati*, inquit, *adulto anno in Galliis alii Censores Fidei, ad gratiam S. Ludovici, in quo explicuit is egregium exemplum piissimi Principis tuendæ Fidei dignitatis cupidissimi, posterisque imitandum reliquit; Cum enim reversus e Syriaca expeditione Religionis decus obsolescere in regno comperisset, fœdatam haretica labe coronam gestare abnuit, studiumque omne in amplificanda Divina gloria, & asserenda suo splendori religione contulit; ac regiis precibus ursit Alexandrum, ut cognitores causarum fidei ad abolendum hoc opprobrium crearet. Cui Pontifex hoc diplomate amplissime assensit.*

2. *Archivo.*) Adeas *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLV num. XIV pag. 112, & Odoricum Raynaldum loco mox laudato num. XXXIV.*

3. *Ruentes.*) *Vvaddingus* legit: *Euntes.*

4. *Ipsum.*) Ex Odorico: *Ipsam.*

5. *Diffusius.*) *Vvaddingus* scripsit. *Diffusus.*

6. *Hos.*) Idem: *Hec.*

7. *Regem.*) *S. Ludovicum* hujusce nominis IX Regem *Galliæ.*

8. *Vos.*) Vvaddingus. *Nos.*

9. *Personis.*) Inquisitoribus scilicet *Tolosanis.*

10. *Seu.*) Ex Vvaddingo: *Vel.*

11. *Aliqu'.*) Apud Odoricum: *Aliquando.*

12. *Personaliter.*) Ex eodem *Prelatis.*

13. *Concilio.*) *Lugdunense I Cap. XVII.*

14. *Quastuarios.*) Vide *XXII April. MCCXXXIII.*

F. Pe-

F. Petro (1) Rochelmi Ordinis FF. Prædicatorum Lugdunen., aliisque nonnullis, ut Canonici Regulares possessionem Ecclesiæ Tarentasien. (2) amissam recuperent.

Anno 1255 Die 15 Decembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 843.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati S. Petri Forisportam, Viennen. (3), S. Benedicti, Priori Vallis S. Marię, Dien. Diœcef., Cartusien., & Fratri Petro dicto Rochelmi, Lugdunen., Prędicatorum Ordinum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LIII.

Exordium ab enarratione facti.

DUdum suggesto fel: record. Innocentio (4) Papę Prędecessori nostro, quod Tarentasien. Ecclesia, quę olim inter alias illarum partium libertatis privilegio eminebat, tantum atterebatur tyrannide superborum, quod dejecta, velut servitutis oppressa molestiis videretur, & quod Ecclesia ipsa, quę refici consuevit in multis prosperis dulci gustu, in adversis plurimis libamentis reficiebatur amaris, propter teporem, & incuriam Canonicorum Regularium habitantium in eadem, idem Prędecessor de consilio Fratrum suorum dil. filio nostro R... (5) S. Angeli Diacono Cardinali ad supplicationem venerabilis fratris nostri Tarentasien. Archiepiscopi tunc electi, suis sub certa forma dedit literis in mandatis, ut Ecclesiam ipsam de Canonicis Secularibus honestis, & idoneis, ac eidem Ecclesię utilibus diligenter ordinare curaret, taxando in ea, consideratis ipsius facultatibus, certum Ministrorum numerum, & etiam Prębendarum, ac statuendo de habendis inibi certis Dignitatibus, de serviendo ibidem in Ordinibus, de facienda residentia, de Divinorum celebratione, ac omnibus aliis, quę honori, & commodo ipsius Ecclesię, cultuique divino competerent, prout eidem Cardinali expediens videretur, Regulares vero Canonicos, qui tunc erant in eadem Ecclesia, in aliis locis consimilis Ordinis, Tarentasien., & Viennen. Provinciarum cum ipsorum voluntate, per se, vel per alium, collocaret. Contradictores &c. Non obstante Privilegio quolibet, seu indulgentia Sedis Apostolicę, vel statuto quocunque, aut consuetudine, juramento, seu quacunque firmitate alia roboratis. Idem vero Cardinalis prefatam ordinavit Ecclesiam, statuendo in ea, & exequendo premissa juxta traditam sibi formam, dans eidem Archiepiscopo suis literis in mandatis, ut ea quę continebantur in hujusmodi ordinatione faceret firmiter observari, dictusque Prędecessor ordinationem hujusmodi dicitur confirmasse. Cum autem prędicta Ecclesia ex Ordinatione hujusmodi non reformata, sed sit potius, ut dicitur, deformata, cum ibidem non servetur, ut solet, hospitalitas, & pauperes consuetis eleemosynis defraudentur, ac divinus cultus sit in ea non modicum diminutus, nos eidem Ecclesię volentes paterna sollicitudine providere, mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, si vobis de plano, & sine judicii strepitu, constiterit de premissis, & sine gravi scandalo fieri poterit, prędictos Regulares Canonicos, ordinatione, & confirmatione prędictis, nequaquam obstantibus, reducentes in eum statum, in quo fuerunt tempore Ordinationis Cardinalis ejusdem, amotis ab Ecclesia ipsa secularibus Canonicis, reduci faciatis in communi bona prefatę Ecclesię, quę inter seculares Canonicos sunt divisa; alioquin super hoc quod inveneritis, nobis per vestras literas, harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Ceterum illis, qui hujusmodi negotium prosequuntur, ad ipsius prosecutionem, expensas necessarias factas, & faciendas ministrari faciatis de bonis Ecclesię prelibatę. Contrariis non obstantibus, si aliqui ab Apostolica Sede indulgentiam habeant, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, seu si Fratribus vestrorum Ordinum, filii Prior, & Frater Petre, generaliter, aut vobis specialiter a Sede sit Indultum eadem, quod de causis quę committuntur vobis, vel eis per literas Sedis ipsius, cognoscere minime teneamini, nisi de indulgentia hujusmodi, plenam, & expressam fecerint mentionem. Quod si non omnes &c. Datum Laterani XVIII Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Petro.*) Nihil audivi de isto Fratre *Petro Lugdunensi*, nisi sit ille noster *Frater P... de Rossot*, vir per id tempus celebris illis in regionibus *Galliæ Lugdunensis* qui cum *Fratre Caberto*, tunc in Cœnobio *Lugdunensi* clarissimo, *Manuale Ecclesiæ Sistaricensis* edidit, uti videre est *Tomo IV Thesauri Anecdotorum P. Martene pag.* 1079 &c.
2. *Tarentasien.*) *Allobrogum* Metropolis in *Alpibus Graiis*.
3. *Viennen.*) In *Delphinatu*, ubi etiam *Diensis* Diœcesis.
4. *Innocentio.*) *IV.*
5. *R...*) *Richardo* scilicet *de Annibaldis*, cujus mentio apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCXXVII pag.* 83. Ille ipse est *Annibaldus*, qui arctissimo necessitudinis vinculo conjunctus fuit cum Doctore Angelico *S. Thoma Aquinate*.

F. Gerardo (1) Ordinis FF. Prædicatorum, aliisque nonnullis, ut Cœnobium Cantipratense (2) Ordinis Sancti Victoris (3) reforment.

Anno 1255 Die 31 Decembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 845.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori S. Quintini Noviomen. (4) Diœcesis, Fratri Gerardo Rectori (5) Leodien. de Ordine Prędicatorum, Stephano de Miramont Canonico Ecclesię de Monte Sancti Eligii, Atrebaten. Diœcesis, Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LIV.

Exordium.

CUm super statu Monasterii Cantiprati juxta Cameracum Ordinis Sancti Victoris Parisien., ac personarum ipsius, ex relatione dilecti filii Ægidii Ostiarii Sinistra, & Jacobi de Fontanis, & Petri Deorchies Canonicorum ipsius Monasterii, quędam sint nobis insinuata, quę post quandam inquisitionem, & Ordinationem per dilectos filios Sancti Johannis in Valencenis Cameracen., & De Mareolo Atrebaten. Diœcesum Abbates, olim factas ibidem auctoritate venerabilis fratris nostri Cameracen. Episcopi emisisse dicuntur, mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum personaliter accedentes, & habentes prę oculis solum Deum

Mandatum.

Deum. inquisita super his, quę post dictas inquisitionem, & ordinationem emerserint, solicite veritate, corrigatis, & reformetis auctoritate nostra in Monasterio supradicto tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio videritis indigere. Ceterum cum dicti Canonici ejusdem Monasterii Abbatem ipsius, de quibusdam vitiis apud Sedem Apostolicam duxerint deferendum, volumus, ut si eos injuste detulisse inveneritis, illos canonice puniatis; ita quod alii eorum exemplo similiter deferre de facili, non addiscant. Si vero dictum Abbatem super pręmissis culpabilem esse vobis constiterit, ipsum pęna canonica feriatis, & ut plenius Religioni, & paci ejusdem Monasterii provideatur, corrigendi, approbandi, & mutandi, circa predictam ordinationem, prout videritis expedire, vobis liberam concedimus facultatem. Contradictores &c. non obstantibus aliquibus literis, super hujusmodi negotio a Sede Apostolica, vel eodem Episcopo impetratis, aut etiam impetrandis, seu processibus habitis per eosdem, aut si dicto Episcopo a Sede sit indultum eadem, quod per literas Sedis ipsius in Diœcesi sua inquiri non valeat, in quibus dictus Episcopus datus non fuerit inquisitor, seu indulgentia dictę Sedis, qua Ordini vestro, filii Prior, & Fr. Gerarde, dicitur esse concessum, quod de causis, seu negotiis quę vobis a Sede committuntur eadem, cognoscere minime teneamini per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de ipsa indulgentia mentionem. Quod si non omnes &c. Datum Lateran. pridie Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Clausula derogatoria.

1. *Gerardo.*) A patria & professione *Leodiensis* nuncupatus *Gerardus noster, multam sibi a pietate, & doctrina famam seculo XIII comparavit*, inquit *Echard Tomo I Scriptor.* Ord. *ad Annum MCCLXX pag.* 248. Ex hac autem inscriptione *Diplomatis dati die XXXI Decembr. MCCLV*, vides *Bartholomaum Fitzen* scopum non attigisse, cum scripsit in libro *de prima Origine Festi Corporis Christi*, vita functum *Gerardum* Anno MCCXXXIX.

2. *Cantipratense.*) In *Belgio*, ubi ceteræ Civitates, de quibus in hoc Diplomate.

3. *Victoris.*) Est Ordo Canonicorum Regularium.

4. *Noviomen.*) Vulgo *Neron* in *Picardia*.

5. *Rectori.*) Forsitan: *Lectori*: Hoc enim Titulo *Lectoris* insignitum fuisse *Gerardum* liquet ex ipsius opere sic inscripto: *De Doctrina cordis Tractatus. Auctor est Gerardus O. P. Lector Conventus Leodiensis.* Consule *Sanderum in Bibliotheca Belgica.* Idem probari potest ex *Chapeauvillo* Scriptore coævo in *Historia Leodiensi Tomo II pag.* 644 *apud Echard* supra laudatum, ubi hæc habet *Chapeauvillus*: *Exposita sunt igitur cuncta præmissa* (de Festo Corporis Christi instituendo) *F. Hugoni tunc Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui postmodum suis exigentibus meritis in R. E. Cardinalem meruit promoveri, necnon & R. P. D. Guiardo Cameracensi Episcopo, qui in diebus illis, veluti duo cœli luminaria magna, vita, & scientia in Ecclesia refulgebant. Exposita sunt insuper omnia viro eruditissimo Cancellario Parisiensi, necnon & Fratribus Ægidio, Johanni, & Gerardo, Lectoribus FF. Prædicatorum Leodien., insuper & multis aliis personis vita, & scientia ad instar siderum micantibus &c.*

Anno 1256 Die 3 Januarii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum, in Terram Sanctam migrantibus Indulgentiam (1) plenariam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. A. fol.* 846.

LV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Fratribus Ordinis Prędicatorum. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Fratrum Ordinis Prædicatorum.

TErra Sancta. quam Salvator noster ortu, incolatu, & obitu suo mysterio ineffabili consecravit, ad se inhabitandum cunctos fideles, quodam odore devotionis invitat. sed inter alios vos trahi potius hujusmodi odoris fragrantia deberetis, qui totam in ipso Salvatore, spei, & consolationis vestrę ancoram statuentes, spretis mundi hujus gaudiis vitam vestram ejus servitiis maxime in procuranda proximorum salute, totaliter dedicastis. Ut autem vos ad hoc etiam efficaciter inducamus, omnibus, qui ex vobis in Terra morantur eadem, & qui ad illam de Magistri Ordinis vestri mandato, seu licentia, proficisci curabunt, viam vitę gentibus illis, verbo, & exemplo, secundum datam sibi gratiam ostensuri, illam Indulgentiam elargimur, quam Crucesignatis, in ipsam Terram transeuntibus dare Sedis Apostolicę benignitas consuevit Datum Lateran. III Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Concedit ut supra.

1. *Indulgentiam.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo VIII.*

2. *Archivo.*) Ejusdem Diplomatis meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLVI num. V.* Citat *Epistol. XXIII lib. II Alexandri IV.* Eandem laudat *Odoricus Raynaldus ad Annum MCCLVI num. XLIV.*

Anno 1256 Die 13 Januarii.

Priori FF. Prædicatorum Minden. (1), aliisque nonnullis, ut Præpositum inter, & Clericos Ecclesiæ Sancti Johannis Osnaburgensis (2) litem componant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 848.

LVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum, & Decano Ecclesię S. Martini Minden., & Alfrimo Canonico Osnaburgen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Præpositi supplex petitio.

OBlata nobis dilecti filii Pręposito Ecclesię S. Johannis Osnaburgen. petitio continebat, quod cum principales in ipsa Ecclesia auctoritate Apostolica recepti sint in Canonicos, & in Fratres, & idem Pręposittus quibusdam eorum assignaverit, & aliis paratus sit assignare Prębendas eis debitas, cum ad id obtulerit se facultas; Henricus dictus Stempel, & nonnulli alii Clerici, asserentes bo: me: C.. Osnaburgen. Episcopo per literas Apostolicę Sedis, & Legatorum ejusdem fore concessum, ut quibusdam Clericis suis possit in Ecclesiis suę visionis (3) literas, quarum auctoritate hujus provisio eis facta sit, nequaquam exhibeant, vel de ipsis certitudinem, prout convenit, non ostendant, occasione hujusmodi Prępositum prędictum su-

super huc multipliciter inquietant. Quocirca mandamus, quatenus vocatis &c. (4). Non obstante indulgentia (5), qua tibi, fili Prior, vel Ordini tuo a Sede Apostolica &c. Testes &c. Quod si non omnes &c. Datum Lateran. Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandat ut supra.

1. *Minden.*) In *Vuestphalia*.
2. *Osnaburgen.*) Seu *Osnabrugen.* ibidem.
3. *Visionis*.) Mutilus hic locus videtur.
4. *Vocatis &c.*) Hic etiam desunt nonnulla.
5. *Indulgentia*.) De qua supra *VII Martii MCCXXV.*

Priori FF. Prædicatorum Minden. (1), aliisque nonnullis, ut præter leges lata quædam sententia rescindatur.

Anno 1256 Die 3 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 849.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum, & Decano Ecclesię S. Martini Minden., & Alfrimo Canonico Osnaburgen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LVII.

SUa Nobis (2) Gerardus Rector Ecclesię de Remello petitione monet, quod cum Henricus dictus Stempel Clericus Osnaburgen. contra ipsum, super quadam Prębenda vacante in Ecclesia S. Johanola Osnaburgen. per mortem quondam Bemonis Decani ejusdem Ecclesię, quam uterque ipsorum ad se spectare dicebat, ad Magistrum Bertramum Geslacum de Ore, & Ernestum de Gismele Canonicos Ecclesię Osnaburgen. fel: record: Innocentii (3) PP. Prędecessoris nostri sub certa forma literas impetrasset, dictusque Ernestus, & Hugo de Gulteren. Canonici Osnaburgen., cui prędatus Geslacus commiserat super hoc totaliter vices suas, nominato Magistro in Partibus remotis agente, nominatum Rectorem ad suam propter hoc prędentiam citavissent, ex parte ipsius Rectoris fuit, excipiendo, propositum coram eis, quod cum dictus Prędecessor esset rebus humanis exemptus, re adhuc integre existente, per literas ipsas procedi de jure non poterat, nec debebat: & quod iidem Ernestus, & Hugo eum super hoc audire contra justitiam recusantes, in negotio procedebant; ipse sentiens ex hoc indebite se gravari, ad nostram duxit audientiam appellandum: At ipsi. hujusmodi ejus legitima appellatione contempta, tulerunt excommunicationis sententiam in eundem. Ideoque mandamus, quatenus. si sententiam ipsam post hujusmodi appellationem inveneritis esse latam, denuntiantes eam penitus nullam esse, revocatis in statum debitum &c. alioquin Partes ad dictorum Judicum remittatis examen, appellantem &c. Testes &c. Non obstante Indulgentia &c. Quod si non omnes &c. Datum Lateran. III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quid actum sit refert.

Mandat ut supra.

1. *Mindensium*.) Consule praecedens Diploma.
2. *Nobis*.) Legendum: *Nos*.
3. *Innocentii*.) *IV.*

Vicario Provincialis FF. Prædicatorum Hiberniæ, ut duos ex Fratribus det in socios P.... (1) Episcopo Rapotensi.

Anno 1256 Die 3 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 850.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario Prioris Provincialis Fratrum Prędicatorum Ordinis in Hibernia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LVIII.

COnstitutus in pręsentia nostra venerabilis frater noster P.... Rapoten. Episcopus, nobis exposuit, quod nonnulli Laici &c. (2). Quia vero idem Episcopus Professor Ordinis tui ferventer, prout asserit, in suo gerit affectu, quod pro solicitudine hujusmodi sibi commissa facilius exequenda, duos providos, & discretos ex Fratribus tuę curę commissis habeat in socios, per quos, cum necesse fuerit, Verbum Dei, proponi faciat, & secundum illorum salubria consilia dirigatur; discretionem tuam attente rogandam duximus, & monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eidem Episcopo, cum super hoc ab ipso requisitus extiteris, duos tales Fratres concedas affectu benevolo, & promptitudine liberali; non obstante aliqua indulgentia Ordini tuo ab Apostolica Sede concessa, per quam effectus mandati nostri in hac parte valeat impediri. Datum Lateran. III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *P....*) *Patritio* Ordinis Prædicatorum alumno, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum Alexandri IV.*
2. *Laici* &c.) Sic in *libro A.*, ubi hæc addit Amanuensis: *ut in alia, usque opportunum, verbis competenter mutatis*.

Anno 1256 Die 3 Februarii,

Declarationem, correctionem, ac mitigationem Regulæ Carmelitarum ab Hugone S.R.E. Cardinale,& Guillelmo Anteradensi Episcopo, Ordinis Prædicatorum alumnis, jussu Innocentii IV factas confirmat (1).

Ex Bullario Carmelitano Parte I pag. 15.

LIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Generali,& Fratribus Ordinis Eremitarum de Monte Carmeli, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster ad vestræ supplicationis instantiam per dilectum filium Hugonem, Tituli Sanctæ Sabinæ Presbyterum Cardinalem, & venerabilem fratrem nostrum G... Anteradensem Episcopum, quædam Regulæ vestræ dubia declarari, & corrigi, ac quædam ipsius gravia misericorditer fecerit mitigari, prout in literis inde confectis plenius continetur; Nos, vestris precibus inclinati, declarationem & correctionem, ac mitigationem hujusmodi, ad instar ipsius Prædecessoris, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, tenorem literarum Prædecessoris ejusdem, prout in Registro ipsius continetur, de verbo ad verbum præsentibus inseri facientes, qui talis est. Innocentius Episcopus &c. (a). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Datum Laterani III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Confirmat.*) Consule *Diploma datum I Octobris MCCXLVII.*

2. *Episcopus &c.*) Hic inscribit Diploma mox laudatum.

Anno 1256 Die 13 Februarii.

Ædes Sacras Cœnobii Senensis Ordinis FF. Prædicatorum Diebus Festis, & per Octavas SS. Dominici, & Petri Martyris, visitantibus Indulgentiam (1) elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LX:

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Priori. & Fratribus Prædicatoribus Senen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm ad promerenda &c. (3). Datum Laterani Idibus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Indulgentiam.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Dominici Senarum.*

3. *Promerenda &c.*) Ut supra *XIV Maii MCCLV.*

Anno 1256 Die 3 Martii.

Episcopo Parisiensi, ut Magistros ac Scholares Parisienses Fratribus Prædicatoribus molestias exhibentes, excommunicatione devinciat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Magistros, ac Scholares Parisienses increpat, Molestias Fratribus exhibitas recenset.

DE quibusdam Magistris & scolaribus ac auditoribus Parisiensibus evidenter agnoscitur, quod ipsi non pacifici, sed auctores scandali, non Dei, sed sathanæ vocari filii delectantur, charitatis ordinem adeo pervertentes, quod non solum a se ipsis, sed etiam ab aliis excludunt dampnabiliter pietatis studium, & desiderabilem nobis super omnia, salutem impediunt animarum. Sane pervenit ad notitiam nostram, quod prædicti Magistri, scolares, & auditores nequiter impedire præsumunt, ne aliqui dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Parisiensium eleemosynas largiantur, vel ab eis, aut in domo ipsorum Sermones, seu Lectiones, sive disputationes audiant, vel confiteantur ipsis peccata propria, etiamsi a te, loci Diocæsano, vel a proprio Sacerdote (2), super hoc habeant facultatem. Præterea dicti Magistri, scolares Fratrum ipsorum,& Fratres eosdem suas intrare scolas, lectionis & disputationis tempore, non permittunt. Unde sequitur quod in mentibus devotorum, ac Deum timentium, & potissime laicorum grave scandalum generatur. Nobis etiam exinde materia vehementis admirationis producitur, & stuporis; præsertim cum prædicti Magistri & scolares, ac auditores deberent in virtutum Domino consequi affluentiam gaudiorum, quod iidem Fratres, viri utique sanctæ conversationis, & vitæ, per quorum ministerium salus potissime proficit animarum, tam laudabiliter in Theologica proficiunt facultate, quod & digni Magisteriali reputantur honore, & quasi ubique terrarum habentur in conspectu Dei & hominum gratiosi. Nec mirum quia ipsorum sub extrema paupertate viventium pia semper ad hoc desudat intentio, quod perpetui vigoris augmentum Religio Christiana suscipiat, & eorum doctrinis sancta Dei Ecclesia jugiter illustretur. Ex hujusmodi quidem meritorum claritate procedit, quod nos tam enormem & atrocem Fratrum ipsorum pati molestiam nequeuntes, immo nullatenus sustinere volentes illius temeritatis vitium, quod vergit in peri-

Fratrum Ordinis Prædicatorum encomium.

periculum animarum, fraternitati tuę per Apostolica scripta, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus in omnes qui statuti, vel ordinationis, aut cujuscunque alterius causę pretextu impediunt, vel de cetero impedire presumpserint, ne predictis Fratribus Presbyteris fiat a volentibus libera confessio peccatorum, si nostra (4), seu Legati Sedis Apostolicę, aut tua (5), vel proprii Sacerdotis, super hoc habeatur auctoritas, aut ne Sermones, & lectiones, ac disputationes audiantur (6) eorum, vel quod Scolares Magistrorum ipsorum Fratrum, & iidem Fratres lectionis, & disputationis tempore in Scolis aliorum minime admittantur, monitione premissa, excommunicationis sententiam non differas (7) promulgare, quam postmodum solempniter publices, ac publicare facias, & usque (8) ad satisfactionem condignam inviolabiliter ab omnibus observari. Non obstante quacunque indulgentia, per quam pręcepti nostri executio in hac parte impediri valeat, vel diferri. Nos etiam nichilominus irritum decernimus & inane, si a Magistris & Scolaribus, ac Auditoribus memoratis contra mandati nostri tenorem super hiis aliquid fuerit attemptatum. Datum Laterani V Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

Clausula derogatoria.

1. *Devinciat*.) Legesis superius *annotata XIV Aprilis MCCLV*. Adeas etiam *Cantipratensem libro II de Apibus Cap. X num. XXXII*, & *Vuaddingum* mox laudandum.

2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Est etiam apud *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLVI pag. 129.* Idem, silentio pratermissis quæ in laudem Fratrum Prædicatorum dicta sunt, exscripsit *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 297.*

3. *Sacerdote*.) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

4. *Si nostra*.) *Boulaus* legit: *Si Summi Pontificis*,

5. *Aut tua*.) Ex eodem: *Episcopi*.

6. *Audiantur*.) Desideratur apud *Boulaum*.

7. *Non differas*.) Addit ille: *Sublato cujuslibet Appellationis obstaculo non differas*.

8. *Et usque*.) Hæc, & quæ sequuntur missa facit *Boulaus*.

Archiepiscopis, & Episcopis Lombardiæ, & Marchiæ Januensis, ut quorum est, illi omnes adsint electioni Arbitrorum, qui in Rectores Civitatum debent inquirere (1).

Anno 1256 Die 6 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Provinciam Lombardię, a Bononia inclusive usque ad ultimos fines superiorum partium ejusdem Provincię, ac Januensem Marchiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

EXortis in Agro Fidei Christianę &c. (3). Porro cum inter Constitutiones hujusmodi habeatur, ut Potestas, seu Rector Civitatis, vel loci infra decem dies sui Regiminis syndicare (4) pręcedentem proxime Potestatem, vel Rectorem, ac ejus etiam Assessores per tres viros catholicos, & fideles, electos ad hoc per Dięcesanum, si fuerit pręsens, & per Fratres Prędicatores & Minores, de omnibus iis, quę in statutis, seu Constitutionibus ipsis, & Legibus contra hereticos & eorum complices editis, continentur, & punire ipsos in omnibus, quę omiserint, teneantur, ex eo plerumque contingit ipsarum Constitutionum bonum, ut accepimus, impediri, quod dictorum virorum electioni aliqui ex prędictis, ad quos pertinet, ut forsan malevolentiam Potestatis, seu Rectoris & aliorum evitent, vel favorem sibi liceri faciant apud eos, negligunt, ut accepimus, interesse. Cupientes igitur, prout officii nostri cura exigit, extirpationi zizaniorum lethalium, ne pullulare neglecta valeant in Fidelium perniciem populorum, per vos, & industrios, ac fideles Fidei operarios studiosos insudare, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus singuli vestrum in sua Civitate & Dięcesi per se, vel alium, cum pręsentes fueritis, cum autem absentes, per Vicarium suum, qui etiam per se, vel alium peragat fideliter quod mandamus, prędictorum virorum electioni, cum ad id requisiti fuerint, qualibet occasione cessante, studeant interesse, illosque prędictorum Ordinum Fratres, qui interesse debent, ut intersint, & eligant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, coarctare, non obstante quolibet privilegio, seu indulgentia Sedis Apostolicę cujuscunque tenoris existat, per quam valeant quomodolibet se tueri; preces & pręceptum nostrum taliter impleturi, quod merito probemini orthodoxę Fidei zelatores. Datum Laterani II Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Inquirere*.) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo, cujus plumbum filis cannabinis appenditur. Ubinam sit non annotavit Amanuensis, nec Chirographo comprobavit Exemplar.

3. *Christianę &c.*) Ut in sequenti Diplomate ad hæc usque verba: *Diligentia observari*.

4. *Syndicare*.) Id est *Legibus quærere in præcedentem proxime Potestatem*.

Inquisitoribus, ut Rectoribus Civitatum spatium decem dierum suppeditare queant (1), quo Pontificia exequantur mandata.

Anno 1256 Die 7 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus hereticorum in Lombardia & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quæ decrevit Innocentius IV, refert.

EXortis in agris Fidei Christianę per partes Ytalię habundantius solito hereticę pestis zizaniis, seminante illa propter temporis impacati maliciam homine inimico, fel: rec: Innocentius (3) PP. prędecessor noster Constitutiones (4) quasdam ad pestis extirpationem prędictę noscitur edidisse, quas in suis litteris annotatas mandavit a dilectis filiis Potestatibus, seu Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, alio-

allorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam & Marchiam Tervisii constitutis, tanquam fidelibus ejusdem Fidei defensoribus, exacta diligentia observari. Porro inter Constitutiones hujusmodi tria contineri noscuntur a Potestatibus, seu Rectoribus Civitatum & locorum sub debitis juramenti infra certos terminos observanda. Primum videlicet, quod Potestas, seu Rector infra tertium diem post introitum sui regiminis duodecim viros probos & Catholicos, duos Notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituat, quos ad negotium Fidei contra hereticos, eorumque fautores, Diocesanus, si presens fuerit, & interesse voluerit, & duo Fratres Predicatores, & duo Minores, ad hoc a suis Prioribus, & Ministris. si Conventus ibi fuerit eorumdem Ordinis (5), deputati, duxerim eligendos. Secundum quod idem Potestas, sive Rector in destructione domorum, condempnationibus faciendis, & in rebus inventis vel occupatis consignandis, & dividendis infra decem dies, postquam accusatio, seu denuntiatio super heresi, vel hereticorum favore, facta fuerit, exequatur omnia cum effectu. Tertium vero, quod predictus Potestas, sive Rector infra decem dies sui regiminis sindicet precedentem proximo Potestatem, vel Rectorem, & ejus etiam Assessores, per tres viros Catholicos & fideles, electos ad hoc per Diocesanum, si presens extiterit, & per Fratres Predicatores & Minores, de omnibus hiis, que in statutis seu Constitutionibus & Legibus contra hereticos, & eorum complices continentur, & eos puniat de omnibus & singulis que omiserum, & compellat restituere de propria facultate. Cum igitur, ut accepimus, supradicta tria infra premissos terminos propter ipsorum terminorum nimiam brevitatem, nequeant a Potestatibus & Rectoribus de facili adimpleri, propter quod iidem Potestates, & Rectores, in animarum suarum periculum perjurii retiaculo sepius involvuntur. Nos, de vestre fidei puritate ac circumspectionis industria plenam in domino fiduciam obtinentes, prorogandi eisdem Potestatibus & Rectoribus terminos supradictos usque ad decem dies, prout expedire, vel necesse fore videritis, ad premissa efficaciter exercenda, ita quod per prorogationem hujusmodi nec perjurii reatum, nec notam inc[urr]ant, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c. Datum Lateran. Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Queant.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Extat apud *Vvaddingum Annal. Minorum Tomo VII pag. 453. Pegna ad calcem Directorii Inquisitor. pag. 25* illud idem transcripsit *Datum Pridie Idus Martii Pontificatus Alexandri IV anno Secundo.*

3. *Innocentius.*) *IV.*

4. *Constitutiones.*) Vide *ab Anno MCCLII ad XXIX Julii MCCLIV.*

5. *Ordinis.*) *Vvaddingus* & *Pegna* legunt: *Ordinum.*

Anno 1256 Die 11 Martii.

Cancellario Parisiensi, ut F. Thomas de Aquino, quem laudibus cumulat, cito in Universitate Parisiensi *Regiminis* habeat (1) *principium.*

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Cancellario Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DElectabile Nobis est auditu percipere, quod te in his promptum reddis & vigilem, que pietatem continent, vel sapiunt honestatem, prout patenter agnoscitur, quod dilecto filio Fratri Thome de Aquino Ordinis Predicatorum, viro utique nobilitate generis, & morum honestate conspicuo, ac thesaurum literalis scientie per Dei gratiam assecuto (3) dedisti (4) licentiam in Theologica facultate docendi priusquam illuc nostre litere pervenirent, quas tibi super hoc specialiter mittebamus. Quia vero condecens est, ut hujusmodi negotium, a te laudabiliter inchoatum, festinum habeat exitum, & felicem, devotionem tuam attente rogandam duximus, & monendam, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem Fratrem in predicta facultate cito facias regiminis habere principium, & dilectos filios Priorem, & Conventum Parisienses ejusdem Ordinis habeas pro divina, & nostra reverentia commendatos, eosque favoris opportuni presidio prosequaris: Maxime cum ipsi pro turbatione Studii, per quosdam iniquitatis filios nequiter procurata in multa vexatione hactenus extiterint, & existant, Parisiensi Ecclesia de ipsorum laboribus, sicut nosti, utilitatem non modicam consequente. Preces autem, & mandatum nostrum sic adimpleat tua sinceritas, quod nos, qui letitiam de predictorum Fratrum prosperitate concipimus, de tua benevolentia gratiosa circa ipsos exhibita, speciales tibi gratias referamus. Datum Lateran. V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quædam de Cancellario Parisiensi honorifice prædicat.

F. Thomæ Aquinatis encomium.

Mandatum.

FF. Prædicatores Cancellario de meliore nota commendat.

1. *Habeat.*) Hoc in *Diplomate tria veniunt annotanda*, verba sunt *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. ad Annum MCCLXXIV pag. 279 col. II, *Primo quanta cum gloria Aquinas sententias duobus annis praecedentibus legerat, qui thesaurum literalis scientiæ assecutus dicitur. Secundo nec quicquam reclamante Guillelmo de Sancto-amore cum suis sequacibus, nec expectato mandato Apostolico ipsi licentiam jam nimium, per annum scilicet solidum, retardatam Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, Haimericum dictum, concessisse. Tertio tamen, ut Magister agnosceretur & esset, ipsi necessario habendum principium. Hoc vero principium solemne habebatur in aula Episcopali astante Sacra Theologia Magistrorum omnium conventa, quod etiamnum observatur. Breve relatum videsis Histor. Universit. T. III pag. 281, & apud Baluzium T. II Pap. Aven. pag. 5.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

3. *Assecuto.*) Oracula Summorum Pontificum, qui laudes Doctoris Angelici celebrarunt, leges in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

4. *Dedisti.*) *Anno MCCLV*, stylo veteri, novo vero *MCCLVI Mense Februario*, ut notat *Echard* mox laudatus *pag. 271 col. II.*

Fratri-

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut de Bello (1) pro Religione suscipiendo ad populum dicant.

Anno 1256 Die 11 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 856.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Alemannia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXV.

Exordium.

QUi justis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Jesu Christi, quanto Deus homini pręferendus esse dignoscitur, & omnis sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur cum, sicut relatu fide dignorum percepimus exultantes, conditor omnium in Livonię, ac Prussię partibus dilectorum filiorum Fratrum Hospitalis S. Marię Teutonicorum Jerosolymitan., ac aliorum Fidelium triumphanti dextera faciente sit multipliciter exaltatus, & spes sit, quod ibidem magis, & magis sui nominis gloria protendatur, si plantationi suę partium earundem favorem, quem in ipso possumus, impendentes, opportunum illi per devotos Ecclesię subsidium procuremus; devotionem tuam rogamus, & hortamur in Domino, per Apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem peccatorum injungentes, quatenus Priores, & Fratres tui Ordinis constitutos in Magdeburgen., & Bremen. Provinciis, Ratisponen., Patavien., Alberstaten., Ildesemen., & Verden. Dięcesibus hujusmodi negotio, quacunque postposita difficultate, deputare studeas, & eosdem attentius exhortari, quod, assumpto Sanctę Prędicationis officio propter Deum, fideles dictarum Provinciarum & Dięcesum ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquod pro omnibus, quę retribuit ipse illis, piis exhortationibus secundum datam sibi a Deo prudentiam, studeant informare, diligenter, & solicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros christianos, & catholicos, cadere opprobria exprobrantium Christo debent, se viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes, ad ampliandum gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manibus paganorum, profecturi, & acturi secundum Fratrum consilia prędictorum, ita quod & ipsis pręmium debeatur ęternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint, gloriari. Illis vero de Provinciis, & Dięcesibus memoratis, qui Crucis signaculo in Livonię, seu Prussię, subsidium insigniti, propter paupertatem, seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, a voto Crucis absolvant, dummodo de bonis suis juxta proprias facultates congruam subventionem exhibeant, per manus eorundem Fratrum in idem subsidium convertendam; nos enim, ut quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur effectu facile compleatur, omnes dictarum Provinciarum, & Dięcesum in succursum eorundem Fidelium, suscepto propter hoc Crucis signaculo processuros, necnon eorum familiam, & bona omnia, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione, & defensione Sedis Apostolicę admittentes, illis, ac aliis qui juxta facultatem, & qualitatem suam, illuc Bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonię, vel Prussię, de bonis propriis congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum illam Indulgentiam, illudque Privilegium elargimur, quę transeuntibus, & subvenientibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Prętereea, ut prefatum negotium, quo pluribus contingit juvari remediis, prosperitatis optatę suscipiat incrementum, Prioribus, & Fratribus per te supradicto negotio deputandis, pręsentium auctoritate concedimus, quod illis earundem Provinciarum, & Dięcesum, qui ad eorum solemnem prędicationem accesserint, viginti dies de injuncta pęnitentia, relaxare, ac eorum singulis illuc, assumpto propter hoc Crucis charactere processuris, qui pro incendiis, & injectione manuum in Clericos, vel alias Religiosas Personas, excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię valeant impertiri; proviso, ut passis damna, & injurias satisfaciant competenter, illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles, & enormes, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Lateran. V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

Crucesignatos, ipsorumque familias & possessiones in tutela Sanctæ Sedis esse declarat.

Indulgentiam elargitur.

IN eodem (a) modo Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Dacia, per Dacię, Suecię, & Norvvegię Regna. LXVI.

IN eodem modo Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum in Polonia, per Regnum Bohemię, Poloniam, & Pomeraniam. LXVII.

IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Magdeburgen. &c. Quatenus in Magdeburgen., Brandeburgen., Avelbergen., Civitatibus, & Dięcesibus, Alberstaten., & Verden. Dięcesibus assumpto S. Prędicationis Officio propter Deum Fideles constitutos in eis ad nimiam caritatem &c. Informetis, diligenter, & solicite petituri &c. Illos vero de Civitatibus, & Dięcesibus memoratis, qui Crucis &c. Omnes dictarum Civitatum, & Dięcesum in succursum eorundem Fidelium &c. pręsentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earundem Civitatum, & Dięcesum, qui ad solemnem vestram prędicationem accesserint &c. Absolutionis beneficium impertiri &c. Proviso &c. LXVIII.

IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Ratisponen., in Ratispon. Civitate, & Dięcesi. LXIX.

IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Alberstaten. in Civitate, & Dięcesi Alberstaten. LXX.

LXXI. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Ildesemen., in Civitate, & Dięcesi Ildesemen.

LXXII. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Viennen., in Civitate, & Dięcesi Patavien.

LXXIII. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Pragensium, in Civitate, & Dięcesi Pragen.

LXXIV. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Vvratislavien., in Civitate, & Dięcesi Vvratislavien.

LXXV. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Bremen., in Bremen. & Verden. Civitatibus, & Dięcesibus.

LXXVI. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Oraburgen. (3), Bremen. Dięcef., in Bremen., Raceburgen., & Verden. Dięcesibus.

LXXVII. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum in Lubicen., Razeburgen., & Vverinen. Civitatibus, & Dięcesibus, & Verden. Dięcesi.

LXXVIII. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Fribergen., in Misnen. Civitate, & Dięcesi, & Nuemburgen. Dięcesi.

LXXIX. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Lypicen., Melburgen. (4) Dięcef., in Merseburgen., & Numburgen. Civitatibus, & Dięcesibus, Magdeburgen., Alberstaten., & Misnen. Dięcesibus.

LXXX. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Cracovien. in Civitate, & Dięcesi Cracovien.

LXXXI. IN eodem modo Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum de Vvisbu, Lincacopen. Dięcef., in Gothlandia.

LXXXII. IN eodem modo Olomucen., & Brunen., Olomucen. Dięcesis, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum in Civitate, & Dięcesi Olomucen.

1. *Bello.*) Ut supra *XXIII Septembr. MCCXLIII*, ubi quæ hic notata velles, invenies.
2. *In eedem.*) Sic legitur *Libro A.* loco laudato.
3. *Oraburgen.*) *Osnabrugen.* in *Vvestphalia.*
4. *Melburgen.*) Forsan: *Merseburgen.* ut in *Diplomate Dato XXIII Septembr. MCCXLIII.*

Anno 1256 Die 20 Martii.

Provinciali FF. Prædicatorum in Lombardia, ut Octo ex Fratribus Fidei censores instituat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXIII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quæ sanxerit Innocentius, dicit.

OLim persentiens felicis recordationis Innocentius (3) Papa Prędecessor Noster, pestem pravitatis hęreticę in Italia propter impacati malitiam temporis abundantius solito succrevisse, ac volens circa expurgationem pravitatis ejusdem, in Provincia Lombardię a Bononia, & Ferraria inclusive, usque ad ultimos fines superiorum partium ejusdem Provincię, ac Marchia Ianuensi, per aliquos de Fratribus Prioratus tui partes, sive solicitudines adimpleri, quatuor ex ejusdem Prioratus Fratribus, viros zelum habentes Christianę Fidei, & opere, ac sermone potentes, Apostolicis literis (4), sub certa forma, per te, sive per tuum Vicarium, te absente, aut per antecessorem tuum ipsius Prioratus Priorem, vel in ejus absentia, per Vicarium suum, mandavit assumi, eisque Inquisitionis officium contra hereticos, eorumque fautores, & complices, in prędictis Provincia, & Marchia exequendum injungi. Verum quia persensimus tam paucos Fratres non sufficere ad hujusmodi Inquisitionis officium, sicut expedit, exequendum, ne contingat tantum bonum perfunctorie agi, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus alios quatuor Fratres de Prioratu prędicto assumas juxta formam in prędictis literis comprehensam, quibus dictum officium pari modo cum aliis quatuor Inquisitoribus supradictis secundum literarum ipsius Prędecessoris seriem exequendum, committas, quos eandem, quam habent ab Apostolica Sede iidem Inquisitores, habere volumus potestatem, & Vicarium tuum prędicta exequi te absente. Datum Laterani XIII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

Absente Provinciale, eandem facultatem Vicario concedit.

1. *Instituat.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In *Bullario Bononien. fol. 8*, ex Autographo *Bononiæ* asservato. Exemplar Authenticum ejusdem Diplomatis, *dati III Nonas Martii, Pontificatus Alexandri IV Anno Secundo*, habes in Cœnobio nostro *Cremonensi*; Ubi Notarii subscriptio talis est: *Ego Petrus Aspetuil Notarius hoc exemplum ex Authentico Rescripto, mandato, & auctoritate Domini A....* (Alberti de Boschettis) *Episcopi Mutn* (Mutinensis) *qui hoc mihi præcepit in præsentia subscriptorum testium, & firmari jussit, & sigillum appendi, exscripsi & exemplavi, & in publicam formam redegi*

redegi, nihil addens, nihil minuens, bona fide. MCCLVIII, Indictione Prima, die VI intrantis Aprilis Mut. (Mutinæ) in Episcopali Palatio, præsentibus testibus Domino Conrado Por. (forsan Procuratore) *de Zena, Domino Lanfranco Bescheto, & Petro nepote Fratris Belphonii de Rozanis O d. Prædicatorum.*
3. *Innocentius.*) *IV.*
4. *Literis.*) alias exscripsi *XXIX Maii MCCLIV.*

Parisiensi Episcopo, ut nonnullos, Fratribus Prædicatoribus molestias (1) exhibentes, deterreat a proposito.

Anno 1256 Die 30 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXIV.

Exordium ab encomio FF. Prædicatorum.

DIlecti filii Fratres Prędicatores pro divini amore Nominis, rejectis mundanis illecebris, abnegarunt totaliter semetipsos, ut soluti vinculis terrestrium ad cęlestia expeditius extollantur & de inferiorum compede tracto pede liberius ad superna consurgant (3). Ne igitur tam pii propositi prosecutio alicujus clypeo impedimenti turbetur, dignum est ipsorum provisa quiete prępeditionis obstacula removeri: ut eo devotius, quo quietius Domino famulantes, gratiora sibi pręstent obsequia & devotioribus se obsequiis exhibeant gratiores. Sed, ut nuper relatione fide dignorum accepimus, nonnulli Clerici Parisius commorantes in offensam Dei non modicam, Religionis ęmuli, turbatores quietis, & eorum operum temerarii detractores, ipsorum famam, laudis dignam pręconio, falsis satagunt accusationibus obfuscare: varias literas per quas ipsos, & eorum Ordinem, quos vitę commendat puritas, suis gratum approbatum fructibus, impio diffamationis morsu dilacerant; diversarum Pręlatis partium scribere pręsumpserunt; &, ut nihil prętereant inoffensum adeo in eorum cordibus malitia ebullitur (4), quod nonnullos ex Fratribus ipsis Parisiensibus, Divino timore postposito, & modestię Clericalis honestate abjecta, sacrilegis manibus verberibus affecerunt: Ipsi etiam his excessibus non contenti, sed in suę iniquitatis nequitia potiùs obstinati, quod eis pejora, & graviora inferent, nequiter comminantur. Inde est, quod Fratres jam dicti Ordinis Parisius existentes, qui fidelium duntaxat eleemosynis sustentantur, eorundem Clericorum timore perterriti, vix Claustrum suum audeant egredi, pro acquirendis eleemosynis, eorum victui opportunis. Attendentes igitur, quod nonnunquam culpa contrahitur, dum vindictę detrahitur; & qui commissa dimittit inulta, pandit aditum ad pejora; Ne forte Clericorum ipsorum audax insipientia per morosam tolerantiam invalescat; Fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus Clericos prędictos, ut eisdem Fratribus plenarie de pręmissis (5), & a prędictorum Fratrum molestatione desistant, monitione pręmissa, canonicę animadversionis vigore compellas: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Lateran. III Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quot molestiis Parisienses Clerici FF. nostros afficerent, recenset.

Mandat ut supra.

1. *Molestias.*) Ut *XIV April. MCCLV.*
2. *Archivo,*) In quo Exemplar, cujus Autographum habes in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* Idem datum Galliarum Regi transcripsere *Vvaddingus Annal. Minor. ad An. MCCLVI num. XXIV pag. 151,* & *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.* 298. Dicam ad *IV April. MCCLVI.*
3. *Consurgant.*) Quæ sequuntur ad hæc usque verba: *Attendentes igitur:* missa facit *Boulaus.*
4. *Ebullitur.*) Apposite legunt nonnulli: *Ebullivit.*
5. *Præmissis.*) Adderem: *Satisfaciant.*

Magistris, Scholaribus, & Auditoribus Parisiensibus, ut Jussa (1) Pontificia reverenter & humiliter exequantur (2).

Anno 1256 Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis (4) Magistris, Scolaribus, & Auditoribus Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXV.

Magistros, Scholares, & Auditores Parisienses increpat.

SI filialis obedientię promptitudo nobis parit cumulum gaudiorum, profecto inobedientium (5) rebellis audacia cor nostrum sauciat & affligit. Ecce, sicut accepimus, vos ordinationem nostram super conservatione Studii Parisiensis editam solempni cum Fratribus nostris deliberatione pręmissa, & alias literas nostras, propter quasdam appellationes & exceptiones frivolas interjectas a vobis, obstinato animo non servantes, nostrę intentionis effectum circa ordinationem ipsam calumpniosis adinventionibus pręsumtis impedire; dampnabile inobedientię vitium, & judicium sententiarum, quę sunt contra vestram rebellionem auctoritate Apostolica promulgatę, minime formidando; & certe nisi motum mentis nostrę, quem transgressionis vestrę illmuius concitavit, a pęna vindictę vobis merito infligendę hoc potissime temperallet; quod simplicitatem vestrę multitudinis ab astuta malitia paucorum, & pręcipue Magistri Guilielmi de Sancto-amore, credimus fuisse seductam, oculus vester, quem caligo superbię nimium obumbravit, virga correctionis debitę illustratus patenter agnosceret, quam stultum sit (6), & detestabile, Apostolicę Sedis ęquissimis ordinationibus, & literis contumaciter (7) obviare. Sane quia (8) filiorum errantium disciplinam magis cupimus, quam vindictam, universitatem vestram affectione paterna rogamus, per Apostolica vobis scripta districte pręcipiendo mandantes, quatenus noxia seductorum vestrorum consilia & erronea vestigia penitus declinantes, juramento, seu statuto, vel quacumque obligatione, per quę pręcepti nostri executio impediri valeat, vel differri, nequaquam obstantibus, pręfatas ordinationem & sententias reverenter & humiliter, omni occasione postposita, post susceptionem pręsentium observetis; Alioquin vestram inobedientiam, quę nullius excusationis auxilio poterit amodo palliari, & seductorum ipsorum superbiam taliter, auctore Domino, corrigemus, quod, pęna justa docente, vobis patebit, & aliis, qualis reverentia, & etiam diligentia in observantia statutorum, ac literarum Sedis Apostolicę a fide-

Mandat ut supra.

fidelibus (9) universis, & precipue Clericis semper debeat adhiberi. Datum Laterani II Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Jussa.*) De quibus in *Diplomate XIV April. MCCLV.*
2. *Exequantur.*) Detestatur enim *Pontifex tumultus auctores, & Academicorum seductores, quorum præcipuus Guillelmus de Sancto-amore; quare dum adhuc Apostolicis reniterentur mandatis, dedit ad eosdem acres, sed paternas literas, exhortans ad obedientiam, & resipiscentiam, neque amplius seduci se permitterent a malis consiliariis, & speciatim a prædicto Gulielmo.* Hæc *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI pag. 130 num. XXIII.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum, cujus plumbum filis cannabinis erat appensum. Extat etiam apud *Vuaddingum* mox citatum, & *Boulaeum Histor. Universit. Parisiensis Tomo III pag. 298.*
4. *Universis.*) Desideratur apud *Boulaeum*.
5. *Inobedientium.*) *Boulaeus* legit: *Inobedientia rebellis audacia.*
6. *Quam stultum sit.*) Ex Boulæo: *Quam malum sit.*
7. *Contumaciter.*) Idem: *Per contemptum acriter.*
8. *Quia.*) Ex eodem: *Qui.*
9. *A fidelibus.*) Boulæus: *Ac fidelibus.*

Anno 1256 Die 4 Aprilis.

Episcopo Parisiensi, ut Clerici de molestiis, Fratribus Prædicatoribus illatis, faciant satis, & ab exhibendis ipsos deterreat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXVI. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilecti filii Fratres Predicatores &c. (3). Datum Laterani II Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Deterreat.*) Legesis præcedentia Diplomata.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Prædicatores &c.*) Ut in *Diplomate dato XXX Martii MCCLVI.*

Anno 1256 Die 12 Aprilis.

Francorum Regi (1), ut Episcopo Parisiensi manum auxiliarem præbeat, quo Clericos nostratibus molestias exhibentes compescat.

Ex Vuaddingo (2) Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLVI pag. 171 num. XXIV.

LXXXVII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilecti filii Fratres Predicatores &c. (3) venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi nostris injungimus literis, ut Clericos predictos, quod eisdem Fratribus satisfaciant plenarie de premissis, & ab eorum molestatione desistant, monitione premissa canonice animadversionis vigore compellat, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Cum autem ad Regie salutis augmentum pertineat dictos Fratres, Preces adhibet. divine considerationis obtentu, a perversorum conatibus defensare, ecce Regiam celsitudinem rogamus, & hortamur attente, quatenus eidem Episcopo, cum ab eo requisitus fueris, ad cohibendam hujusmodi Clericorum ipsorum insolentiam, pro Dei, & nostra reverentia impendas favorem & auxilium opportunum. Datum Laterani II Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Regi.*) *S. Ludovico.*
2. *Vuaddingo.*) Adeas etiam *Boulaeum Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag. 298.*
3. *Prædicatores &c.*) Ut in *Diplomate dato XXX Martii MCCLVI* ad hæc usque verba: *Tolerantiam invalescat.*

Anno 1256 Die 27 Aprilis.

Magistro, Provincialibus, eorumque Vicariis Ordinis Prædicatorum, ne Socios Archiepiscopis, & Episcopis ex Ordine assumptis dare teneantur, & ut datos repetere, ac corrigere possint (1).

Ex Bullario Ususmaris pag. 43.

LXXXVIII Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus, eorumque vicariis, Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Sacre Religionis vestre fama preclarissima est ab universis, & singulis ipsam profitentibus mente vigili conservanda; sed ab illis potissime, quos pro causis legitimis oportet se aliquando de suis Conventibus, sicut obedientie virtus exigit, absentare. Sane nonnulli ex Fratribus Ordinis vestri, qui venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, de Ordine ipso susceptis, quandoque in socios deputantur, illa, prout accepimus, presumunt sepe committere, que in ejusdem Ordinis scandalum, & in suarum vergunt periculum animarum. Cum itaque super hoc per Sedem Apostolicam deceat salubriter provideri, Nos vestre devotioni, auctoritate presentium, duximus concedendum, quod singuli vestrum, illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolice dictis Archiepiscopis, & Episcopis, est Cavet ut supra. provisum, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua, possint ad eundem Ordinem revocare. Ita tamen, quod si postmodum dicti Archiepiscopi & Episcopi apud vos, vel aliquem vestrum, pro habendis in societate ipsorum aliis idoneis Fratribus duxerint insistendum, eorum in hac parte desiderio annuatis, dummodo id vobis conveniens & expediens videatur. Ceterum per literas Apostolicas jam obtentas, vel in posterum obtinendas, que de presentibus plenam & expressam non fecerint mentionem, nullos de

de Fratribus ipsius Ordinis, præfatis Archiepiscopis in socios teneamini deputare, nisi hoc honestati Ordinis, & illorum saluti videritis expedire. Datum Laterani V Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Possint*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

Generali Ministro, & Fratribus Ordinis Minorum, ne Fratres Prædicatores Ordini suo ascribant (1).

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ex P. Martene Thesauro Anecdotor. Tomo I ad An. MCCLVI pag. 1066.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali Ministro, & Fratribus Ordinis Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXIX.

QUo vos &c. (2). Fratres Prędicatores, & eorum Ordini obligatos frequenter ad vestrum recipitis Ordinem, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Ascribant*.) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Vos &c.*) Ut in *Diplomate XXIII Junii MCCLV* ad hæc usque verba: *Continue specialis*.
3. *Servantes &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Magistro, ac Provincialibus, ut Fratres Ordinis Prædicatorum cruci prædicandæ præfectos, & Fidei Censores, etiam a S. Sede Apostolica constitutos, revocare, alioque transferre (1) queant.

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XC.

ODore suavi Ordinis vestri continue recreati &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Transferre*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV*, & in *Dissertat. I.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Recreati &c.*) Ut supra *V Februar. MCCXLIV.*

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ne quis votis solemnibus nuncupatis ab Ordine sine sui Prioris discedat (1) licentia.

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCI.

CUm paupertatem & vitam profiteamini regularem &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Discedat*.) Consule *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Regularem &c.*) Ut in *Diplomate Dato XXV Maii MCCXXVII.*

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut in terris excommunicatorum degere (1), & ibidem victum rogare possint.

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, prę sentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCII.

VObis extremam patientibus pro Christi nomine paupertatem &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Degere*.) Legendus *Tract. de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Adeas *Ussmarem pag. 36.*
3. *Paupertatem &c.*) Ut supra *XX Junii MCCXLI.*

Ne

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ne quis Habitum nostrum, vel ipsi consimilem deferat (1), & ut eos, qui non paruerint, compescant Archiepiscopi, & Episcopi.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos presentes litere pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUia consusio habitus &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Deferat*.) Vide *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Habitus &c.*) Ut in *Diplomate dato XXV Martii MCCXLIV.*

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ne quis similes nostris, vel easdem vestes induat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUia consusio habitus &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Induat*.) Dicetur in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Habitus &c.*) Ut supra *XXV Martii MCCXLIV.*

Anno 1256 Die 5 Maii.

Liberam Sepulturam [1] in Ædibus Sacris Ordinis FF. Prædicatorum esse decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. B. fol.* 536.

XCV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Sepulturam*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*
3. *Petitur &c.*) Ut supra *XXX Novembr. MCCXXVII.*

Anno 1256 Die 5 Maii.

Ne per literas Apostolicas, quæ de his & Ordine nostro mentionem non fecerint, possimus conveniri (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Fratribus Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm jam per ejus gratiam &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Conveniri*.) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Gratiam &c.*) Ut in *Diplomate XXI Januarii MCCXLIV.*

Ne

Ne quis Fratrum Ordinis Prædicatorum ad pecuniam colligendam possit compelli (1) per literas Apostolicas, quæ de his Literis expressam mentionem non fecerint. Anno 1256 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCVII.

VEstra semper in amore virtutum delectatur humilitas &c. (3). Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno secundo.

1. *Compelli.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit.V.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Humilitas &c.*) Ut in *Diplomate dato III Februarii MCCXLIV.*

Abbati Fossatensi (1), ut quæ in gratiam Fratrum Prædicatorum sanxit (2) SS. Pontifex, executioni mandanda curet. Anno 1256 Die 5 Maii

Ex Bulæo Histor. Universitat. Parisien. Tomo III pag.302.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Fossatensi, Parisiensis Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCVIII.

CUm sicut venerabilis frater noster Episcopus, & dilecti filii Capitulum Ecclesię Parisien. sua nobis petitione monstrarunt, dudum inter dilectos filios Priorem & Fratres Ordinis Prędicatorum ex parte una, & Universitatem Magistrorum & Scholarium Parisien. ex altera, super diversis articulis orta fuisset materia quęstionis, & Nos, de fratrum nostrorum consilio, quędam super hęc ordinaverimus, quę noscuntur in utilitatem Studii, & libertatem Parisien. Ecclesię redundare, Nos eorundem Episcopi, & Capituli precibus favorabiliter annuentes, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus ordinationem hujusmodi facias auctoritate nostra firmiter observari. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Laterani III Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Fossatensi.*) Cui nomen *Johannes*.
2. *Sanxit.*) Consulenda *Diplomata data XIV April. MCCLV &c.*

Quarundam Bullarum Interpretationem (1) a mente SS. Pontificis alienam explodit. Anno 1256 Die 8 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XCIX.

MEminimus vobis &c. (3). Datum Laterani VIII Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Interpretationem.*) De qua in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit.XII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Vobis &c.*) Ut supra *XXIV Junii MCCXLIV.* Literæ autem, quas se dedisse Pontifex asseverat, desiderantur.

Ne Legatus, nisi de Latere, vel alius Prælatus propria auctoritate Fratrem Ordinis Prædicatorum comitem sibi ac socium accipiat (1). Anno 1256 Die 14 Maii.

Ex P. *Martene Thesauro Anecdotor. Tomo I ad An. MCCLVI pag.* 1068.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. C.

PEtitionibus vestris tam piis, quam providis paternę benignitatis gratiam, que filiis utiliora prospicit, assensu benevolo impendentes. ut nullus Legatus, nisi de latere nostro missus, auctoritate literarum Sedis Apostolicę, specialem de presentibus non facientium mentionem, aut Prelatus aliquis, de Fratribus vestri Ordinis ad sua, seu Ecclesię suę, negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos Prior Provincialis ipsorum tanquam idoneos, & discretos sibi duxerit (2), quosque subjacere volumus Ordinis disciplinę, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Laterani II Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Exordium. Cavet ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Accipiat.*) Ut in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit.IV.*
2. *Duxerit.*) Adde: *Assignandos.*

Anno 1256 Die 10 Junii.

Priori S. Michaelis de Bosco, ut inemendabilibus facultatem facere queat, ad alios Ordines, Militaribus exceptis, se transferendi (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

.CI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori S. Michaelis de Bosco, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PAci, & tranquillitati &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Anagnię IV Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Transferendi.*) Dicetur in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Adeas etiam *Ususmarem pag.* 36. Aliud insuper Authographum ejusdem quidem tenoris, & datum eadem die, sed inscriptum *Magistro & Prioribus Ord. Fratrum Prædicatorum* asservatur in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* Extat Exemplar authenticum in Archivo Ordinis.

3. *Tranquillitati &c.*) Ut supra *XVII Septembris MCCXLV.*

Anno 1256 Die 17 Junii.

Pacis & concordiæ compositionem Nostrates inter & Parisienses Magistros initam rescindit (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium

CUnctis processibus, & ordinationibus, vel Statutis, quę malitię sunt plena tribulis, & ordine carentia rationis, ubique (3) Apostolicę Sedis derogant auctoritati, & multos fideles enormiter scandalizant, ac in divinę legis vergunt (4) pręjudicium, & evidens continent periculum animarum, prompto spiritu debemus obsistere, ut nulla prorsus gaudeant firmitate, sed redigantur ad nihilum, ne transeant aliis in exemplum, inflicta nihilominus tali pęna temerariis auctoribus eorundem, quod sit omnino eis necessitas de sua pręsumptione damnabili humiliter & propere pęnitendi. Sane pro dilectissimo nobis Parisiensi Studio, & vigore (5) debito conservando, quędam olim circa ipsum, de Fratrum nostrorum consilio, diligenti examinatione premissa, duximus statuenda, sicut in specialibus nostris literis inde confectis, quarum principium est; Quasi lignum vitę (6); plenius continetur; dictis (7) super hoc executoribus deputatis, dilectis etiam filiis Magistris Theologię Parisiensis per literas nostras dedimus in mandatis, ut dilectos filios Fratres Pręedicatores Regentes Parisius in Theologica facultate, & (8) per fel: rec: Innocentium (9) Papam prędecessorem nostrum, & subsequenter per Nos restituti fuerint (10), ad consortium Magistrorum infra quindecim dies post receptionem literarum ipsarum (11) admitterent, alioquin ab officiis & beneficiis essent ipso facto suspensi: dicti & quamplures alii Magistri & Scholares Parisienses restitutionis, ordinationis, & literarum nostrarum, ac sententiarum executorum (12) ipsorum temerarii transgressores in delusionem eorum ab Universitate nequiter recessere (13), & ne per ipsam Universitatem essent ipso facto suspensi, ut dicebant, in quadam societate, seu congregatione morantes Parisius, actumque legendi postmodum ex sola malitia suspendentes, licet Nos nomine Universitatis in dicta Ordinatione nostra sępius iterato (14) intelligamus, & velimus intelligi omnes Magistros, & Scholares Parisius existentes, asserebant, se, cum de Universitate non essent, ad restitutionis, ordinationis, & literarum, ac sententiarum ipsarum observantiam non teneri, frustratorie, ne super hoc in pręjudicium ipsorum fieret, appellando, prout in literis eorum, transmissis nobis, & fratribus nostris, perspeximus contineri; juraverunt (15), ut Fratres Prędicatores & Scholares Fratrum Regentium in Scholis suis, & ad scholasticam societatem nunquam reciperent, nisi prius, quod possent ad hoc recipi, esset per Ecclesiam definitum, & sic hujusmodi, & aliis malitiosis exceptionibus, & appellationibus interjectis, quas frivolas reputamus, pręfatas ordinationem, institutionem, literas, & sententias obstinato animo non servantes, nostrę intentioni circa effectum Ordinationis ipsius pręsumunt calumniosis adinventionibus obviare, ad tantam nihilominus prorumpendo vesaniam, quod in proprię salutis dispendium, & scandalum plurimorum, conati sunt per damnabilem astutiam impedire ne aliquis predictis Fratribus eleemosynas largiretur, vel ab eis, aut in domo ipsorum sermones, seu lectiones, aut disputationes audiret, vel confiteretur ipsis peccata propria, etiam si licentia super hoc a nobis, vel a te loci Diœcesano, aut Sacerdote proprio haberetur. Pręterea, in divinam & nostram offensam non modicam, ipsi Sacrę Religionis ęmuli, ac turbatores quietis, ac laudabilium operum, quibus dicti Fratres ferventer invigilant, nefarii detractores, claram, & celebrem illorum famam offuscare falsis eloquiis molientes, literas, per quas ipsos virtutum odore perfusos, ac pium, & sanctum Ordinem eorum, quasi quoddam sidus, in Ecclesia Dei refulgentem, qui a longis retro temporibus per Sedem Apostolicam solemniter approbatus, fructus desiderabiles & felices in eadem Ecclesia continua fęcunditate producit, odibiles redderent & despectos, Prelatis diversarum partium, & nobis, ac fratribus nostris dirigere pręsumpserunt, illa ducti credulitate nequissima, quod doctrina Catholica, & salubris, ac Prędicatio Fratrum ipsorum Deo gratissima, & delectabilis eum timentibus, contemnatur, ac invalescat hęreticorum perfidia, pro qua impugnanda viriliter, & omnimode confutanda, dicti Fratres, velut strenui pugiles orthodoxę fidei sunt ita vigiles & intenti, quod ducunt pro deliciis si hac de causa aliquando bibant calicem passionis; in quosdam etiam de Fratribus eisdem quidam ex Scholaribus supradictis maligno concitati spiritu, vel quasi phrenetico furore possessi, violentas manus, ut dicitur, injecerunt, & ipsos, & alios tot affecerunt injuriis, ut vix de claustro suo auderent egredi pro quotidianis eleemosynis, in suę pauperis vitę

Quæ jamjam decreverit declarat.

Magistrorum, Scholariumque Parisiensium temeritas.

Ordinem FF. Prædicator. ipsiusque doctrinam, laudibus celebrat.

te-

remedium acquirendis. Demum vero hujusmodi Fratres tam duris afflicti molestiis, & opprobriis lacessiti, ad quandam compositionem cum dictis Magistris & Scholaribus, sine conniventia Sedis Apostolicę, minus provide devenerunt, per quam inter alia reprobatione dignissima dicti Fratres & Scholares a scholis & a scholastica societate Magistrorum Universitatis (16) contemptibiliter excluduntur, quod est apertissime in contumeliam Creatoris, & animarum jacturam, & discrimen fidei, ac in favorem hereticę pravitatis; maxime cum non solum virtuosi, & religiosi viri, sed & judęi, vel quicunque alii Christiani nominis inimici libere in scholis divinę legis recipi, & etiam ad hoc deberent precibus invitari, ut ibi lumen fidei, & morum susciperent disciplinam. Quid plura? Prędicti Magistri, & Scholares hujusmodi concordiam stimulis discordię circumscriptam observare, sicut accepimus, non curarunt, illis, qui volunt Fratrum ipsorum lectiones, ac disputationes, & prędicationes audire, necnon & illis, qui dilecti filii Fratris Thomę de Aquino voluerunt interesse principio (17), se nequiter opponendo. Licet ergo ex parte dictorum Fratrum, qui pacem cum omnibus habere cupiunt, & persecutores etiam pro divina reverentia diligere delectantur, nobis fuerit humiliter supplicatum, ut sententias occasione ipsorum in eosdem Magistros, & Scholares prolatas, & expressum superius juramentum, cum pax esset inter eos ad invicem reformata, relaxare misericorditer dignaremur: Quia tamen pacem ipsam nobis irrequisitis initam, seu pręsumptam, quod nullo modo provenire debuit, omnino duximus reprobandam, cum sit iniqua & attentata contra Ordinationem nostram, quam illibatam & firmam semper volumus observari, preces Fratrum ipsorum super hoc decernimus nullatenus admittendas, quinimmo, ne tantę rebellionis vitium contra Romanam Ecclesiam ausu detestabili attentatum, & diu apud nos sub nimia dissimulatione pręteritum, possit esse aliis occasio schismatis & contumacię perniciosę fomentum, Guillelmum (18) de Sancto Amore, & Odonem (19) de Duaco, Doctores Theologię ac Magistros, Scholarem (20) de Barro super Albam, & Christianum (21) Canonicum Beluacensem, tanquam principales hujusmodi rebellionis, & contumacię inventores (22) omnibus dignitatibus ac beneficiis suis Ecclesiasticis, ac officio Magistrali, denique Guillelmum (23) Capellania nostra privamus; sub pena simili districtius inhibentes, ne aliquem ipsorum quis audiat, si forte contra inhibitionem nostram hi docere pręsumpserint, aut Cathedram ascendere Magistralem: ipsos etiam Doctores, ac Magistros jam dictis beneficiis & aliis indignos reddimus, ac de toto Regno Francię pręcipimus amoveri; alios autem hujusmodi rebellionis consortes pari vel acriori (24) pena, prout nobis videbitur puniemus, nisi reverenter & humiliter infra quindecim dies, postquam prȩsentes fuerint Parisius publicatę, restitutioni, & ordinationi, ac literis, ac sententiis memoratis parere studuerint, ac de prȩstanda nobis super his juxta beneplacitum nostrum satisfactione plenaria, vel condigna, se tibi sufficienter duxerint obligandos; juramenta quidem, aut obligationes quascunque a dictis Doctoribus, ac Magistris, & Scholaribus, sive de non recipiendo ad scholas, vel ad scholasticam societatem dictos Fratres, & scholares Fratrum Regentium (25), sive alios, contra prȩfatam nostram ordinationem factam decernentes penitus non tenere (26); prędictorum executorum sententias in Doctores & Magistros, ac scholares eosdem, aut ipsorum aliquos promulgatas, appellationibus nullis obstantibus, auctoritate Apostolica confirmamus. Quocirca fraternitati tuę per Apostolica scripta in virtute obedientię, ac sub excommunicationis pena districte prȩcipiendo, mandamus, quatenus tenorem prȩsentium omni dilatione, & occasione postposita, per te, vel alios studeas Parisius publicare, si prȩfati Doctores, & Magistri, quod prȩsumimus (27), non duxerint omnimode adimplenda, ipsos ex tunc denunties excommunicatos, & denuntiari facias ubicunque videris expedire, ac illis, ad quos Dignitatum, & Beneficiorum ipsorum collatio dignoscitur pertinere, per literas tuas sine mora demandes, ut infra quindecim dies post receptionem earum, omni occasione cessante, Dignitates & Beneficia ipsa conferant personis idoneis, & Ecclesię Romanę devotis; quod si facere neglexerint, tu illa conferre auctoritate nostra, intra dies totidem non postponas. Carissimum nostrum filium in Christo Illustrem Regem Francię, cui super hęc scripta nostra dirigimus (28), diligenter moneas, & inducas, ut dictos Doctores, & Magistros, tanquam Ecclesię Romanę rebelles, & Parisiensis Studii turbatores, de toto Regno suo postposita tarditate propellat. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus appellationibus, aut exemptionibus, aut occasionibus supradictis, & aliis quibuscunque, sive literis, vel indulgentiis ab Apostolica Sede concessis, per quas prȩcepti nostri executio impediri valeat, vel differri, aut de quibus plenam & expressam, seu de verbo ad verbum, oporteat in prȩsentibus fieri mentionem, seu etiam quod dicti Fratres omnibus literis Apostolicis impetratis, & impetrandis renunciasse dicuntur, quando in compositionem (29) hujusmodi consenserunt, prȩsertim cum ipsam nullam esse, ac jam dictas Apostolicas literas in suo robore manere velimus, & ipsas tibi ab ipsis Fratribus (30), aut earum detentoribus exhiberi, quos ad id, si necesse fuerit, per Censuram eandem, appellatione remota, compellas; prȩceptum nostrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleatur (31), ut efficacis obedientię gaudeamus promptitudinem in te invenisse; alias autem pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu prędictę penę contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, gravissime provocabis. Quod autem super hoc inveneris, & feceris, nobis fideliter intimare non omittas. Datum Anagnię XV Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Compositionis initæ tenor.

Quam iniqua sit.

Nostratum encomium.

Fratres nostros proprio damno in gratiam Magistrorum Parisiensium rogantes increpat, & compositionem pacis irritam facit.

Guillelmum de Sancto-amore, aliosque nonnullos debita poena mulctat.

Ut hujusce negotii Parisiensis Episcopus executionem suscipiat.

Derogationes.

1. *Rescindit.*) Nihil enim de jure suo, vel utilitatibus cogitantes, pacem suis commodis prætulerant Fratres Prædicatores. Id profecto novit *Bulæus* ipse pag. 302 *Tomi III Histor. Universit. Parisien.*, cujus hæc verba. *Interim Dominicani certiorem faciunt per literas Pontificem de pace cum Academicis inita, deque pacis conditionibus, rogantque, ut quos generatim Censuris ligaverat, absolveret. At ille indignatus, id ab ipsis factum se inconsulto, non modo pacem illam irritam fecit, sed & nonnullos e Theologiæ Magistris beneficiis omnibus spoliavit, ceteros vero, ni parerent, & Mendicantes absque ulla restrictione in consortium suum admitterent, excommunicari jussit, datis ad Episcopum Parisiensem hisce Literis*; Quæ cum ita sint, cur, amabo, toties hac de re Fratres Prædicatores duris & acerbissimis verbis accepit *Bulæus*?

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum asservatur *Parisiis*. Idem habent *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXVI pag. 132*, & *Bulæus* supra laudatus.

3. *Ubique.*) Ex Bulæo: *Vel qua.*

4. *Vergunt.*) Idem: *Vertunt.*

5. *Et vigore.*) Ex eodem: *In vigore.*

6. *Vita.*) Ut supra *XIV April. MCCLV.*

7. *Dictis.*) Bulæus: *Certis.*

8. *Et.*) Idem legit: *Qui.*

9. *Innocentium.*) IV. Videas *notam XIV in Diploma datum XIV April. MCCLV.*

10. *Fuerint.*) Ex Boulæo: *Fuerant.*

11. *Ad consortium Magistrorum infra XV dies post receptionem literarum ipsarum.*) Hæc non novit *Boulæus.*

12. *Executorum.*) Apud *Boulæum* legitur: *Et executionis ipsarum.*

13. *Recessere.*) Ex eodem: *Recesserunt, & præter ipsam Universitatem, ut dicebant &c.*

14. *Iterato.*) Idem: *Iterata.*

15. *Juraverunt.*) Ex Boulæo: *Juraverunt etiam.*

16. *Universitatis.*) Boulæus: *Et Universitatis.*

17. *Principio.*) Lege *Notam I in Diploma Datum XI Martii MCCLVI.*

18. *Guillelmum.*) De quo sæpius supra.

19. *Odonem.*) *Boulæus* legit: *Odonem de Duaco Doctores Theologiæ, ac M.... Nicolaum de Barro super Albam.*

20. *Scholarem.*) Paratum ad omnia descendisse *Nicolaum de Barro* docent *Chronica Normanniæ ad annum MCCXLIV apud Vvaddingum Annal. Minor. ad annum MCCXLVI num. XXXVI pag. 143.* Vide inferius *XXVII Junii MCCLVI.*

21. *Christianum.*) In ancipiti mortis discrimine vocatus iste, caussam, quæ *Guillelmum de Sancto-amore*, cæterosque, de quibus Diploma loquitur, concitasset in Fratres, aperuit; *amarissimo enim corde contritus*, inquit *Cantipratanus lib. II de Apibus Cap. X num. XXVII, recognovit, nil se, & complices suos contra dictos Ordines habuisse, nisi quod illis æquari in scientia non valerent, & ob hoc eos parvipenderent auditores: & addidit: Quoniam, nihil habeo, quod vobis pro injuria gravi illata refundam, in signum tamen, quod ex corde pœniteo, corpus meum apud vos Fratres Prædicatores tradendam sepulturæ relinquo.* Sententiæ *Cantipratani* suffragatur *Boulæus Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag. 342* dicens: *Christianus Beluacensis, qui eos* (FF. Prædicatores) *acerrime vexaverat, illis & corpus & libros post mortem tradi voluit.*

22. *Inventores.*) Boulæus: *Inceatores.*

23. *Denique Guillelmum.*) Idem: *dictumque Guillelmum.*

24. *Vel acriori.*) Ex eodem: *Et acriori.*

25. *Scholares Fratrum Regentium.*) Ex Boulæo: *Scholares Fratres ipsorum Regentium, sive alias.*

26. *Non tenere.*) Apud eundem: *Non teneri.*

27. *Quod præsumimus.*) Idem: *Quæ præmisimus.*

28. *Dirigimus.*) Videas infra *XXVII Junii.*

29. *In compositionem.*) Ex Boulæo: *In compositione hujusmodi non consenserunt.*

30. *Ab ipsis Fratribus.*) Boulæus. *Ac eisdem Fratribus ab eorum detentoribus.*

31. *Impleatur.*) Idem legit: *Implerentur.*

Anno 1256 Die 22 Junii.

Provinciali Fratrum Prædicatorum in Anglia, aliisque nonnullis, ut de vita & miraculis Ricardi (1) Cicestrensis (2) Episcopi diligenter inquirant.

Ex Archivo (3) Ordinis lib. A. fol. 852.

CIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Vvigornien. (4), & dilectis filiis Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Anglia, & Fratri Adæ (5) de Marisco Ordinis Minorum, in Anglia commorantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

UT corda fidelium in sui amorem Rex cęlestis accendat, & incredulos convertat ad Fidem, Sanctos suos miraculis magnificat gloriosis: devotiores namque fideles Ipsi redduntur Altissimo, dum vident electos ipsius post exitum hujus vitę felicem virtutibus coruscare; ac eum sequi desiderant, cum se sequentibus ęterna pręmia largiatur. Sane dignas Domino referimus gratias, quod sicut venerabiles Fratres nostri nonnulli Episcopi, & Pręlati alii Regni Anglię, ac carissimus in Christo filius noster Illustris Rex Anglię, nobis insinuare curarunt, recolendę mem: Ricardum Cicestrensem Episcopum, cum Ipse vixisset in hoc seculo, viam salutis docendo verbis pariter, & exemplis, tandem pręsentis vitę cursu feliciter consummato, & etiam ante ipsius obitum multis miraculis Omnipotens decoravit. Unde Nobis humiliter supplicarunt, ut cum non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita, & miracula Sanctum ostendunt, ipsum ascribere Sanctorum catalogo curaremus. Quia vero Nobis plenius non constitit de pręmissis, discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, de Fratrum nostrorum consilio, per Apostolica scripta mandamus, quatenus de vita, & miraculis ipsius diligenter, & solicite inquirentes, quę inveneritis, Nobis per literas vestras fideliter intimetis. Non obstante si Fratribus vestri Ordinis, fili Prior, & Fr. Adam, a Sede Apostolica sit Indultum, quod de causis, quę ipsis a Sede committuntur eadem, cognoscere minime teneantur. Quod si non omnes his &c. Tu Frater Episcope &c. Datum Anagnię X Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

1. *Ricardi.*) Consule *Nicolaum Harsfeldium Histor. Angliæ seculo XIII Cap. XVII*, & *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLXII num. IV*, ubi Bullam *Canonizationis* exscripsit.

2. *Cicestren.*) In ora australi *Angliæ.*

3. *Archivo.*) Adeas *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLVI num. XLIV pag. 151.*

4. *Vvigornien.*) Vulgo *Vvorcester*, in *Anglia* sub Archiepiscopo *Cantuariensi.*

5. *Ada.*) Vir pius & doctus fuit *Ada*, de quo *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo I ad Annum MCCXXX num. VIII.*

Anno 1256 Die 27 Junii.

Episcopo Parisiensi, ut quædam in gratiam Fratrum Prædicatorum & Minorum sancita publicet, & in violatores animadvertat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quæ jam decreta sunt refert.

LIcet olim pro Studii Parisiensis conservatione quędam circa Studium Ipsum, de Fratrum nostrorum consilio, provide duxerimus ordinanda, prout in literis (3) nostris exinde confectis, quę: Quasi lignum vitę; incipiunt, plenius continetur, nonnulli tamen Magistri, & Scholares Parisienses quasdam colligationes, & obligationes nefarias ad invicem, ut audivimus, inierunt, per quas Scholares Religiosi, & alii non possunt libere, sicut volunt, Scholas, maxime sacrę legis, pro lectionibus, & disputationibus audiendis, intrare, alias etiam, non sine Apostolicę Sedis injuria, & impedimento dicti Studii, ac salutis animarum dispendio, intentionem nostram circa effectum ordinationis ipsius evacuare multipliciter moliuntur.

Volen-

Volentes igitur, & auctoritate præſentium ſtatuentes, quod Scholares omnes tam Religioſi, qui de Prælatorum ſuorum licentia morantur in ſtudio, quam etiam ſeculares (4), liberè valeant, ubi voluerint lectiones, & diſputationes, ac prædicationes audire, quodque præfata noſtra Ordinatio ab omnibus Magiſtris, & Scholaribus Pariſius exiſtentibus revereter, & humiliter obſervetur; necnon quod dilecti filii Prædicatorum, & Minorum (5) Ordinum Fratres, ac alii Religioſi, qui Pariſius fuerint pro tempore Doctores Theologicę facultatis, ſeu Scholares ipſorum, in conſortium, & collegium, ſeu ſocietatem aliorum Magiſtrorum, & Scholarium Pariſienſium recipiantur, ſimpliciter, & efficaciter habeantur (6), & quod Pariſienſe Studium præter tenorem Ordinationis ejuſdem, aut abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali nullatenus alibi transferatur, omnes, qui contra hoc ſalubre ſtatutum noſtrum venire, vel occaſione præſentium, aut aliarum literarum noſtrarum directarum tibi, quę incipiunt: Cunctis Proceſſibus (7): Studium ipſum conturbare præſumpſerint, omnibus Eccleſiaſticis Beneficiis decernimus eſſe privatos, & ab Ordinum executione ſuſpenſos. Omnes autem obligationes, etiam juramento firmatas, a Magiſtris, & Scholaribus memoratis contra Ordinationis, aut literarum ſuperius expreſſarum, ſeu præſentium tenorem præſumptas, vel in poſterum præſumendas, necnon compoſitionem inter eoſdem Fratres Prædicatores ex parte una, ac Magiſtros, & Scholares (8) ex altera, contra Ordinationem ipſam, nobis irrequiſitis, initam (9), tanquam iniquam, & temerariam penitus irritamus. Ut igitur a ſupradictorum obſervantia nullus ſe poſſit per ignorantiam excuſare, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientię diſtrictè præcipiendo, mandamus, quatenus tenorem præſentium qualibet occaſione, & dilatione, ac appellatione ceſſante, per te, vel per alios publicare Pariſius non omittas. Si qui contra prædictorum aliquid venientes privationem incurrerint memoratam, tu illis, ad quos Beneficiorum ipſorum collatio ſpectare dignoſcitur, per literas tuas ſine mora demandes, ut infra quindecim dies poſt receptionem ipſarum, omni occaſione ceſſante, Beneficia illorum, de quibus videris expedire, conferant perſonis idoneis, & Eccleſię Romanę devotis. Quod ſi hęc facere neglexerint, tu illa conferre Perſonis ejuſmodi non poſtponas; Non obſtantibus appellationibus, & exceptionibus, aut occaſionibus quibuſcunque, ſive literis, vel indulgentiis, ab Apoſtolica Sede conceſſis, per quas præcepti noſtri executio in hac parte impediri valeat, vel differri, aut de quibus plenam, & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum oporteat in præſentibus fieri mentionem, ſeu etiam quod dicti Fratres omnibus literis Apoſtolicis impetratis, & impetrandis renunciaſſe dicuntur, quando in compoſitionem hujuſmodi conſenſerunt; Præſertim cum ipſam nullam eſſe, ac jam dictas Apoſtolicas literas in ſuo robore remanere, velimus, & ipſas tibi, ac eiſdem Fratribus ab earum detentoribus exhiberi, quos ad id, ſi neceſſe fuerit, per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Præceptum noſtrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, ut efficacis obedientię gaudeamus in te promptitudinem inveniſſe; alias autem (10) pro firmo teneas, quod indignationem noſtram contra perſonam tuam, licet ipſam in Chriſto ſinceriſſime diligamus, graviſſime provocabis. Quod enim ſuper hoc inveneris, & feceris, nobis per tuas literas fideliter intimare procures. Datum Anagnię V Kalend. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Quædam alia ſancit.

Decretum irritans.

Mandat ut ſupra.

Derogationes.

1. *Animadvertat.*) Hujus Diplomatis cauſam ſic aperit *Boulæus Hiſtor. Univerſit. Pariſien. Tomo III pag. 305. Quia vero Univerſitas dixeras ſæpius, ſe alio migraturam, Studiaque tranſlaturam, ſi ſe videret a Summo Pontifice compelli ad recipiendos Fratres, idem Pontifex paulo poſt prædictam Bullam datam* (XVII Junii), *aliam ad eundem Epiſcopum* (Pariſienſem) *dirigit, qua mandat, ne patiatur alio transferri Studium Pariſienſe; vult vero ſuperiorem ſuam Bullam executioni demandari.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo Cœnobii *Pariſienſis*. Illud exſcripſere *Caſtellanus pag. 311*, *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLVI num. XXVII pag. 134*, *Boulæus* mox citatus.

3. *Literis.*) Tranſcriptæ *XIV April. MCCLV.*

4. *Seculares.*) Ex Boulæo: *Scholares*.

5. *Minorum.*) Enim vero *ſub menſe Junii jam pertranſiit perturbatio ad Minores*, inquit *Vuaddingus* laudatus nota II, *& participes facti ſunt malorum, quæ Prædicatoribus evenerant. Quare utroſque Pontifex Epiſcopo commendat, jubens ut ſua ſtatuta omnino obſerventur, nec eludantur, aut evacuentur per colligationes quaſdam nefarias, aut intentionem transferendi alio ſtudium Pariſienſe, in quo tunc non permittebant Scholares Religioſos ſacræ legis lectionibus, aut diſputationibus intereſſe.*

6. *Habeantur.*) Boulæus: *Pro talibus habeantur*:

7. *Cunctis Proceſſibus.*) Vide *XVII Junii MCCLVI.*

8. *Et Scholares.*) Hæc deſiderantur apud *Boulæum*.

9. *Initam.*) Ex Boulæo: *Irritam*. Quid autem ſit illa *Compoſitio* diſces ex Diplomate *XVII Junii* mox laudato.

10. *Alias autem.*) Quædam hic deſunt apud *Boulæum*.

Provinciali Hiſpaniæ, ut in Regnum Tuniſii (1), & ad quaſcunque Infidelium nationes Fidei præcones ſibi ſubditos mittat (2).

Anno 1256 Die 27 Junii.

Ex Arch. (3) Ord. lib. B. fol. 414, & 537.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Hiſpania, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CV.

CUm hora undecima ſit diei hominibus, ut exeant ad opus, uſque ad mundi veſperam deputati, & illud Apocalypſis eulogium cito credatur, cum matris Eccleſię conſolatione complendum; videlicet, oportere viros ſpiritualis vitę munditiam, & intelligentię gratiam cum Johanne fortitos, populis, & gentibus, linguis, regibuſque multis denuo prophetare, quia non ſequetur reliquiarum Iſrael per Iſaiam prophetata ſalvatio, niſi juxta Paulum Apoſtolum prius introeat gentium plenitudo; Nos, licet immeriti, ſuper Apoſtolicę Sedis ſpeculam conſtituti, fideliter, ac prudenter diſpenſandis Dei miniſteriis, & operibus coadjuvandis intendimus, ſi urgente plenitudine temporis poſt pia priorum ſtudia in vineam Domini Sabaoth, novos, & pene noviſſimos, qui ſapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Sane, quia inter alios propugnatores Fidei Chriſtianę, Fratres Ordinis tui juxta profeſſę Religionis officium zelus comedit animarum, ex eis ad gentes, quę Chriſtum Dominum non cognoſcunt, & ad ſubtractionis filios, qui ſacroſanctę Romanę Eccleſię non obediunt, decrevimus aliquos deſtinandos. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus aliquos ex Fratribus tibi commiſſis, quos prepo-

Exordium.

FF. Prædicatorum encomium.

Mandat ut ſupra.

prepotentes videris in opere, ac sermone, ac fidei ampliandę zelo ferventes ad Terras Saracenorum Hispanię per totum Regnum Tunisii, & ad quascunque Infidelium nationes auctoritate nostra transmittas, annuntiaturos illis in virtute Dei Evangelicam veritatem, quos tibi amovere liceat, aliosque substituere, cum videris expedire. Quibus vice nostra in peccatorum omnium remissionem iniungas, ut seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui mundum dixit se vicisse, confisi, ad illuminationem cęcę multitudinis, & exterminium hereticę falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confirmandos in luce sermonis, & certitudine operis, propositum sibi iter sine qualibet offensione percurrant. Ut autem ministerium ipsorum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, eisdem Fratribus, quos ad hoc miseris, pręsentium auctoritate concedimus, ut in Terris, quę adhuc Sedis Apostolicę ministerio (4) non intendunt, proponere Verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante, si aliqui sunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac aliis secure communicare; & ipsos, seu etiam alios, converti ad unitatem Christianę fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesię filiis valeant, & Presbyteri ex eisdem Fratribus ipsos aggregatos possint insignire charactere Clericali; & ipsos ad Acolytatus Ordinem promovere. Liceat etiam ipsis Fratribus ibidem redeuntibus ad obedientiam dictę Sedis, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium, juxta formam Ecclesię impertiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui Sacros receperunt Ordines, & Divina celebrarunt Officia sic ligati. Hoc ipsum sit eisdem Fratribus licitum circa illos de Terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ętatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores pretermissis inferioribus conferre, seu recipere Ordines pręsumpserunt: si tamen in hoc servata talis forma extiterit, per quam Ordines recepissent. Ipsis quoque Fratribus dispensare liceat, ut illi ex nationibus eorum pręedicationi commissis, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus, & casibus a divina minime lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem, & hi qui ad Ecclesię Catholicę redierint unitatem, ut inter suos habitent, eisque communicent, necnon quod Clerici nationum ipsarum, publice ad obedientiam Sedis redeuntes eiusdem, gaudeant privilegio Clericali. Sit etiam eisdem Fratribus licitum omnium fidelium in Terris pręedictis Confessiones audire, ac ipsis injungere pęnitentias salutares, & excommunicatos a Canone, vel alio modo, juxta formam Ecclesię absolvere, dummodo injuriam, & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earundem in casibus, in quibus solent Legati Sedis Apostolicę dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut de Regularibus procreati, sit Fratribus pręfatis dispensandi facultas; Quam circa illos similiter habeant, qui ab unitate Ecclesię Catholicę, seu Religione, vel Clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salva disciplina Ordinis, resumantur, & illos ex jam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt adstricti, juxta premissam formam, & pręedictę satisfactionis modum, absolvere valeant, & cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius, dispensare. Ad hęc sit memoratis Fratribus absolvendi facultas occisores Clericorum, & Religiosarum Personarum in pręedictis partibus constitutos; fundandi ibidem de novo Ecclesias, & reconciliandi ipsas, quę sunt casu aliquo prophanatę, ac de novo fundatis Rectores idoneos providendi, & illis, qui de Gentibus, vel Schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas (5), cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam ipsorum deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem, & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut justum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per Censuram Ecclesiasticam, ipsis Fratribus libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus eos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facient, Missam, & cetera Divina celebrandi Officia, & in eisdem partibus cęmeteria benedicendi; ac dandi Indulgentias, commutandi vota, liberam licentiam, & plenam habeant facultatem. Ceterum Fratribus pręfatis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis possint Ordines, & alia Ecclesiastica Sacramenta suscipere, ac vestes Sacerdotales, Altaris pallas, Corporalia, per eos, qui ex Fratribus ipsis sunt Presbyteri, cum eis necesse fuerit, benedicere, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, necnon alia facere (6), quę ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicę fidei, ac reprobationem, & irritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore viderint expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis infringere, vel ei &c. Si quis &c. Datum Anagnię V Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Facultates Missionariis nostris concessae.

Sanctio poenalis.

1. *Tunisii.*) In *Africa*.

2. *Mittas.*) *Mandata Pontificis executus est festinanter* Provincialis, verbis utor *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. V ad Annum MCCLVI pag. 72, & missis multis Prædicatoribus ad partes, & Regna ab Alexandro præscripta, quasi sidera cælestia inter populos illos effulgentibus, fructus desiderabiles, & felices continuata fœcunditate Ecclesiæ dedere. Nam brevi tempore Saracenorum decem millia sacro lavacro Christo regeneravere, adeoque sacra Evangelii prædicatione invaluere, ut S. Raymundus de Pennafort, Barcbinone existens, Generalem Magistrum Ordinis, Humbertum, de uberrimo fructu, quem Ecclesiæ Sanctæ Dei dabant, commonefecerit. Nam præter conversos ad Fidem supra relatos Saracenos, Christianos milites, qui in illarum Provinciarum confiniis præsidio erant, a sceleribus multis avertentes, per Sacramentorum frequentiam in viam salutis direxerunt. Insuper Maurorum servos, Christianorum filios, sacris legibus imbuerunt. Apostatas a Fide, ad pœnitentiam vocatos, sanctæ matri Ecclesiæ reconciliarunt. Captivos Christianos inter infideles sub ærumnosa servitute detentos in Fide consolidarunt, & innumera opera caritatis in obsequium Fidei atque Ecclesiæ præstiterunt.*

3. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum ex Autographis asservatis in Cœnobiis *Barchinonensi*, & *Taurensi*. Idem exscripsit *Josephus Medranus Histor. Provinciæ Hispan. Ord. Prædicator. Tomo II ad Annum MCCLXVI pag.* 419.

4. *Ministerio.*) In Exemplari *Barchinonensi* legitur: *Magisterio*.

5. *Uxores suas.*) Id est, unusquisque suam, quam in gradibus a jure Ecclesiastico duntaxat, non autem Divino prohibitis, duxit in matrimonium, valeat retinere.

6. *Facere.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

Re-

Regi (1) Franciæ, ut nonnulli Magistri ac Scholares Parisienses pœnas pendant in ipsos latas, & insuper Guillelmus (2) de Sancto-amore, ac Christianus Beluacensis Canonicus in carcerem contrudantur.

Anno 1256 Die 27 Junii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francię Illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Regis Christianissimi.

VEre fidei, & pię devotionis sinceritas, quam geris erga Deum, & Romanam Ecclesiam, evidentibus & credibilibus nimis sanctorum operum testimoniis comprobata, cor nostrum mira perfundit suavitate (4) letitię, ac nobis, quod Excelientiam tuam ad omne bonum promptam semper experiri possimus, efficacissime persuadet. Inter alia vero tuam Regiam celsitudinem commendant clarius dilectionis & pietatis viscera, quę in omnes Christi pauperes & pręcipue in dilectos filios Prędicatorum & Minorum Ordinum Fratres affectuosius effundis, in quo utique ipsius Christi te imitatorem exhibens, ipsum (5) & ejus Ecclesiam, cujus illi officiosa sunt membra, eo cariora, quo sibi firmius cohęrentia, letificas & honoras. Sane, licet pro dilectissimo nobis Parisiensi Studio in vigore debito conservando, quędam olim circa ipsum, de Fratrum nostrorum consilio, diligenti examinatione pręmissa, provide duximus ordinanda, sicut in specialibus literis nostris inde confectis plenius continetur; certis super hoc executoribus (6) deputatis;

Factum paucis enarrat.

quamplures tamen Magistri & Scolares Parisienses suę potius, quam Christi glorię cupidi, pro eo quod super injuriosa separatione dilectorum filiorum Magistrorum Fratrum Prędicatorum Parisiensium & scolarium eorundem (7), a Magistrorum consortio & Universitatis Collegio, ac quibusdam eorum statutis iniquis, & non sine offensa Dei, & animarum periculo, arctantibus studium Sacrę legis, apud nos non potuerunt, quia nec debuerunt, consequi votum suum, irrationabili commotione, ac superba indignatione turbati, non solum dictos Fratres Prędicatores, quorum felicibus profectibus invidebant, crudeliter, & nequiter afflixerunt, ac eorum Ordinem fęcundum fructibus sanctitatis, & quasi quoddam sydus, in Dei Ecclesia resulgentem, apud nos, & alios conati sunt verbis & literis sacrilegis diffamare, sicut tua Serenitas, ut credimus, non ignorat; Verumetiam, quod est detestabilioris audacię, nobis se contumaciter opponere pręsumentes, adinventionibus fraudulentis, & frivolis appellationibus, prout nobis per suas literas constitit, pręfatę Ordinationis effectum impedire contra intentionem nostram multipliciter attemptarunt, declarationes (8) nostras, & excommunicationis ac suspensionis sententias in eos, culpis suis exigentibus, auctoritate Sedis Apostolicę promulgatas, rebellione dampnabili contemnendo.

Fratres Prædicatores laudibus celebrat.

Sed quia hujusmodi superbię filii diu sub quadam pia dissimulatione a nobis ut resipiscerent expectati, suę cervicis obstinatę duritiam, ad obediendum nobis, flectere non curarunt; Nos, ne tantę temeritatis vitium contra Romanam Ecclesiam ausu detestabili attemptatum, possit esse aliis occasio schismatis, & contumacię perniciosę fomentum, & ne Parisiense Studium violato tenore Ordinationis nostrę pro aliquorum libito dissolvi valeat, vel transferri, nos citra culparum suarum exigentiam processimus contra ipsos, & venerabili Fratri nostro Parisiensi Episcopo scripta nostra direximus, ut processum ipsum Parisius publicare studeat, ac alia quędam circa hoc diligenter exequatur.

Magistrorum Parisiensium contumacia.

Ut autem hujusmodi processus nostri votiva executio proveniat sine mora, Serenitatem tuam, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, omni, qua possumus, affectione rogamus, ac in remissionem tibi injungimus peccatorum, quatenus pręfato Episcopo, ad exequendum super hoc pręceptum nostrum, pro divina & nostra reverentia, tui brachii triumphali virtute subveniens in auxilium salutaris & Ecclesiasticę disciplinę divinitus tibi data, Guilielmum de Sancto-amore, Oddonem de Duaco Doctores Theologię, ac Nicolaum (9) Decanum de Barro, & Christianum Canonicum Beluacensem, tanquam Ecclesię Romanę rebelles & aliorum rebellium incentores, ac turbatores Parisiensis Studii, nisi ad mandatum nostrum juxta formam ipsi Episcopo traditam redeant reverenter, omni dilatione & occasione, seu appellatione cessantibus, de toto Regno Francię propellere non omittas. Vellemus ad hęc, si tuę Celsitudini videretur, ut dictos Guilielmum de Sancto-amore & Christianum, qui sunt in perversitate hujusmodi potiores, faceres usque ad beneplacitum nostrum in carcere (10) detineri,

Injungit ut supra.

ceteros de Magistris & Scolaribus supradictis pręfatę Ordinationis nostrę & ejusdem Studii turbatores, ac Fratrum ipsorum vexatores improbos & iniquos tua prępotenti dextera, prout tibi videbitur, coercendo, ut ipsorum punita malignitas alios doceat quiete vivere, & Ecclesię Romanę humiliter obedire (11); preces nostras in hac parte sic efficaciter impleturus, quod nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti, tuis, cum opportunum fuerit, libentius annuamus. Datum Anagnię V Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Regi.*) Consule *Diploma datum XIV April. MCCLV.*
2. *Guillelmus.*) Legendum *Diploma XVII Junii MCCLVI.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Aliud asservatur *Parisiis*. Illud exscripsit *Castellanus pag.31.* Adeas etiam *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVI num.XI, Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXVIII pag.135, Boulaum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.306.*
4. *Suavitate.*) Boulæus: *Novitate.*
5. *Ipsum.*) Desideratur apud *Boulaum.*
6. *Executoribus.*) Episcopis scilicet *Aurelianensi*, & *Antissiodorensi*, de quibus supra *XIV April. MCCLV.*
7. *Magistrorum Fratrum Prædicatorum Parisien., & scolarium eorundem.*) Hæc omisit *Boulæus.*
8. *Declarationes.*) Deest apud eundem.
9. *Nicolaum.*) *Boulaus* legit: *Nicolaum de Barro, Christianum Canonicum.*
10. *In carcere.*) Hic silet *Boulaus.*
11. *Ceteros de Magistris, & Scolaribus supradictis præfatæ ordinationis nostræ, & ejusdem studii turbatores, ac Fratrum ipsorum vexatores improbos, & iniquos tua præpotenti dextera, prout tibi videbitur, coercendo, ut ipsorum punita malignitas alios doceat quiete vivere, & Ecclesiæ Romanæ humiliter obedire.*) Hæc in Autographo, *Boulæus* autem sic transcripsit. *Ut ceteros de Magistris, & Scholaribus supradictis præfatæ ordinationis nostræ, & ejusdem studii turbatores, ac Fratrum ipsorum punita malignitas alios doceat quiete vivere, & Ecclesiæ Romanæ humiliter obedire.* Hæc *Boulæus* qui Tabulas publicas audet corrumpere, quo Fratribus Prædicatoribus infamiam possit inferre. Nihil dicimus: Tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas fuisse clamant. De ceteris ex hoc uno conjecturam faciat lector.

Fra-

Anno 1256
Die 1 Julii.

Ut ad Parisienses Scholas FF. Prædicatores admittantur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Fratres laudibus effert, & increpat.

VEhementi admiratione ducimur, & etiam non immerito conturbamur, quod licet Sedes Apostolica vos pro sacrę Religionis vestrę meritis complectatur affectu benevolentię specialis, ac viros reputet honestate multa conspicuos, & circumspecta discretione pręclaros, ad illius tamen inconsultę simplicitatis prorupistis excessum, ut cum Magistris, & Scholaribus Parisiensibus effectum Ordinationis pro communi utilitate Studii Parisiensis a Nobis editę de Fratrum nostrorum consilio, dolose ac nequiter molientibus impedire, non solum pręsumpseritis, & absque connivenția nostra cum eis componere, sed etiam nimis improvide postmodum petivistis, ut sententias in pręfatę Ordinationis temerarios transgressores auctoritate nostra prolatas, pretextu compositionis hujusmodi. relaxare de speciali gratia dignaremur, licet ipsi adhuc in sua contumacia damnabiliter perseverent. Sane, nisi vos (3) propter enormes, & atroces, quas ferebatis injurias, ad consensum compositionis ejusdem quasi violenter inductos de quadam pietatis abundantia crederemus, debitę severitas disciplinę vos instrueret, quod in hoc non leviter deliquistis. Preces (4) igitur improvidas, & indignas, quas nobis in hac parte porrigere attentastis, nullatenus admittentes, obligationes, de non recipiendo ad Scholas, vel Societatem Scholasticam, vos, seu quoscunque alios Religiosos, aut Seculares, sive alias contra pręfatam Ordinationem nostram a dictis Magistris, & Scholaribus attentatas, etiamsi juramento sint, vel quacunque firmitate alia roboratę, penitus irritamus. Declarantes auctoritate pręsentium, quod vos, & alii Religiosi qui in pręsentiarum cum Prelatorum suorum licentia in Studio commorantur, ad Scholas pręcipue Theologicę facultatis, & Scholasticam societatem libere, sicut alii Seculares recipi valeatis; Pręsertim cum ad hęc infideles ipsi non solum affectu deberent admitti promptissimo, sed etiam induci precibus, & muneribus invitari; ut ibi lumen Fidei, & morum susciperent disciplinam. Datum Anagnię Kalendis Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ordinationem Magistrorum Parisiensium irritam esse jubet.
Mandat ut supra.

1. *Admittantur.*) Consule *Diploma datum XIV April. MCCLV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Parisiis* asservato. Adeas *Vvaddingum Annal. Minorum Tomo II ad annum MCCLVI num. XXIX pag. 136, Boulaeum Histor. Universitat. Parisien. Tomo III pag. 107.*
3. *Vos.*) *Vvaddingus*, & *Boulaeus* legunt: *Nos.*
4. *Preces.*) Vide *Diploma Datum XVII Junii MCCLVI.*

Anno 1256
Die 6 Julii.

Archiepiscopo Januensi, ut Januense Commune leges ab Innocentio IV in hæreticos latas (1) observet.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Nostratum Fidei Censorum supplex petitio.

DIlecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Inquisitores hereticę pravitatis in Lombardia nobis significare curaverunt, quod, cum ipsi dudum in Civitate Januen. volentes injunctum sibi officium exercere, Constitutiones felicis recordationis Innocentii PP. IV, Predecessoris nostri, contra hereticos editas, pręciperent juxta nostrum, & ipsius Pręedecessoris, mandatum in Capitularibus & statutis ejusdem Civitatis conscribi, Potestas, Consilium, & Commune ipsius a dictis Inquisitoribus diligenter & pluries requisiti, non absque duritia & Apostolicę Sedis injuria, & etiam ipsorum infamia, id efficere contempserunt. Cum igitur iidem ex hoc tanto sint gravius arguendi, quanto ipsi inter alios populos Italię reputati sunt Catholicę fidei zelatores; Nos, ne videamur eos in hujusmodi pertinacia confovere, ipsorumque duritia transeat aliis in exemplum, Fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, in virtute obedientię tibi firmiter pręcipientes, quatenus Potestatem, Consilium, & Commune pręedictos moneas attentius, & inducas, ut infra quindecim dies post tuam monitionem, Constitutiones easdem in suis Capitularibus, & statutis conscribi faciant, & inviolabiliter observari, & eos ad id ex tunc sine morę dispendio per excommunicationis in personas, & in Civitatem ipsam interdicti sententias, appellatione remota, compellas; circa hoc taliter processurus, quod reprehendi non possis de negligentia, & in tanto fidei negotio notabilis inveniri. Datum Anagnię II Nonas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

1. *Latas.*) Digna lectu de tota re scripsit *Bzovius Annalium Ecclesiast. ad annum MCCLVI num. VII ex Augustino Nebien. lib. III Annal. Genuensium*, illum audire præstat. *Hoc ipso anno quamplurimum controversiarum intercessit inter Fratrem Anselmum Ordinis Prædicatorum, Inquisitorem Liguriæ, & Magistratum Genuensem: conabatur ille, ut nonnullæ Constitutiones tam ab Apostolica Sede, tum ab Imperatoria potestate editæ contra hæreticos evulgarentur, & inter leges Civitatis reponerentur. Veruntamen Philippus Turrianus Civitatis Præfectus, sive quod hæreticis faveret, sive quod mandata Inquisitoris flocci penderet, recusavit. Inquisitor porro, auctoritate Apostolica fretus, contra Philippum eo nomine de hæresi suspectum judicium instituit, atque obtemperare, & comparere recusantem, tum illum, tum reliquos, in administranda Republica socios, criminis conscios, anathemate damnavit, & sacris urbi interdixit. Philippus, ea censura notatus, appellationem ad Sedem Apostolicam interposuit, Legatosque ad Summum Pontificem misit, qui suspensionem a Censuris impetrarent, & de tota re judicium expectarent. Et quidem Summus Pontifex ad præstitutam diem, eas, quas Anselmus protulerat, diras suspendit; Philippus vero antequam eadem dies adveniret, dictis Anselmi obsequens, omnes Constitutiones eas, quas voluerat Inquisitor, tabulis legum Urbanarum inscripsit, & juxta earundem præscriptum in maleficos animadvertit.* Hæc Bzovius: sic etiam *Spondanus ad Annum MCCLVI num. XVII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Do-

Domesticos nostros Excommunicationis & Generalis Interdicti (1) sententiis obnoxios non esse. — Anno 1256 Die 8 Julii.

Ex Bullario Ususmaris pag. 36.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CIX.

UT in vestris Domibus &c. (2). Nulli ergo &c. Datum Anagnię VIII Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Interdicti.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Domibus &c.*) Ut in *Diplomate dato XIII Januarii MCCXLVII.*

Ne Transfugæ, vel ejecti ex Ordine, docere, conciones habere, aut confessiones (1) excipere præsumant. — Anno 1256 Die 8 Julii.

Ex Bullar. (2) Ususmaris pag. 36.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CX.

JUstis petentium desideriis &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Anagnię VIII Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Confessiones.*) Consulendus *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XI.*

2. *Bullario.*) Idem habet *Castellanus pag. 45.*

3. *Desideriis &c.*) Ut in *Diplomate XIX Septembris MCCXLV.*

Priori Prædicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum, ut Abbatis S. Johannis de Pruna (1) electionem confirment. — Anno 1256 Die 11 Julii.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 853.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — CXI.

EXhibita nobis dilectorum filiorum Conventus Monasterii S. Johannis de Pruna, Ordinis S. Benedicti, Oscen. Dięcesis, petitio continebat, quod Monasterio ipso, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, Abbatis regimine destituto, ipsi, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, convenientes in unum, ac Spiritus Sancti gratia, prout moris est, invocata, de futuri Abbatis substitutione tractantes, eligendi Abbatem, P. Priori, & quatuor aliis dicti Monasterii Monachis commiserunt unanimiter potestatem, promittentes se illum recipere in Abbatem, quemcunque ipsi ducerent eligendum. Iidem vero quinque, Deum habentes prę oculis, habito inter se super hoc diligenti tractatu, eundem P. Priorem virum, ut asserunt, providum, & honestum, ac in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, in eorum Abbatem canonice, ac concorditer elegerunt, cujus Electionem iidem approbantes Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum rectis dispositionibus nihil debeat difficultatis afferri, & idem Electus propter paupertatem ipsius Monasterii, ac viarum discrimina nequeat commode Apostolicam Sedem adire pro confirmationis, & benedictionis munere obtinendo, confirmari dictam Electionem, & benedici eundem P. in illis partibus, mandaremus. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit, ipsum Monasterium ad nos immediate spectare, inquisita de modo Electionis, studiis eligentium, & Electi meritis, solicite veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate Apostolica confirmantes, faciatis, eidem Electo a suis subditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi, & munus Benedictionis impendi, recepturi ab eo postmodum pro nobis, & Romana Ecclesia, fidelitatis solitę juramentum, secundum formam, quam vobis sub Bulla nostra mittimus introclusam, alinquin, ea rite cassata, provideatis de persona idonea ipsius Monasterii, vel aliunde, ipsi Monasterio in Abbatem, ordinantes circa ipsum prout superius est expressum. Contradictores &c. Formam autem juramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum per ejus patentes literas suo sigillo signatas per proprium nuncium nobis studeatis quantocius destinare. Non obstante indulgentia (2) Sedis Apostolicę, qua dicitur Ordinibus vestris concessum, ut dictorum Ordinum Fratres cognoscere de causis, seu intromittere se de negotiis committendis eis ab ipsa Sede non teneantur inviti, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam de indulgentia hujusmodi mentionem. Datum Anagnię V Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

[Margin: Supplex Conventus petitio. — Mandat ut supra. — Clausula derogatoria.]

1. *Pruna.*) In *Aragonia.*

2. *Indulgentia.*) Ut in *Diplomate VII Martii MCCXXV.*

Anno 1256.
Die 13 Julii.

Inquisitoribus Ordinis FF. Prædicatorum, ut si Mandatum (1) S. Sedis Apostolicæ Januensi Archiepiscopo neglectui fuerit, ipsum exequantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus, Inquisitoribus hęreticorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat.

CUm vos olim, sicut accepimus, in Civitate Januen. volentes injunctum vobis officium exercere, Constitutiones felicis recordationis Innocentii Papę IV, Prędecessoris nostri, contra hęreticos editas, pręceperitis, juxta nostrum, & ipsius Prędecessoris mandatum, in Capitularibus & statutis ejusdem Civitatis conscribi, Potestas, Consilium, & Commune ipsius, a vobis diligenter & pluries requisiti, non absque divina, & Apostolicę Sedis injuria, & ipsorum infamia, id efficere contempserunt. Cum igitur iidem ex hoc tanto sint gravius arguendi, quanto ipsi inter alios Populos Italię reputati sunt catholicę fidei zelatores; Nos, ne videamur eos in hujusmodi pertinacia confovere, ipsorumque duritia aliis transeat in exemplum, venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Januen, nostris, in virtute obedientię, damus literis in pręceptis, ut Potestatem, Consilium, & Commune prędictos moneat attentius, & inducat, ut infra quindecim dies post suam monitionem, Constitutiones easdem in suis Capitularibus & statutis conscribi faciant, & inviolabiliter observari, eos ad id ex tunc sine morę dispendio per excommunicationis in personas, & in Civitatem ipsam interdicti sententias, appellatione remota, compellens, circa hoc taliter processurus, quod non possit de negligentia reprehendi, nec in tanto fidei negotio notabilis inveniri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus Archiepiscopus circa hoc fuerit negligens, vel remissus, vos ex tunc in hac parte mandatum Apostolicum exequi procuretis juxta traditam sibi formam. Quod si non omnes potueritis interesse iis exequendis, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagnię III Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quæ Januensi Archiepiscopo præscripta sint, dicit.

Mandat ut supra.

1. *Mandatum*.) Vide *Diploma datum VI Julii MCCLVI*.

2. *Archivo*.) In quo Autographum, cujus plumbum filis cannabinis erat appensum.

Anno 1256
Die 15 Julii.

Priori FF. Prædicatorum Culmehach (1), aliisque nonnullis, ut qui cultum Dei, puramque Religionem susceperint, eos omnes in tutelam suam recipiant.

Ex Vvaddingo (2) in Annalib. Minor. Tomo II ad An. MCCLVI. pag. 149.

CXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Vvratislaviensi (3), & dilectis filiis Priori Fratrum Prędicatorum in Culmehach, & Fratri Bartholomęo de Ordine FF. Minorum, Prędicatori Crucis contra Paganos Polonię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SIcut dilectus filius nobilis vir Kasimirus (4) Cuiavię, & Lancicię Dux, Ecclesię Romanę devotus, sua nobis insinuatione monstravit, nonnulli Pagani, qui Ientuosi vulgariter in illis partibus appellantur, suarum terrarum contigui, sponte cupiunt ad fidem Christianam redire, ac se suę subiicere ditioni, & fel: record: Innocentius (5) PP. prędecessor noster tibi, dilectoque filio nobili viro Bolezlavo (6) Duci Cracovię, ac Sandomirię, suis literis dicitur concessisse, ut quoscunque Paganos, eorum terris contiguos, vel confines, qui sponte, ac sine bello, & gladio vellent ad Christianam Fidem redire, ac suę se subiicere ditioni, liceat eos recipere, ac sicut alios Christianos manutenere, protegere, ac etiam in omnibus defensare, non obstante concessione, qua dicebatur prius ab Apostolica Sede fore concessum dilectis filiis Fratribus domus Teutonicorum partium earundem, ut quos de partibus illis Paganos possent sibi bello, & gladio subiugare, suo dominio applicarent. Verum quia gratuita debet esse conversio, non coacta, & ipse Deus coacta servitia non acceptat, ipsius Ducis supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus dictos Paganos, & quoscunque alios, sponte ad eandem fidem redire volentes, contra quoscunque auctoritate nostra manuteneatis, & defendatis. Non obstante indulgentia, qua tibi, fili Prior, vel Ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod tu, vel ipsius Ordinis Fratres de causis cognoscere inviti minime teneamini, quę vobis a Sede committuntur eadem. Quod si non omnes &c. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandat ut supra.

1. *Culmehach*.) Seu *Culmiæ in Polonia*, ubi Provincia & Civitates, de quibus in hoc Diplomate.

2. *Vvaddingo*.) Idem exscripsit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVI num. XIV*.

3. *Vvratislaviensi*.) Is erat *Thomas* de quo sæpius Annales Ecclesiastici. Legendus *Odoricus* laudatus, *num. IX. &c.*

4. *Kasimirus*.) Librarius *Odorici* legit: *Kasoturus*.

5. *Innocentius*.) *IV*.

6. *Bolezlavo*.) Seu *Boleslao*.

Ne detrahatur (1) aliquid de bonis relictis Fratribus Ordinis Prædicatorum, cum *de Prælatorum, & Ecclesiarum eleemosynis deberent penitus sustentari.* Anno 1256 Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Arelaten., & Aquen. Archiepiscopis, & eorum Suffraganeis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prelatis, & Clericis universis cujuscunque Ordinis, vel Professionis, per Arelaten., & Aquen. Provincias constitutis, ad quos Litere iste pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXIV.

De pia, & sancta conversatione dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Predicatorum frequenter evenire, percepimus, quod quando aliqui fideles, seculum relinquentes, bona sua piis locis, & pauperibus deputant aliqua de bonis ipsis predictis Fratribus pro edificiis, libris, & vestibus, ac aliis eorum necessitatibus, largiuntur. Nonnulli vero aliqua bona ad se spectantia Fratribus eisdem pro similibus rebus, Divine retributionis intuitu, in ultima voluntate relinquunt, conantibus vobis aliquando mediam, quandoque tertiam, vel quartam partem de bonis ipsis, pretextu portionis canonice ab eisdem Fratribus extorquere, in grave ipsorum prejudicium, & scandalum fidelium predictorum; Nos itaque, misericorditer attendentes, quod non solum indecens, & indignum, immo est penitus ab omni humanitate remotum aliquid de premissis ab eisdem Fratribus exigi. qui sub extrema paupertate viventes de Prelatorum, & Ecclesiarum eleemosynis deberent penitus sustentari, universitatem vestram per Dei Misericordiam obsecramus, ac in remissionem vobis injungimus peccatorum, & per Apostolica scripta, districte precipiendo, mandamus, quatenus circa Personas dictorum Fratrum, affectum benevolum pro Divina, & nostra reverentia dirigentes, nihil ab eis de bonis hujusmodi, ulterius exigatis, sed onera paupertatis eorum, de bonorum vestrorum subsidiis potius relevetis, ita quod exinde apud Nos gratiosi favoris augmentum, vobis proveniat, & nulla super hoc coactionis necessitas intercedat. Datum Anagnie XV Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Fratres nostres legatis defraudabant nonnulli.

Inhibet ut supra.

1. *Detrahatur.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *Arelatensis*.

Ne quis de bonis a Christi fidelibus Fratribus Ordinis Prædicatorum legatis aliquid extorquere (1) præsumat. Anno 1256 Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris & aliis Ecclesiarum Prelatis & Clericis universis cujuscunque Ordinis, vel professionis per Regnum Sicilie & Apulie constitutis, ad quos litere iste pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXV.

De pia & sancta conversatione dilectorum filiorum Fratrum de Ordine Predicatorum &c. (3). Datum Anagnie XV Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Extorquere.*) Legendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Predicatorum &c.*) Ut in praecedenti.

Ut Fratres nostri, quæ sibi legantur, percipiant (1). Anno 1256 Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, & Clericis universis cujuscunque Ordinis, vel professionis, per Burdegalensem, & Auxitanam Provincias (3) constitutis, ad quos litere iste pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXVI.

De pia & sancta &c. (4). Datum Anagnie XV Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Percipiant.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Tolosæ*. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Provincias.*) In *Occitania* sitas.

4. *Sancta &c.*) Ut in penultimo ad finem usque.

Anno 1256 Die 3 Augusti.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut in omnibus Ecclesiis privilegiatis, ut vocant, seu privilegiariis, tempore Generalis Interdicti (1) sacra celebrare possint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VObis assidue Regnum Dei quęrentibus &c. (3). Datum Anagnię III Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Interdicti.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Quærentibus &c.*) Ut supra *IV Februar. MCCXLIV.*

Anno 1256 Die 6 Augusti.

Liberam Sepulturam (1) in Ædibus Sacris Ordinis FF. Prædicatorum esse decernit.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 537.

CXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur quod justum est, & honestum &c. (3). Datum Anagnię VIII Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Sepulturam.*) Dicetur in *Tract. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio *Barchinonen.*
3. *Honestum &c.*) Ut in *Diplomate dato XXX Novembris MCCXXVII.*

Anno 1256 Die 21 Augusti.

Henrico Culmensi (1), & Henrico (2) Curionensi (3) Episcopis, de Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, ut bellum pro Religione suscipiendum curent (4).

Ex Arch. (5) Ord. lib. A. fol. 860.

CXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Henrico Culmensi, & Henrico Curionensi Episcopis, de Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUi justis causis hominum promovendis promptum favorem impendimus, tanto libentius vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Jesu Christi, quanto Deus homini pręferendus esse dignoscitur, & omnis sibi deberi reverentia comprobatur. Igitur, cum sicut relatu fide dignorum percepimus exultantes, Conditor omnium in Livonię (6), ac Prussię, & Curonię partibus dilectorum filiorum Fratrum hospitalis Sanctę Marię Teutonicorum, Jerosolymitanorum, ac aliorum fidelium triumphanti dextera favente, sit multipliciter exaltatus, & spes sit, quod ibidem magis ac magis sui Nominis gloria protendatur, si plantationi suę partium earundem favorem, quem in ipso possumus, impendentes, opportunum illi per devotos Ecclesię subsidium procuremus;

Mandat ut supra.

fraternitati vestrę pręsentium auctoritate committimus, quatenus per vos, aut alias personas providas, & honestas, ad hęc idoneas, in terris illis, quas Sedes Apostolica prędictarum Livonię, & Prussię subsidio deputavit, ac etiam Maguntin., & Colonien. Provinciis de consilio, & voluntate dictorum Fratrum ipsius Hospitalis, Officio Sanctę prędicationis assumpto, fideles in Terris, & Provinciis hujusmodi constitutos ad nimiam caritatem, qua Christus nos dilexit, & diligit, respectum habere, & ei retribuere aliquid pro omnibus, quę retribuit ipse illis, piis exhortationibus, secundum datam vobis (7) a Deo prudentiam studeant informare, diligenter, & sollicite petituri, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tanquam viros christianos, & catholicos, cadere opprobria exprobrantium Christo debeant, se viriliter, & potenter accingant, tanquam zelum Dei habentes, ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manu paganorum, profecturi, & acturi secundum consilia prędictorum Fratrum hospitalis ejusdem, ita quod, & ipsis pręmium debeatur ęternum, & infideles non possint, quod impune Christi Nomen impugnaverint, gloriari. Illos vero de terris, & Provinciis memoratis, qui Crucis signaculo in Livonię, seu Prussię, vel Curonię subsidium insigniti, propter paupertatem, seu debilitatem illuc nequeant personaliter proficisci, a voto Crucis absolvant, dummodo de bonis suis juxta proprias facultates congruam subventionem exhibeant per manus eorundem Fratrum dicti Hospitalis, in idem subsidium convertendam.

Privilegia Crucesignatis concessa.

Nos enim, ut quod pro nomine Redemptoris tam digne deposcitur, effectu facili compleatur, omnes dictarum terrarum, & Provinciarum in succursum eorundem fidelium, suscepto propter hoc Crucis signaculo processuros, necnon eorum familiam, & bona, donec de ipsorum reditu, vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione Sedis Apostolicę admittentes, illis, ac aliis, qui juxta facultatem, & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis propriis duxerint destinandos, necnon qui ad subventionem dictarum Livonię, vel Prussię, seu Curonię de bonis propriis congrue ministraverint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus per unius anni spatium servituri, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, illam Indulgentiam, idemve privilegium elargimur,

quę

quę transeuntibus, & subvenientibus in Terrę Sanctę subsidium conceduntur. Prętereaut pręfatum negotium eo magis incrementum prosperitatis optatę suscipiat, quo ipsum pluribus remediis contigerit adjuvari, vobis, & personis, quę volentibus, & consentientibus supradictis Fratribus Hospitalis ejusdem, fuerint hujusmodi negotio deputatę, pręsentium auctoritate concedimus, quod illi earundem Terrarum, & Provinciarum, qui ad vestram, vel personarum ipsarum solemnem Prędicationem accesserint, viginti dies de injuncta pęnitentia relaxare, ac eorum singulis, illuc assumpto propter hoc Crucis charactere processuris, qui pro incendiis, & injectione manuum in Clericos, vel alias Religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis beneficium impertiri juxta formam Ecclesię valeatis; Proviso, ut passis damna, & injurias, satisfaciant competenter, illis duntaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles, & enormes, quod merito sint ad Sedem Apostolicam destinandi. Datum Anagnię XII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo. *Indulgentiam elargitur.*

1. *Henrico Culmensi.*) De quo in *Appendice ad Pontificat. Innocentii IV.*
2. *Henrico.*) Ipsius mentio apud *Vvaddingum* mox laudandum.
3. *Curionen.*) *Vvaddingus* legit *Curonien.*, & forte melius, enim vero sermo ibi est de *Curonia*.
4. *Curent.*) *Assurgebat* enim *feliciter*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLVI num. XV, *ad ingens decus in Livonia, ac Prussia, Christiana Religio, ad quam latius diffundendam Pontifex, plurium zelum inflammare conatus est, inter quos maxime Henricum Culmensem, atque Henricum Curionensem Episcopos ex Prædicatorum, & Minorum familia, ad eam dignitatem ob egregias virtutes adscitos, ad urgendum divinum negotium provocavit. Nec in Prussia modo, verum in Pomerania, Polonia, Dania, Suecia, Norvvegia, Gothlandia, universaque Germania, fideles ad Cruceatam expeditionem concitati a Religiosis viris.*
5. *Archivo.*) Illud idem leges apud *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLVI num. XLIII pag. 150.*
6. *Livonia.*) Vide *Diploma datum XI Martii MCCLVI.*
7. *Vobis.*) Ex Vvaddingo; *Tibi.*

Henrico Culmensi Episcopo Ordinis FF. Prædicatorum, ut bellum pro Religione suscipiendum Christi fidelibus persuadeat. Anno 1256 Die 31 Augusti.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Henrico Episcopo Culmensi, Ordinis Prędicatorum Fratrum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXX.

Qui justis causis &c. (2). Datum Anagnię II Kalend. Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus hæc verba: *Dilectis in Christo Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Leodien. Frater Henricus ejusdem Ordinis, Episcopus Culmensis, Salutem in Nomine Jesu Christi. Literas Apostolicas acceptas recepimus in hac forma. Alexander Episcopus &c.* Hic inscribit præsens Diploma, deinde vero subdit: *Hujus ergo auctoritate mandati vobis committimus quicquid nobis in prædictis literis commissum est, vel concessum, rogantes, ut propter Dominum, & Fidei dilatationem, prædicto negotio diligentiam, quam poteritis, adhibere velitis. Datum in Lipz. II Idus Junii Anno Domini MCCLVII.*
2. *Causis &c.*) Ut in præcedenti.

Ne quis legatis (1) Fratres nostros defraudet. Anno 1256 Die 4 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, & Clericis universis cujuscunque Ordinis, vel professionis, per Tusciam, & Ducatum Spoletanum constitutis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXXI.

De pia & sancta conversatione &c. (3). Datum Anagnię IV Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Legatis.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in *Cœnobio S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*
3. *Conversatione &c.*) Ut in *Diplomate XVIII Julii MCCLVI.*

Libellum, cui Titulus: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*: damnat (1). Anno 1256 Die 5 Octobris.

Ex Bullario (2) Romano in Alexand. IV, Constitut. VIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CXXII.

Romanus Pontifex, de Summi Apostolatus specula Urbi, & Orbi debita servitute prospiciens, cujus (3) occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior (4) ceteris Sedes ejus sollicitudines sibi vehementiores accumulat, & ipsius auctoritas potior, meditationes ei multiplicat ampliores; Quo enim altius pręsidet, eo longius latiusque circumspicit, & quanto plus potest officio, tanto majoris vigilantię sibi sarcina incumbente, plus pensat, quoniam maximę dignitati, potissima solicitudo cohęret, & altiorem honorem onus gravius comitatur, curaque profusior ardentioribus stimulis mentem urget. *Exordium.* *Summo Pontifici omnium Ecclesiarum commendata cura.*

urget. Unde cum aliis plebium fidelium Pastoribus, quibus grex dominicus particulariter est commissus, immineat de suarum Ecclesiarum eminentia vigilanter (5) ad suas oves attendere, incumbit utique Romano Presuli, cui est grex ipse generaliter creditus, de sublimi Ecclesiarum vertice, Sede scilicet Apostolica, propensius ad illum (6), & instanter intueri; quia cum hi suis limitatis populis presint, singuli quidem singulis, hic sine distinctione prelatus est Pontifex universis dominice quidem Vinee custos generalis, & cultor, & totius (7) ovilis Catholici, Pastorumque omnium summus Pastor: Incumbente (8) namque sibi generali solicitudine super omnes, cum ex hoc sue mentis intuitum per cuncta diffundere teneatur, stupet nimirum ipsius animus, & sub iam gravis, & difficilis cure pondere contremiscit, quod posse (9) sufferre, ut convenit, jus nature occidue vix confidit. Ad eum namque negotia undique confluunt, perveniunt lites, dubia deferuntur, & destinantur implicita, & perplexa, nec unquam horam (10) influens torrens cessat, nec hujus alti Pelagi valide & infeste (11) procelle quiescunt; Sed his, que nunc imminent, expeditis, mox alia subsequuntur. Nec tot implexarum questionum nodi decisione Apostolica solvi possunt, quin & alie irretite, & nodose superveniant, deliberatione matura, & consulta (12) definitione solvende. Immo ex quo de instantibus difficilibus, & obscuris, dubietatis caliginem verbo sue declarationis amoverit, statim nova, & recentia turbulenta ingruunt, Apostolico dilucidanda oraculo, & ambiguis, & incertis mentibus clare dissertionis (13) lumine reserenda (14). Propterea inest Romano Antistiti solicitudo sine otio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo, ingens, & sedula meditatio, & vigilia sine somno. Nec ad modicum (15) etiam cura quotidiana intermissionem habet a instantia, que nec omittitur aliquo tempore, nec aliquod ipsa tempus omittit, urget continue, quia cogitandi materia semper adest, nec successu temporis desinit, sed cum illius diuturnitate perdurat; quia nec decursu temporum deficiunt negotia, sed assidue illis succedentibus renascuntur. Nam & hostis antiquus argutus quidem insidiator, callidusque deceptor animarum, vehementis, & ardentis solicitudinis causam prebet; humane quippe pacis emulus, fraterne invidus caritatis, divinorum abactor (16), dissipator unionum (17), & tranquilli status fidelium anxius persecutor, interserit odia, rancores ingerit, livores accendit, movet lites, jurgia suscitat, contentiones irritat, parat seditiones, & dissensiones procurat, & illorum etiam qui perfectiores, & firmiores esse creduntur, interdum corda subvertit, & ibi magis impietatis sue machinas erigere, ac nequitie faces accendere nititur, ubi fore plus estimat (18) malignitatis sue conamina obfutura. Facit iniquus laqueos, pedicas obiicit, ponit tendiculas, ut prudentiores etiam intercipiat, & captivet. Hinc turbationes oriuntur, surgunt inimicitie, dissidia prodeunt, & scandala generantur, unde sic jam seculum declinavit ad malum, quod excrescentibus, & invalescentibus hinc eo (19) noxiis, quasi vix locus in ipso salutaris (20) invenitur, & exclusa fere inde concordia, quasi stabilem ibi habeat discordia mansionem. Quare oportet cura incessabili vigilare, ut detorta & corrupta per malitiam, bonitatis virtute ratificentur (21), & reformentur, divisa (22) per odium caritate ligentur, & commota sistant, & pausent; habeant turbata tranquillum, & status Fidelium semper in melius roboretur. Sane quidam Scripture Sacre intelligentiam se habere fatentes (23), sed divertentes a tramite recti sensus, cogitaverunt nuper malitiam, & contra innocentes, & rectos iniquitatem maximam sunt locuti, exarserunt in cordibus suis, & in lingua eorum maliloqua dolum, & nequitiam concinnavit (24): surgentes adversus Fratres detraxerunt, & contra dilectos Matris Ecclesie filios, scandalum posuere. Prodiere inquam, & in prava commenta ex nimio calore animi proruperunt, Libellum quendam valde perniciosum, & detestabilem temere componentes (25). Libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem (26), non veritatis, sed mendacii, non eruditionis, sed derogationis, non monentem, sed mordentem, non instruentem veraciter, sed fallentem; Quem Nos ad Sedem delatum Apostolicam, venerabili fratri Episcopo Tusculano (27), & dilectis filiis nostris Innoc. (28) tit: S. Laurentii in Lucina, & Honor. (29) tit. S. Sabine Presbyteris, & Innoc. (30) S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconis Cardinalibus examinandum commisimus, ut plene ipsum inspicerent, & universa contenta in eo perfecte attenderent, & discuterent diligenter. Quo studiose perlecto, & mature & districte examinato, nobisque de hoc plenaria facta relatione ab eis, quod in ipso quedam perversa, & reproba contra potestatem, & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiscoporum suorum & nonnulla contra illos, qui propter Deum sub arctissima paupertate mendicant, mundum cum suis opibus voluntaria inopia superantes, alia vero contra eos, qui salutem animarum zelantes ardenter, & sacris studiis procurantes, multos in Ecclesia Dei operantur spirituales profectus, & magnum faciunt ibi fructum, quedam autem contra salutarem pauperum, seu Mendicantium Religiosorum statum, sicut sunt dilecti filii Fratres Predicatores, & Minores, qui vigore spiritus, seculo cum suis divitiis derelicto, ad solam celestem patriam tota intentione (31) suspirant; necnon & alia plura inconvenientia, digna utique confutatione, ac confusione perpetua (32) manifeste comperimus contineri. Quodque etiam idem Libellus magni scandali seminarium, & multe turbationis materia (33) existebat, & inducebat etiam dispendium animarum, cum retraheret a devotione solita, & consueta (34) eleemosynarum largitione, ac a conversione, & Religionis ingressu fideles. Nos Libellum eundem, qui sic incipit: Ecce videntes clamabunt foris; quique secundum ipsius titulum: Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum: nuncupatur, tanquam iniquum, scelestum, & execrabilem, & institutiones, ac documenta in eo tradita, utpote prava, falsa, & nefaria, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica (35) duximus reprobanda (36), & in perpetuum condemnanda, districte precipientes, ut quicunque Libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem, & condemnationem sciverit, prorsus in toto, & in qualibet sui parte comburere, & omnino (37) abolere procuret. Et in illos, qui hujusmodi nostri precepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgamus, in virtute obedientie prohibendo, ne quisquam predictum Libellum, ore Apostolico jam damnatum, approbare, vel quomodolibet defensare presumat. Et si quis presumpserit, tanquam contumax, inobediens, & rebellis Romane Ecclesie ab omnibus fidelibus habeatur. Et Nos nihilominus alias contra eum taliter procedemus, quod pena condigna temerarium feriet, & alii ea perterriti, a similibus frenabuntur. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis autem &c. Datum Anagnie III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Eidemque omnium dubitationum atque causarum definitio, & declaratio.

Cacodæmonis malefica voluntas.

Auctorum libri prædicti petulantia.

Nonnullorum Cardinalium censoriæ animadversioni liber ille subiicitur.

Quos vendicat, errores recensentur.

FF. Prædicatorum, & Minorum laus celebris.

Damnat ut supra.

1. Dam-

1. *Damnat.*) *Quanta... maturitate consilii ad eam disceptationem dirimendam se gesserit Alexander, vel ex eo patet,* inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLVI num.XXI, *cum adversarias utrinque partes, ut refert Cantipratensis* (libro II de Apibus cap.X num. XXIII), *sua argumenta explicare, rationesque conferre jusserit, Vuillelmique librum Cardinalibus scientia laude præstantissimis discutiendum tradiderit: Qui liber,* inquit Cantipratensis, *qualiter citatis, & vocatis ad curiam, & præsentiam Summi Pontificis dictis Magistris, damnatus sit & combustus, non solum in ipsa curia, sed & Parisiis coram Universitatis multitudine copiosa, scire poterit qui collationes, & disputationes legerit, præcipue contra Magistros quatuor in capite adversarios. Disputationes quoque Domini Hugonis presbyteri Cardinalis Fratris Ordinis Prædicatorum, Domini Richardi, & Domini Gajetani, & aliorum Cardinalium, allegationes venerabilis Patris Fratris Humberti Magistri Ordinis Prædicatorum, sed & Ministri Ordinis Fratrum Minorum, & maxime Magistri Alberti Fratris Ordinis Prædicatorum ad hoc specialiter a Domino PP. vocati, & aliorum Prælatorum, atque magnorum virorum disputationes prolixas, & magnas habitas Anagniæ coram multis, & in ipsis invenire poterit rerum gestarum veritatem.*

2. *Bullario.*) Autographa tenent Conventus *Parisiensis*, & *Burgensis*. Adeas etiam *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXXI pag.138, Castellanum pag.32, Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVI num.XI, Odoricum Raynaldum ad eundem annum num. XXII, Boulæum Histor. Universitatis Parisiensis Tomo III pag.*310. Idem partim exscripsit *Ussmaris pag.*36, uti videre est inferius in *Diplomate* Quidam *- Dato XXI Octobr. MCCLVI.*

3. *Cujus.*) *Boulæus* apposite legit: *curis.*

4. *Eminentior.*) Ex eodem: *Eminens.*

5. *Vigilanter.*) Idem: *Vigilantia ad suas oves pascendas,*

6. *Illum.*) Boulæus: *Ad illam, & instantius.*

7. *Et totius.*) Ex Boulæo: *Et cultor totius ovilis.*

8. *Incumbente.*) Apud eundem: *Incumbens item sibi.*

9. *Posse.*) Boulæus: *Possit sufferre, ut convenit, pondus orbis universi.*

10. *Horam.*) Legendum: *Horum.*

11. *Et infesta.*) Apud Boulæum: *Infestaque.*

12. *Consulta.*) Ex eodem: *Consueta.*

13. *Dissertionis.*) Nonnulli legunt: *Dissertationis.*

14. *Referenanda.*) Ex Boulæo: *Serenando.*

15. *Modicum.*) Boulæus scribit: *Modicam etiam sua quotidiana intermissionem habet instantia.*

16. *Divinorum abactor.*) Idem: *Divisionis actor.*

17. *Dissipator unionum.*) Desiderantur apud *Boulæum.*

18. *Æstimat.*) *Boulæus* legit: *Existimat.*

19. *Hinc eo.*) Ex eodem: *In eo.*

20. *Ipso salutaris.*) Apud Boulæum: *Eo salutaribus.*

21. *Ratificentur.*) Idem: *Rectificentur.*

22. *Divisa.*) Apud eundem: *Diversi.*

23. *Fatentes.*) Ex Boulæo: *Putantes.*

24. *Concinnavit.*) Boulæus: *Excogitavit.*

25. *Proruperunt, libellum quendam valde perniciosum, & detestabilem temere componentes.*) Hæc non novit ille.

26. *Libellum quidem non rationabilem, sed reprobabilem.*) Idem mendose scripsit: *Libellum quidem rationabilem, sed reprobabilem.*

27. *Tusculano.*) Is erat *Odo de Castro Radulphi inter viros ejus avi doctrina, & eloquentia non postremus,* inquit, *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCXLIII pag.*117.

28. *Innoc.*) Sic librarius *Cherubini*: Legendum: *Johanni. Johannes* enim *de Toleto* tunc *Titulo S. Laurentii in Lucina* insignitus erat, ut videre est ex *Ciaconio* mox laudato.

29. *Honor.*) Hæc etiam lectio ab eodem amanuensi, quam sperne; liquet enim ex auctoribus coætaneis istum fuisse *Hugonem* Ord. Fratrum Prædicator. *Tit. S. Sabinæ* Presbyterum Cardinalem, de quo *Ciaconius* supra citatus.

30. *Innoc.*) Sic etiam hariolabatur amanuensis, nec divinabat literas majusculas I.... H.... I.... Hic enim non *Innocentius*, sed *Johannes Cajetanus Ursinus Matthæi* filius, Romanus, Diaconus Cardinalis fuit. Consule *Ciaconium*: Legendum igitur: *Johanni... Hugoni... Johanni.*

31. *Tota intentione.*) Desiderantur apud *Boulæum.*

32. *Ac confusione perpetua.*) Hæc etiam missa facit *Boulæus.*

33. *Et multa turbationis materia.*) Silet idem.

34. *Consueta.*) Ex eodem: *Consulta.*

35. *Apostolica.*) *Usnjmaris* addit: *Præsente magna fidelium multitudine.*

36. *Duximus reprobanda.*) Boulæus... *reprobamus... condemnamus.*

37. *Omnino.*) Deest apud *Boulæum.*

Regi Franciæ, cujus laudes celebrat, Fratres Prædicatores & Minores, quibus plena manu præconium tribuit, de meliori nota commendat (1).

Anno 1256 Die 17 Octobris.

Ex Bullario (2) Castellani pag. 34.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Franciæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXIII.

Exordium ab encomio Regis Franciæ.

VEri solis radius in te vere fulgere conspicitur, qui, depulsis penitus pravis actibus, in lucis operibus delectaris, qui vitatis omnino noctis tenebris in diei lumine ambulas, horrendo vitia, & amplexando virtutes (3), fugiendo a noxiis, & salutaribus inhærendo. Revera clarent in te firma fides, & pura devotio erga cælestem Regem, cujus dono regnum terrenum nosceris obtinere, dum sic ejus beneplacitis te coaptas, quod ad eum dirigens mentem tuam, ipsum in tuis actionibus constituis fundamentum, ad illa tuum libitum convertis, & studium, quæ in ejus conspectu sint placita, sibique delectabilem referant suavitatem odoris, in benignitate, clementia, misericordia, & caritatis subsidiis te principaliter exercendo. Sed etsi hæc in persona tua, velut sidera luminosa, resplendeant, est tamen ibi aliud, quod ampliori fulgore rutilat, & sicut luminare majus, & altius profert jubar, inter alia in te lucentia, quasi solis immittens (4) majestatem, illa videlicet ardens, & lucens caritas, qua personas Religiosas, & divinis mancipatas servitiis gratiose prosequeris, eas tenere diligendo, favore muniendo regio, multis beneficiis confovendo (5), amplectendo conversationem ipsarum, & eas in tua familiaritate specialiter retinendo. Inter quas dilectos filios Fratres Prædicatores, & Minores, tanquam perfectos Christi servos, cultores fidei, eruditos, & prudentes, ac providos consiliarios animarum, tuæ mansuetudini, præcipui amoris vinculo, astrinxisti. Certe congruit, & expedit, quod Princeps tam Catholicus familiares habeat tam electos, quod in ipsius munda, & nitida (6) Curia, viri sine nota, & macula conversentur; quodque domus ejus generali præconio (7) laudata per orbem, etiam ex Ministrorum, & famulorum Domini societate, ac præsentia commendetur (8). Horum namque Fratrum clari Ordines jam dudum a Sede Apostolica, sicut sacri, & conspicui approbati, velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Ecclesia Dei lucent, quoniam ab his sanctæ Doctrinæ lumen ubique per mundum copiose diffunditur, ab his Christi Evangelium ardenter, & efficaciter prædicatur, ab his recta, & sana consilia, & exempla salutaria (9) exhibentur. Convenienter itaque regia serenitas in tam proborum virorum, & Religiosorum tam illustrium consortio jucundatur, quia ex hoc ipsa (10) & merito crescit fama, & Principibus aliis ad honestum & bonum materia est, & index (11). De tanta ergo benevolentia, & gratia, quam eisdem Fratribus sincere ostendis, & exhibes, Celsitudinem tuam multipliciter in Domino commendantes, dignas tibi gratiarum referimus actiones, recognoscentes, nos fore tibi de hoc specialius obligatos, quia tu es ipsis in necessitate plenum sub-

FF. Prædicatores & Minores laudibus cumulat.

Libellum quendam ab Oratoribus Regis Christianissimi ad Sedem Apostolicam delatum, condemnatum declarat.

subsidium, contra molestias tutum presidium, & in adversitste sui status solidum firmamentum. Sane dilectos filios Magistros Johannem, & Petrum (12) Clericos, & Nuncios tuos, quos ad Sedem Apostolicam destinasti, affectuose recepimus, & in his, quę proposuerunt, & petiverunt ex parte tua pro eisdem Fratribus, benigne ipsos audire curavimus, & efficaciter exaudire. Et ecce Libellum illum perniciosum, & detestabilem, quem quidam Sacrę Scripturę intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes a tramite recti sensus, contra Christi pauperes, vitę suę subsidia salubriter mendicantes, componere presumpserunt, delatum ad nos per eosdem Nuncios, tanquam iniquum, scelestum, & execrabilem, & instructiones, & documenta in eo tradita, utpote prava, falsa, & nefaria, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, presente magna fidelium multitudine, reprobanda duximus, & in perpetuum condemnanda; districte precipientes, ut quicunque libellum ipsum habuerit, eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem, & condemnationem sciverit, protsus destruere, & abolere procuret, & in illos, qui hujus nostri precepti fuerint contemptores, excommunicationis sententiam promulgantes, firmiter in virtute obedientię prohibendo (13), ne quisquam predictum Libellum, ore Apostolico jam damnatum, approbare, vel quomodolibet defensare presumat, & si presumpserit, tanquam contumax, inobediens, & rebellis Romanę Ecclesię ab omnibus Fidelibus habeatur, sicut hęc omnia in literis (14) nostris de predicta reprobatione, ac condemnatione confectis, quas tibi transmittimus, plenius continentur. Ideoque magnificentiam tuam omni, qua possumus, affectione rogamus, quatenus memoratos Fratres consueta benignitate, ac gratia prosequaris, eos tanquam probatos, & acceptos Christi Ministros habeas attentius commendatos, & ab injuriis, & molestiis protegas, & preserves, ita quod tuo securi munimine, quietam, & gratam impendere Domino valeant servitutem. Datum Anagnię XVI Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Commendat ut supra.

1. *Commendat.*) Consulendum precedens Diploma.
2. *Bullario.*) Autographum asservatur *Parisiis*. Adeas etiam *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXXII pag.*140, *Boulaeum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.*112.
3. *Et amplexando virtutes.*) Desiderantur apud *Boulaeum*.
4. *Immittens.*) Ex Boulaeo: *Innuens*.
5. *Conferendo.*) Idem: *Conservando*.
6. *Et nitida.*) Omittit ille.
7. *Preconio.*) Boulaeus: *In preconio*.
8. *Commendetur.*) Ex eodem: *Commendentur*.
9. *Et exempla salutaria.*) Hæc non novit *Boulaeus*.
10. *Ipsa.*) Ex Boulaeo: *Ipsius*.
11. *Index.*) Ex eodem. *Judex*.
12. *Johannem, & Petrum.*) Clerici nominatissimi, fidelesque *S. Ludovici* voluntatis interpretes erant isti, teste, *Boulaeo Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag* 108.
13. *Probibendo.*) Boulaeus: *Præcipiendo mandamus*:
14. *Literis.*) *Præcedentibus*.

Anno 1256 Die 19 Octobris.

Regi (1) Franciæ, ut Turonensi, & Rotomagensi Archiepiscopis, ac Parisien. Episcopo manum præbeat auxiliarem, quo Jussa Pontificis in gratiam FF. Prædicatorum & Minorum, quos laudibus effert, exequantur.

Ex Bullario (2) Castellani pag.29.

CXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Illustri Regi Francię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quot contumelias in FF. Prædicatores & Minores nonnulli fecerint, narrat.

NOn sine multa cordis amaritudine, animique turbatione audivimus, quod nonnulli Magistri, & Doctores, ac alii, acuentes ut gladium linguas suas, & venenum aspidum gerentes sub labiis, ad infamiam, gravamen, & dispendium innocentum illud in suggillationem, & lesionem dilectorum filiorum Fratrum Predicatorum, & Minorum nequiter vomuerunt, & licet ipsos distincte non nominaverint, nec vocabulis propriis expresserint, eos tamen quibusdam verborum involucris, & certis, ac cautis circumlocutionibus apertius innuerunt, ita quod ex talibus eorum dictis manifeste, tanquam si expressim illos nominassent, innotuit, quod de ipsis Fratribus loquebantur; fuderunt, inquam, virus, & contra eos in Scholis, predicationibus, & alibi asserere presumpserunt, quod in statu, & via salvandorum non erant, nec meritoria, nec salutifera existebat illorum mendicitas, & paupertas, cum deberent valetudine corporali, & aliis justis impedimentis cessantibus, propriis manibus operari, sub spe alieni subsidii non torpendo, nec pro sustentatione, vel necessariis, extranea mendicando suffragia, seu ab aliis vitę adminicula expectando; Quodque de licentia, vel commissione Romani Pontificis, seu Diecesanorum Episcoporum predicationis (3) exercere Officium, & confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus prejudicium inferrent. Ad alia nihilominus prava, & iniqua, in detractionem eorum, & suorum Ordinum derogationem, ora maliloqua relaxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum a Sede Apostolica, sicut clari, sacri, & conspicui approbati, ex quibus jam nonnulli Fratres ad supernam provecti Patriam in Sanctorum numero sunt ascripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Ecclesia Dei luceant, ac ab ipsorum Fratribus, & cultoribus sanctę doctrinę lumen diffundatur ubique, per orbem ipsi Evangelium ardenter, ac efficaciter predicent, ac recta, & sana consilia, & exempla salutaria prebeant; cum etiam dicti Fratres sacrę Scripturę, ac Dei Verbi studio, & animarum profectibus, necnon divinis Officiis, & Orationibus instanter, & incessanter intendant, nequaquam marcentes otio, sed opere se optimo, & potissimo exercentes, cum sapientia opus existat maximum, nec sint pluris qui operantur exterius, quam qui studium cognoscendę divinitatis exercent: unde & Dominus ministrante ac operante Martha, Marię audientiam, attentionem, & studium circa Verbum ipsius precipue commendavit, ex quo liquido patet, Fratres ipsos ad operandum suis manibus non teneri. Quin immo si iis intermissis laborarent manibus, potiora utique ac utiliora in minora minusque utilia opera, non sine animarum dispendio, commutarent. Cum insuper iidem Fratres omnia propter Deum reliquerint, exilia vitę subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando, propter quod evidenter apparet, eos in statu existere salvandorum, & per suę Religionis observantiam,

Ordines FF. Prædicatorum, & Minorum laudibus celebrat.

Ad objecta respondet.

quę

quę quidem ipsius perfectionis Evangelicę tenet formam, ęterna pręmia promereri, cum etiam de licentia, & commissione, vel concessione Romani Pontificis, seu Legatorum ejus, vel Ordinariorum Locorum, licite possint prędicare populis, & confessiones audire, ac pęnitentias injungere salutares, venerabilibus fratribus nostris Turonensi, & Rotomagensi Archiepiscopis, ac Episcopo Parisiensi, damus nostris literis (4) in virtute obedientię firmiter in pręceptis, ut omnes magistros, doctores, & alios, qui sive in scholis, sive in prędicationibus, sive alibi, pręmissa dicere attentarunt, ex parte nostra monere procurent, ut infra certum terminum, ab ipsis Archiepiscopis, & Episcopo pręfigendum eisdem, dictum suum in his publice revocent, male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus, & retractent, asseverando constanter contrarium, & illud etiam fideliter prędicando. Quod si non fecerint, ex tunc contra eos, ad suspensionis, excommunicationis, & perpetuę privationis Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sententias, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, efficaciter procedere non omittant; Laicos de hoc culpabiles, vel fautores hujusmodi pręsumptorum animadversione debita percellentes; Ideoque celsitudinem tuam affectuose requirimus, & rogamus, quatenus prędictis Archiepiscopis, & Episcopo, cum ab eis requisitus fueris, tuum favorem, & auxilium magnifice largiaris, ita quod, tua eis favente potentia, mandatum Apostolicum sibi directum efficaciter exequi valeant, & nos magnificentiam tuam, exinde dignis in Domino laudibus commendare possimus. Datum Anagnię XIV Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Quę Turonensi, & Rotomagensi Archiep., ac Parisiensi Episcopo præscripserit Pontifex.

Mandat ut supra.

1. *Regi*) Sic de hoc Diplomate loquitur *Vvaddingus* mox laudandus. *Audiens sub illo tempore* Summus Pontifex *doctrinam hujus libri per Academiam Parisiensem, & Galliarum populos spargi, multosque mala ausos contra utramque Religionem, amare hac ferenti, scripsit ad Ludovicum Regem, universos Ecclesiarum Galliarum Prælatos, & peculiariter ad Turonensem, & Rotomagensem Archiepiscopos, ac Parisiensem Episcopum, condemnans expressius errores, & propositiones nefarias detractorum, jubens, ut contra eos procedatur, & protegantur Religiosi.*

2. *Bullario.*) Adeas *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num.XXXIII pag.*141, & *Boulaeum Histor. Universitatis Parisiensis Tomo III pag.*313. Notandum tamen, *Boulaeum* non istud, sed sequens, Archiepiscopis, & Episcopis inscriptum, Diploma transcripsisse.

3. *Prædicationis.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

4. *Literis.*) Infra *XXI Octobr. MCCLVI.*

Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Galliarum Prælatis, Fratres Prædicatores, & Minores commendat.

Anno 1256 Die 21 Octobris.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo II ad an.MCCLVI num.XXXIV pag.142.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, & Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prelatis, cujuscunque Ordinis, vel professionis, per Franciam, Burgundiam (1), Picardiam, Britanniam, & Normanniam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXV.

NOn sine multa cordis amaritudine &c. (2) carissimi in Christo filii nostri, illustris Regis Francorum, ad hęc, si necesse fuerit, auxilio invocato. Ideoque universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica scripta vobis pręcipiendo, mandantes, quatenus memoratos Fratres omni benevolentia & gratia prosequentes, eos tanquam probatos, & acceptos Christi ministros habeatis pro divina, & nostra reverentia propensius commendatos, ipsos ab injuriis, & molestiis defendentes, ita quod & vobis, & vestris Ecclesiis fortius obligemur. Datum Anagnię XII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Franciam, Burgundiam.*) Optime sic, alia est enim Provincia *Insulæ Franciæ*, alia *Burgundiæ*.

2. *Amaritudine &c.*) Ut in *Præcedenti Diplomate* ad hæc usque verba: *Debita percellentes*.

Prædicatores, & Minores Fratres commendans, cavet (1), ne quis molestiis eos afficiat.

Anno 1256 Die 21 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prelatis, cujuscunque Ordinis, vel professionis, per Bituricensem, Ebredunensem, Aquensem, Burdigalensem, Narbonensem, Arelatensem, & Viennensem, Provincias constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXXVI.

NOn sine &c. (3). Datum Anagnię XII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Cavet.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Tolosano*.

3. *Non sine &c.*) Ut in præcedenti.

Anno 1256 Die 21 Octobris.

Turonensi (1), & Rotomagensi Archiepiscopis, ac Parisiensi Episcopo, ut Libellum, cui Titulus: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*: de errore damnatum cunctis denuntient.

Ex Bullario (2) *Ususmaris pag.36.*

CXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Turonensi, & Rotomagensi Archiepiscopis, ac Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

QUidam Scripturę Sacrę intelligentiam se habere fatentes, sed divertentes &c. (3). Ideoque Fraternitati vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus hujusmodi nostram reprobationem, condemnationem, pręceptum, & prohibitionem, ac premissa omnia Parisius solemniter publicetis, & faciatis per alios, in omnibus locis in quibus expedire videritis, publicari: contradictores per Censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagnię XII Kalend. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Turonen.*) Vide superius *XIX Octobr. MCCLVI.*
2. *Bullario.*) Idem habent *Castellanus pag.33* ex Autographo *Parisiis* asservato: *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num.XXXV pag.142*; *Rodericus in nova collectione Privilegior. pag.26.*
3. *Divertentes &c.*) Ut in *Bulla - Romanus - data V Octobr. MCCLVI* ad hæc usque verba: *A similibus frenabuntur*; ideoque.

Anno 1256 Die 15 Novembris.

De Magistris ac Scholaribus Parisiensibus honorifice multa prædicat: Nostratum & Fratrum Minorum defensionem suscipit: Libellum quendam de errore damnatum denuntiat: & ne Studium Parisiense alio transferatur, cavet (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Magistris & Scholaribus Parisiensibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Universitatis Parisiensis laus celebris.

PArisius petitię summę sinus, de suę scientię (3) plenitudine replens orbem, & tanquam fulgidus sol doctrinę per totum orbem clarę intelligentię lumen fundens, depellit ignorantię tenebras, ruditatis abstergit caliginem, aufert imperitię nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit serenum, & lucidum scientię monstrat diem. Rigat documentorum suorum fluentis Paradisi omnem terram, & bonorum influentia dogmatum instruit, & imbuit universum, copiosis, & dulcibus sapientię fructibus reficiens Ecclesiam, mundum pascens, quia de Parisiis, velut de parientis sinu, partus scientiarum plurimi prodeunt, de ipso (4) tectę ac perfectę disciplinę soboles gignuntur. Hinc procedit inclyta Doctorum prosapia, hinc alta (5) progenies provenit peritorum, quibus Christianus illustratur populus, & fides catholica roboratur. Hunc profecto amęnitatis, & commoditatis locum universę artes de totius orbis ambitu sibi habitaculum communiter elegerunt, & consideratis ceteris seculi mansionibus, quasi deliberatione concordi, suam ibi fixerunt immobilem stationem. Hæc est egregia literarum Civitas, artium urbs formosa, eruditionis schola pręcipua, summa sapientię officina, & potissimum gymnasium studiorum. Hic conversantur, & degunt scientię, hic firma, & lęta societate convivunt, hic suas habent, & possident cathedras, hic sua profunda, & arcana veritatis magisterii insinuatione revelant, & cujusque ipsarum propria virtus suo ibi proprio innotescit effectu (6), inter quas sacra, & venerabilis Theologia locum obtinet altiorem; pręest enim reliquis sicut superior, & tanquam inferiores cetere sibi subsunt. Imperat aliis ut domina, & illę sibi ut famulę obsequuntur; gubernat alias ut prelata, & ipsę sibi tanquam subditę reverenter intendunt. Ad hanc singulę in viis suis levant, & habent intuitum, ut juxta permissum ejus se metientes inoffense incedant, & gressum ad aliquod inconveniens non impingant. De Parisius itaque fons limpidus scientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum. Ibi erumpit altus puteus scripturarum, de quo profundę intelligentię pocula mundus haurit. Cum igitur civitas ipsa Parisius, tanquam arbor fructifera in campo fidei ubertate prępollens, tanquam spiritualium proventuum copiam Ecclesię afferat generali, cum honorabilis Universitas Magistrorum & scholarium Civitatis ejusdem, quasi vitę vitis in vinea Ecclesię vivo (7) liquore affluens, vitalis potus abundantiam catholicę plebi propinet: Convenit quidem, (8) & expedit, ut ad eas multipliciter internę caritatis extendentes, & ostendentes affectum, ad perpetuam ipsius Universitatis preservationem, ut firma semper stabilitate vigeat, & pleno vigore assidue convalescat, totius diligentię studium impendamus, quatenus Apostolica sollicitudine continuo sibi procurato munimine, contra noxia quęlibet, & adversa, solida permaneat, & secura, ut sua non quatiatur firmitas, integritas non frangatur, nec corrumpatur sinceritas, nec unitas dividatur. Sane ad id in Civitate ipsa generalis Studii fundamenta, divino nutu, olim locata, & stabilita esse noscuntur, quod ex omnibus gentibus illuc pro acquirendis magnis scientię opibus, confluat continue multitudo, & virtute ibi, ac eruditione proficiens, ex suo exercitio thesaurum tam pretiosum, in cujus utique conservatione furum nullatenus timentur insidię, assequatur (9), & ex labore sapidum sapientię fructum reportet, qui summe pascendo reficit, nec unquam afficit fastidio comedentem. Immo quanto plus editur, tanto ad sui esum accendit edentis fortius appetitum. Nec usu quidem consumitur, sed servatur potius, & augetur. Ob hoc enim longa tempora sub vigiliis, & laboribus in eadem Civitate decurritis, bona ibi propria expendendo (10). Ideo parentes, & propinqui vestri sedula vobis ibidem subsidia de suis facultatibus sub-

Theologia encomium.

subministrant, subtrahentes interdum sibi, ut plenius vestris possint necessitatibus subvenire, quod inibi tanquam in odoramentorum delectabili paradiso cum aviditate legentes, reficiamini (11) jugiter suavibus, & electis epulis literarum, proficientes bonitatis augmento, & crescentes in viros morum honestate compositos, & scientiarum cognitione perfectos, ut tandem labor vester, & studium ad laudem Dei, vestrumque honorem, & commodum, & propinquorum gaudium elucescat.

Improbat nonnullorum pessima consilia.

Sed sunt quidam, qui vos in his, frivolis occasionibus adinventis, impedire conantur, vestrumque laudabilem in studii exercitatione processum immissione dissidii, & scandali concitatione, turbare, sicut his diebus aliqui spiritus malignitatis impulsu fecerunt, qui statum vestrum integrum, & tranquillum, novis procuratis dissensionibus, immutarunt (12), adducentes in vos commotionis turbinem, & inferentes discordię tempestatem, crebras faciendo convocationes, prava conventicula ordinando, & vos ad hoc iniquis, & callidis suggestionibus pertrahendo, ita quod cum debeatis in silentio, & quiete imminere libris, & lectioni vacare, oportebat, vos propter ista, intermisso studio, clamoribus, & strepitibus interesse, ac pro vanis, & incongruis tractatibus inutiliter evagari. Si ergo viros tam pestilentes corripimus, si ecclesiastica districtione talium temeritatem arcemus, si horum maligna molimina Apostolica potestate conterimus, impias colligationes dissolvimus, & reprob.. consilia dissipamus, orditas malitię suę machinas confringentes, ne libere serant, & pręconceptas inferant lęsiones, de hoc vehementer gaudere debetis, & tanquam de magni beneficii dono communiter exultare, quia resistendo taliter his perversis, etsi bonum generale agimus, vestrum tamen profectum specialiter procuramus.

FF. Prædicatorum & Minorum encomium.

Porro cum dilecti filii, Fratres Prędicatores, & Minores, Parisius sacrę Scripturę studio sedulo inhęrendo, sibi, & aliis multum proficiant, insignia lucis opera, de sua instanti vigilantia, & instantia vigili, proferentes, propter quod ex ipsis (13) Parisiense Studium grande (14) augmentum recipit, & eximium vestra Universitas ornamentum, turbamur quamplurimum, & vobis etiam debet non modicum displicere, cum aliqui sui ęmuli statum ipsorum humilem, & quietum subvertere moliuntur, & vos adversus eorum innocentiam commovere, quorum profecto multi fuerunt ex vobis, & de vestro consortio ad regulare Collegium transiverunt, quorumque necessitatibus de vestrę caritatis eleemosynis, & subsidiis potissime subvenitur, & qui pro vobis divinam clementiam devota, & assidua supplicatione deposcunt. Unde quia intelleximus, quod aliqui contra eosdem Fratres, quantum ad Prędicationem, Confessionum audientiam, mendicitatem ipsorum, & quoad alia in scholis, prędicationibus, & alibi, linguas relaxare maliloquas pręsumpserunt, non ipsos forte propriis exprimendo vocabulis, sed aperte quibusdam certis circumlocutionibus innuendo;

Eorundem defensionem instituit.

Nos attendentes quod dicti Fratres sacris Scripturis, & Verbi Dei studio, ac animarum profectibus, necnon divinis Officiis, & orationibus instanter, & incessanter intendant, nec torpent otio, sed opere optimo se ipsos exercitant, cum sapientia opus existat maximum, nec sint pluris qui operantur exterius, quam qui studium cognoscendę divinitatis exercent: nam & Dominus, ministrante, ac operante Martha, Marię audientiam, attentionem, & studium circa Verbum ipsius pręcipue commendavit, per quod liquido patet, quod iidem Fratres ad operandum suis manibus non tenentur; quinimmo, si, his intermissis, laborarent manibus, potiora utique, ac utiliora in minora, minusque utilia opera, non sine animarum dispendio, commutarent; considerantes etiam, quod reliquerunt omnia propter Deum, exilia vitę subsidia salubriter mendicantes, Christumque pauperem imitentur, perfectionem Evangelicam amplexando; ex quo evidenter apparet, quod in statu salvandorum existant, & per suę Religionis observantiam, quę quidem ipsius perfectionis Evangelicę tenet formam (15), ęterna pręmia promerentur; pensantes insuper, quod de licentia, vel commissione (16), ac concessione Romani Pontificis, seu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum licite possint prędicare Populis, & Confessiones audire, ac pęnitentias injungere salutares; contra omnes, qui adversus prędictos Fratres stulte in his (17), & improvide sunt locuti, efficaciter procedi mandamus, gravesque ipsis pęnas infligi, nisi per sufficientem satisfactionem sibi duxerint celeriter consulendum.

Libellum quendam de errore damnatum denuntiat.

Libellum etiam quendam valde perniciosum, & detestabilem, temere de novo compositum (18) post plenam examinationem ipsius (19), quia in eo quędam contra potestatem, & auctoritatem Romani Pontificis, & Coepiscoporum suorum, & aliqua contra salutarem Pauperum, seu Mendicantium Religiosorum, statum, sicut sunt Fratres pręfati, ac alia plura nefaria & perversa manifeste comperimus contineri, cum etiam gravis scandali seminarium, & materia multę turbationis existeret, tanquam iniquum, scelestum, & execrabilem, de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica reprobandum duximus, & in perpetuum condemnandum, excommunicando cunctos, qui libellum ipsum habuerint, nisi eum infra octo dies, ex quo hujusmodi nostram reprobationem, & condemnationem sciverint, curaverint penitus abolere.

Mandat ut supra.

Ideoque universitatem vestram, quam affectione paterna prosequimur, requirimus, & hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus sicut viri prudentes, cogitantes discrete, quod juste ac digne processimus in pręmissis, & quod vestram in hoc utilitatem operati sumus, deprimendo Universitatis ejusdem tam noxios turbatores, ac exinde pariter congaudentes, virtutum, & scientię studio principaliter intendatis, vestros ad hoc affectus convertentes totaliter, & firmantes a detractionibus, & oblocutionibus, & dolosis persuasionibus aures, & animos avertendo, & evitando, ac repellendo longius seditiosos, & perniciosos viros, quibus amęnum, & deliciosum esse videtur adinvenire dissensiones, & discordias procurare, ac supradictos Fratres tanquam acceptos Dei Ministros, & intercessores ad Deum pro populo efficaces, habentes attentius commendatos, nullis eos vexetis, aut inquietetis molestiis, sed pro divina, & nostra reverentia, suęque Sacrę Religionis intuitu, fraterna ipsos prosequamini caritate, ac piis benevolentię vestrę suffragiis foveatis, quia ex hoc & retributorem bonorum omnium reddetis vobis magis propitium, & favorem nostrum plenius acquiretis.

Ne quis de Universitate Parisiensi alio transferenda cogitet.

Ad hęc quia Studium in Civitate prędicta, faciente Domino, prosperis semper excrevit augmentis, & optimos produxit effectus, unde nullatenus expediret, ipsum exinde removeri, sed valde damnosum existeret, si forsitan alibi transferretur, de vestra, & ipsius translatione Studii ad locum alium nihil, his pensatis, statuatis penitus, nec firmetis. Nos enim parati sumus in omnibus, quę ipsius Universitatis honorem, & bonum ref-

respiciunt, vobis Apostolicę gratię liberaliter januam aperire. Datum Anaguię XVII (20) Kalend. Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Cavet.*) Vide Superius *notata die XIV April. MCCLV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum asservatur *Parisiis. Adeas Castellanum pag. 35, Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXXVIII pag. 144, Boulaeum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 331.*
3. *Scientia.*) *Boulaeus* addit: *Summa*: Vuadingus vero: *Summa.*
4. *Ipso.*) Ex Auctoribus mox laudatis: *Ipsa.*
5. *Alsn.*) *Boulaeus* legit: *Alia.*
6. *Effectu.*) *Boulaeus* & *Vuaddingus* scribunt: *Affectu.*
7. *Vivo.*) Iidem: *Vini.*
8. *Convenit quidem.*) Turbatus hic locus apud *Boulaeum.*
9. *Assequatur.*) *Vuaddingus* & *Boulaeus* legunt: *Insidin, sed unusquisque ex labore sapientia fructum reportet.*
10. *Expendendo.*) Ex Boulaeo: *Hauriendo, cito parentes.*
11. *Reficiamini.*) Ex eodem: *Reficiantur.*
12. *Qui statum vestrum integrum, & tranquillam, novis procurantis dissensionibus, immutarunt.*) Hæc desiderantur apud *Boulaeum*: *Vuaddingus* autem legit: *Pravitatis immissionibus*, non vero: *Procreatis dissensionibus.*
13. *Ex ipsis.*) Vuaddingus & Boulaeus: *Ipsum.*
14. *Grande.*) Boulaeus: *Generale.*
15. *Qua quidem ipsias perfectionis Evangelica tenet formam.*) Desunt apud *Boulaeum.*
16. *Vel commissione.*) *Vuaddingus* & *Boulaeus* omittunt.
17. *In bis.*) *Boulaeus* silet.
18. *Valde perniciosum, & detestabilem, temere de novo compositum.*) desiderantur apud eundem.
19. *Examinationem ipsius.*) Multa hic ad finem usque silentio praetermittit idem.
20. *XVII Kalendas.*) Ex Castellano: *IV Idus Novembris.*

Anno 1257 Die 5 Januarii.

Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut excommunicationis sententiam, in Fratres Teutonicos latam, servandam curent (1).

Ex Archivo (2) Ordinis lib. A. fol. 862.

CXXIX. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cur excommunicatione Fratres Teutonici devincti fuerint.

EXhibita nobis dilecti filii nobilis viri Kasimiri Ducis Lancicię, & Cujavię, devoti nostri, petitio continebat, quod cum olim ei fel: rec: Innocentius (3) Papa Prędecessor noster terras paganorum, quę Goleas, & Polexia (4) vulgariter appellantur, duxerit concedendas, dummodo Pagani terrarum illarum sponte sine gladio fidem Christi susciperent per Baptismum, dilecto filio ... Abbate (5) de Mezan. Placentin. Diœcesis, tunc in partibus illis Apostolicę Sedis Legato, sibi super hoc conservatore concesso, non obstante, quod tota terra Prussię concessa fuit a Sede Apostolica Magistro, & Fratribus Domus Sanctę Marię Teutonicorum, quam possent sibi per gladium subjugare; idem Abbas in dictum Magistrum, & quosdam de ipsis Fratribus, quia ipsi, ut evacuarent gratiam eidem Duci super hoc factam a Prędecessore prętacto, terras easdem, ipsis Paganis paratis, & volentibus sponte unda renasci Baptismatis, intrantes (6) in gladio eas sibi, non sine multa effusione sanguinis, subjugarunt, & diligenter ab ipso Abbate moniti, ab hujusmodi subjugatione resipiscere contumaciter denegarunt, cum hoc esset adeo notorium, quod nulla poterat tergiversatione celari, excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgavit. Quare fuit ex parte ipsius Ducis Nobis humiliter supplicatum, ut eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Ideoque discretioni vestrę, ad instar Prędecessoris ejusdem, per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam, appellatione remota, inviolabiliter observari. Non obstante indulgentia, qua Fratribus vestrorum Ordinum (7) ab eadem Sede dicitur esse concessum, ne de causis eis ab eadem Sede commissis inviti cognoscere teneantur. Quod si non omnes &c. Datum Laterani Nonis Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Curent.*) *Contulerat Innocentius Papa (IV) in Casimirum Lancicia, & Cujavia Ducem, nonnullarum terrarum, quibus Golens & Polexici nomen erat, dominium, modo ethnici sponte christiana sacra amplecterentur, etiamsi Religiosis S. Mariæ Teutonicis Equitibus concessisset; ut quas in Prussia terras ferro ethnicis eripuissent, ipsorum ditioni obnoxias censerentur. Cumque superiorum regionum pagani imbui Religione sacra Christiana cuperent, atque adeo sub Ducis imperio caderent, iidem Religiosi Equites furentes avaritia repentinas excursiones in Neophytos egere, multum fudere humanum sanguinem, eosque suo subiiciendos imperio contendebant. At Legatus Apostolicus, (is erat Abbas e Mezano,) cui a Pontifice servandorum Casimiri jurium provincia erat demandata, rei iniquitate motus, anathematis in eos sententiam jaculatus est: Deque ea re certior factus Alexander, scriptis ad Religiosos Dominicanorum, & Minorum familiæ viros, qui ceteris earum familiarum in Prussia sodalibus præerant, literis, sententiam, quam Legatus tulerat, confirmare imperavit, ut captis Censurarum terrore submoverentur.* Hæc *Odoricus* mox laudandus, *num. XXIII.*
2. *Archivo.*) Idem legere est apud *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 44, Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. XXIV.*
3. *Innocentius.*) *IV.*
4. *Polexia.*) Seu *Polesia* in *Polonia*. Vuaddingus scripsit *Prolexici.*
5. *Abbate.*) cui nomen: *Opicus.*
6. *Intrantes.*) Vuaddingus legit: *Iactantes.*
7. *Ordinum.*) Ex hoc Bulla videtur inscripta non solum Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut legitur *Libro A*, sed etiam Guardianis Fratrum Minorum, ut censet *Vuaddingus* laudatus.

Anno 1257 Die 7 Januarii.

Parisiensi Cancellario, ut qui in obtemperando Bullæ, quæ incipit: *Quasi lignum vitæ*: ambiguæ fidei fuerint, a docendi munere repellantur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXX. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Cancellario Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIcet nos olim pro Studii Parisiensis conservatione &c. (3) mandamus, quatenus legendi Parisius in aliqua Facultate nemini licentiam tribuas, nisi prius tibi bona fide promiserit prędictam Ordinationem no-

nostram, & mandata in ea contenta se firmiter, & inviolabiliter observaturum. Datum Laterani VII Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Repellantur.*) *Nondum enim*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. LIII, *inter Parisienses Doctores, ac Religiosos viros Mendicantes concordia coaluerat, recrudescentibusque odiis, ab Academia consortio Religiosos depellere moliebantur, atque ad colorandam facti rationem, nonnulla afferebant argumenta, invitum neminem ad alterius societatem astringi debere, tum nuncupatum paupertatis Votum non pati, ut quaestum, qui ex eo derivabatur, colligerent, ipsosque ea ratione a vitae sanctimonia professione discessuros. At Alexander suscepto Religiosorum patrocinio, tam latas antea in eorum gratiam sententias corroboravit, tum conventiones, quibus Apostolicis privilegiis se non usuros spoponderant, rescidit.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum extat *Parisiis*. Idem leges apud *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 46, Boulaeum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.* 334.

3. *Conservatione &c.*) Ut in *Diplomate dato VII Decembris MCCLV* ad hæc usque verba: *Firmiter praecipiendo.*

Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum, ut in partem judicii non vocato Diœcesano, vel ipsius Vicario, in hæreticos scelus fatentes, & in eo pertinaces, quæstionem possint instituere (1). Anno 1257 Die 11 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus heretice pravitatis in Provincia Lombardie ac Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD capiendum vulpeculas, que vineam Domini satagunt demoliri, totis affectibus intendentes, Inquisitionis negotium contra respersos heretica pravitate in Provincia Lombardie, & Marchia (3) Januen. vobis sub ea forma duximus committendum, ut cum aliqui de partibus illis fuerint heretici judicandi, ad id de consilio Diocesanorum Locorum, vel Vicariorum suorum, si forte iidem Vicarii, Diocesanis ipsis absentibus, presentes fuerint, procedatis; Ut autem in commisso vobis hujusmodi Inquisitionis negotio liberius procedere valeatis, procedendi juxta traditam vobis formam, Diocesanis etiam, & Vicariis predictis irrequisitis, contra illos, qui publice pravitatem hujusmodi confessi fuerint in judicio coram vobis, & sua obstinata malitia ab errore non poterunt revocari, vobis, & singulis vestrum plenam & liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Datum Laterani III Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Concedit ut supra.

1. *Instituere.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. In Diplomatis tergo legitur: *Fratris Rainerii Praedicatorum*: & in ima parte, in sinu pergameni, intus eadem manu legere est: *Petis F. Rainerius, quod ista littera innovetur secundum formam aliarum litterarum: videlicet: Inquisitoribus deputatis auctoritate Sedis Apostolicae, & in posterum deputandis, salutem, &c.* Eandem Bullam transcripsit *Cherubinus in Alexandro IV*; est IX.

3. *Marchia.*) Cherubinus legit: *& Marchia.*

Firmam & ratam habet concessionem, qua Fratres Prædicatores donarat Episcopus (1) Matisconensis (2). Anno 1257 Die 13 Januarii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 863.

CXXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Predicatoribus Matisconen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXhibita nobis vestra petitio continebat, quod venerabilis Frater Episcopus Matisconen., sancte conversationis, ac vite vestre studium, ac etiam solicitudinem efficacem, quam circa lucrum geritis animarum, attente considerans, & propter hoc pie cupiens, vos in Civitate Matisconen. locum habere, cum nullum tum obtineretis ibidem, quicquid census, vel servitii, aut alterius juris sibi competeret in loco, quem in Civitate acceptaretis eadem, in eleemosynam vobis liberali contulit pietate: Quare humiliter petebatis a nobis, ut cum pars vestri loci, quem ibidem adepti estis, fuerit vinea, in qua Episcopus ipse certum censum, vel jus aliud dicitur habuisse, hujusmodi collationem Episcopi memorati, per quam eadem (3) census, & jus vobis remissa esse noscuntur, Apostolico roborare munimine dignaremur; Nos itaque vestris supplicationibus inclinati concessionem eandem firmam, & ratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus: Defectum in ipsa pro eo habitum, quod Matisconensis Capituli non intervenerit assensus, de nostre supplentes plenitudine potestatis. Nulli &c. nostre Confirmationis &c. Datum Laterani Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Confirmat ut supra.

1. *Episcopus.*) Is erat vir venerabilis memoriae *Seguinus de Lugni.*

2. *Matisconensis.*) In *Burgundia.*

3. *Eandem.*) Fortassis: *Eadem.*

Saecu-

Anno 1257 Die 13 Januarii.

Sacelli, & plateæ, quæ Fratribus nostris donarat Matisconensis Episcopus (1), cessionem confirmat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 864.

CCXXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus Matisconen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX tenore vestrę petitionis accepimus, quod venerabilis Frater noster Episcopus Matisconensis erga vos pro vestrę Religionis meritis dirigens affectum benevolentię specialis, Capellam S. Marię de Castro Matisconen., ac Plateam, quę est circa eam, sitas secus locum vestrum, prout spectabat ad ipsum, vobis pia liberalitate concessit, exceptis ipsius Capellę redditibus, quos Ecclesię S. Stephani Matisconen. dignoscitur reservasse. Quocirca humiliter petebatis a nobis, ut concessionem hujusmodi Apostolico roborare munimine dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, concessionem eandem ratam, & firmam habentes, eam Auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus; defectum in ipsa pro eo habitum, quod Matisconen. Capituli non intervenerit assensus, de nostrę supplentes plenitudine potestatis. Nulli &c. nostrę Confirmationis, & suppletionis &c. Datum Laterani Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmat ut supra.

1. *Episcopus.*) Ut in præcedenti Diplomate.

Anno 1257 Die 16 Januarii.

Quid F. Raynerius (1) Inquisitor faciet præscribit (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCXXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raynerio Placentino de Ordine Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

LIcet ex omnibus mundi partibus, quę nomine Christiano censentur, teneamor ex officii nostri debito expurgare lethiferam pestem hereticę pravitatis, in Italia tamen, & maxime in partibus provincię Lombardię imminet nobis hec solicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quo in detrimentum Fidei catholicę perversos mores peperit, ex vicinitate persensimus abundantius succrevisse. Cum igitur ad Inquisitionis officium contra hereticos in eadem Provincia a Bononia, & Ferraria inclusive usque ad fines superiorum ipsius Provincię partium, necnon... (4), & in Januen. Marchia exequendum, sis auctoritate nostra, per consilium deliberationis provide, institutus, discretionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, tibi per Apostolica scripta in remissionem peccaminum injungentes, quatenus in Caritate Dei, hominum timore postposito, virtute spiritus indutus ex alto, predictum officium, ubique infra prefatos limites, sub spe mercedis eternę, sic efficaciter prosequi studeas, ut per solicitudinis tuę prudentiam de predictis Provincia, & Marchia radix iniquitatis hereticę succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quę perversis morsibus demoliuntur eandem, fructus afferat Catholicę puritatis. Si quos autem de pravitate predicta culpabiles inveneris, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati velint mandatis Ecclesię obedire, necnon, & receptatores, defensores, & fautores eorum, juxta sanctiones Canonicas, auctoritate Apostolica, hominis metu divino postposito, procedere non omittas, invocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Si vero aliqui ex eis, heretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis per te, vel alium, juxta formam, Ecclesię beneficium absolutionis impendens, injungas eisdem, quod injungi talibus consuevit: proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & te, immo potius seipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Ut autem commissi tibi officii debitum liberius exequaris, committendi citationes, testium examinationes, cum de predicto crimine, ac ipsius circumstantiis duxeris inquirendum, & senteotiarum denuntiationes, quas in quolibet hac de causa tuleris, plenam tibi concedimus facultatem. Non obstante si Religiosis quibuslibet, quod causarum, vel negotiorum commissiones minime teneantur suscipere, quodque excommunicari, vel interdici, aut suspendi nequeant, a Sede Apostolica sit indultum. Sed quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore durę, ac dignę severitas ultionis, volumus, & mandamus, ut tu, vel quos ad hoc duxeris deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine predicto, ipsique contingentibus, oportuerit, adhibeas tibi duas religiosas, & discretas personas, sub quarum presentia per viros idoneos fideliter eorum testium deposita conscribantur. Ceterum cum aliqui fuerint judicandi heretici, vel incarcerationis pęna perpetuę alicui pro hujusmodi crimine infligenda, ad id de Diecesanorum, vel Vicariorum suorum, si ipsi, Diecesanis absentibus, presentes fuerint, consilio procedas, ut in tantę animadversionis judicio, non postponenda, Pontificum auctoritas intercedat. Quod si forte, quod non credimus, aliqui cujuscunque conditionis huic negotio, vel predicationis Crucis officio contra hereticos per te, & alios, prout per literas nostras duximus disponendum, exequendo se opponere; seu illud presumpserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi libere in eisdem, immo nisi requisiti utrumque foveant, & juxta officium, & posse suum singuli juverint studiose, contra eos tanquam contra hereticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones canonicas, eadem fretus auctoritate, intrepide procedere non postponas; Nos enim nihilominus ad comprimendam tam superbam, & perniciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium Ecclesiasticę potestatis acriter extendentes, & Reges, & Principes, aliosque Christi fideles, sive

Ut in Hæreticos viriliter agat, præcipit.

Ut arbitratu suo quemlibet delegare possit.

Ut testimonii dictiones duobus adhibitis Religiosis scripto tradat.

Quomodo ferenda sit sententia.

Si consiliis suis impedimento quis fuerit, pœnas debitas luat.

five pro Terrę Sanctę fuccurfu, feu alias pro Chrifti fervitio Crucis charactere infignitos, necnon & ceteros Catholicos invocabimus contra eos, ut cęlum, & terra adverfus detellabilem temeritatem ipforum pariter moveantur; cum non minus expediat, immo magis, Fidem in locis prope pofitis, quam procul diftantibus, defenfare. Verum, ut pręDicta poffis utilius, & liberius exercere, tibi largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videris, omnibus, vere pęnitentibus, & confeffis; qui ad tuam convocationem, propter hoc faciendam, accefferint, plenam tenore pręfentium concedimus facultatem. Illis vero, qui ad impugnandum hęreticos, fautores, & receptatores, & defenfores eorum, tibi ex animo auxilium, confilium pręftiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei mifericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoftolorum ejus auctoritate confifi, tres annos de injuncta fibi penitentia relaxamus, & fi qui ex his in profecutione hujufmodi negotii forte decefferint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confeffi fuerint plenam veniam indulgemus. Compefcendi quoque, monitione pręmiffa, per cenfuram ecclefiafticam, appellatione poftpofita, pręDicatores quęftuarios a pręDicationis officio, quod ad ipfos nullatenus pertinet, quorum intereft tantum caritativa fubfidia fimpliciter petere, ac indulgentiam, fi quam forte habent, exponere, liberam tibi tribuimus facultatem. Datum Laterani XVII Kalend. Februarii, Pontificatus noftri Anno Tertio. Indulgentiam poterit elargiri.

1. *Raynerius*.) De quo fæpius fupra. Adeas *Echard fcriptor. Ordinis Prædicat. Tomo I ad annum MCCLVIII. pag.* 154.
2. *Præfcribit*.) Dicetur in *differtatione I Tomo ultimo*.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum eft in Cœnobio *S. Euftorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.
4. *Necnon ....*) *Tarvifin*.

Univerfis Ecclefiarum Prælatis, ne quis legatis Fratres noftros defraudet (1). Anno 1257 Die 18 Januarii.

Ex Bullario (2) Ufufmaris pag. 37.

Alexander Epifcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus univerfis Archiepifcopis, & Epifcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclefiarum Prelatis, & Clericis univerfis, cujufcunque Ordinis, vel profeffionis, ad quos literę iftę pervenerint, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem. CXXXV.

De pia & fancta converfatione &c. (3). Datum Laterani XV Kalendas Februarii, Pontificatus noftri Anno Tertio.

1. *Defraudet*.) Dicetur in *Tractatu de Confenfu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Bullario*.) Idem habent *Caftellanus pag.* 27, *Conftitutiones Ord. Prædicat. typis vulgata anno MDV num. LVII, Conftitutiones ejufdem Ordinis an. MDVII num. LXI.*
3. *Converfatione &c.*) Ut fupra *XVIII Julii MCCLVI.*

Ecclefiarum Prælatis, ut Ordinis FF. Prædicatorum Cenfores Fidei habeant commendatos. Anno 1257 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Alexander Epifcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepifcopis, & Epifcopis, & dilectis filiis aliis Ecclefiarum Prelatis per Lombardię, Januen., & Marchię (2) Provincias conftitutis, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem. CXXXVI.

Ad orthodoxę Fidei chriftianę Religionis augmentum tanto magis Ecclefiarum Prelatos attenta convenit follicitudine vigilare, quanto regimini animarum prępofiti curam earum gerere, & falutem prę ceteris procurare tenentur. Unde, cum non fit Deo acceptabile obfequium fine Fide, ad incrementum ipfius potiffime inter alia, quę ipfis incumbunt, debent vigilem diligentiam adhibere. Cum igitur quidam Fratres Ordinis PręDicatorum fint in pręDictis Provinciis Inquifitores contra hęreticos per Sedem Apoftolicam conftituti, qui negotium Fidei fervent animo, & corde conftanti, non fine multis tribulationibus, & perfecutionibus, profequuntur, univerfitatem veftram monemus, rogamus, & exhortamur in Domino Jefu Chrifto, per Apoftolica vobis fcripta, in virtute obedientię diftricte pręcipiendo, mandantes, quatenus Inquifitoribus ipfis favorabiliter affiftentes, ad promovendum dictum negotium eis confilium & auxilium, omni humano timore poftpofito, efficaciter impendatis: fcientes, quod illi, qui ea pręftiterunt fibi hactenus, & pręftabunt, in omnibus favorem Sedis Apoftolicę fentient fpecialem, & in eorum opportunitatibus non invenient favorabiles & benignos. Hi autem, quos fore noverimus mandati fuper hoc Apoftolici contemptores, cum de eorum negligentia nobis conftiterit vel contemptu, pręter Divinum judicium, quod eis imminet, ecclefiafticam non effugient ultionem. Datum Laterani XV Kalendas Februarii, Pontificatus noftri Anno Tertio. Exordium. Fidei Cenfores commendat.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Cremonæ* affervato.
2. *Januen., & Marchiæ*.) Nonne melius: *Et Marchiæ Januenfis*

Anno 1257 Die 22 Januarii.

Palentino (1) Episcopo, ne molestias exhibeat Fratribus Ordinis Prædicatorum, & ut excommunicationis sententiam in eosdem latam rescindat.

Ex Johanne Lopez Histor. Ord. Præd. Parte III Lib. I Cap. XXXV pag. 84.

CXXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Paleotino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat.

LAudabilia & fructuosę pietatis opus ageres, si personis pia & famosa Religione conspicuis te affabilem & pium exhiberes, sed tu, prout mirames audivimus, ex eo ceteris in contrarium anhelare, quia in dilectos filios Priorem & Fratres Ordinis Prędicatorum Palentin., ex eo quod corpus cujusdam civis Palentini, qui apud eorum Ecclesiam sepeliri elegerit, tradiderint ecclesiasticę sepulturę, post appellationem ab eis ad Sedem Apostolicam legitime interjectam, excommunicationis sententiam contra justitiam promulgasti, ac tandem ex eo quod ipsi de indulgentia, quam idem Ordo a Sede Apostolica obtinet, de habenda libera sepultura, utentes, & in hujusmodi prędicta appellatione confisi, corpus illius in cęmeterio ipsius Ecclesię tumularunt, tu ad tantam in eosdem Ordinis Fratres comminationis ineptiam prorupisti, quod in omnes sibi eleemosynas largientes excommunicationis sententiam promulgasti. Dum autem pro parte dictorum Prioris & Fratrum propter hoc ad nos habitus sit recursus, fraternitatem tuam

Cavet, & præcipit ut supra.

rogamus, & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus prędictam excommunicationis sententiam infra octo dies a receptione prę́sentium sine qualibet difficultate revocare procures, & tam in ipsos, quam in benefactores eorum similem sententiam propter hoc non prę́sumas promulgare: Sed eos pro divina, & nostra reverentia interne diligas benignitatis affectu, & ipsos, contra indulgentias sibi concessas Apostolicas, non molestes, nec permittas ab aliis molestari, ita quod eis gaudentibus, te semper sibi reperiisse propitium, tibi exinde Benedictionis Divinę prę́mium. & a nobis condigna proveniat actio gratiarum Datum Laterani XI Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Palentino.*) Legesis *notam I in Diploma datum VIII Aug. MCCXXXI.*

Anno 1257 Die 23 Januarii.

Magistro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut Monasterium Monialium (1) Sancti Dominici juxta Montargiacum (2) in Ordinem coopteiur.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 865.

CXXXVIII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Monialium supplex petitio.

SUa nobis dilectę in Christo filię Priorissa, & Sorores Monasterii S. Dominici juxta Montargiacum, Ordinis S. Augustini. Senonen. (3) Dię́cesis, petitione monstrarunt, quod olim fel. record. Innocentius (4) Papa Prędecessor noster, vos ab omni cura, & solicitudine Monasteriorum Monialium, incorporatorum, seu admissorum, vel quomodolibet unitorum Ordini vestro, Sancti Sixti de Urbe, & S. Marię de Frulian. Tolosan. Dię́cesis, duntaxat exceptis, duxit, de Fratrum suorum consilio, absolvendos, cujus absolutionis prętextu, quamvis Ordini vestro incorporatę extiterint, sicut in eiusdem prędictis literis plenius dicitur contineri, cum curam non geratis de ipsis tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ut asserunt, patiuntur non modicum damnum. Quare eę́dem Priorissa, & Sorores nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc paterna solicitudine curaremus. Nos igitur, circa eas debitum habentes compassionis affectum, discretioni vestrę per Apostolica scripta firmiter prę́cipiendo mandamus, quatenus eas,

Mandat ut supra.

quę secundum tenorem literarum prędictę incorporationis ad curam, & solicitudinem vestram spectare noscuntur, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, literis super absolutione hujusmodi nequaquam obstantibus, studeatis circa ipsas diligenter, ac sollicite adimplere. Non obstante aliqua Constitutione, seu

Derogationes.

indulgentia, aut privilegio, cujuscunque tenoris existat, vobis super prędictis ab Apostolica Sede concessa, etiam si contineatur in eis, quod aliquę vobis cujuscunque tenoris impetratę, vel etiam impetrandę literę non obsistant. Datum Laterani X Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Monialium.*) Consulas *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Montargiacum.*) Dixi superius *VIII April. MCCXLV.*
3. *Senonen.*) Hinc firmatur *annotatio V in Diploma mox laudatum.*
4. *Innocentius.*) *IV.*

Anno 1257 Die 8 Februarii.

Indulgentiam (1) elargitur visitantibus Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum Mediolanen. ubi Corpus S Petri (2) Martyris requiescit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CXXXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, prę́sentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio Sanguinis sui de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri vir-

virtute, inter quę, illud esse pergrande dignoscitur, quod ubique, sed pręcipue in Sanctorum Ecclesiis Majestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Mediolani, in qua Corpus B. Petri Martyris, professoris prędicti Ordinis, requiescit, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis, nos enim, ut Christi fideles quasi per pręmia salubriter ad merita invitemus, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in festo ipsius Martyris, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint annuatim, annum unum & quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Indulget ut supra.

1. *Indulgentiam.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. L.*
2. *Petri.*) De quo supra *XIII Junii MCCLI.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Mediolani* in Cœnobio *S. Eustorgii*. Plumbum sericis filis appenditur. Idem legitur apud *Castellanum pag.* 22, in *Constitutionibus Ord. Prædicat. an. MDV num. XLIX*, in aliis *anni MDVII num. L.*

Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum Mediolanen., ut Vigilia, & die Festo S. Petri (1) Martyris, ac etiam per octo dies sequentes Sacra solemni ritu celebrare possint tempore generalis Interdicti (2).

Anno 1257 Die 9 Februarii.

Ex Arch. (3) *Ord. lib. A. fol.* 864.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXL.

PRo reverentia B. Petri Martyris, cujus, pro fide Christi nefandis hereticorum manibus occisi, corpus sanctissimum miraculorum diversitate refulgens in vestra Ecclesia requiescit, ac etiam pro sanctę conversationis, & vitę vestrę meritis, delectamur vos prosequi dono gratię specialis; Hinc est, quod nos devotioni vestrę auctoritate pręsentium indulgemus, ut cum generale terrę fuerit interdictum, in Vigilia, & Festo ejusdem Martyris, ac etiam per octo sequentes dies, apertis januis, excommunicatis duntaxat exclusis, in Ecclesia vestra Divina Officia solemniter celebrare possitis, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Nulli ergo &c. nostrę Concessionis &c. Datum Laterani V Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Concedit ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Petri.*) Cujus mentio in *Diplomate XIII Junii MCCLI.*
2. *Interdicti.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
3. *Archivo.*) In quo aliud extat Exemplar ex Autographo *Mediolani* in Cœnobio *S. Eustorgii* asservato. Plumbum sericis filis appenditur.

Priorissæ & Sororibus Monasterii Montargiensis (1), ut ex Apostolicis literis ecclesiastica Beneficia, vel pensiones nemini conferre teneantur (2).

Anno 1257 Die 13 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 870.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Sororibus Monasterii S. Dominici juxta Montargiacum, Ordinis Fratrum Prędicatorum Instituta servantibus, Senonen. Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLI.

REligionis vestrę meretur honestas, ut specialem vobis gratiam faciamus. Vestris igitur devotis supplicationibus benignum impartientes auditum, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut ad receptionem, vel provisionem alicujus in Pensionibus, vel aliis Ecclesiasticis Beneficiis minime teneamini per Literas Sedis Apostolicę, vel Legatorum ipsius, quę de Indulto hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem. Nulli ergo &c. nostrę Concessionis &c. pręsentibus post quinquennium &c. Datum Laterani Idibus Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Indulget ut supra.

1. *Montargien.*) Ut supra *VIII Aprilis MCCXLV.*
2. *Teneantur.*) Legendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*

Episcopo Brixiensi, ne Fratrum Prædicatorum negotiis se intrudat, & ut infecta faciat quæ violarunt eorundem auctoritatem (1).

Anno 1257 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Brixiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLII.

INviti aliqua fieri patimur, per quę pię Religioni dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum in aliquo derogetur, maxime cum ipsi ad hoc sint tota mente soliciti, quod honor Dei, & animarum salus per ipsorum ministerium possint assidue promoveri. Sane mirantes audivimus, quod tu aliquos ex Fratribus Brixiensibus ejusdem Ordinis in quibusdam locis tuę Civitatis & Diœcesis, ubi de minori, & leviori Religione agitur, absque Prioris sui licentia, pro tua voluntate in Prelatos instituere pręsumpsisti, Exordium a laude Ordinis.

confirmando nihilominus auctoritate propria electiones, seu postulationes, quę de ipsorum aliquibus fuerunt aliquando celebratę. Cum autem hujusmodi prȩsumptio dilectos filios Priorem, & Fratres Brixienses prędicti Ordinis plurimum scandalizet, ac redundet in gravem ipsius Ordinis lęsionem, volumus, & per Apostolica scripta tibi, pręcipiendo, mandamus, quatenus quicquid olim circa Fratres eosdem super institutione, vel confirmatione hujusmodi fecisti motu proprio, sine aliqua dilatione, seu difficultate revoces, & similia de cetero non attentes, ita quod & tua culpa pręterita super hoc in oblivionem veniat, & prędictis Priori, & Fratribus de te ulterius conquerendi, necessitas non incumbat; nos enim nihilominus irritum, & inane decernimus quod super institutione, ac confirmatione prędictis olim fuit, vel de cetero contra hujusmodi mandati nostri tenorem fuerit attentatum. Datum Laterani II Kalend. Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Inhibet, & pręcipit ut supra.

1. *Auctoritatem.*) De qua in *Tractatu de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum in *Bullario Brixiensi folio* 43, ex Autographo in Cœnobio *Brixiensi* asservato.

Anno 1257 Die 6 Martii.

Ad dubia Inquisitorum respondens, quinque Capitula Constitutionum Innocentii IV declarat (1).

Ex *Bullario* (2) *Romano in Alexandro IV Constitut. III.*

CXLIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus, Inquisitoribus hęreticę pravitatis, in Lombardia, & Marchia Januensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

FElicis recordationis Innocentius Papa, Prędecessor noster, dudum Constitutiones quasdam edidit, secundum quas rigor debet exerceri canonicus, in extirpandis ex agro fidelium zizaniis hęreticę pravitatis, quarum aliquę videntur ambiguę, super quibus nostrę responsionis oraculum implorastis. Ne igitur ipsarum Constitutionum obscuritas, commissę vobis solicitudini, perniciosas vineę Domini pie persequendi, capiendique vulpeculas, obstaculum obiciat tarditatis, quinque ipsarum Constitutionum (3) Capitula, quę vobis dubia videbantur, auctoritate prȩsentium, de Fratrum nostrorum consilio, duximus declaranda.

Primum dubium.

Primum sane dubitationis vestrę capitulum continet, quod tam duodecim viri, quam Notarii, & servitores eorundem, ad capiendum hęreticos deputati simul, & divisim plenariam pręcipiendi, sub pęna, & banno (4), quę ad officium suum pertinent, habeant potestatem; Potestas vero talis loci, vel Rector teneatur habere firma, & rata omnia pręcepta, quę occasione officii sui fecerint duo ex ipsis officialibus, sive plures, & pęnas exigere non servantium.

Responsio.

Hoc itaque, quod de pęna, & banno dictum est, de illis dumtaxat pęnis interpretamur intelligi, quę consequenter in eisdem Constitutionibus sunt expressę. Possunt autem prędicti officiales, communitati, burgo, & villę pręcipere sub pęna, & banno usque ad ducentas marchas argenti, & ultra, ad arbitrium Potestatis loci ejusdem, quod Potestati, vel Dięcesano, aut ejus Vicario, seu Inquisitoribus hęreticorum prȩsentabunt infra prȩfigendum eis terminum competentem, omnes hęreticos, & hęreticas, quos sibi dicti officiales duxerint assignandos: & Potestas loci a non servantibus, pęnam hujusmodi exigere teneatur.

Secundum dubium.

Secundum vero est, quod domus in qua prohibiti fuerint hęreticorum captores, sine spe reędificandi, funditus destruatur, & bona, quę ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hęretici fuissent ibidem inventi:

Tertium dubium.

quodque habet, quod domus in qua repertus fuerit aliquis hęreticus, seu hęretica, sine ulla reędificandi spe funditus destruatur, nisi dominus domus ibidem procuraverit reperiri, & si dominus domus illius alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illę domus similiter destruantur, & bona, quę fuerint inventa in domo illa, & in domibus illi (5) adhęrentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti.

Responsio ad illa duo.

Hęc autem duo Capitula uno declarationis Sedis Apostolicę radio lucidantes, volumus absolvere (6), ut pęnę taxatę per Constitutiones easdem in premissis casibus infligantur: nisi Dięcesanis, vel, in eorum absentia, Vicariis ipsorum, una cum Inquisitoribus inquisitorum, vel solis ipsis Dięcesanis, cum ipsorum Inquisitorum prȩsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit, prȩfatarum domorum dominos in his casibus penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse, ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, sive fautores hęreticorum, seu de hęretica labe suspectos. Bona vero, quę inventa fuerint in domibus supra dictis, debent in his casibus similiter publicari, nisi legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione majores, ipsa bona esse aliarum personarum quam dominorum domuum earundem.

Quartum dubium.

Quartum vero vestrę dubitationis Capitulum enodamus, quod videlicet, si dominus domus, pro eo quod in ipsa repertus fuerit hęreticus, vel hęretica, sine spe reędificationis funditus destruendę, habeat alias domos, illi domui demoliendę contiguas, omnes illę similiter destruantur:

Responsio.

Illud de appendiciis domus illius debere intelligi declaramus, ut scilicet domus illa cum aliis ejusdem, domui ipsi contiguis, hoc est ipsa, & ipsius etiam appendicia, cum eadem sive in domo, sive in appendiciis ejus, hęreticus, vel hęretica repertus fuerit, destruantur; cum domus, quamvis diversis mansionibus distinguatur, una nihilominus sit censenda.

Quintum dubium.

In quinto autem dubitationis capitulo legitur: quod teneatur Potestas, seu Rector, infra decem dies sui regiminis syndicare (7) pręcedentem proximo Potestatem, vel Rectorem, & ejus etiam Assessores, per tres viros Catholicos, & fideles, electos ad hoc per Dięcesanum, & per Fratres Prędicatores, & Minores, de omnibus his, quę in statutis ipsis, sive Constitutionibus, & Legibus contra hęreticos, & eorum complices editis continentur.

Responsio.

Hunc itaque dubitationis articulum declarantes respondemus, quod una cum Dięcesano loci, Fratres prędictorum Ordinum, a Priore, & Guardiano suis, vel ab eorum altero, si ibidem alterius dumtaxat eorundem Ordinum Conventus extiterit, assumendi, viros eligant supradictos. Si vero neutrius Ordinis Conventus ibi forsitan habeatur, ad solum Dięcesanum eorundem virorum electio pertinebit. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eadem Capitula Constitutionum prędictarum accipientes, juxta declarationis Apostolicę intelle-

intellectum, tenorem pręsentium simul cum eisdem Constitutionibus faciatis de verbo ad verbum in capitularibus Civitatum, ad tollendas, de aliorum cordibus ambiguitates hujusmodi, annotari. Datum Laterani II Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Declarat.*) Hæretici siquidem *Longobardiam* vexantes, *Innocentii IV* Constitutionem contra se editam in varios sensus torquebant, fraudibusque variis severitatem judiciariam eludebant. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad Annum MCCLVII num. VI.*

2. *Bullario.*) Illud ex *Directorio Sabellano fol.* 114 *Pegna* transcripsit ad calcem *Directorii Inquisitorum pag.* 26. Legitur etiam apud *Bzovium* mox citatum, *num. VII.*

3. *Constitutionum.*) Illas habes superius *XV Maii MCCLII &c.*

4. *Banno.*) Id est *Proscriptione.*

5. *Illi.*) *Pegna* legit: *Illis.*

6. *Absolvere.*) Legerem: *Absolute*, ut scripsere *Bzovius*, & *Pegna.*

7. *Syndicare.*) Id est *Inquirere.*

F. Pontio (1) de Villanova, Barchinonensi, Ordinis FF. Prædicatorum, aliisque nonnullis, ut Monasterium Rivipollense Ordinis S. Benedicti reforment.

Anno 1257 Die 11 Martii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 535.

CXLIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Sanctarum Crucum, Cisterciensis Ordinis, Tarraconen. Dięcesis, Ademaro (3) Lectori Gerunden., & Pontio de Villanova Barchinonen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a Paterna sollicitudine, & Facti narratione.

HAbentes in desideriis, ut pia loca continuis proficiant incrementis, expedit, si contrarium sentiamus accidere, quod curemus eisdem condignę provisionis subsidium adhibere. Sane in Monasterio Rivipollensi, Ordinis Sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, Vicensis (4) Dięcesis, prout accepimus, multa perpetrantur enormia, quę in Dei redundant offensam, & perditionis exemplum aliis subministrant, eodem Monasterio propter hoc ita in spiritualibus, & temporalibus jam collapso, quod nisi de celeri remedio succurratur eidem, vix adiiciet, ut resurgat; maxime cum inter dilectum filium Abbatem ex parte una, & Monachos ipsius Monasterii ex altera, gravis dissensionis materia sit exorta. Quia vero eisdem Monachis, sicut asseritur, ex certa, & legitima causa a prędicto Abbate ad nostram audientiam appellantibus, tam super inquisitione facienda contra dictum Abbatem, quam reformatione prędicti Monasterii diversę hinc inde literę ad diversos judices dicuntur esse a Sede Apostolica impetratę, ac propter diversitatem earum debitus super hoc non potest haberi processus; Nos volentes super hoc salubriter providere, de vestra quoque circumspectione confisi, ex officio nostro, & etiam de assensu procuratorum utriusque partis, per Apostolica vobis scripta, in virtute obedientię pręcipiendo, mandamus, quatenus ad locum ipsum personaliter accedentes, si vobis de appellatione ipsa constiterit, revocetis in statum debitum quicquid constiterit post appellationem eandem fuisse temere attentatum; non sinentes, Monachos ipsos interim ab eodem Abbate indebite molestari, sed duobus ex eis, nomine illorum, negotium hujusmodi prosequentibus, de bonis ipsius Monasterii ministrari expensas ad id necessarias facientes. Deinde ibidem tam in capite, quam in membris, solum Deum habendo prę oculis, inquiratis super pręmissis enormitatibus, & aliis diligentius veritatem, ac auctoritate nostra corrigatis, & reformetis, quę correctionis, & reformationis officio noveritis indigere; ac amovendo a suis administrationibus illos, quos, suis culpis exigentibus, videritis amovendos. Non obstantibus supradictis, & quibuscunque aliis literis a Sede Apostolica impetratis, ac processibus per eas habitis, aut aliquibus aliis literis impetrandis, quę de pręsentibus plenam & expressam non fecerint mentionem, sive indulgentia, sicut dicitur, Ordinibus vestris, vel vobis ab eadem Sede concessa, quod de causis vos intromittere minime teneamini per literas prędictę Sedis, nisi de indulgentia hujusmodi plena, & expressa in eis mentio habeatur. Contradictores &c. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani V Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Pontio.*) Quis iste sit, non facile dictu; eos enim inter nominatissimos Fratres, pietate, doctrinaque percelebres, qui ab Ordine condito, ad hanc usque diem illustrarunt Barchinonense Cœnobium, multi fuere *Pontii*. Ceterum si Frater iste sit ille Martyr inclytus, *Pontius de Planedis*, Cœnobii *Barchinonensis* alumnus, qui ab hæreticis Fidei causa peremptus est, hinc *Leandri Alberti*, *Castilli*, aliorumque sententia Martyrium Venerabilis Servi Dei ad annum MCCLXII ablegans firmari poterit. Sed id non ausim affirmare.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*.

3. *Ademaro.*) Consulendus *Diago in Histor. Provinciæ Aragon. Lib. II Cap. XCII pag.* 269.

4. *Vicen.*) In *Catalonia*.

Lege, quæ Magistri ac Priorum Provincialium Electionis tempus definit, electores (1) Ordinis Prædicatorum solvit.

Anno 1257 Die 16 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXLV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

CUm hii, qui in lege Domini quotidie meditantur, passim non debeant humanis legibus subjacere, Nos vobis, in via mandatorum Dei currentibus, auctoritate pręsentium indulgemus, ut in Electionibus Magistri, & Priorum Provincialium vestri Ordinis, Fratribus, qui debent electiones hujusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus convenire oporteat, tempus super hoc a jure statutum non currat,

Sanctio pœnalis. nec ipsi, In hac parte, juris hujusmodi regulis coarctentur. Nulli ergo &c. Datum Lateran. XVII Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Electores.*) De Electoribus differetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Legitur etiam *Libro B. folio* 378; apud *Usufmarem pag.* 38.

Anno 1257 Die 16 Martii.

Magistro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut si Provincialis vel Conventualis Prioris electio rescindatur, quem sibi per literas popofcerint electores in locum alterius, ille ipse possit constitui (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UT ea, quę vobis interdum circa electionis negotium incumbunt expedienda pro tempore, citius, & salubrius valeant expediri, vobis auctoritate præsentium de gratia concedimus speciali, ut, cum in aliquo vestri Ordinis Capitulo, vel Conventu, de Provinciali aut Conventuali Priore occurrerit electio facienda, si ex aliqua causa factam electionem ab ipsis Fratribus ejusdem Ordinis, quorum interest, non contingat forsitan confirmari; Superior, ad quem confirmatio electionis hujusmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipsi electores, vel major pars eorum, per literas suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeat in Priorem: Per hoc enim & discursus Fratrum, & alia impedimenta, quę possent occurrere, credimus evitari. Nulli ergo &c. Datum Laterani XVII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut supra.

1. *Constitui.*) Ut in *Tractatu de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. III.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum sericis filis appenditur: est etiam apud *Usufmarem pag.* 34.

Anno 1257 Die 21 Martii.

Confirmat donationem Templi, quod Fulco Tolosanus Antistes Sororibus Prulianis (1) cesserat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Marię de Pruliano Ordinis S. Augustini, Tolosanę Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

INter alias personas, quę se Christi obsequiis dedicarunt mulieres Domino devotę, quę fragilitatem suam stabili Religionis proposito fulcientes, mundanas spernunt illecebras, sanctificando in corporibus mundam S. Spiritui mansionem, Apostolici sunt favoris præsidio muniendę. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis, quod bonę memorię Fulco (3) Episcopus Tolosanus, Ecclesiam S. Marię Fani Jovis, tunc ad Mensam suam spectantem, Monasterio vestro, quod ipse construxerat, pia, & provida liberalitate concessit, prout in suis literis inde confectis plenius dicitur contineri, & felicis recordationis Gregorius (4) Papa Prædecessor noster, vobis Ecclesiam hujusmodi confirmavit, quam, sicut proponitur, sine lite, & pacifice possidetis. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod per eundem Episcopum in hac parte provide factum est, ratum, ac gratum habentes, illud, non obstante, quod in his Capituli Tolosani non intervenit assensus, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Supplex Monialium petitio.

Confirmat ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Prulianis.*) Vide *Diploma datum VIII Octobr. MCCXV.*
2. *Archivo.* In quo Exemplar ex Autographo asservato in Monasterio *Pruliano.*
3. *Fulco.*) De quo ad *XXII Decembr. MCCXVI.*
4. *Gregorius.*) *IX.*

Anno 1257 Die 23 Martii.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut ea quibus defraudarunt ignotos, Novitii (1) restituere possint Priori Conventus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE meritorum vestrorum multitudine clara procedit, quod affectu sincero vos in Christo diligimus, & vestra pia desideria favore benevolo promovemus, sed illa præcipue, in quibus de conscientiarum vestrarum quiete agitur, et animarum utilitas continetur. Cum itaque nonnulli vestrę Religionis habitum assumentes, diversis personis, quę, prout asseritis, sciri & inveniri non possunt, aliqua bona interdum restituere teneantur, Nos vestris supplicationibus annuentes, vobis, filii Magister, & Priores, præsentium auctoritate concedimus, ut singuli vestrum, in locis sibi commissis, bona ipsa in pios usus convertere va-

Concedit ut supra.

valeant, prout secundum Deum viderint expedire. Nulli ergo &c. Datum Laterani X Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. Novitii.) Dicetur in Tractatu de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.
2. Archivo.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem legere est Libro A. fol. 366, Libro B. fol. 378, apud Usufmarem pag. 38.

Priori & Fratribus Conventus Valentini (1); ne quis interpellet possessionem, qua libera Sepultura cunctis est in Cœmeteriis (2) nostris.

Anno 1257 Die 26 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 869.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori, & Conventui Fratrum Prędicatorum Valentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CXLIX.

MEritis vestrę Religionis inducimur, ut, quam digne possumus, vobis libenter gratiam faciamus. Hinc est, quod Nos vestris supplicationibus inclinati, ne aliquis impedire pręsumat, quominus corpora personarum illarum, quę apud Ecclesiam vestram in voluntate ultima elegerint sepeliri, dummodo id per instrumentum legitimum, vel per duos Testes ostenderitis fide dignos, possitis in ipsius Ecclesię Cœmeterio tradere Sepulturę, auctoritate pręsentium districtius inhibemus, cum loci vestri liberam habeatis ecclesiasticam Sepulturam; decernentes irritum, & inane, si quid contra inhibitionem hujusmodi a quoquam contigerit attentari; salva tamen canonica justitia illarum Ecclesiarum, a quibus assumuntur corpora mortuorum. Nulli &c. nostrę Inhibitionis, & Constitutionis &c. Datum Laterani VII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Inhibet ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. Valentini.) In Hispania.
2. Cœmeteriis.) Legesis Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.

Magistro, ac Fratribus Prædicatorum Ordinis, quem laude celebrat insigni, ut sine cujusquam licentia Fratres ab Ordine constituti Theologiam docere (1) valeant in Cœnobiis nostris.

Anno 1257 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CL.

EXultante spiritu frequenter advertimus, quod status Ecclesię Generalis per vestrę Prędicationis, ac doctrinę salutaris instantiam, divina gratia suffragante, multipliciter illustratur. Ex hac siquidem pia consideratione procedit, quod nos ad illa omnia esse prompti delectamur, & faciles, per quę, vos prędcones divini Nominis, in declaranda fidei scientia, & roboranda operum disciplina, vestri desiderii sanctitatem perficere valeatis. Hinc est, quod nos devotioni vestrę prędsentium auctoritate concedimus, ut singuli Fratres de Ordine vestro, quos secundum Constitutiones ipsius Ordinis, Conventibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cujusquam alterius licentia, libere in domibus prędicti Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica Facultate, illis locis exceptis, in quibus viget Studium Generale, ac etiam quilibet in Facultate ipsa docturus solempniter incipere consuevit. Nulli ergo &c. Datum Laterani V Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium ab Ordinis & Doctrinæ laude.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. Docere.) Ut in Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.
2. Archivo.) In quo triplex Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Legitur etiam Libro A. folio 366, & apud Usufmarem pag. 38.

Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ut Libellum, cui Titulus: *Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum*: de errore damnatum cunctis denuntient.

Anno 1257 Die 30 Martii.

Ex Bullario (1) Usufmaris pag. 40.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CLI.

QUidam Scripturę Sacrę intelligentiam se habere fatentes &c. (2). Ideoque fraternitati vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte prędcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum, ad requisitionem eorundem Fratrum, in Civitatibus & Dięcesibus vestris manentium, hujusmodi nostram reprobationem, condemnationem, prędceptum, & prohibitionem, ac prędmissa omnia in locis earundem Civitatum, & Dięcesum, ubi expedire viderint, solemniter publicare studeant, & faciant publicari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, literis venerabilibus Fratribus nostris Turonen., & Rotomagen. Archiepiscopis, ac Episcopo Parisien. a nobis super hoc di-

Mandatum denuntiandi.

directis (3) nihilominus in suo robore duraturis. Datum Laterani III Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Bullario.*) Extat etiam in *Monumentis Ordinis Minor.* pag. 29.

2. *Fatentes &c.*) Ut supra in *Bulla-Romanus-data V Octobr.* MCCLVI ad hæc usque verba: *A similibus frenabuntur: Ideoque.*

3. *Directis.*) Vide sequens *Diploma.*

Anno 1257 Die 30 Martii.

Turonensi, & Rotomagensi Archiepiscopis, & Episcopo Parisiensi, ut in Fratrum Prædicatorum & Minorum, quos omni laude cumulat, defensionem, totam curam intendant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLII.

Alexander Episcopus; Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Turonensi, & Rotomagensi Archiepiscopis, & Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujusce Diplomatis causa.

NOn sine (3) multa cordis amaritudine animique turbatione audivimus, quod nonnulli Magistri, & Doctores, ac alii, acuentes ut gladium linguas suas, & venenum aspidum gerentes sub labiis, ad infamiam, gravamen, & dispendium innocentum, illud in suggillationem & lęsionem dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum, & Minorum, nequiter vomuerunt. Et licet ipsos distincte non nominaverint, nec vocabulis propriis expresserint, eos tamen quibusdam verborum involucris, & certis ac cautis circumlocutionibus, apertius innuerunt, ita quod ex talibus eorum dictis manifeste, tanquam si expressim illos nominassent, innotuit, quod de ipsis Fratribus loquebantur, suderunt, inquam, virus, & contra eos in scholis, prędicationibus, & alibi, asserere presumpserunt, quod in statu & via salvandorum non erant, nec meritoria, nec salutifera existebat ipsorum mendicitas, & paupertas, cum deberent, valitudine corporali, & aliis justis impedimentis cessantibus, propriis manibus operari, sub spe alieni subsidii non torpendo, nec pro sustentatione, vel necessariis extranea mendicando suffragia, seu ab aliis vitę adminicula expectando. Quodque de licentia, vel commissione Romani Pontificis, seu Diœcesanorum Episcoporum, Prędicationis exercere officium, & Confessiones audire libere non valebant, tanquam per hoc Sacerdotibus Parochialibus prejudicium inferretur; Ad alia nihilominus prava & iniqua, in detractionem eorum, & suorum Ordinum derogationem, ora maliloqua relaxando. Cum igitur iidem Ordines fuerint dudum a Sede Apostolica, sicut sancti, clari (4), & conspicui approbati, ex quibus jam nonnulli Fratres ad supernam provecti patriam, in Sanctorum numero sunt ascripti, & velut eminentia candelabra, & duo magna luminaria in Ecclesia Dei luceant, ac ab ipsorum Fratribus & cultoribus, sacrę doctrinę lumen diffundatur ubique per orbem. Christi Evangelium ardenter & efficaciter prędicetur, ac recta & sana consilia, & exempla salutaria prębeantur; cum etiam dicti Fratres Sacrę Scripturę, & Verbi Dei studio, & animarum profectibus, necnon divinis officiis, & orationibus, instanter & incessanter intendant, nequaquam marcentes otio, sed opere se optimo & potissimo exercentes, cum sapientia opus existat maximum, nec sint pluris qui operantur exterius, quam qui studium cognoscendę Divinitatis exercent; unde Dominus, ministrante ac operante Martha, Marię audientiam, attentionem, & studium circa Verbum ipsius pręcipue commendavit; ex quo liquido patet, Fratres ipsos, ad operandum suis manibus non teneri, quinimmo, si, his intermissis, laborarent manibus, potiora utique ac utiliora, in minora minusque utilia opera non sine animarum dispendio commutarent. Constat igitur ex his meritoriam existere mendicitatem eorum, & quod ipsi tam ab his quibus prędicant, quam ab aliis, eleemosynas petere ac recipere, illique ipsas possunt eisdem Fratribus salubriter elargiri. Cum insuper iidem Fratres, omnia propter Deum reliquerint, exilia vitę (5) subsidia mendicantes, Christum imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando; propter quod evidenter apparet, eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suę Religionis observantiam, quę quidem ipsius perfectionis Evangelicę tenet formam, in ęternę retributionis pręmio, pręcellentem gloriam promereri; Cum etiam de licentia vel commissione, aut concessione Romani Pontificis, seu Legatorum ejus, vel Ordinariorum locorum, licite possint prędicare populis, & confessiones audire, ac pęnitentias injungere salutares, aliorum inferiorum Prelatorum & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu minime requisito; Volumus & per Apostolica vobis scripta, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus ad requisitionem dilectorum filiorum, Prioris Fratrum Prędicatorum, & Guardiani Fratrum Minorum Parisien., vel alterius eorum, per vos, aut alios, inquirentes de plano, & sine strepitu judicii, super assertione, & presumptione hujusmodi, diligentius veritatem, omnes Magistros, & Doctores, & alios, qui sive in scholis, sive in Prędicationibus, seu alibi pręmissa, vel aliquod ipsorum dicere attentarunt, vel in posterum attentabunt, ex parte nostra monere curetis, ut infra certum terminum, a vobis prefigendum eisdem, dictum suum in his publice revocent, male se dixisse fatentes, illaque detestentur penitus, & retractent, asserendo constanter contrarium, & illud etiam fideliter prędicando. Quod si forte ipsi, monitis nostris (6) in hac parte acquiescere non curaverint, ex tunc contra eos ad suspensionis, excommunicationis, & perpetuę privationis beneficiorum suorum ecclesiasticorum sententias, sublato cujuslibet appellationis obstaculo, procedatis: Laicos de hoc culpabiles, vel fautores hujusmodi presumptorum, animadversione debita percellentes, auxilio brachii carissimi in Christo filii nostri Regis Francię illustris, si necesse fuerit, invocato. Nos enim nihilominus auctoritate pręsentium districtius inhibemus, ne quisquam pręmissa, vel aliquod premissorum, pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare presumat, quicunque vero id presumpserit, tanquam contumax, & Ecclesię Romanę rebellis ab omnibus fidelibus habeatur, contra quem etiam taliter procedemus, quod pęna condigna ipsum pro sua temeritate feriet, & alii ejus exemplo perterriti a presumptione simili frenabuntur. Ne autem aliquis ex ignorantia velamen excusationis assumat, vobis districte pręcipimus, ut ad requisitionem dictorum Prioris, & Guardiani, Parisius, & in aliis locis, in quibus expedire videritis, pręsentes literas, & earum tenorem publicetis, & faciatis fo-

FF. Prædicator. & Minorum defensionem instituit.

Ut ad dicta revocanda nobis obloquentes impellant.

Diploma publicandum decernit.

solemniter publicari. Non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis, alicui, vel aliquibus personis ab Apostolica Sede concessis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut extra suas civitates, seu loca in causam trahi non possint, per literas Apostolicas, quę de indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, seu quibuscunque aliis indulgentiis, & literis Sedis ipsius, per quas effectus pręsentium impediri valeat, vel differri, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio (7) generali, literis (8) venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis generaliter a nobis directis, in suo robore duraturis. Vos autem, memoratos Fratres, omni benevolentia, & gratia prosequentes, eos tanquam probatos, & acceptos Christi ministros habeatis, pro divina & nostra reverentia, propensius commendatos, ipsos ab injuriis & molestiis, opportunis pręsidiis defendentes, ita quod ex hoc vobis, & vestris Ecclesiis fortius obligemur. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani III Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio. Derogationes.

1. *Intendant*.) Legenda *Diplomata data XIV Aprilis MCCLV*, & *VII Januarii MCCLVII*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.* Idem habes in Bullario *Castellani pag. 23*, *Usufmaris pag. 39*, in *Constitutionibus Ord. Prædicat. impressis an. MDVII num. LIII*; *Bzovius* vero *Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. V*, *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 53*, *Auctor Monumentorum Ordinis Minor. pag. 25*, & *Boulæus Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag. 334* idem Diploma transcripserunt datum *Patriarchis*, *Archiepiscopis*, *& Episcopis &c.*

3. *Non sine*.) Sic etiam incipit aliud superius exscriptum *XIX Octobr. MCCLVI*; Verum fusius in isto de re eadem loquitur Pontifex.

4. *Sancti*, *Clari*.) *Usufmaris*, & alii legunt: *Sacri*.

5. *Vita*.) Sic etiam apud *Castellanum*, & in *Monumentis Ordinis Minorum*. Ceteri scribunt: *Jure subsidia mendicantes*, *Christumque imitentur pauperem*, *perfectionem Evangelicam amplexando*.

6. *Nostris*.) In *Monumentis Ordinis Minorum*, & apud *Castellanum* legitur: *Eorundem*.

7. *Concilio*.) *Lateranen. IV Cap. XXXVII*.

8. *Literis*.) Hinc liquet, præsens Diploma etiam *Patriarchis*, *Archiepiscopis*, *& Episcopis universis* datum fuisse, legitur apud Auctores in *Nota II* laudatos.

Priori FF. Prædicatorum Bononiensium, ut Monasterii S. Agnetis (1) Bononien. curam (2) gerat.

Anno 1257 Die 22 Aprilis.

Ex Arch. (3) Ord. lib. B. fol. 519.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Pręedicatorum Bononiensium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLIII.

SUa nobis dilectę in Christo filię Priorissa, & Conventus Monasterii Sanctę Agnetis Bononiensis, petitione monstrarunt, quod fel: recordationis Innocentii Papę prędecessoris nostri (4), easque Institutiones tui Ordinis sibi competentes laudabiliter observarunt, ac idem Monasterium dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Lombardię ejusdem Ordinis commisit, auctoritate Apostolica statuens, ut ipsę sub magisterio, & doctrina Magistri & Prioris Provincialis Lombardię, qui pro tempore forent, manerent, illis gaudentes privilegiis, quę Ordini prędicto a Sede Apostolica sunt concessa, & in posterum concedentur; ac nihilominus Magistro, & Priori prędictis dedit suis literis in mandatis, ut eidem Monasterio, per se, vel alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc viderent idoneos, quoties expediret, officium visitationis impenderent, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noscerent indigere, ac ipsis ministrarent Ecclesiastica Sacramenta. Verum quia idem Prędecessor postmodum dicto Magistro, & universis Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis concessisse dicitur, ut aliquorum Monasteriorum Monialium curam gerere minime teneantur, Magister, & Prior Provincialis prędicti occasione concessionis hujusmodi, earum curam gerere, ac prędicta Sacramenta ipsis denegant ministrare. Porro dilectus filius noster Fr... (5) tituli S. Sabinę Presbyter Cardinalis, cui dictus Prędecessor commisisse dicitur oraculo vivę vocis, ut de Sororibus prędicti Ordinis ordinaret, prout expedire videret, ordinavit, quod Fratres dicti Ordinis earum curam gererent, donec per Magistrum, & Generale Capitulum prędicti Ordinis esset aliter ordinatum, idemque Capitulum postmodum ordinasse dicitur, ut prędicti Fratres, illarum, sicut prius, dictarum Sororum curam gererent, quę per Magistrum, & Capitulum prędictos receptę fuerant in Ordine supradicto. Quare prędictę Priorissę & Conventus, quę non solum per dictum Capitulum receptę fuerunt, verum etiam per Beatum Dominicum ad professionem admissę, ad ipsius Sedis providentiam recurrentes, ad te ipsius Cardinalis literas impetrarunt, ut earum, & prefati Monasterii solito more solicitam curam geras. Nos igitur prędictarum Priorissę & Conventus supplicationibus inclinati, discretionem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus prędictarum Priorissę & Conventus, ac dicti Monasterii curam geras juxta prędictarum ipsius Prędecessoris continentiam literarum. Datum Laterani X Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Priorissæ & Sororum Monasterii S. Agnetis supplex petitio.

Mandat ut supra.

1. *S. Agnetis*.) Hujusce celeberrimi Monasterii, quod Sanctitatis Seminarium merito dixeris, mentio apud Scriptores Ordinis. Adeas *Malvendam Annal. Ord. Prædicator. ad annum MCCXXIII*.

2. *Curam*.) Quæ hic essent notanda disces ex *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII*.

3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Patavii* asservato.

4. *Nostri*.) Aliquid ibi desiderari videtur.

5. *Fr...*) Hugo noster *a Sancto Charo* nuncupatus.

Anno 1257 Die 27 Aprilis.

Ædes sacras FF. Prædicatorum Barchinonen. visitantibus Anniversario die Dedicationis, & septem diebus sequentibus, Indulgentiam (1) elargitur.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 534.

CLIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio Sanguinis fusi de pretioso Corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute; inter quę illud esse pergrande dignoscitur, quod ubique, sed precipue in Sanctorum Ecclesiis majestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum ... Prioris, & Fratrum Ordinis Predicatorum Barchinonen., quę, sicut accepimus, debet in proximo dedicari, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in Anniversario die Dedicationis ejusdem, & septem diebus immediate sequentibus causa devotionis accesserint annuatim, quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani V Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Indulgentiam.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo,*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*

Anno 1257 Die 27 Aprilis.

Ædes Sacras Conventus S. Catharinæ Barchinonen. Ord. FF. Prædicatorum visitantibus die festo, & per octavam ejusdem Sanctæ, concedit Indulgentiam (1).

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. B. fol.* 534.

CLV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

VItę perennis gloria &c. (3). Injungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Predicatorum Barchinonen., imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim &c. omnibus vere penitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in Festo Beatę Catharinę, quod est in ea precipuum, & solemne, ac septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint, annuatim quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani V Kalend. Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Indulgentiam.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio S. *Catharinæ Barchinonen.*

3. *Gloria &c.*) Ut in praecedenti, ubi quicquid in hoc deest, invenies.

Anno 1257 Die 12 Maii.

Magistrorum, Scholariumque Parisiensium appellationem circumscribendam, & omnes cum Religiosos, tum Seculares in numerum Scholarium ac Magistrorum Parisien. admittendos decernit (1).

Ex Arch. (2) *Ord. lib. A. fol.* 871.

CLVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Memoriam Futurorum.

Exordium a pastorali solicitudine.

CIrca frequens quotidianę solicitudinis ministerium occupati supra vires nostras, assiduis ingruentium undique disceptationum incursibus fatigamur, quę nos inevitabili necessitate constringunt, emergentibus litigiorum morbis, varia remedia providere, sed interdum pacem dedisse credimur (3) negotiis, & eadem majori strepitu recidivant, dumque offensionis lapides, quibus vię vitę hujus inhorret asperitas, ut rationalium affectuum pietas liberius procurrat (4) in Deum, salutaribus studiis removemus, hominis inimici malignitas petras aliquando scandali superjacit gravioris. Hinc utique fit, quod operosior cura plerumque nobis imminet circa plurima, quę salubri sategimus curasse medela, & propensior nos labor repetit post labores, quibus altam (5) aliis studuimus preparare quietem. Dudum sane, cum super quibusdam articulis, statum Parisiensis Studii contingentibus, controversia emersisset, nos, qui ejusdem Studii emolumenta zelamur, ut viri (6) Scholastici, submotis altercationibus, quę profectum disciplinę prepediunt, in pacis otio, pacificis sanę doctrinę occupationibus imminerent, per Ordinationem quandam, quę: Quasi lignum vitę: incipit, suborta dissidentium jurgia, duximus, de Fratrum nostrorum consilio, dirimenda. Verum Magistri, atque Scholares Parisienses Ordinationem eandem, qua in plana curavimus aspera commutare, ad turbationis materiam assumentes, adversus dilectos filios Fratres Ordinis Predicatorum maxime (7) in scandala surrexerunt, eidem Ordinationi, erecto inobedientię vertice, resistendo, nec considerando prudenter, ordinationi temere obviari divinę, dum Apostolicę contradicitur potestati; ad quod eos credimus non tam voto communi (8), quam particulari quorundam seductione, commotos cum

Quæ de Parisiensi Studio sancita sunt, refert.

* Magistros ac Scholares Parisienses consilio, & ratione defecisse demonstrat.

cum vix ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpat, nisi forsitan incitetur a paucis, qui si possint peccare cum pluribus, impunitatem sibi suorum excessuum, quos per hoc potius exaggerant, repromittunt. Cum autem iidem Fratres Magistrorum, atque Scholarium infestationibus lacessiti, & insecutionibus fatigati, compositionem (9) quandam cum illis in derogationem Ordinationis Apostolicę subiissent, nos compositionem hujusmodi, quę Fratres ipsos excludebat a scholis Magistrorum secularium, reprobantes, Ordinationem ipsam, in cujus contemptu nostra vilipendebatur auctoritas, mandavimus inviolabiliter observari, coercendo pęna debita transgressores; ipsi vero Magistri, atque Scholares cum presumptioni peccatum, peccato vero contemptum, & contemptui pertinaciam adjecissent, tandem Nuncios & Procuratores ad Sedem Apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes suas, coram nobis & Fratribus nostris, inter cetera proponere curaverunt, quod cum ipsi de consortio Universitatis Magistrorum, & Scholarium Parisiensium, a qua omnino recesserant, ejus renunciando privilegiis, & actum postmodum dimittendo legendi, non debeant reputari, Ordinationem prędictam, quę in Universitatem ipsam (10) promulgata extitit, observare, vel Magistros, aut Scholares prędictorum Fratrum, ad Magistrorum consortium, vel ejusdem Universitatis Collegium, de quo jam esse desierant (11), admittere nullatenus tenebantur, pręter id quod ad societatem nemo est cogendus invitus, & ipsi Fratres, duobus non debent Universitatis, vel Scholarium, & Conventus Prędicatorum Collegiis contineri, addentes, quod dispar ipsorum professio, eos eidem Universitati reddit incongruos, & ad sustinenda ipsius onera, cujus gauderent commodis, efficit paupertatis conditio impotentes; propter quę, necnon & alia quędam, a prefatę Ordinationis, aliorumque mandatorum nostrorum, eandem Ordinationem contingentium executoribus, ne contra ipsos procederent, fuerat pro parte ipsorum Magistrorum & Scholarium, ad Sedem Apostolicam multoties appellatum; Proponebant quoque in mandatis Apostolicis, quę contra eos emanaverant, se gravatos injuste, per quę ipsos puniri graviter constat, qui culpabiles non existunt, & prędictam Compositionem, quam partes acceptaverant irritari (12), ad ultimum super his provideri sibi per Sedem Apostolicam postulantes: sed fortius allegabat e contra rebellis eorundem Magistrorum, & Scholarium contumacia, & pertinacia divulgata, qui (13) non solum in nobis, sed etiam in fel. rec. Innocentio Papa Prędecessore nostro, auctoritatem Sedis Apostolicę contempserunt, directis sibi, pro memorati (14) Ordinis Fratribus in sacra pagina docentibus, eorumque Scholaribus, ad suę Universitatis consortium admittendis, ipsius Prędecessoris, & nostris, jussionibus resistendo. Aggravat autem culpam eorum, exempli contagium, quo fideles (15) tam Principes, quam populi facile possent in debita Deo, ejusque Vicario obedientia, & devotione corrumpi, si qua ex dissimulationis nostrę patientia, illorum inobedientię proveniret auctoritas, quibus fidem prębet in plebe fideli scientia fidei, qua eminere creduntur (16), per doctrinę studium, & exercitium disciplinę. Insurgit quoque adversus eorum duritiam arguendam non solum nostrę Ordinationis, quam calumniari conantur, ęquitas manifesta, communis utilitatis compendium omnibus afferens, & privatę jacturę dispendium cuiquam non importans, verum etiam juramentum, quo se contra ejusdem Ordinationis tenorem, ne Fratres ipsos reciperent, donec utrum sint in Magistrorum & Scholarium consortium receptibiles, diffinitum fuerit, temere astrinxerunt, cum an iidem (17) Fratres receptibilitatis hujusmodi aptitudinem (18) habeant, ipsius Ordinationis auctoritas ambiguum non relinquat; de Compositione sane prędicta eis patrocinium adesse non debet, cum fuerit ex quadam impressionis improbitate presumpta: Nec possunt de revocatione (19) ipsius, aut de mandatorum nostrorum animadversione, justam formare querelam, cum in derogationem Ordinationis nostrę, ac impedimentum Theologicę facultatis eadem Compositio attentata fuisset, & per consequens in periculum fidei orthodoxę; quę sicut, proficiente sacrę paginę studio, incrementum recipit, & vigorem, sic deficiente, perniciosum incurreret detrimentum; cum etiam mandata prędicta, sub ea moderationis forma processerint (20), ut obtemperantes eisdem, contenta in illis animadversionis severitas non feriret, apparet per ea, non obedientium innocentiam, vel preteritę rebellionis culpas percuti, sed insolentes contumacium ausus justissime cohiberi. Porro per hoc, quod prefati Magistri & Scholares, ab Universitate Parisiensis Studii recessisse, ipsiusque privilegiis renunciasse, dicuntur, excusationis suę intentio non juvatur cum constet eos in elusionem mandati Apostolici, quod jam (21) de ipsa Ordinatione servanda, notitiam eorum attigerat, id fecisse; ipsi etiam nihilominus Parisius remanentes, studii scholastici occupationibus incumbebant, licet ad tempus, actum legendi astutę cogitationis consilio, postmodum dimisissent; Unde ad removendum pallium (22) quod sibi ex hujusmodi recessione, ac renunciatione pretendunt, abnegantes verbis (23) quod operibus profitentur, omnes Magistros, & Scholares, qui Parisius doctrinę, vel disciplinę studiis se exercent, intelligimus (24), & intelligi volumus, ejusdem Universitatis consortio, sive illam profiteantur, sive abnegent, contineri: Nos igitur omnibus, quę super premissis coram nobis fuere proposita, plenius intellectis, excusationes & allegationes premissas, ac appellationes quascunque Magistrorum & Scholarium prędictorum, tanquam elusorias, ineptas, & frivolas, de Fratrum nostrorum consilio, repellentes, sententialiter decernimus, Ordinationem sępe dictam, & omnia, quę continentur in ipsa Compositione, & aliis in contrarium allegatis nequaquam obstantibus; ab omnibus Magistris & Scholaribus Parisius existentibus, cessante contradictione qualibet, integre & inviolabiliter observari, & Apostolica Rescripta, quę super ipsius Ordinationis executione, vel observatione processisse noscuntur, habere sui roboris firmitatem; Insuper, adjiciendo, statuimus, ut Scholares omnes tam Religiosi de Prelatorum suorum licentia Parisius, gratia studii, quomodolibet commorantes, quam etiam Seculares, ubicunque voluerint, lectionibus, vel prędicationibus audiendis, sive quęstionibus disputandis, libere valeant interesse: Utque tam Prędicatorum, quam Minorum Ordinum Fratres, & Religiosi alii, qui pro tempore Parisius Doctores fuerint in Theologica facultate, ac Scholares ipsorum, in societatem, consortium, & collegium aliorum Magistrorum, & Scholarium Parisien. recipiantur plenarie, semperque in eis efficaciter habeantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Sententię ac Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani IV Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Decernit ut supra.

Sanctio poenalis.

1. *Determit.*) Legenda *Diplomata data XIV April. MCCLV, VII Januarii MCCLVII &c.*
2. *Archivo.*) In quo aliud asservatur Exemplar authenticum *libro E. folio 52.* Adeas etiam *Ususmarem pag. 41, Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVII num. II, pag. 154, Boulaeum Histor. Universitatis Parisien. pag. 337, Tomo III.*
3. *Credimur.*) Ex Boulæo: *Credimus.*
4. *Procurrat.*) Apud Ususmarem: *Pracureat,*
5. *Altam.*) *Vvoddingus* & *Boulæus* legunt: *Aliam.*
6. *Ut viri.*) Ex iisdem: *Ne viri.*
7. *Maxime.*) Boulæus: *Maxima.*
8. *Communi.*) Ex eodem: *Omnium.*
9. *Compositionem.*) De qua in *Diplomate dato XVII Junii MCCLVI.*
10. *Universitatem ipsam.*) Quædam hic omisit *Boulæus.*
11. *Desierant.*) Ex Boulæo: *Desiderant.*
12. *Irritari.*) Vvaddingus & Boulæus: *Irritare.*
13. *Qui.*) Ex eisdem: *Qua.*
14. *Pro memorati.*) *Boulæus* legit. *Præmemorati.*
15. *Quo fideles.*) Ex eodem: *Quod fideles.*
16. *Qua eminere creduntur.*) Apud Vvaddingum: *Qua eminere creditur: ex Boulæo* autem: *Qua eminere dicitur.*
17. *Cum an iidem.*) Boulæus: *Cum autem, quod iidem.* Vvaddingus vero: *Cum autem iidem.*
18. *Aptitudinem.*) Boulæus: *Amplitudinem.*
19. *Nec possunt de revocatione.*) Ex Boulæo: *Nec possint ob revocationem ipsius . . . . istam formare querelam.* Ex Vvaddingo: *Ob revocationem.*
20. *Processerint.*) Ex iisdem: *Pracesserint:*
21. *Quod jam.*) Iidem sic legunt: *Quando jam de ipsa ordinatione servanda notitia eorum attigerat id fecisse.*
22. *Pallium.*) Apud Ususmarem: *Talium Commentum.*
23. *Verbis.*) Ex Boulæo: *Vobis.*
24. *Intelligimus.*) Desideratur apud eundem.

Anno 1257 Die 23 Maii.

Archiepiscopis, & Episcopis universis, ac aliis Ecclesiarum Prælatis, ut Fratres Ordinis Prædicatorum, quos omni laude cumulat, habeant commendatos, & calumniatoribus os obstruant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLVII.

Alexander Episcopus. Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus, universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prçlatis, ad quos literç istç pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

CÆlestis ille Agricola summus actor (3) Fidei, prçcipuusque protector, sacrum Fratrum Prçdicatorum Ordinem, quasi lignum fertile (4) inseruit in Ecclesiç Paradiso, ut delectaret amçnitate, ubertate satiaret, & fructuum suavitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fçcundum, & dulce lignum, imbre superno rigatum pulchra plurima, & dulcia poma profert, quorum odore, ac sapore confortantur, & convalescunt debiles, variisque detenti languoribus liberantur. In hoc utique vitç ligno mortales carnis infirmitatibus prçgravati pabulum salutis inveniunt, & internam recipiunt sospitatem. Hujus, inquam, ligni percepta fragrantia concurrerunt undique ad libamen ipsius innumeri professores fidei, & concurrunt, qui perfruentes assidue illo, & salutaribus ejus convescentes (5) fructibus, de ipsorum prçgustata dulcedine ministrant & ipsi aliis suavia libamenta salutis. Hi sunt viri probati, & plene in lege Domini eruditi, Fratres videlicet dicti Ordinis, efficaces quidem in opere, ac in prçdicatione potentes, quorum labia gratia cçlestis edocuit, ad propinandum salubrem doctrinam aliis, & exponendum commodum animarum; unde ubique per mundum ipsorum ora intonant velut tubç, ac in omnem terram exit (6) sonus prçdicationis eorum, & usque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri prçclari, conspicua Religione fulgentes, qui tanquam lucentia sidera in Ecclesiç firmamento suis splendidis documentis insinuant mortalibus viam vitç. Hi sunt phialç aureç plenç odoramentis, qui sua sacra conversatione suaviter redolentes, hortantur per hoc alios, & inducunt, excussa prorsus inertia, surgere, ac properare ad opera bonitatis. Pro his ergo ab universis Ecclesiarum Prçlatis, cunctisque Christi fidelibus diligendi sunt prçcipua caritate, ac tanquam venerabiles Dei ministri, & populo suo necessarii, honorandi condigne, & favoribus specialibus muniendi. Sane, quia linguç maliloquç detractorum consueverunt falsa confingere, ac illa pudicis etiam auribus instillare, ne (7) per oblocutionem aliquorum ex livore latrantium, quod per Fratrum ipsorum culpam discordia inter eos, & Magistros, & Scholares Parisienses emerserit, bonç (8) ac nitidç Fratrum eorundem famç valeat derogari (9), scire vos volumus, quod cum super hujusmodi discordia coram nobis, & fratribus nostris diligens habita fuerit discussio, ipsos, nequaquam culpabiles invenimus in hac parte, sed potius innocentes (10). Ideoque universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dictos Fratres Prçdicatores habentes de hoc (11) penitus excusatos, & eorum in his innocentiam vestris subditis exponentes, ipsos ob reverentiam Apostolicç Sedis, & nostram, tanquam speciales, & amabiles Ecclesiç Romanç filios, ac salutis animarum fervidos zelatores, cum omni caritate, ac benignitate tractetis, & opportunis consiliis, & subsidiis foveatis, ita quod affectum, quem ad nos, & eandem habetis Ecclesiam, ex hoc plenius agnoscentes, reddamur exinde ad vestra, & Ecclesiarum vestrarum commoda promptiores. Datum Viterbii X Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Fratres nostros circa lites Parisiensium liberat omni culpa.

Mandat ut supra.

1. Obstruant.) *Cum enim per vulgus spargeretur*, inquit *Vvaddingus* Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVII num. III pag. 156, *Prædicatores gentem esse inquietam, quæ in tantum discrimen* Universitatem *induxerit Parisiensem, pacem turbaverit, totque excitarit tumultus, necessarium duxit Pontifex, testimonium perhibere veritati, atque horum omnibus prædicare innocentiam, quod & fecit datis his literis ad Ecclesiarum Prælatos, in quibus miras, sed dignas, congerit laudes Prædicatorum. Id ut faceret rei status exigebat, tunc etenim amara & execranda, ut scribit Cantipratanus, contra Fratres Prædicatores primo, & postea contra Fratres Minores simul, per* Universalem *Ecclesiam discordia suscitata est: quia cordibus non tantum Clericorum secularium, & laicorum, verum etiam omnibus quorumcunque Religiosorum tam diram scandalum est impressum, ut nullis rationibus, nullis auctoritatibus Sanctorum flecti possent, donec per Dominum Papam, & totam Curiam Romanam judiciaria sententia flecterentur.*

2. *Archivo.*) In *Bullario Bononiensi folio* 10. Autographum asservatur *Bononiæ*; aliud etiam extat in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*, cujus Exemplar authenticum est in *Libro B. folio* 532. Idem Diploma exscripserunt *Vvaddingus supra laudatus pag.* 157, *Boulæus Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag.* 329.

3. *Actor.*) Ex Boulæo: *Auctor.*

4. *Fer-*

4. *Fertile.*) Apud *Boulaeum* offensionem habet istud encomium, legit *Sterile*.
5. *Convescentes.*) Ex Boulæo, & Vvaddingo: *Convalescentes*.
6. *Exit.*) Ex iisdem: *Exivit*.
7. *Ne.*) Desideratur apud illos.
8. *Bona.*) Iidem: *Ne tamen hoc bona*.
9. *Derogari.*) Ex iisdem: *Derogare*.
10. *Innocentes.*) Hæc firmissima fundamenta defensionis Fratrum Prædicatorum.
11. *Hec.*) *Vvaddingus*, & *Boulaeus* legunt: *His*.

Magistro, Provincialibus, eorumque Vicariis, ut, quos Sedes Apostolica Socios addiderit Archiepiscopis & Episcopis, Fratres illos revocare ac emendare queant (1). Anno 1257 Die 9 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus, eorumque Vicariis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLVIII.

Sacræ Religionis vestræ fama clarissima est ab universis & singulis, ipsam profitentibus, mentre vigili conservanda, sed ab illis potissime, quos pro causis legitimis oportet aliquando se de suis Conventibus, sicut obedientiæ virtus exigit, absentare. Sane nonnulli ex Fratribus Ordinis vestri, qui venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, quandoque in Socios deputantur, illa, prout accepimus, præsumunt sæpe committere, quæ in ejusdem Ordinis scandalum, & in suarum vergunt periculum animarum. Cum itaque super hoc per Sedem Apostolicam deceat salubriter provideri, Nos devotioni vestræ præsentium auctoritate concedimus, ut singuli vestrum, illos ex Fratribus eisdem, de quibus auctoritate litterarum Apostolicæ Sedis, vel (3) Legatorum ejus, dictis Archiepiscopis, & Episcopis, vel quibuscunque aliis est provisum, aut contigerit in posterum provideri, corrigere, ac etiam, non obstante contradictione aliqua, possint ad eundem Ordinem revocare: monemus tamen vos, & hortamur, quod si postmodum iidem Archiepiscopi, & Episcopi, apud vos, vel aliquem vestrum, pro habendis in societate ipsorum aliis idoneis Fratribus, duxerint insistendum, eorum in hac parte desiderio annuatis, dummodo id vobis conveniens, & expediens videatur; Ceterum per litteras Apostolicas, jam obtentas, vel in posterum obtinendas, quæ de præsentibus plenam & expressam non fecerint mentionem, nullos de Fratribus ipsius Ordinis, præfatis Archiepiscopis & Episcopis, in Socios teneamini deputare, nisi hoc honestati Ordinis, & illorum saluti videritis expedire. Nulli ergo &c. Datum Viterbii V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium. Concedit ut supra.

1. *Queant.*) Ut in *Tractatu de consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Legitur etiam in *Thesauro Anecdotor. P. Martene Tomo I ad annum MCCLVII pag.* 1086.
3. *Vel.*) In altero ex duobus Autographis scriptum est: *Et Legatorum ejus dictis Archiepiscopis, & Episcopis est provisum, corrigere*.

Fratribus Prædicatoribus Mediolanensibus, ut vigilia, & die festo Sancti Petri Martyris, ac etiam per octo dies sequentes, ipsi, ceteri Religiosi, ac seculares, sacra solemni ritu celebrare possint tempore generalis Interdicti (1). Anno 1257 Die 9 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prædicatoribus Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLIX.

Pro reverentia &c. (3). Excommunicatis duntaxat exclusis, vos una cum aliis Religiosis, & Clericis secularibus, qui tunc in Ecclesia vestra convenerint, Divina Officia ibi solemniter celebrare possitis; dummodo vos, ac iidem Religiosi, & Clerici causam non dederitis Interdicto, nec id vobis, & eis, contingat specialiter interdici. Nulli &c. Datum Viterbii V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Interdicti.*) Consule *Tractatum de consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolan.* Plumbum sericis filis appenditur. Ejusdem meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. VIII.* Citat *Epistolam LXXXVII Lib. III Alexandri IV.*
3. *Reverentia &c.*) Ut supra *IX Februar. MCCLVII.*

Anno 1257 Die 13 Junii.

Prulianis (1) Sororibus Ecclesiam S. Juliani de Brom concedit.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 878.

CLX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum Monasterii de Pruliano, Ordinis S. Augustini, Tolosanę Dięcesis, secundum Instituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ecclesia S. Juliani nonnullis Monialibus ad vitam concessa ab Episcopis Tolosanis.

EX tenore vestrę petitionis accepimus, quod cumbo: me: Fulco (2) Episcopus Tolosanus Ecclesiam Beati Juliani de Brom cum juribus, & pertinentiis suis Tolosanę Dięcesis, Monasterio vestro, ad vitam quarundam Monialium ejusdem, sicut spectabat ad eum, deliberatione provida, contulisset, tandem Ven: Fr. noster R.... (3) Tolosanus Episcopus, successor illius, Ecclesiam ipsam ad vitam quarundam aliarum Monialium prefato Monasterio iterato concessit, sicque dictam Ecclesiam a XL fere preteritis annis ex concessionibus hujusmodi tenuistis, & adhuc etiam obtinetis; Nos itaque, devotionis vestrę precibus inclinati obtentu dilectarum in Christo filiarum Priorissę, & Monialium inclusarum Sancti Sixti de Urbe, quę pro vobis Apostolicam gratiam implorarunt, dictam Ecclesiam cum eisdem juribus, & pertinentiis suis vobis auctoritate pręsentium in vestros usus proprios concedimus in perpetuum de gratia speciali; Proviso, ut idoneo Vicario in eadem Ecclesia perpetuo servituro, congrua de ipsius proventibus portio assignetur, ex qua sustentari valeat, & alia Episcopalia, ac debita onera supportare. Nulli &c. nostrę concessionis &c. Datum Viterbii Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Prulianis.*) De quibus ad *annum MCCXV Die VIII Octobr.*
2. *Fulco.*) Vide Diploma *XXII Decembr. MCCXVI.*
3. *R...*) *Raymundus noster de Falgario*, cujus mentio in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Anno 1257 Die 22 Junii.

Cavet, ne coram Locorum Ordinariis ex Innocentii Papæ IV Cōnstitutione Fratres Ordinis Prædicatorum conveniri (1) possint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm olim felicis recordationis Innocentius PP. prędecessor noster duxerit statuendum, ut exempti &c. (3). Datum Viterbii X Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Conveniri.*) Dicetur in *Tractatu de consensu Bullarum Tit. V Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem habes in Bullario *Castellani pag.* 25, in *Constitutionibus Ord. Prædicator. impressis anno MDV num. LII, in aliis an. MDVII num. LVI.*
3. *Exempti &c.*) Ut supra *XVII Octobr. MCCLI.*

Anno 1257 Die 22 Junii.

Fratribus Prædicatoribus Conventus Arelatensis, ut ex restituendis pecuniis, quibus ignoti fraudati sunt, quingentas libras Turonenses possint accipere.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Arelatensium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

NEcessitatibus vestris benigno compatientes intuitu, ut de usuris, rapinis, & aliis male acquisitis, dummodo ii, quibus ipsorum restitutio fieri debeat, omnino sciri, & inveniri non possint, necnon de quibuslibet legatis indistincte in pios usus relictis, dummodo executorum Testamentorum ad id accedat assensus, & commutatione, ac redemptione Votorum, auctoritate Dięcesanorum prius factis, ac Jerosolymitano duntaxat excepto, usque ad summam quingentarum librarum Turonensium recipere valeatis, auctoritate vobis pręsentium, duximus concedendum; si pro similium receptione alias non sitis a Nobis gratiam consecuti, ita quod si aliquid de dictis quingentis libris dimiseritis, aut restitueritis, seu dederitis illis, a quibus eas receperitis, hujusmodi remissum, restitutum, vel datum, nihil ad liberationem eorum prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Viterbii X Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservatur in Cœnobio *Arelatensi* in *Gallo-Provincia.*

Epi-

Episcopo Biterrensi (1), ut in Fratres nostros ab Arelatensi (2) Archiepiscopo latas, & etiam ferendas, sententias rescindat: & Diploma, quo Arelatensem illum Antistitem Pontifex objurgat, publicet.

Anno 1257 Die 7 Julii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CLXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Biterrensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Fratrum Prædicatorum.

NUlla dubietas Christi fidelibus imminet, quin dilecti filii Fratres Ordinis Predicatorum, pro innocentis sue vite meritis, occurrant gratissimi Divine oculis Majestatis; maxime cum ipsorum studentium sub extrema paupertate vivere, ac virtutum cultui desudare, ad hoc semper aspiret affectio, ut per eorum ministerium salus proveniat animarum. Hec siquidem preciara merita venerabilis Frater noster Archiepiscopus Arelatensis, prout mirantes accepimus, & referimus cum dolore, dedignans considerare, dictos Fratres multis gravat iniuriis, & ipsorum quietem, & pacem, divino timore postposito, damnabiliter impedire presumit, ad illum excessum malitie nequiter prorumpendo, quod sine legitima, & rationabili causa, juris ordine pretermisso, excommunicationis sententias fulminat in eosdem; & ipsos facit excommunicatos publice enuntiari, ac etiam, ut asserunt, impedit, quod predicandi (4), & Confessiones audiendi non exerceant, indultam eis a Sede Apostolica, facultatem. Nec his contentus, ab eis, vel ultimarum executoribus voluntatum, & heredibus decedentium, de iis, que pro fabrica, & luminaribus, vel ornamentis Ecclesie, necnon de aliis, que ipsis a Christi fidelibus pro cultu divino, pia liberalitate, legantur, contra sanctiones canonicas, & tenorem mandati Apostolici, quod sibi super hoc direximus, canonicam exigit portionem, que si sibi negatur ab ipsis, idem eos, ac predictos executores, & decedentium heredes excommunicationis gladio ita precipiti modo percutit, sicut alienus a mente, vel destitutus Pontificali modestia penitus haberetur. Cum itaque nihil sit magis menti nostre contrarium, vel oppositum voluntati, quam quod omnium Conditor & Redemptor, in membris ejus, & precipue in eisdem Fratribus, qui sunt ejus speciales Nuncii, & Precones, pati contumeliam videatur, predicto Archiepiscopo damus (5) in virtute obedientie districte per nostras Literas in preceptis, ut sicut Divinam, & nostram vitare cupit offensam, a premissis omnibus, & qualibet alia predictorum Fratrum injuria, & molestatione desistat, tales de cetero per se, vel per alium, in ipsos, seu locum eorum, aut prefatos executores, vel heredes decedentium, sive quemcunque alium, occasione Fratrum ipsorum, sententias nullatenus proferendo. Si vero, quod absit, aliter duxerit presumendum, Nos dictos Fratres a jurisdictione sua totaliter eximemus (6), & nihilominus ex nunc omnes tales sententias, quas in Fratres eosdem, & quoscunque alios, pretextu Fratrum ipsorum, tulerit, irritas, & inanes esse decernimus; ac ne aliquis illas servare presumat, districtius inhibemus. Quocirca Fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si dictus Archiepiscopus preceptum nostrum super hoc neglexerit adimplere, tu omnes Sententias, quas ipse in Fratres eosdem, & quoscunque alios, pretextu Fratrum ipsorum, tulerit, aut promulgari faciet in Civitate, ac Diecesi Arelaten., & ubicunque videris expedire, auctoritate nostra per te, vel per alium denunties, & denuntiari facias, esse nullas; non obstante quacunque Constitutione contraria, seu aliqua indulgentia Sedis Apostolice, de qua, & cujus toto tenore, oporteat in presentibus fieri mentionem. Literas etiam memoratas, quas eidem Archiepiscopo, super his dirigimus, ne malitiose occultari valeant, in Civitate predicta, & alibi, prout expediens fore videbitur, publices, vel per alium facias publicari: Mandatum nostrum taliter impleturus, ut de negligentis in hac parte non argui, sed de diligentia possis merito commendari. Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Quam male cum Fratribus illis Arelatensis Archiepiscopus egerit, refert.

Laus celebris Fratrum nostrorum.

Tenor Diplomatis scripti Arelatensi Archiepiscopo.

Sententias omnes ab Archiepiscopo Arelaten. in Fratres nostros, cum latas, tum ferendas, irritas esse jubet.

Mandat ut supra.

Clausula derogatoria.

1. *Biterrensi*.) In *Occitania*.
2. *Arelatensi*.) In *Gallo-Provincia*.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Arelatensis*.
4. *Prædicandi*.) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
5. *Damus*.) Desiderantur hæ Literæ.
6. *Eximemus*.) Ut in *Tractatu sæpius laudato Tit. V.*

Quicquid in Fratres nostros Arelatensis Archiepiscopus fecerit, irritum decernit (1): & quæ hac de re, cum eidem Archiepiscopo, tum Episcopo Biterrensi scripsit, Fratribus denuntiat.

Anno 1257 Die 7 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Predicatorum Arelaten., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Misericordia motus Fratres laudat & molestias ipsis exhibitas refert.

DE venerabili Fratre nostro Arelatensi Archiepiscopo, mirantes, accepimus, & referimus cum dolore, quod ipse vestra preciara merita considerare dedignans, vos multis gravat iniuriis, & quietem, & pacem vestram, divino timore postposito, damnabiliter impedire presumit, ad illum excessum malitie nequiter prorumpendo, quod sine legitima, & rationabili causa, juris ordine pretermisso, excommunicationis sententiam in vos fulminat, & excommunicatos facit publice nuntiari, ac etiam, ut asseritis, impedit, quod predicandi, & Confessiones audiendi, indultam (3) vobis a Sede Apostolica, facultatem nequaquam exercere possitis; nec hiis contentus, a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, & heredibus decedentium de iis, que pro fabrica, & luminaribus, vel ornamentis Ecclesie, necnon de aliis, que vobis a Christi fidelibus pro cultu divino, pia liberalitate legantur, contra sanctiones canonicas, & tenorem mandati Apostolici, quod sibi super hoc direximus, canonicam exigit por-

Tenor Diplomatis Arelatensi Archiepiscopo scripti.

portionem, quę si a vobis denegatur eidem, ipse vos, ac prędictos executores, & decedentium heredes, excommunicationis gladio ita pręcipiti modo percutit, sicut alienus a mente, vel destitutus Pontificali modestia penitus haberetur. Cum itaque nihil magis sit menti nostrę contrarium, vel oppositum voluntati, quam quod omnium Conditor, & Redemptor in membris ejus, & pręcipue in vobis, qui estis speciales ejus Nuncii, & Pręcones, pati contumeliam videatur, eundem Archiepiscopum, ex intimo cordis affectu, duximus admonendum, nostris sibi in virtute obedientię dantes districte literis in pręceptis, ut sicut Divinam, & nostram vitare cupit offensam, a pręmissis omnibus, & qualibet alia Fratrum domus vestrę injuria, & molestatione desistat, tales de cetero per se, vel per alium in vos, seu locum vestrum, aut pręfatos executores, vel heredes decedentium, sive quemcunque alium, occasione vestri, sententias nullatenus proferendo. Si vero idem Archiepiscopus, quod absit, aliter duxerit pręsumendum; Nos a jurisdictione sua vos totaliter eximemus; & nihilominus ex nunc, omnes sententias, quas ipse in vos, & quoscunque alios, occasione vestri, tulerit, irritas esse decernimus, & inanes, ac ne aliquis illas observare pręsumat, districtius inhibemus; Venerabili Fratri nostro Episcopo Biterrensi, dantes nostris Literis in mandatis, ut Literas memoratas, quas eidem Archiepiscopo super his dirigimus, ne malitiose occultari valeant, in Civitate Arelaten., & alibi, prout expediens fore videbitur, publicet, & per alium faciat publicari, & dictas sententias denuntiet esse nullas, non obstante quacunque Constitutione contraria, sive aliqua indulgentia, de qua, & cujus toto tenore oporteat in pręsentibus fieri mentionem: mandatum nostrum taliter impleturus, ut de negligentia in hac parte non argui, sed de diligentia possit merito commendari. Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Irritas decernit sententias in Fratres nostros ab Archiepiscopo Arelatensi latas & ferendas.

Tenor Diplomatis scripti Biterrensi Episcopo.

1. *Decernit.*) Legendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Aliud asservatur in *Arelatensi* Cœnobio.
3. *Indultam.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

Anno 1257 Die 11 Julii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Salmanticen., ut ex legatis, vel etiam ex restituendis pecuniis, centum Marcas, seu Besses, Argenti possint accipere.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. fol.* 495.

CLXV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Salmanticen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NEcessitatibus vestris &c.(2) usque ad summam centum Marcarum argenti recipere valeatis &c. Datum Viterbii V Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo, quod habet Conventus *Salmanticensis*.
2. *Vestris &c.*) Ut in *Diplomate dato XXII Junii MCCLVII.*

Anno 1257 Die 14 Julii.

Episcopo Parisiensi, ut quicquid de Studio Parisiensi sancitum fuit, publicet, & observandum curet, ac inobsequentes debita pœna (1) mulctet.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quis agendi modus Parisiensium Magistrorum Scholariumque fuerit, & quæ sancita sunt in ipsis narrat.

CUm adversus Ordinationis nostrę provisionem salubrem, quę: Quasi lignum vitę (3) incipit, super statu Parisiensis Studii, & nonnullis articulis illud contingentibus, dudum, de fratrum nostrorum consilio, promulgatam, seculares Magistri, & scholares Parisien. per duram rebellionis contumaciam, in contemptum potestatis Apostolicę, calcitrantes, ex ipsa contra dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum offensionis & scandali materiam, quibusdam ad hoc ceteros instigantibus, assumpsissent: tandem post culpas culpis adiectas, & contemptus contemptibus aggregatos, Nuncios & Procuratores suos ad Sedem Apostolicam destinarunt, per quos ad excusandas excusationes ipsorum, quibus se munire contra prędictę Ordinationis observantiam conabantur, plura fuere proposita coram nobis. Nos vero eis plenius intellectis, excusationes, & allegationes, ac quascunque appellationes ipsorum, tanquam elusorias, ineptas, & frivolas, de prędictorum Fratrum nostrorum consilio, repellentes, sententialiter decrevimus, Ordinationem prętatam, & omnia, quę continentur in ipsa compositione & aliis in contrarium allegatis nequaquam obstantibus, ab omnibus Magistris, & scholaribus Parisius existentibus, cessante contradictione qualibet, integre & inviolabiliter observari, & Apostolica Rescripta, quę super ipsius Ordinationis executione, vel observatione, processisse noscuntur, habere sui roboris firmitatem. Insuper, adiiciendo, statuimus, ut scholares omnes tam Religiosi de Prękatorum suorum licentia Parisius, gratia studii, quandolibet commorantes, quam etiam seculares, ubicunque voluerint lectionibus, vel prędicationibus audiendis, sive quęstionibus disputandis, libere valeant interesse; utque tam Prędicatorum, quam Minorum Ordinum Fratres, ac Religiosi alii, qui pro tempore Parisius Doctores fuerint in Theologica facultate, ac scholares ipsorum, in societatem, consortium, & collegium aliorum Magistrorum, & scholarium Parisius recipiantur plenarie, semperque in eis efficaciter habeantur: sicut ex literarum nostrarum quę incipiunt: Circa frequens (4): inspectione tibi liquido innotescet. Quocirca fraternitati tuę per Apostolica scripta, in virtute obedientię, ac sub excommunicationis pęna, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus pręsentium, & literarum ipsarum tenores, omni occasione, & dilatione post-

Mandat ut supra.

posthabitis, per te, vel per alios Parisius solemniter publicans, Ordinationem, literas, & statuta prędicta, & quę continentur in eis, facias integre & inviolabiliter observari. Carissimi in Christo filii nostri Illustris Regis Francorum ad hoc, si opus fuerit, auxilio invocato. Ne vero tantę rebellionis vitium ulterius possit esse aliis occasio schismatis, & contumacię perniciosę fomentum, omnes Magistros & Scholares seculares, & Auditores Parisius, qui expresse, ac publice non paruerint restitutioni dilectorum Fratrum Prędicatorum per fel.rec. Innocentium (5) Papam IV, & postmodum per Nos factę, Ordinationi, literis, sententiis, statutis, ac mandatis nostris infra unum mensem, postquam tenor pręsentium, ut prędictum est, fuerit Parisius publicatus, omnibus dignitatibus, & Beneficiis Ecclesiasticis, ac officio Magistrali, prędicatione, ac doctrina privamus, & in posterum reddimus omnino indignos, decernentes eos ab Ordinum executione, & susceptione suspensos; eos quoque qui, occasione pręsentium, aut aliarum literarum Sedis Apostolicę pro dictis restitutione, & ordinatione servandis, seu occasione Parisiensis Studii directarum, ipsum Studium dissipare, aut turbare, seu alibi, absque Sedis ejusdem speciali licentia contra tenorem Ordinationis prędictę, transferre pręsumpserint, excommunicationis vinculo innodamus, quos & tu per te, vel per alium, excommunicatos denunties Parisius, & ubicunque videris expedire. Si qui vero, quod absit, prędicta non curaverint adimplere, aut alias in his contumaces fuerint, vel rebelles, seu quietis scholarium, & Studii turbatores, tu eorum nomina, ut nominatim graviori pęna mulctentur, nobis intimare procures, hoc ipsum supradicto Regi denuntians, ut ad bonorum pacem (6), malorumque terrorem, eos, ut expedire viderit (7), coerceat communicata sibi divinitus potestate. Juramenta quidem, aut obligationes quascunque a dictis Magistris & scholaribus, seu ab ipsorum aliquibus, & specialiter de non recipiendo ad scholam, vel scholasticam societatem dictos Fratres Prędicatores, vel scholares ipsorum Fratrum Regentium, sive alias pręsumpta contra pręfatam Ordinationem nostram, aut aliqua eorum quę continentur in ipsa, seu contra statuta, vel mandata nostra, seu ipsorum aliquod, decernimus, penitus non tenere. Non obstantibus appellationibus, aut occasionibus (8) quibuscunque pręteritis, vel futuris, aut etiam, quod a te dato super hoc executore a nobis pluries appellasse dicuntur, sive processibus (9) aliquibus, vel indulgentiis a Sede prędicta concessis, per quę hujusmodi mandati executio impediri valeat, vel differri, aut de quibus plenam, & expressam, seu de verbo ad verbum fieri oporteat in pręsentibus mentionem, seu etiam, quod dicti Fratres, quando consenserunt in compositione prędicta renunciaverunt, ut dicitur, literis Apostolicis impetratis & impetrandis, quas in suo robore volumus permanere. ipsasque tibi (10), & eisdem Fratribus ab earum detentoribus reddi, quos ad id, si necesse fuerit, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota; compellas; pręceptum nostrum, quod ex toto cordis affectu tibi dirigimus, taliter impleturus, quod efficacis obedientię gaudeamus in te promptitudinem invenisse: Alias pro firmo teneas, quod indignationem nostram sub incursu prędictę pęnę contra personam tuam, licet ipsam in Christo sincerissime diligamus, graviter provocabis; literis nostris: Cunctis processibus (11): Licet olim (12): &, Ad nostram noveris (13): tibi alias directis a nobis, in suo robore nihilominus duraturis. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, quod enim super hoc inveneris, & feceris, nobis fideliter rescribere non omittas. Datum Viterbii II Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Decretum irritans.

Derogationes.

1. *Pœna.*) *Renitentibus enim Parisiensibus voluit Pontifex tantam infringere contumaciam scribens efficaciter Episcopo Parisiensi.* Ex *Vuaddingo Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVII num.IV pag.157.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum extat *Parisiis.* Idem leges apud *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag.55*, *Boulæum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.340.*

3. *Vita.*) Ut supra *XIV April. MCCLV.*

4. *Circa frequens.*) Vide *XII Maii MCCLVII.*

5. *Innocentium.*) Legesis notam *XIV in Diploma datum XIV April. MCCLV.*

6. *Pacem.*) *Boulæus* legit: *Partem.*

7. *Viderit.*) Ex eodem: *Videris.*

8. *Occasionibus.*) Boulæus: *Oppositionibus.*

9. *Processibus.*) Apud eundem: *Concessionibus.* Vuaddingus vero *Processionibus.*

10. *Tibi.*) Ex Boulæo: *sibi.*

11. *Processibus.*) Supra *XVII Junii MCCLVI.*

12. *Licet olim.*) Habes superius *XXVII Junii MCCLVI.*

13. *Noveris.*) Legendum: *Noveritis:* ut supra *X Decembris MCCLV.*

Ne quis ex pecuniis, ceterisque Ordini Fratrum Prædicatorum legatis exigat portionem (1).

Anno 1257 Die 15 Julii.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. B. fol. 533.*

CLXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte vestra fuit propositum coram Nobis, quod, nonnulli Pręlati, & Rectores Ecclesiarum de his, quę a fidelibus in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniversariis; septimo, trigesimo, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum vobis legantur, quandoque tertiam, interdum quartam partem, & frequenter medietatem a vobis, seu ultimarum executoribus voluntatum aut decedentium heredibus, exigunt, & extorquent nomine canonicę portionis, & nisi eis pars, quam de prędictis legatis exigunt, concedatur, in vos vel executores testamentorum hujusmodi, aut benefactores vestros, excommunicationis, vel interdicti, seu suspensionis pręsumunt sententias fulminare. Super his igitur vobis providere volentes, universis Pręlatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ne de pręmissis a vobis, aut dictis executoribus decedentium, vel heredibus, portionem aliquam contra Constitutiones canonicas exigere, vel extorquere pręsumant, aut in vos, seu executores, vel heredes prędictos, seu benefactores vestros, aut loca vestra sententias aliquas, hac occasione proferre, auctoritate pręsentium districtius inhibemus; decernentes irritum, & inane quicquid contra hujusmodi inhibitionem nostram super his per quemcunque contigerit de cetero attentari. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Supplex Fratrum petitio.

Inhibet ut supra.

Sanctio pontificis.

1. Pro.

1. *Portionem.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tit. X Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.* Idem habent *Castellanus pag. 25, Ususmaris pag. 43, Constitutiones Ord. Prædicat. anni MDV num. LIII, alia typis edita anno MDVII num. LVII.*

Anno 1257 Die 17 Julii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Zamoren., ut ex legatis, vel ex restituendis pecuniis, centum Marcas, seu Besses argenti possint accipere.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Zamoren., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NEcessitatibus vestris &c. (2). Datum Viterbii XVI Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar.

2. *Vestris &c.*) Ut in *Diplomate XXII Junii MCCLVII.*

Anno 1257 Die 20 Julii.

Ne quis Fratribus Ordinis Prædicatorum molestias (1) quas recenset, exhibeat cavet, & Sententias in ipsos, vel eorum causa latas, aut ferendas irritas facit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus universis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Encomium Fratrum Prædicatorum.

Molestias Nostratibus exhibitas recenset.

NImis iniqua vicissitudine largitori bonorum omnium respondetur, dum hi, qui de Christi patrimonio impinguati luxuriant dampnabiliter in eodem, Christum patenter in famulis suis prosequi non verentur, ac si factus sit impotens Dominus ultionum. Cum enim abnegantes salubriter vosmetipsos, elegeretis in altissima paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, non desunt plerique tam Ecclesiarum Prelati, quam alii, qui cęca cupiditate traducti, proprię aviditati subtrahi reputantes, quicquid vobis fidelium pietas elargitur, quietem vestram multipliciter inquietant, contra vos molestiarum occasiones varias exquirentes; Volunt namque, etsi non omnes, vobis invitis vestras confessiones audire, ac vobis injungere penitentias, & Eucharistiam exhibere, nec volunt ut Corpus Christi in vestris Oratoriis reservetur, & Fratres vestros defunctos apud suas Ecclesias sepeliri compellunt, & illorum exequias celebrari, & si quis decedentium Fratrum alibi, quam in Ecclesiis suis eligit sepulturam, funus prius ad Ecclesias suas deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat; nec sustinentes vos habere campanam, vel cimiterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt vos celebrare divina. Volunt etiam in Domibus vestris certum numerum Fratrum Sacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum, pro sua voluntate taxare, ac residuum cereorum & candelarum a vobis exigunt in toto, vel in parte, quando in vestris Ecclesiis apponuntur, nec permittunt, ut novi Sacerdotes vestri alibi quam in Ecclesiis suis celebrent primas Missas, vos nichilominus compellentes, ut in cotidianis Missis, quas in vestris locis & Altaribus celebratis, oblationes ad opus eorum recipiatis, & etiam conservetis. Quicquid etiam vobis, dum celebratis Missarum solempnia intra domorum vestrarum ambitum, pia fidelium devotione donatur, a vobis extorquere oblationis nomine contendentes; quod vobis tam in ornamentis Altaris quam in luminaribus, Ecclesiarum fabricis, libris, & aliis necessitatibus vestris absolute confertur, vel in ultima voluntate legatur, in parte vel in toto vendicant juri suo; cogendo vos ad synodos suas, vel convocationes accedere, ac suis Constitutionibus subiacere; Nec his contenti, capitula, scrutinia & inquisitiones in locis vestris, seu alibi, de vobis facturos se comminantur, fidelitatem juramento firmatam, a vestris Prioribus & Supprioribus nichilominus exigentes. Vobis quoque ut tam extra civitates, quam intra cum eis processionaliter veniatis mandantes, excommunicationis sententiam fulminant in benefactores vestros, & id ipsum vobis comminantes, vos de locis, in quibus Domino famulamini, satagunt amovere, nisi eis obediatis in omnibus supradictis. Ad hęc, ne vos ad honorabiles Civitates & Villas, ubi religiose ac honeste commorari possitis, a populis devote vocati, audeatis accedere, & ibidem pro vestris usibus ędificia, Ecclesias, seu oratoria construere inhibentes, tam in accedentes Fratres, seu construentes hujusmodi, quam in receptatores eorum, pręsumunt excommunicationis sententiam promulgare, a vobis etiam de Ortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis vestris, sicut de judęorum domibus, contendunt redditus extorquere, asserendo, quod nisi vos ibidem moraremini, eis ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur; Et ut vos suę subdant totaliter ditioni, vobis Priores, & Suppriores, volunt pręficere pro suo arbitrio voluntatis, a quibus omnibus vestris molestiis quidam ex eis non omnino abstinere dicuntur. Cum igitur Ordo vester a felicis recordationis Innocentio III (3), Honorio (4), Gregorio (5) & Innocentio IIII Romanis Pontificibus prędecessoribus nostris, & a nobis ipsis, vestris dignis sic exigentibus meritis approbatus, & vestrę Religionis obtentu vos inter alios Religiosos arctius amplexemur in visceribus caritatis, ne hujusmodi gravamina vobis ab eisdem Pręlatis, vel eorum subditis ulterius inferantur, auctoritate pręsentium districtius inhibemus, omnes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas ab ipsis, vel eorum aliquo, pręmissorum occa-

Ordo FF. Prædicatorum ab Innocentio III, ceterisque SS. Pontificibus approbatus.

Inhibet, & decernit ut supra.

occasione, in vos, vel aliquem vestrum, seu Ecclesias, vel Oratoria, vel beoefactores vestros promulgare contigerit, decernentes irritas, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre inhibitionis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare presumpserit, Indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Viterbii XIII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio. Sanctio poenalis.

1. *Molestiar.*) Vide *XVII Septembr. MCCXLV*, ubi quicquid hic desideratur, invenies.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Asservantur alia *Tolosæ*, & *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*. Istius Exemplar authenticum habes *Libro B. fol.533.* Idem *Diploma datum XIII Kalendas Martii Pontificatus Alexandri IV Anno Tertio* legitur apud *Castellanum pag.26*, *&* in *Constitutionibus Ord. Prædicat. an. MDV num. LV.*
3. *Innocentio III.*) Hinc luce meridiana clarius fit, Ordinem Fratrum Prædicatorum ab *Innocentio III* approbatum fuisse.
4. *Honorio.*) *III.*
5. *Gregorio.*) *IX.*

Indulgentia (1) concessa visitantibus Ædes Sacras Monasterii S. Dominici Madritensis die festo S. P. Dominici, & S. Petri Martyris.

Anno 1257 Die 20 Julii.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. folio 436.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorisse, & Sororibus Monasterii Sancti Dominici de Mayorico (3), Ordinis Sancti Augustini, Toletanę Diecesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXX.

Licet is, de cuius munere venit &c. (4). Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii vestri congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus & confessis, qui Ecclesiam ipsam in sanctorum Dominici Confessoris, cujus, ut asseritis, est insignita vocabulo, oecnon, & Petri Martyris, Festivitatibus annuatim venerabiliter visitaverint, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii XIII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Indulgentia.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Titulo I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Monasterio *S. Dominici Madriten.*
3. *Mayorico.*) Ex his firmatur nota ad *Diploma Datum XX Martii MCCXX.*
4. *Venit &c.*) Ut supra XXV Martii MCCXXXVI ad hæc usque verba: *Divina Gratia aptiores.*

Regi Francorum, ut Episcopo Parisiensi, cui in turbatores Parisiensis Studii nova provincia data est, opem ferat, & in eosdem animadvertat (1) perturbatores.

Anno 1257 Die 31 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXI.

Bona meritoria, per que virtutum Domino placere desideras, religiosa multiplicat dilectionis (3) caritas, qua humiles, Religiosasque personas, in quibus (4) divine pacis spiritus requiescit, humiliter amplectitur mansuetudinis regię celsitudo. Hoc quippe in celis ad mercedis cumulum tibi signanter (5) pura reponit intentio, quam pia desideriorum tuorum studia manifestant. Hoc velut insigne imitationis exemplar fidelibus aperte proponitur ad profectum. Propterea, si pro dilectis filiis Predicatorum & Minorum Ordinum Fratribus, qui Parisius in predicatione & doctrina Evangelii laborantes, in refrigerii tui consolatione respirant, protectionis Regię presidium imploramus (6), credimus, quod nostre petitionis instantia cum tuo voto concurrens, regalem auditum aut animum non gravabit. Sane licet iidem Fratres in executione mandatorum Apostolicorum, que super statu Studii ad convertendam, seu conterendam secularium Magistrorum & Scolarium Parisiensium duritiam emanarunt, promptum invenerint (7) auxilium Regię potestatis, super quo & ipsi pro te Deo humilia pro tua salute vota persolvunt, & Nos tuę celsitudini gratias agimus copiosas. Quia tamen quandam tulimus de novo sententiam, & statuta condidimus, quibus turbatorum Studii Parisien. cohibetur improbitas, & ipsis Fratribus, ac aliis studium diligentibus sanctę quietis tranquillitas providetur; sublimitatem tuam rogamus, & hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus venerabili Fratri nostro Episcopo Parisien., cui, predictorum sententia, & statutorum executionem commisimus, promptum & favorabile super hoc contra inobedientes & rebelles ac quietis studii turbatores, & prefatorum Fratrum vexatores, prestare brachii tui cures auxilium, quo pax muniatur humilium & insolentium cervicosa pertinacia confringatur, excludendo a Regno Francię, vel alias cohercendo, prout videris expedire; ac memoratos Fratres manus Regia prepotenti virtute ab omni molestia protegat & defendat, vivantque regia culmine tuti, & sub tua protectione securi, inter inquietos pacifici, inter improbos innocentes. Preces nostras in hac parte sic efficaciter impleturus, quod Nos, qui eas tibi ex cordis affectu dirigimus, voti nostri plenitudinem consecuti, tuis, cum oportunum fuerit, libentius annuamus. Datum Viterbii II Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno Tertio.

Exordium a Regis encomio.

Quod Prædicatores Fratres, & Minores in tutela Regis sint, grates habet.

Injungit ut supra.

1. *Animadvertat.*) Legesis *Diplomata VII Januarii*, & *XIV Julii MCCLVII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Aliud asservatur *Parisiis*. Istud idem Diploma ex-

exscripsere *Castellanus pag. 38*, *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag.58*, *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.341.*

3. *Dilectionis.*) Desideratur apud *Boulaeum*.

4. *In quibus.*) Idem legit: *Dum in manibus Divinae pacis & Spiritus requiescunt.*

5. *Signanter.*) Ex eodem: *Praegnanter*;

6. *Imploramus.*) Boulaeus: *Implorant*.

7. *Invenerint.*) Idem: *Invenerunt*.

Anno 1257 Die 1 Augusti.

Qui ad Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum Santaranen. (1) extruendas opem tulerint, iis Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam ut ait Apostolus &c.(3). Sane dilecti filii Fratres Ordinis Predicatorum Santaranen. Ulissiponen. Diecesis, ibidem, sicut accepimus, Ecclesiam ceperunt construere &c. (4). Datum Viterbii Kalendis Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Santaranen.*) Sic vulgo vocant Cœnobium *Scalabitanum* latine nuncupatum. Est in *Lusitania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *Santaranea*.

3. *Apostolus &c.*) Ut supra *XXVII April. MCCXXXVIII.*

4. *Construere &c.*) Ut in eodem Diplomate ad finem usque.

Anno 1257 Die 9 Augusti.

Guillelmum de Sancto-amore proiicit in exilium, & a docendi, ac conciones habendi munere depellit (1).

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 531.

CLXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Guillelmo de Sancto-amore, in bonum dirigere gressus suos.

Decernit ut supra.

CUm propter multiplices culpas, & grandes offensas, quas temerarie commisisti, & specialiter propter Libellum perniciosum, & detestabilem a te compositum, & per Nos olim, de Fratrum nostrorum consilio, reprobatum, & in perpetuum condemnatum, mereris graves penas, volumus, & per Apostolica tibi scripta in virtute obedientie, sub debito juramenti, quod prestitisti de stando (3) precise mandatis nostris, necnon & sub excommunicationis, ac privationis perpetue ab officio, & Beneficiis penis, quas eo ipso te incurrere volumus. Si contra hujusmodi preceptum nostrum venire tentaveris; salvis aliis mandatis tibi faciendis a nobis, districte precipiendo mandamus, quatenus nullo unquam tempore Regnum Francie, absque Sedis Apostolice speciali licentia intrare presumas; & nihilominus omnem docendi, ac predicandi auctoritate Apostolica, perpetuo interdicimus facultatem: ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui Clero vel Populo sine ipsius Sedis permissione de cetero audeas predicare. Datum Viterbii V Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Depellit.*) Hocce Diploma datum *Guillelmo de Sancto-amore* ex curia in *Galliam* properanti docent *Chronica Normanniae ad annum MCCXLV.* Ceterum *in sua pertinacia Guillelmum male obiisse, scribit Marianus, atque inter haereticos reponunt qui de eis scribunt Prateolus, Castro, Sanderus, cum aliis, pluresque ejus referunt errores.* Haec *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVII num.VI pag.158.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato *Barchinonae* in Cœnobio *S. Catharinae*. Adeas etiam *Castellanum pag.38*; *Vuaddingum mox laudatum ann. IV*; *Boulaeum Histor. Universit. Parisien. Tomo III pag.341.*

3. *De stando.*) *Boulaeus legit: De te stando.*

Anno 1257 Die 31 Augusti.

Regi Franciæ, ne Guillelmus a Sancto-amore, rogatu Regis Christianissimi in exilium pulsus, restituatur (1).

Ex Bullario (2) Usus maris pag.44.

CLXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Francie, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quibus de causis Guillelmus de Sancto-amore animadversione & gravissima pœna dignus sit.

CUm propter multiplices culpas, & grandes offensas, quas Guillelmus de Sancto-amore temerarie commisisse dignoscitur, & specialiter propter Libellum perniciosum, & detestabilem ab ipso compositum, cujus principium: Ecce videntes clamabunt foris, & titulus: Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum: dicebantur: ac per nos olim, de Fratrum nostrorum consilio, reprobatum, & in perpetuum condemnatum, meruerit graves penas, eidem Guillelmo, nostris in virtute obedientie, sub debito juramenti, quod prestitit, de stando precise mandatis nostris, necnon sub excommunicationis, ac privationis perpetue ab officio & beneficiis, penis, quas eo ipso eum incurrere volumus, si contra hujusmodi preceptum nostrum venire tentaverit, salvis omnibus aliis mandatis nostris, que sibi forsitan viva voce fieri fecimus, aut Nuncio, vel literis duxerimus facienda, districte dedimus literis in preceptis, ut nullo unquam tempore, Regnum Francie intrare presumat, & nihilominus omnem docendi, ac predicandi sibi, auctoritate Apostolica, perpetuo interdiximus facultatem; ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui Clero vel populo de cetero audeat predicare. Cum igitur Nos celsitudo Regia rogaverit, sicut a tua credimus memoria non elapsum, ut eidem Guillelmo predicti Regni interdiceremus ingressum, & Nos

& Nos hoc, prout expressum est superius, duxerimus faciendum; serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus præfatum Guillelmum Regnum ipsum intrare nullatenus patiaris. Et quia pro certo novimus, quod dilectos filios Fratres Prędicatores, & Minores speciali favore prosequeris, super quo te dignis in Domino laudibus efferentes, gratiarum tibi multiplices referimus actiones, Magnificentiam tuam omni qua possumus affectione rogamus, quatenus eosdem Fratres pro Christi reverentia, cujus sunt deputati obsequiis, habens benignitate solita commendatos, eos, a quorumlibet injuriis & molestiis protegas, & defendas; Ita quod tua potentia communiti, pace quieta, & quiete pacifica, pacis auctori valeant famulari. Datum Viterbii III Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio. Inhibet ut supra. FF. Prædicatores, & Minores commendat.

1. *Restituatur.*) Consule præcedens Diploma.
2. *Bullario.*) Autographum extat *Parisiis*. Idem transcripserunt *Castellanus pag. 58*, *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 58*, *Boulæus Histor. Universitatis Parisiensis Tomo III pag. 343*.

Provinciali Franciæ, ut in possessionem Cœnobii Compendiensis (1) benignitate Regis Christianissimi extruendi venire queat. Anno 1257 Die 17 Augusti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Priori Provinciali, ac Fratribus Ordinis Prędicatorum Francię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXV.

PIus est & salutaris affectus, quo carissimus in Cristo filius noster, Rex Francorum Illustris, vos in Castris Compendii, Suessionensis Diocesis, quod est regalis Domini speciale, pro animarum salute habere desiderat mansionem, & Ecclesiam cum officinis vobis accommodis, prout gaudentes intelleximus, idem ad suorum meritorum cumulum ędificare proponit. Proinde plenis est hic ejus affectus attollendus laudibus, excitandus ad tantę pietatis opus, & non cujusquam contradictionis obice retardandus; ipsum itaque liberalitatis suę propositum ob suę salutis proventum favore benevolo prosequentes, & ad consumationem, tam laudabilium studiorum attentius exhortantes Regiam Majestatem, vobis, quod juxta desiderium dicti Regis in Castro ipso mansionem erigere valeatis, & ibidem Ecclesiam, ac officinas habitationi vestrę accommodas obtinere, ibique morantes offerre Domino vitulos labiorum, absque prejudicio questionis, quę inter Suessionensem Ecclesiam, & Monasterium S. Cornelii ejusdem loci verti dicitur, contradictione venerabilis Fratris Episcopi, & dilectorum filiorum Capituli Suessionensis, aut cujusvis alterius, nequaquam obstante, auctoritate prę sentium indulgemus; universas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, in aliquas Ordinis vestri personas, vel locum vestrum, seu quamcunque aliam personam, occasione hujusmodi quacunque auctoritate prolatas, penitus relaxantes, & quas de cetero, ob id proferri contigerit decernentes irritas, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis, & Constitutionis infringere &c. Datum Viterbii XVI Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio. Concedit ut supra. Sanctio pœnalis.

1. *Compendiensi.*) In *Insula Francia*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud asservatur in Cœnobio *Compendiensi*, ubi etiam sequens Instrumentum.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, Universis presentes Literas inspecturis, Salutem.

NOtum facimus, quod Nos Fratribus Predicatoribus Regni nostri concessimus intuitu pietatis, ut de omnibus rebus suis, in usus eorum propriis convertendis, per totam Terram nostram in propriis pedagiis, aut passagiis nostris, quieti sint, & immunes de omni theloneo, pedagio, & alia quacunque consuetudine, in cujus rei testimonium, & munimen, presentibus Literis fecimus apponi Sigillum. Actum apud Compendium Anno Domini MCCLXI, Mense Maio.

In Cœnobii nostri Palentini (1) Cœmeterio liberam cunctis esse Sepulturam decernit (2). Anno 1257 Die 18 Augusti.

Ex Johanne Lopez Histor. Ord. Præd. Parte III Lib I Cap. XXX pag. 85.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Prędicatorum Palentinę Civitatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXVI.

EX tenore vestrę petitionis accepimus, quod licet Ordo vester a Sede Apostolica indulgentiam specialem habeat de habenda libera sepultura, quia tamen venerabilis Frater noster Episcopus, & dilecti filii Capitulum Palentin. se vobis multipliciter opponebant, dicto Episcopo in vos, pro eo quod quemdam Civem Palentinum, qui apud vos elegerat sepeliri, tradidistis in Cęmeterio vestro Ecclesiasticę Sepulturę, sententiam excommunicationis auctoritate propria contra justitiam fulminante, tandem ab utraque parte dilectos (3) filios Toletanum electum, suosque collegas sub certa pęna, & forma super sepultura hujusmodi stetit compromissum, hac conditione in dicto compromisso inter Partes adiecta, ut nullus de cetero in vestro Cęmeterio possetis ad Sepulturam recipere pendente arbitrio, donec quid de ipso deberet fieri, esset per arbitros definitum, & literę, quę medio tempore ante terminationem pręfati arbitrii super hoc contingeret impetrari, nullius obtinerent roboris firmitatem, & quicquid foret per spe- Supplex Fratrum petitio.

fępedictos arbitros arbitratum promisistis solemni stipulatione vos firmiter servaturos. Cum autem dictus electus suique collegę arbitrium suscepissent, & idem electus,& alter collegarum ipsorum requisiti postmodum noluerint in compromisso procedere memorato, vosque timeatis super dicta Sepultura, sicut hactenus, sic in posterum ab eisdem Episcopo & Capitulo impediri, Nobis humiliter supplicastis, ut eorum in hac parte impedimentis occurrere, ac providere vobis salubriter, paterna diligentia, curaremus, cum fere jam sit annus elapsus, quod non est in dicto compromisso prosecutum. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, & eodem compromisso sub quacunque forma. vel pęna, seu verborum conditione, facto nequaquam obstante, prędertim cum non licuit vobis super iis taliter compromittere sine licemia Magistri (4) vestri Ordinis Generalis, libera Sepultura juxta supradictam Indulgentiam, salva tamen secundum consuetudinem aliorum Religiosorum Dięcesis Palentinę canonica portione Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, uti de cetero valeatis, vobis auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Sententias, si quas prefatus Episcopus, aut alius pro eo, in vos, vel aliquem vestrum, seu quascunque alias personas, occasione hujusmodi promulgaverit, decernentes irritas & inanes, ac vos ad pęnam adiectam in compromisso hujusmodi non teneri. Nulli ergo &c. hanc paginam nostrę concessionis, seu Constitutionis &c. Datum Viterbii XV Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Decernit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Palentini.*) Videas *Diploma datum VIII Augusti MCCXXXI.*
2. *Decernit.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
3. *Dilectos.*) Mutilus hic locus videtur.
4. *Magistri.*) Consulendus idem *Tractatus Titulo IV.*

Anno 1257 Die 23 Augusti.

Segoviensi (1) Episcopo, ut Fratres Ordinis Prædicatorum Segovien. in Ædibus Sacris reficiendis juvet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Segobien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PErsonas pias, & humiles, divini nominis laudibus desudantes, benigno debes favore prosequi, ut eorum meritis augeatur tibi divinę gratia pietatis. Cum itaque dilecti filii Prior, & Fratres Prędicatores Segobienses, sicut sua nobis petitione monstrarunt, Ecclesiam eorum loci eiusdem cum aliis officinis suis, propter multas incommoditates, quas patiuntur ibidem, ad alium locum magis congruum, infra prioris tamen ambitum transferre proponant, fraternitatem tuam attente rogandam duximus, & monendam, per Apostolica tibi scripta in virtute obedientię firmiter pręcipiendo, mandantes, quatenus circa dictos Priorem, & Fratres pro divina, & nostra reverentia affectum benevolentię dirigens, eis pro hujusmodi nova Ecclesia erigenda primarium lapidem sine qualibet difficultate tribuas, & juxta ipsum Cemeterium benedicas, Non obstante quod supradicta prior eorum Fratrum Ecclesia fuisse dignoscatur consecrata; preces, ac pręceptum nostrum in hac parte taliter impleturus, ut super hoc literas adiicere non cogamur, sed sinceritatem tuam dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Viterbii X Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Segoviensi.*) Sub Archiepiscopo *Toletano* in Regno *Castellæ veteris* sita est *Segoviensis* Ecclesia, quæ in Bullis Pontificiis, & in *Collectione Conciliorum* passim *Segobiensis* vocatur.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet conventus *Segoviensis.*

Anno 1257 Die 1 Septembr.

Episcopo Parisiensi, ut sententiam (1) in Guillelmum de Sancto-amore latam publicet.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 531.

CLXXVIII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm propter multiplices culpas, & graves (3) offensas, quas Guillelmus de Sancto-amore temerarie commisisse dignoscitur, & specialiter propter Libellum perniciosum, & detestabilem ab eo compositum, cujus principium: Ecce videntes clamabunt foris; & titulus: Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum; dicebantur; ac per nos olim, de Fratrum nostrorum consilio, reprobatum, & in perpetuum condemnatum, meruit graves pęnas, eidem Guillelmo in virtute obedientię, & sub debito juramenti, quod prestitit, de stando pręcise mandatis nostris, necnon sub excommunicationis & privationis perpetuę ab officio, & beneficiis pęnis, quas eo ipso eum incurrere volumus, si contra hujusmodi pręceptum nostrum venire tentaverit, salvis omnibus aliis mandatis nostris, quę sibi forsitan fecimus viva voce, aut Nuncio, vel literis duximus facienda, districte dedimus literis in pręceptis, ut nullo unquam tempore Regnum Francię intrare presumat, & nihilominus omnem docendi, ac prędicandi, sibi auctoritate Apostolica perpetuo interdiximus facultatem, ita, quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero vel populo de cetero audeat prędicare. Ideoque fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus in Ecclesia Parisiensi, & alibi etiam, ubi videris expedire, per te, vel per alium prędicta publicare procures, & si tibi constiterit, quod dictus Guillelmus contra tale pręceptum nostrum, in aliquo venire presumpserit, tu, denuntians ipsum excommunicatum, perjurum, & perpetuo ab officio & beneficiis privatum, injungas illis, ad quos beneficiorum suorum collatio pertinet, ut eadem beneficia, si qua eum habere contigerit, personis idoneis, & Ecclesię Romanę devotis conferant, & assi-

Quid Guillelmus deliquerit, narrat.

Mandat ut supra.

assignent. Denunties etiam publice dilectis filiis Universitati Magistrorum, & Scholarium Parisien., quod non pro eo quod idem Guillelmus Universitatem ipsam defendit, aut quod pro eo forsan in Francia, vel apud Sedem Apostolicam laboravit, cum Magistros & Scholares predictos, tanquam nobilia Ecclesię membra, sinceritatis pręcipuę (4) affectibus prosequamur, sed pro pręfatis excessibus, & pręcipue pro prędicto detestabili, a nobis damnato Libello, sic contra eum processimus, &, si adhuc id exegerit pertinacia (5) contumacis, gravius, auctore Domino, procedemus: Latas autem (6) alias in ipsum de mandato nostro suspensionis, vel privationis beneficiorum suorum, sententia, volumus in suo robore firmitatis persistere. Contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescas. Datum Viterbii Kalendis (7) Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Sententiam*.) Legenda praecedentia *Diplomata data IX, & XI Augusti MCCLVII*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *S. Catharinae Barchinonen*. Aliud tenet Collegium *San Jacobeum Parisiense*. In Archivo Ordinis *Libro E. fol. 55*, alterum habes Exemplar authenticum. Adeas etiam *Castellanum pag. 19*, *Usufmarem pag. 44*, *Vvaddingum Annal. Minorum Tomo II in Regesto Alexandri IV pagina 59*, *Boulaeum Histor. Universitatis Parisiensis Tomo III pag. 141*.
3. *Graves*.) *Usufmaris*, & *Boulaeus* legunt *Grandes*.
4. *Pracipua*.) Apud Usufmarem: *Perpetua*.
5. *Pertinacia*.) Ex eodem & Boulaeo *Protervia*.
6. *Latas autem*.) Quod sequitur deest apud *Boulaeum*.
7. *Kalendis*.) Apud *Usufmarem*, *Boulaeum*, & *Castellanum* legitur: *X Kalendas Septembris*: In Exemplari autem *Libri E.* habetur: *X Kalendas Octobris*.

Fratres Ordinis, a quovis Episcopo Catholico possint Ordines (1) ita suscipere, ut nec Episcopi periculum initiandorum faciant in literis, nec Episcopis Fratres se obligent.

Anno 1257 Die 20 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXIX.

Convenit, ut sacer & lucidus vester Ordo, sicut religionis altitudine polles, sic per Sedis Apostolicę gratiam privilegio fulgeat speciali. Attendentes igitur, quod ejusdem Ordinis Fratres, de locis ad loca ipsius Ordinis sępius transmutantur, propter quod stabilem & perpetuam in certis, & determinatis ejusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem: Considerantes etiam, quod bonos, & ydoneos, ac approbatos a vobis Fratres, scitis ad Ordines promoveri, vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis ordinandos Fratres ejusdem Ordinis, quibuscunque malueritis catholicis Pontificibus, communionem & gratiam prędictę Sedis habentibus, pręsentare, ipsisque Pontificibus pręsentatos Fratres a vobis sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum, ad Ordines promovere, vobis & Ordini vestro auctoritate pręsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium ab encomio Ordinis.

Indulget ut supra.

Sanctio poenalis.

1. *Ordines*.) Dicitur in *Tractatu de Consensu Bullarum Titulis V, & VI*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Est etiam *Tolesa*. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud asservatur in Cœnobio *Toletano*, cujus Exemplar est in Archivo Ordinis *Libro B. folio 304*. Ejusdem Diplomatis habes Exemplar authenticum *Libro E. fol. 56*. Adeas etiam *Usufmarem pag. 45*.

Episcopo Bononiensi (1), ut sententiam in Guillelmum de Sancto-amore latam promulgandam curet.

Anno 1257 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Bononiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CLXXX.

Cum propter multiplices culpas &c. (3). Mandamus, quatenus in Ecclesia Bononiensi, & alibi, ubi expedire videris, per te, vel per alium, prędicta publicare procures, ac Magistris & scholaribus, ac aliis Bononien. universis districtius, auctoritate nostra, sub excommunicationis pęna studeas inhibere, ne dictum Guillelmum audiant, si forte contra hujusmodi inhibitionem nostram conventiones facere, aut prędicare, vel Cathedram pręsumpserit ascendere Magistralem, & si tibi constiterit, quod nominatus Guillelmus contra tale pręceptum nostrum in aliquo venire pręsumpserit, denunties ipsum publice excommunicatum, perjurum, ac perpetuo officio, beneficiisque privatum; latas vero alias in ipsum, de mandato nostro, suspensionis, vel privationis beneficiorum suorum sententias persistere nihilominus volumus in suo robore firmitatis; Contradictores autem, si qui fuerint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compescas. Datum Viterbii VIII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Bononiensi*.) Timens, ne *Guillelmus*, cui *Gallia* interdixerat *Alexander*, in Universitatem *Bononiensem* admitteretur, sententiam in illum latam, *Bononia* in *Italia* promulgatam voluit idem Pontifex hocce Diplomate.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo, quod habet in Cœnobio *S. Mariae ad Gradus Viterbien*.
3. *Culpas &c.*) Ut supra 1 *Septembris MCCLVII* ad haec usque verba: *Audeat pradicare*.

Rogatu

Anno 1257 Die 27 Septembris.

Rogatu (1) Fratrum Ordinis Prædicatorum Magistros ac Scholares Parisienses ab excommunicatione, ceterisque sententiis solvendos decernit.

Ex Castellano (2) pag. 40.

CLXXXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilecti filii Prior, & Fratres Prędicatores Parisienses nobis humiliter supplicarunt, ut eum nonnulli Magistri, & Scholares Parisienses prętextum (3) discordię usque nunc Parisius habitę, & occasione detentionis cujusdam Libelli olim damnati a nobis, cujus principium erat: Ecce videntes clamabunt foris: dicantur sententiam excommunicationis incurrisse, providere super hoc salubriter curaremus; Nos itaque, sic volentes ipsorum saluti in hac parte consulere, & ęquitati nostrę sententię super hoc latę, nullatenus derogare, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnibus Magistris, & Scholaribus, qui occasione discordię, ac pręfati Libelli, interdicti, & suspensionis, & excommunicationis sententias, nostra, vel quavis auctoritate prolatas, hactenus incurrerunt, postquam tibi plene constiterit, quod ipsi Ordinationem (4) nostram, quam pro conservatione Studii Parisiensis, de consilio Fratrum nostrorum, edidimus, & quę continentur in ipsa, sententiam quoque, ac statuta in ea per Nos expressa, diligenter, & efficaciter, ac sine aliqua fictione observent, & juraverint, quod de cetero eadem (5) observabunt, ac dictum Libellum prorsus in toto, & in qualibet sui parte combusserint, ac omnino curaverint abolere, auctoritate nostra, juxta formam Ecclesię, beneficium absolutionis impendas, & dispenses cum eis super irregularitatibus, si quas forsitan occasione hujusmodi contraxerunt. Datum Viterbii V Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Rogatu.*) Cum enim nollent viri pacifici *vinci a malo*, sed ipsis illud unum esset in votis, ut vincerent *in bono malum*, hinc, ut *Parisiensibus* ignosceret, deprecatum adierunt Pontificem Fratres Prædicatores, & præsens Diploma assecuti fuere.
2. *Castellano.*) Idem transcripserunt *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto Alexandri IV pag. 60*, *Boulaeus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 344.*
3. *Prætextum.*) Sic librarius. Legerem *Prætextu*, ut *Boulaeus* apposite scripsit.
4. *Ordinationem.*) De qua sæpius supra.
5. *Juraverint, quod de cetero eadem.*) Hæc desiderantur apud *Boulaeum*.

Anno 1257 Die 27 Septembris.

Votis solemnibus, licet nuncupatis nondum expleto tirocinii anno, Mulierem quandam obstringi declarat (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 877.

CLXXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Constantien. (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat.

Ex tenore tuarum pridem accepimus literarum quod cum Heilvvigis relicta quondam Conradi de Noven. laici tuę Diœcesis, tunc zelo castitatis, & Religionis accensa, infra septa Domus suę primo votum Castitatis servandę perpetuo taliter emisisset, ut in manibus Fratris Bertoldi (3) de Ordine Prędicatorum. quem dilectus filius A ... P .., (4) ipsius Ordinis de Friburgh (5) ad petitionem ipsius Hellvvigis illuc propter hoc specialiter destinarat, anulo suę desponsationis reverenter exhibito, se per ipsum in observantiam perpetuę continentię duxisset Domino desponsandam: Tandem ad Monasterium Monialium de Adelhusen, Ordinis S. Augustini, viventium secundum instituta ipsius Ordinis Prędicatorum, Diœcesis supradictę, accedens, in manibus dilecti filii Prioris jam dicti Ordinis Prędicatorum, ipsius loci promisit, ac vovit, se permanere perpetuo continentem, & virtutum (6) in Religione, ac Deo in prefato Monasterio, quoad viveret, servituram, verborum nihilominus solemnitate adhibita, quam adhibere consueverunt profitentes Domino juxta consuetudinem Monasterii memorati, donatis quoque ipsi Monasterio liberaliter omnibus bonis suis; postmodum autem prędicta mulier, adhuc in habitu seculari existens, per quendam suum affinem a Monasterio ipso violenter adducta (7), quę Sponsa Christi effecta fuerat, se instigante humani generis inimico, Radulpho laico Ministeriali de Vvalthilo supradictę Diœcesis, de facto matrimonialiter copulavit. Cumque dilectę in Christo filię Priorissa, & Conventus ipsius Monasterii eam, ut suam Monialem, repeterent, ac idem Radulphus sibi prefata bona ipsius mulieris tanquam in dotem ei concessa, tam mobilia, quam immobilia vindicaret, & super his inter eandem Priorissam, & Conventum ex parte una, & dictos Radulphum, ac mulierem, ex altera, coram te auctoritate Ordinaria quęstio fuerit diutius agitata, demum super libellis hinc inde porrectis, lite contestata, legitime productis testibus, & attestationibus publicatis, cum jam intentio dictarum Priorissę. & Conventus videretur plene fundata, fuit pro parte ipsius Radulphi propositum, quod cum prefata mulier servilis conditionis existeret, donare non potuit bona sua; quanquam ipse id minus sufficienter probavisse noscatur, allegans nihilominus, quod licet Votum Religionis, seu Professionis a muliere ipsa emissum solemniter probaretur, Professio tamen sic facta non tenet infra tempus probationi concessum, nec dictam mulierem ante annum Religioni potuit obligare, ad hoc Constitutionem a fel. record. Innocentio Papa Prędecessore nostro editam, quę: Non solum (8): incipit, inducendo: propter quod utrum litera ipsius Prędecessoris confecta exinde sit pro Constitutione habenda, & de ipsius intellectu effectus dubius, nos super hoc consulere voluisti; & hujusmodi negotium cum Actis in judicio habitis, tuo Sigillo signatis, nobis transmittens, postulasti negotium ipsum apud Sedem Apostolicam per definitivam sententiam terminari, prefixo per te Partibus certo termino, quo se propter hoc nostro conspectui pręsentarent: Nos itaque dictum negotium, & exa-

examinationem ipsius dilecto filio Magistro Gregorio de Neapoli, Subdiacono, & Capellano nostro duximus committendum. Sane Procuratore earundem Priorissę, & Conventus comparente in termino coram eo, prę fato negotio diligenter examinato, & nobis plene relato per eum, consideravimus, non esse conveniens, illud a nobis per definitivam sententiam terminari, tum propter absentiam dictorum Radulphi, & mulieris, & quia tu.....(9) dubius nos super pręmissis consulendos duxisti, tum etiam quia prę fatis Actis, unico sigillo signatis, cum ea non invenerimus conscripta per publicam personam, vel duos viros idoneos secundum formam Constitutionis super hoc editę fidem nequivimus adhibere. Quare nos tibi super juris dubio tenore pręsentium respondemus, quod, si pręmissa veritate nitantur, sępedicta mulier Religioni earundem Priorissę, & Conventus, non obstante Constitutione ipsa, quę de Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordinibus mentionem specialiter faciens, extendi ad alios Ordines non videtur, esse dignoscitur allegata, & cum ipsa Sponsa Christi semel effecta non potuerit postmodum alicui viro matrimonialiter copulari, Matrimonium inter ipsam, & eundem Radulphum contractum taliter pronuntiandum est non tenere, ac ipsa redire ad prę fatum Monasterium, in quo juxta Professionem suam Deo perpetuo serviat, compellenda; dicta vero bona, pro eo quod nominata mulier ea prę fato Monasterio expresse obtulit, & donavit, ad jus, & proprietatem ipsius Monasterii pertinere, dicimus, & Radulpho, & mulieri prę fatis perpetuum debere imponi silentium super illis. Quocirca mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, & servato legitime processu coram te habito, negotium ipsum juxta hujusmodi rescriptum nostrum pręvia ratione decidas, faciens quod decreveris per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Datum Viterbii V Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Declarat ut supra.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Constantien.*) In *Suevia.*

3. *Bertoldi.*) Illum crediderim *F. Bertoldum*, cujus sępius mentio in actis *B. Christinę*. Consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prędicat. ad annum MCCLXXXVIII pag.* 410.

4. *P...*) Legerem: *Prior.*

5. *Friburgh.*) Tunc Provincialis *Teutonię* juris erat hocce Cœnobium.

6. *Virtutum.*) Fortassis: *Victuram.*

7. *Adducta.*) Seu *Educta.*

8. *Non solum.*) Videas Diploma *XVII Iunii MCCXLIV.*

9. *Tu ...*) Adderem: *De jure,*

Episcopo electo, & Priori Fratrum Prædicatorum Aberdonen., ut de quadam lite decernant (1).

Anno 1257 Die ... Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 880.

CLXXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Electo, & Priori Prędicatorum Aberbonen. (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat.

Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Alanus, (3), dictus Ostiarius, carissimi in Christo filii nostri Regis Scotię illustris sororius (4) cum nobilis (5) vir Guillelmus de Marca Aberdonen. Diœcesis, Comitatum de Marca, ad prę fatum Alanum de jure spectantem, detinere in ejusdem Alani pręjudicium occupatum, ac Morgundus, & Duncanus defuncti, quibus dictus Guillelmus in Comitatu ipso se succedere asserit, non fuerint de legitimo matrimonio procreati, dictus Alanus quasdam super hoc per quendam Procuratorem suum ad ven: Fratrem nostrum Episcopum Brechinen. (6), suumque collegam impetravit literas Apostolicas inter cetera continentes, ut vocatis qui vocandi essent, & inquisita super pręmissis diligentius veritate, quod invenirent, per suas nobis literas intimarent, pręfigendo partibus terminum peremptorium competentem, quo per se, vel per Procuratores idoneos, ad causam hujusmodi sufficienter instructę, nostro se conspectui pręsentarent, facturę, & recepturę quod ordo exigeret rationis. Sed cum iidem Episcopus & collega in eodem negotio procedentes, processum suum ad examen Apostolicum juxta dictarum literarum continentiam remisissent (7); Nos postmodum causam hujusmodi dilecto filio nostro O.. (8) Sanctę Marię in Via-lata Diacono Cardinali commisimus terminandam, coram quo, causa ipsa pendente, pars altera coram ipso quasdam literas sub Bulla nostra confectas, prędictarum ad dictos Episcopum, & collegam obtentarum tenorem totaliter continentes, quas idem Guillelmus ad Abbatem Monasterii de Jeddevvrd, suosque collegas impetrarat, ostendit, per quas prędictas literas ad Episcopum, & collegam prędictos obtentas, si talis foret tenor ipsarum per omnia, qualis in secundis literis insertus fuerat, falsas esse, dicimur decrevisse. Verum Partibus super his coram eodem Cardinali ad invicem diutius litigantibus, tandem dictus Cardinalis auditis, & intellectis rationibus, & allegationibus, quas Partes voluerunt proponere coram eo, cum Procurator Alani prędicti Originale literarum ipsarum nequiverit ostendere coram ipso, cum illud juramento suo assereret fore in partibus Scoticanis, volens parcere Partium laboribus, & expensis, relatione de prędictis omnibus nobis facta, de nostra licentia, & mandato, ac etiam de voluntate Partium, & assensu, literas utrasque impetratas ex parte ipsius Alani, & ex parte etiam Guillelmi Comitis memorati, & processus omnes habitos per easdem, cassavit, & irritavit, cassos etiam, & irritos nunciavit; cassans nihilominus omnem processum, si quis auctoritate literarum ex parte ipsius Comitis impetratarum de cetero coram quocunque judice haberetur, Partibus super jure suo in quęstione hujusmodi literas impetrandi licentiam concedendo, prout in literis Cardinalis ejusdem plenius continetur. Nos igitur quod per eundem Cardinalem super hoc factum est, ratum, & gratum habentes, & auctoritate Apostolica confirmantes, mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, super natalibus dicti Morgundi inquiratis diligentius veritatem, & quod canonicum fuerit, appellatione postposita, decernatis &c. dicto Regi Comitatus ipsius judicio reservato. Testes autem &c. Non obstante indulgentia, qua tibi fili Prior, vel Fratribus tui Ordinis a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod de Causis inviti cognoscere minime tenea-

Mandat ut supra.

teneamini, quę vobis a Sede committuntur eadem, & quę de indulto hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem. Datum Viterbii IIII...., (9) Octobris Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Decernant.*) Ut scilicet, inquit *Bzovius Annal. Ecclesiast.* ad annum MCCLVII num. VIII, *in Natalitia Comitis Marchiæ inquirerent, & Regi Scotiæ quicquid invenissent, decrevissentque, significarent .... nimirum ut Rex Scotiæ postmodum decerneret, cui Comitatum Marchiæ tribueret.* Hæc *Bzovius*. Citat Epistolam 680.

2. *Aberbonen.*) Seu *Aberdonen.* in *Scotia*.

3. *Alanus.*) Cœnobii de *Munros* in *Scotia* fundator. Sic docet *Echard Tomo II de Scriptoribus Ord. Prædicator. in Indice Cœnobiorum pag.* 11. .... Cœnobium *de Munros fundavit Alanus Scotiæ Regis Ostiarius.* Regnabat in *Scotia Alexander III.*

4. *Sororius.*) Id est: Sororis maritus.

5. *Cum nobilis.*) Legerem: *Quod, cum nobilis*.

6. *Brechinen.*) In ora orientali *Scotiæ*.

7. *Remissionem.*) Malim: *Remiserint*.

8. *O....*) *Octaviano* scilicet Ubaldino, de quo *Ciaconius Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCXLIII pag.* 121.

9. *IIII...*) Sic ex *Bzovio* restitue: *IV Nonas Octobris*.

Anno 1257 Die 2 Octobris.

Episcopo Parisiensi, ut præcepta, quæ servanda spoponderant Otto de Duaco, & Christianus Canonicus Beluacen., promulganda curet, & in ipsos, fidem datam fallentes, animadvertat (1).

Ex Bullar. (2) *Ususmaris pag.* 45.

CLXXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

Cum olim (3) apud Sedem Apostolicam constituti Magistri Otto (4) de Duaco Doctor Theologicę facultatis, & Christianus Canonicus Beluacen, coram dilectis filiis nostris Hugone (5) titul. S. Sabinę Presbytero, & Johanne S. Nicolai in Carcere Tullian. Diacono Cardinalibus, juraverint stare precise mandatis nostris, iidem Cardinales prefatis Magistris, ex parte nostra, quędam fecerunt mandata in virtute prestiti juramenti, prout in Instrumento publico inde confecto, cujus tenor presentibus infra subnectitur, plenius continetur. Volentes igitur in publicam venire notitiam, quod in hac parte dictis Magistris ab eisdem Cardinalibus, de speciali mandato, salubriter est injunctum, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus precepta hujusmodi, sine morę dispendio, publices, per te, vel per alium Parisius, & alibi (6), sicut videris expedire. Si vero dicti Magistri precepta ipsa infra spatium unius mensis, a tempore publicationis hujusmodi, adimplere non curaverint Parisius efficaciter & simpliciter, ac sine aliqua fictione, tu eos ibidem publice denunties esse perjuros; Restitutionem quoque dicti Magistri Octonis (7) ad officia, beneficia, & alia, quibus auctoritate quarundem literarum nostrarum, quarum principium est: Cunctis processibus (8): privatus fuerat, auctoritate nostra revocare procures; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Instrumenti vero predicti tenor talis est: In nomine (9) Christi amen. Anno Domini MCCLVI vicesimo tertio die mensis Octobris XV Indictione, Anagnię in Palatio Domini Papę venerabiles Patres Domini Hugo titul. S. Sabinę Presbyter, & Johannes Sancti Nicolai in Carcere Tullian. Diaconus Cardinales, presentibus & audientibus me Bernardo de litera (10) Notario, & testibus infrascriptis, scilicet providis viris, Johanne Archipresbytero (11) Ecclesię S. Marię de Castro Cerveteris (12), Thomasio de Rivo frigido, Canonico Casleten., Johanne Presbytero Canonico Capuan., & quampluribus aliis ex parte Sanctissimi Patris Domini Alexandri Papę IV, providis viris Magistro Ottoni (13) de Duaco, Theologicę facultatis Doctori, & Christiano Canonico Beluacen. in eorum presentia constituti, qui etiam octavo decimo die mensis ejusdem juraverant corporaliter coram eisdem dominis Cardinalibus, & me predicto Bernardo Notario, stare precise mandatis dicti Domini Papę, in virtute prestiti juramenti mandaverunt, primo scilicet, quod salvis aliis mandatis quę eidem Domino Papę, semel, vel pluries ipsis Magistris mandare placuerit, & salvo si circa infrascripta idem Dominus aliter ordinaret, ipsi Magistri, quantum in eis esset, ex tunc reciperent, & publice Parisius recipiant, cum ibi fuerint, ex tunc obedirent, & obediant in posterum Ordinationi prefati Domini Papę quę incipit: Quasi lignum vitę (14): & quod contra eam scienter non veniant, nec contradicentibus Ordinationi predictę, in contradicendo auxilium vel consilium prestarent publice, vel private. Secundo quod Fratres Predicatores, & Minores Parisius degentes, Magistros, & auditores eorum, & specialiter ac nominatim, Fratres Thomam de Aquino de Ordine Predicatorum, & Bonaventuram de Ordine Minorum, Doctores Theologię, ex tunc quantum in eis esset, in societatem scholasticam, & ad Universitatem Parisien. reciperent, & expresse Doctores ipsos reciperent ut Magistros, & quod cum Parisius fuerint faciant publice illud idem, ipsosque, juxta ordinationem predictam, ab Universitate, seu Magistris, & Scholaribus Parisius commorantibus, procurent recipi, bona fide, & contra predicta nunquam prestent consilium, vel assensum. Tertio quod scienter juramenta, statuta, vel obligationes non faciant, seu a Religiosis vel aliis exigant, vel quantum in eis fuerit exigi permittant, per quę vel quos infringatur Ordinatio supradicta, seu contra eam modo quolibet veniatur. Quarto quod non procurent, nec, quantum in eis est, fieri permittant, quod Parisien. Studium absque licentia Domini Papę, occasione cujuscunque preteritę turbationis, seu facti, dissolvatur, seu alio transferatur. Quinto, quod tam in Romana Curia, quam Parisius, bona fide, ac sine fraude, non adjiciendo aliquid scienter, quod sapiat aliquid (15) principaliter vel consequenter, sed ita, quę eis in hoc articulo injunguntur, predicent publice, & in Civitate Parisien. pluries, & in diversis locis, & asseverent fideliter in ipsis predicationibus infrascripta: scilicet, quod reprobant Libellum in ipsis predicationibus, qui nuper fuit per Summum Pontificem condemnatus, & errores in ipso contentos qui sunt contra infrascripta, quę in ipsis predicationibus asserant, & affirment, videlicet, de potestate Romani Pontificis, quod possit Predicatores & Confessores mittere ubique per mundum juxta suę beneplacitum voluntatis sine consensu inferiorum Prelatorum quorumcunque, seu Parochialium Sacerdotum. Item quod Archiepiscopi & Episcopi in

Tenor Instrumenti quo fidem suam obligarant Otto de Duaco, & Christianus Beluacensis.

suis

suis Diœcesibus licentiam dare possunt prędicandi, ac confessiones audiendi, sine consensu inferiorum Sacerdotum, vel Rectorum Ecclesiarum, cum viderint expedire. Quodque Prędicatores, & Confessores, sic missi, possunt libere prędicare, & licite confessiones audire, ac absolvere Pœnitentes: Item quod status mendicitatis propter Christum est status salutis, & perfectionis: Item quod Religiosi pauperes, qui omnia relinquunt propter Christum, possunt mendicando acquirere victum suum sine labore manuum, etiamsi sint validi corpore, maxime qui student, verbo Dei legendo, disputando, prędicando. Item quod ea, quę continebantur in Libello prędicto, quibusdam articulis a Magistro Christiano pręfato confectis, quę explicite, vel implicite videbantur, seu poterant in prędictorum Ordinum infamiam redundare, sicut de pseudoprophetis, apostolis, & nuntiis Antichristi, de penetrantibus domos, & periculis novissimorum temporum, non intelligunt, nec intellexerunt de Fratribus Ordinum Prędicatorum & Minorum, quod tales ipsi sint, vel fuerint, vel etiam sint futuri: sed fateantur, Ordines ipsos esse bonos, & ab Ecclesia approbatos, & inter cetera asserant & affirment, quod Deus hoc ipsum per manifesta indicia nostris temporibus comprobavit, nonnulla miracula scilicet, quę per Sanctos utriusque Ordinis, Sanctorum catalogo, per Romanam Ecclesiam canonice, legitime, fideliter, ac rite ascriptos, est misericorditer operari dignatus. In cujus rei testimonium ego pręfatus Bernardus Apostolicę Sedis auctoritate Notarius, qui pręmissis rogatus interfui de mandato dictorum Dominorum Cardinalium, hoc pręsens publicum instrumentum, propria manu scripsi, ac in publicam formam redegi, & signum meum apposui. Datum Viterbii VI Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Animadvertat.*) Legesis notata in *Diploma datum XVII Junii MCCLVI.*
2. *Bullario.*) Idem exscipserunt *Castellanus pag.40, Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 61, Boulæus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.344.*
3. *Olim.*) Anno scilicet *MCCLVI die XV Octobris.*
4. *Otto.*) Boulæus, & Castellanus: *Odo.*
5. *Hugone.*) De istis dictum est *V Octobris MCCLVI.*
6. *Et alibi.*) Boulæus: *Vel alibi.*
7. *Octonis.*) Ex eodem, & Castellano: *Odonis.*
8. *Cunctis processibus.*) Ut supra *XVII Junii MCCLVI.*
9. *In nomine.*) Idem Instrumentum habes apud *Vvaddingum Annalium Minor. Tomo II ad annum MCCLVI num. XXXVII pag.143, & Boulæum Histor. Universitatis Parisien. Tomo II pag.315.*
10. *De Litera.*) Ex Boulæo: *Delfa.*
11. *Archipresbytero.*) Ex eodem: *Archiepiscopo.*
12. *Cerveteris.*) Ex Boulæo, Vvaddingo, & Castellano: *Cerneteris.*
13. *Ottoni.*) Boulæus, & Castellanus: *Odoni.*
14. *Quasi lignum vitæ.*) Exscriptum est *Diploma XIV Aprilis MCCLV.*
15. *Sapiat aliquid.*) Adde: *Contrarium*, ut legitur apud *Vvaddingum. Boulæus* vero quædam omittit.

Anno 1257 Die 5 Octobris.

Abbati Sancti Severi de Urbe veteri (1), ut quævis domus ibidem extruenda distet a Cœnobio Fratrum Prædicatorum ducentis passibus (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLXXXV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Sancti Severi de Urbe veteri, Pręmonstratensis Ordinis, Salutem, & Apostolicam, Benedictionem.

PAci ac tranquillitati dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum de Urbe veteri providere volentes, discretioni tuę per Apostolica scripta, districte pręcipiendo, mandamus; quatenus nullius Religionis Monasterium, seu Oratorium, aut Claustrum Religiosarum, vel Secularium personarum ędificari, vel construi, aut Ecclesiam jam ędificatam inibi in Religiosum locum, vel Regularem domum transferri permittas infra spatium ducentorum passuum, ad passum communitatis Urbevetan., circa omnes fines loco prędictorum Fratrum contiguos & vicinos. Non obstantibus aliquibus literis, per quas hujusmodi pręcepti nostri possit executio impediri, vel de quibus oporteat in pręsentibus fieri mentionem. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Viterbii III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut fiat.

Clausula derogatoria.

1. *Urbeveteri.*) In ditione Pontificia.
2. *Passibus.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Titulo I Tomo ultimo.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis Cannabinis appenditur.

Anno 1257 Die 13 Octobris.

Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Prælatis Ecclesiæ, ut sententiam in Guillelmum de Sancto-amore latam promulgandam, & servandam curent (1).

Ex Bullario Ususmaris pag. 47.

CLXXXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm propter multiplices culpas, & grandes offensas, quas Guillelmus de Sancto-amore temerarie commisisse dignoscitur, & specialiter propter Libellum perniciosum & detestabilem ab eo compositum, cujus principium; Ecce videntes clamabunt foris, & Titulus: Tractatus brevis de periculis novissimorum temporum; dicebantur, ac per nos olim, de Fratrum nostrorum consilio, reprobatum, & in perpetuum condemnatum, meruerit graves pęnas, eidem Guillelmo nostris in virtute obedientię & sub debito juramenti, quod pręstitit de stando pręcise mandatis nostris, necnon sub excommunicationis, & privationis perpetuę ab officio & beneficiis pęnis, quas eo ipso eum incurrere volumus, si contra hujusmodi pręceptum nostrum venire tentaverit, salvis omnibus aliis mandatis nostris, quę sibi fecimus forsitan viva

Quibus culpis Guillelmus tenetur.

Justas luit pœnas.

viva voce, aut Nuncio, vel literis duxerimus facienda, districte dedimus literis in preceptis, ut nullo unquam tempore, Regnum Francie intrare presumat, & nihilominus omnem docendi, ac predicandi, sibi, auctoritate Apostolica, perpetuo interdiximus facultatem; ita quod nec docere alicubi, nec unquam alicui clero, vel populo, de cetero audeat predicare. Ideoque universitati vestre, in virtute obedientie per Apostolica scripta districte precipiendo, mandamus, quatenus singuli vestrum ad requisitionem dilectorum filiorum Fratrum Predicatorum, in vestris Civitatibus, Diecesibus, seu locis aliis commorantium, per vos, vel per alios in Ecclesiis vestris, presentes literas solemniter publicare curetis, universis Christi fidelibus vestris subditis, auctoritate nostra sub excommunicationis pena districtius inhibentes, ne dictum Guillelmum audiant, si forte convocationes, conventicula, parlamenta, collationes facere, aut predicare vel Cathedram ascendere presumpserit Magistraliter; & si vobis constiterit, quod nominatus Guillelmus contra tale preceptum nostrum in aliquo venire presumpserit, denuntietis ipsum publice excommunicatum, periurum, ac perpetuo officio, beneficioque privatum. Notificamus etiam vobis, quod non pro eo quod idem Guillelmus universitatem Magistrorum, & Sholarium Parisien. defendit, aut quod pro eo forsitan in Francia, vel apud Sedem Apostolicam laboravit, cum Magistros & Scholares predictos, tanquam nobilia Ecclesie membra, sinceritatis precipue affectibus prosequamur, sed pro prefatis excessibus, & precipue pro predicto detestabili, & a nobis damnato Libello, sic contra eum processimus, & , si adhuc id exegerit protervia contumacis, gravius, auctore Domino, procedemus. Latas vero alias in ipsum, per nos, vel de mandato nostro, suspensionis, vel privationis beneficiorum suorum, sententias, persistere nihilominus volumus in suo robore firmitatis. Contradictores autem, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Datum Viterbii III Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

2. *Curent.*) Legendus *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiastic. ad annum MCCLIX num. XXX*, & consulenda Diplomata superius exscripta.

Anno 1257 Die 15 Octobris.

Ut quisque sepultura (1) possit affici in Ædibus Sacris Cœnobii FF. Prædicatorum Tranensium (2).

Ex Arch. (3) *Ordinis lib. B. fol.* 459.

CLXXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Predicatorum Tranen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cum a nobis petitur &c. (4). Datum Viterbii Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Sepultura.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Tranensium.*) In *Apulia*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo in *Tranensi* Cœnobio asservato.
4. *Petitur &c.*) Ut in *Diplomate dato XXX Novembris MCCXXVII.*

Anno 1257 Die 18 Octobris.

Ut quævis ædificanda domus distet ducentis passibus (1) a Cœnobio FF. Prædicatorum Bononiensium.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Sancti Michaelis de Boscho Bononiensis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Paci & tranquillitati dilectorum filiorum Fratrum Predicatorum Bononiensium &c. (3) infra spatium ducentorum passuum, ad passum Communitatis Bononiensis &c. (4). Datum Viterbii XV Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Passibus.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. fol.* 8. ex Autographo *Bononiæ* asservato. Aliud Exemplar authenticum legitur *Libro E. fol.* 56.
3. *Bononiensium &c.*) Ut in *Bulla data V Octobris MCCLVII* ad hæc usque verba, *Transferri permittas*.
4. *Bononiensis &c.*) Ut in eodem Diplomate ad finem usque.

Anno 1257 Die 16 Novembris.

Munere Visitatoris &c. & cura Monialium levat (1) Fratres Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inspirationis divine gratia &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Viterbii XVI Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Levat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.
3. *Gratia &c.*) Ut in *Diplomate dato XXV Octobr. MCCXXXIX.*

Ut

Ut Domesticis nostris Sacramenta ministrare (1), eorumque Corpora Sepulcris (2) nostris reddere possimus, indulget, & cavet ne iidem Sententiis (3) excommunicationis, & interdicti sint obnoxii. Anno 1257 Die 20 Novembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis*.

CXC.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UT in vestris domibus servientes in ministeriis opportunis ob vestri gratiam, quam apud Sedem Apostolicam sedulę dilectionis vestrę obsequia promerentur, nostrę gratię munere non reddantur immunes: Nos vestris devotis precibus inclinati, quod pueris, vestris servitiis deputatis, vobiscum in vestris domibus commorantibus, cuncta libere ministrare possitis Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt, in vestris Cimiteriis sepelire, ac si quando in terras, in quibus residetis, vel earum personas excommunicationis seu interdicti sententias contigerit promulgari, iidem pueri hujusmodi sententiis obnoxii minime habeantur, nisi eisdem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat, auctoritate vobis pręsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Viterbii XII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit & cavet ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Ministrare.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Sepulcris.*) Ibidem de hac materia *Tit. IX.*
3. *Sententiis.*) De quibus in *Tractatu mox laudato Tit. X.*
4. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Tempore generalis Interdicti ubique celebrare (1) divina possunt Fratres Prædicatores. Anno 1257 Die 1 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXCI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEvotionis vestrę precibus inclinati, ut tempore generalis Interdicti, non pulsatis campanis, excommunicatis, & interdictis exclusis, januis clausis, submissa voce, in Ecclesiis, & Oratoriis vestris, ac aliis quibuscunque, cum ad loca perveneritis ecclesiastico supposita interdicto, divina possitis Officia celebrare, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat, id vobis specialiter interdici, neque Ecclesię, & Oratoria eadem fuerint specialiter interdicta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis &c. Datum Viterbii Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Celebrare.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar.* Tomo *ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur.

Fratribus Prædicatoribus Bononiensibus, ut vigilia, ambobus Festis Sancti Dominici, ac per octo dies sequentes, ipsi, ceteri Religiosi, ac Seculares, Sacra solemniter possint celebrare tempore generalis Interdicti (1). Anno 1257 Die 8 Decembris.

Ex Bullar. (2) *Usus maris pag.* 48.

CXCII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus Bononien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRo reverentia B. Dominici Confessoris, cujus corpus sacratissimum miraculorum diversitate refulgens, in vestra Ecclesia requiescit, ac etiam pro Sanctę conversationis vitę vestrę meritis, delectamur vos prosequi dono gratię specialis. Hinc est, quod Nos devotioni vestrę, auctoritate pręsentium, indulgemus, ut cum generale terrę fuerit interdictum, in vigiliis & duobus (3) festis Confessoris ejusdem, & per octo sequentes dies, apertis januis, excommunicatis duntaxat exclusis, vos una cum aliis Religiosis, & Clericis Secularibus, qui tunc in Ecclesia vestra convenerint, Divina Officia ibi solemniter celebrare possitis, dummodo vos, ac iidem Religiosi, & Clerici, causam non dederitis interdicto, nec id vobis, & eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo &c. Datum Viterbii VI Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut supra.

1. *Interdicti.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullarum Tit. X Tomo ultimo.*
2. *Bullario.*) In Archivo quoque Ordinis *Libro E. fol.* 57 habes Exemplar authenticum.
3. *Duobus.*) Festo nempe præcipuo, & Festo Translationis *S. P. Dominici.*

Anno 1257 Die 10 Decembris.

Amplissimam facultatem facit Inquisitoribus (1) Tolosanis Ordinis Prædicatorum,

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Predicatoribus, Inquisitoribus pravitatis heretice in partibus Tolosan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inquisitionis Instrumenta ceteraque scripta Nostratibus exhibenda.

Deponentes errores a Fidei censoribus solvendi.

Ab iisdem Clerus, & Populus convocandi.

Indulgentia concedenda.

In eos qui fugæ se dederunt, possunt inquirere.

In hæreticos sancita servanda erunt.

Compendiaria disceptatione lites poterunt promovere.

Clausula derogatoria.

CUpientes, ut Inquisitionis negotium contra hereticam, pravitatem sollicitudini vestre commissum, ad Dei gloriam & augmentum fidei Catholice in vestris manibus feliciter prosperetur, compellendi, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam per vos, vel alios, quos ad hoc idoneos duxeritis eligendos, omnes illos, qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis per quoscunque hactenus facte, ac etiam faciende, & quascunque alias scripturas confectas, & conficiendas contra hereticos, Credentes (3), receptatores, seu fautores eorum, habent, vel habuerint, ut ea, sine cujuslibet difficultatis, seu dilationis dispendio, vobis exhibeant; necnon & absolvendi a sententia excommunicationis, omnes illos, qui dimissa hereticorum perfidia, ad unitatem catholice fidei libere, ac humiliter redire voluerint, & Credentes, receptatores, fautores, ac defensores eorum, ac etiam reconciliandi eos Ecclesie, a qua noscuntur diabolica suggestione precisi. Convocandique Clerum, & populum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum contra tales, ita ut in ferendis sententiis contra ipsos possitis peritos, ac discretos, prout expedierit, advocare: Dandi quoque omnibus accedentibus ad convocationem hujusmodi, auctoritate nostra, quadraginta dierum Indulgentiam: Procedendi etiam contra illos, quos in Comitatu Tolosano commisisse constiterit, licet ad alias partes se duxerint transferendos, faciendi quoque observari inviolabiliter omnia statuta provide edita, tam in Conciliis (4) Legatorum Sedis Apostolice, quam etiam in forma pacis (5), olim inite inter Ecclesiam Romanam, & carissimum in Christo filium Regem (6) Francie illustrem ex parte una, & quondam R... (7) Comitem Tolosan. ex altera, que negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii, & augmento fidei fuerit opportunum, necnon, & ut in eodem negotio, summarie, absque judiciorum, & Advocatorum strepitu, procedere valeatis, auctoritate presentium vobis concedimus facultatem. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus si aliquibus sit Indultum ab eadem Sede; quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, nisi plenam, & expressam, vel de verbo ad verbum fecerint de indulto hujusmodi mentionem, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio (8) Generali. Datum Viterbii IIII Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Inquisitoribus.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Credentes.*) Qui fuerint, dictum est supra *nota XLII in Diploma datum XXXI Octobris MCCXLIII.*
4. *Conciliis.*) De quibus *Percinus noster Monument. Convent. Tolosani Parte II pag. 9.*
5. *Pacis.*) Quam refert *Duchesnius ad calcem Tomi V Scriptorum Francicor.*
6. *Regem.*) *S. Ludovicum IX.*
7. *R...*) *Raymundum* Juniorem.
8. *Concilio.*) *Lateranensi IV Cap. XXXVII.*

Anno 1257 Die 15 Decembris.

Indulgentiam elargitur Fidei censoribus (1), Sociis, ac Notariis eorundem.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus heretice pravitatis in partibus Tholosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

FIrmissime teneat prudentia vestra, & nullatenus dubitet, quod Deus Indulgentiarum, & Pater misericordie, considerans merita singulorum, contentus nostris indulgentiis non existit, quin benefacientibus gratiam potiorem indulgeat, & gloriam superaddat, ad quas per fructum boni operis promerendas fideles Christi frequenter, & libenter nostris remissionibus invitamus. Cum itaque vos, propter Deum in negotio fidei laborantes, hujusmodi salutaribus premiis decet recreari; Nos vobis vere penitentibus, & confessis, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi plenam concedimus veniam peccatorum: Sociis autem Ordinis vestri Fratribus, & Notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione hujusmodi negotii laborabunt, & aliis, qui ad impugnandum hereticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, vobis ex animo auxilium prestiterint vel favorem, tres annos de injuncta sibi penitentia relaxamus; & si qui ex his in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Datum Viterbii XVIII Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Censoribus.*) Vide *Dissertationem I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Epi-

Episcopo Mutinensi (1), ut, quibus intercessum est auctoritati Fidei censorum, Statuta rescindat (2).

Anno 1257 Die 18 Decembris.

Ex Bullario (3) Romano in Alexandro IV Constit. X.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Mutinen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXCV.

IMplacida relatio nuper nostrum turbavit auditum, quod videlicet Commune Mantuanum, cum deberent dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus Inquisitoribus pravitatis hereticę, in illis partibus a Sede Apostolica deputatis, circa extirpationem pravitatis hujusmodi de suis finibus toto posse assistere, tanquam Fidei zelatores; ipsi agentes in contrarium, Statuta damnabilia ediderunt, per quę negotium Fidei, quod per Fratres ipsos salubriter geritur, ut in eo procedi libere nequeat, directe impeditur, vel etiam indirecte. Quocirca fraternitati tuę per Apostolica scripta, sub excommunicationis pena firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus, associatis tecum aliquibus discretis, & Deum timentibus viris, Statuta hujusmodi, quę a Mantuanis, vel quibuslibet aliis hominibus ordinata, & facta dicuntur Mantuę, ac in toto ipsius districtu, per quę ipsi negotio possit obstaculum provenire, diligenter inquirere, ac etiam invenire, & quęsita, & inventa ad tale reducere, ac reduci facere moderamen procures, quod per ipsa dictorum Inquisitorum processus non impediantur in aliquo, vel quomodolibet retardentur, faciens nihilominus, quod Statuta quęlibet ipsi negotio contraria, & quibus posset impedimentum aliquod Inquisitoribus afferri eisdem, quominus per eos, juxta formam sibi a prędicta Sede traditam, procedi libere valeat in eodem, in Civitate prefata, vel alibi in ipsius districtu nullatenus observentur. Potestatem, Ancianos (4), & consilium Civitatis ejusdem, per excommunicationis in personas eorum, & Commune prędictum, per interdicti in Civitatem ipsam, Sententias, ad id, appellatione postposita, compellendo. Datum Viterbii XV Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mantuani Fidei censorum auctoritati intercesserant.

Mandat ut supra.

1. *Mutinen.*) In *Longobardia*. *Mutinæ* sedebat Venerabilis noster *Albertus Boschettus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

2. *Rescindat.*) *Cum enim Inquisitores nostri in Longobardia hæreticos infracto animo insequerentur, atque igni adjudicarent; Mantuani Cives, id ægre ferentes, quædam damnabilia statuta condidere, quibus libere in hæreticos animadvertere nequaquam valebant Inquisitores. Hæc cum Pontifici maximo fuissent nunciata, commisit ille Mutinensi Episcopo, ut eadem statuta inviseret, corrigeret, atque moderari posset, resecatis omnibus iis, quæ Inquisitores ab eorum exequendo munere retardare possent. Datis Apostolicis Literis Viterbii XV. Kalendas Januarii, quæ in Archivo Bononiensi asservantur.* Hæc *Fontana noster Monument. Dominic. Parte I Cap. V ad annum MCCLVI. pag.72.*

3. *Bullario.*) Idem exscripsit *Pegna ad Calcem Directorii Inquisitor. pag.16.*

4. *Ancianos.*) Sic Patricii, Nobiles, cæterique Primores populi passim in *Italia* nuncupantur.

Sororibus Prulianis, (1) ut Prior, vel ipsius Vicarius illas ab excommunicationis sententia solvere (2) possit.

Anno 1258 Die 8 Januarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum Monasterii Beatę Marię Virginis de Pruliano, Tolosanę Dięcesis, Ordinis Sancti Augustini, secundum Instituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CXCVI.

SAcram religionem vestram, in qua cultui Divini Nominis ferventer intenditur, & animarum profectui folicite deservitur, dignam favoris pręsidii Apostolici reputantes, quę pie deposcitis, aure benigna suscipimus, & benevolentia paterna complemus. Vestris igitur devotis precibus inclinati, ut, si quę vestrum, sive antequam ad Religionem hujusmodi convolaverint, sive postea, excommunicationis sententiam incurrerint, per Priorem, qui pro tempore vobis fuerit deputatus, vel ejus Vicarium, possint juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium obtinere, auctoritate vobis pręsentium duximus concedendum. Datum Viterbii VI Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Quarto. Concessio.

1. *Prulianis.*) De quibus in *Diplomate dato VIII Octobr. MCCXV.*

2. *Solvere.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Monasterio *Pruliano*.

Pro-

Anno 1258 Die 13 Februarii.

Provinciali Hispaniæ, ut in Regnum Tunisii, & ad quascunque Infidelium nationes Fidei præcones sibi subditos mittat (1).

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 538.

CXCVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Predicatorum in Hispania, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm hora undecima &c. (3). Non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis venerabili Fratri nostro... Episcopo Marochitan (4), vel cuicunque alii sub quacunque forma, vel verborum expressione concessis, vel in posterum concedendis, de quibus oporteret in nostris literis, vel indulgentiis plenariam fieri mentionem. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Idibus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Mittat.*) Non *Hispaniæ* duntaxat, sed etiam nonnullis aliis Provincialibus eodem fere modo S. Pontificem scripsisse nullus dubito. Enim vero *inter .... Orientis, & Occidentis, motus a perfidia Manfredi concitatos*, verba sunt *Bzovii* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVIII num. VI, *non destitit Alexander Pontifex ea, quæ ad Fidem Christianam, sive amplificandam, sive ab hæresibus vindicandam, procurare. Et quidem ad Fidei propagationem, multos Prædicatores ex Instituto D. Dominici, & S. Francisci ad gentes destinavit, dato eis Privilegio amplissimo, quod libuit attexere. Ita habet illud quod F. Stanislao Cracoviensi, per id temporis Provinciali Poloniæ Ordinis Prædicatorum, & ante biennium Provinciali Hispaniæ ejusdem Ordinis, Anagniæ V Idus Iulii, Pontificatus Anno Secundo datum est his verbis. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum in Provincia Polonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum hora undecima sit diei &c.* Hic exscribit præcedens Diploma, subdit vero *numero VII.* His ab *Alexandro, & ante aliquot annos ab Innocentio Pontifice Maximo acceptis literis excitati Fratres utriusque Ordinis, memores Apostolici muneris ad superius expressas gentes, quasi gigantes efficacissimi lacerti, exultantes ad sternendam viam Domino Redemptori, excurrebant adeo alacriter, nulla ut fuerit gens ad solem orientem, & gelidum Septentrionem, quæ radiis eorum non esset illustrata, atque incalefacta. Nomina eorum scripta sunt in libro vitæ, & dum nostra hæc inferior neglexit, superior illa Cælestis Ecclesia tandem illorum sibi nancisci, admiratur, & attollit. Sane ex solius Prædicatorum Ordinis Provincia Poloniæ totis ducentis triginta quatuor, innumerabiles a Provincialibus Sedis Apostolicæ ad submittendos Fratres inter gentes Commissariis, missos fuisse, indubium est: qui inter hostes natura barbaros, moribus efferatos, impietate sacrilegos, vitam degentes sanctissimam multis calamitatibus & crucibus onerati, sanguine roseo per Martyrium fuso purpurascentes, semen Christianæ Fidei in locis inaccessis sparserunt.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*.

3. *Undecima &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVII Iunii MCCLVI* ad hæc usque verba: *videritis expedire*.

4. *Marochitano.*) In *Africa*. Hæc autem non leguntur in Diplomate quod *Bzovius* exscripsit, sed sic legere est: *Non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis cujuscunque forma vel expressione verborum concessis, vel in posterum concedendis, de quibus oporteret in nostris literis plenariam fieri mentionem. Nulli ergo &c.*

Anno 1258 Die 14 Februarii.

Cavet ne quis Fratribus Ordinis Prædicatorum molestias, quas recenset, exhibeat, & Sententias in ipsos, vel eorum causa latas, aut ferendas, irritas facit.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXCVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus universis Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NImis iniqua vicissitudine &c. (2). Datum Viterbii XVI Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto:

1. *Archivo.*) Inter Monumenta Cœnobii *Vratislaviensis*, in quo Autographum. Duo insuper alia ejusdem tenoris, quorum plumbum filis sericis appenditur, extant in Archivo Ordinis. Data sunt *Viterbii XIII Kalendas Martii, Pontificatus Alexandri IV anno IV*. Eandem diem habent ascriptam Autographum asservatum in Cœnobio *Sancti Dominici de Villalonga*, Exemplar auctoritate *Theoderici Cervienfis, Ottonis Mindensis, & Antonii Sorani* Episcoporum comprobatum *Bononiæ anno Domini MCCLXXIII, Indictione Prima, die XI exeunte Julio* (extat in Bononiensi Cœnobio) & Exemplar, quod legitur *Libro B. fol.* 517 ex Autographo, quod tenet Conventus *Patavinus*. In *Constitutionibus* autem Ordinis Prædicatorum impressis anno MDVII idem Diploma *numero LIX* legitur *datum Viterbii XIII Kalendas Martii, Pontificatus Alexandri IV Anno Tertio*.

2. *Vicissitudine &c.*) Ut supra XX *Jul. MCCLVII*, his verbis exceptis. *Innocentio III*.

Anno 1258 Die 18 Februarii.

A Tributis quocunque nomine indicendis Fratres Ordinis Prædicatorum reddit (1) immunes.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXCIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus universis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

PAupertati vestrę, quam propter Deum voluntarie sustinetis, ac quieti vestrę, paterna in posterum sollicitudine, providere volentes, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut vos ad pręstationem procurationum (3), Legatorum (4) Sedis Apostolicę, vel Nunciorum ipsius, aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum, vel provisionum quarumcunque, minime teneamini, nec ad ea solvenda per literas dictę Sedis Legatorum, vel Nunciorum, aut executorum, seu Rectorum terrarum ejusdem, cujuscunque tenoris existant, vel cujuscunque auctoritate compelli aliquatenus valeatis. Nos enim decernimus irritas, & inanes, interdicti, suspensionis, & excommunicationis Sententias, si quas in vos, vel aliquem vestrum, aut loca vestra, vel quoscunque alios, occasione vestra, pręmissorum pretextu, per quemcunque de

cetero

cetero contigerit promulgari. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XII Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Reddit.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit.* X.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum fericis filis appenditur, Aliud tenent Conventus *Tolosanus*, & *S. Catharinæ Barchinonen.* Hujus Exemplar authenticum est in *Libro B. fol.* 532.
3. *Procurationum.*) Hic Procuratio idem est ac annualis census, uti videre est *Lib. III Decretal. Tit. XXXIX Capitib. XVI, XVII &c.*
4. *Legatorum.*) Legitur enim *Cap.* - Cum instantia - *mox laudato*: Quod *omnes Ecclesiæ, Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ Procurationes impendere tenentur, nisi forte per speciale privilegium Sedis Apostolicæ.... sint exempta.*

Prioribus ac Fratribus Ordinum S. Augustini (1), & S. Vuillelmi, ne Fratres nostros suis ascribant (2).

Anno 1258 Die 5 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CC.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Prioribus, & Fratribus Heremitis Sancti Augustini, ac Sancti Vuillelmi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VEstram, & vestrorum Ordinum condecet honestatem, ut ordinatę caritatis studio desudantes super his quę tamquam ingrata vobis, & inimica refugitis, neminem offendere presumatis. Hinc est, quod nos dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum supplicationibus inclinati universitati vestrę per Apostolica scripta in virtute obedientię districte pręcipiendo mandamus, quatinus si quos Fratres ipsius Ordinis absque suorum Priorum petita & obtenta licentia recepistis, eidem Ordini sine dilatione ac difficultate qualibet restituere studeatis. Nos autem ad pręcludendam viam similia in posterum presumendi, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne pretextu quarumcunque litterarum a Sede Apostolica generaliter, vel specialiter obtentarum, seu obtinendarum, quę de presentibus plenam & expressam non fecerint mentionem in posterum dicti Ordinis Fratres professos sine pręfata licentia in Ordinibus vestris aliquatenus admittatis, ac decernentes nihilominus irritum & inane quicquid per vos contra preceptum & inhibitionem nostram super hoc contigerit attemptari. Eadem auctoritate statuimus, ut presumentes scienter contra hujusmodi pręceptum, & inhibitionem propria temeritate venire, ipso facto sententiam Excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi, nisi conspectui Sedis Apostolicę personaliter se pręsentent, ab ea juxta ipsius providentiam absolvendi. Nulli ergo &c. Hanc paginam nostrę inhibitionis, & Constitutionis &c. Datum Viterbii III Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Inhibet ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Augustini.*) Quis ille sit celeberrimus Ordo *S. P. Augustini* neminem latet. In hoc autem Diplomate Ordo *Eremitarum S. Guillelmi* ab Ordine *Eremitarum S. P. Augustini* distinguitur, quia licet *Richardus Tit. S. Angeli* Diaconus Cardinalis universas Domos & Congregationes *Eremitarum* .... quarum quædam *S. Augustini*, quædam *S. Guillelmi*, nonnullæ autem *F. Johannis Boni*, aliquæ *de Fuball*, aliæ vero *de Britinis* censebantur, in unam Ordinis *Eremitarum S. Augustini* professionem & regularem observantiam *perpetuo*, de mandato S. Pontificis *Alexandri IV*, duxisset uniendas: Idque firmasset *Alexander*, statuens, *ut universi Priores & Fratres in professione Prædicti Ordinis Eremitarum S. Augustini taliter counitì, nigris duntaxat, & nullis aliis alterius coloris cucullis* aliquatenus uterentur (verba sunt Bullæ Pontificiæ, quam exscripsit *Bzovius* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLV num. VII) *postea tamen Eremitis S. Guillelmi, ne aliis sese aggregare inviti tenerentur* remiserat idem Pontifex, ut inquit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVI num. XLIV.* Citat *Epistol. CCCLXX Libri II Alexandri IV.*
2. *Ascribant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
3. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud tenet Conventus *S. Catharinæ Barchinonen.*, cujus Exemplar authenticum habes in *Libro B. fol.* 532.

Magistro, Prioribus, ac vices Priorum gerentibus Ordinis FF. Prædicatorum, ut sibi subditos Fratres ab excommunicatione &c. solvere (1) queant.

Anno 1258 Die 18 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, ac vices Priorum gerentibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIcet ad hoc Fratrum vestri Ordinis pia desudet intentio &c.(3). Ut singuli vestrum in Provinciis, Conventibus, & locis sibi commissis, prędictis Fratribus constitutis ibidem, absolutione ac dispensatione indigentibus, sive priusquam Ordinem intraverint, sive postea in Casibus excesserint &c.(4). Datum Viterbii XV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Solvere.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Adeas etiam *Usuardum pag.* 48.
3. *Intentio &c.*) Ut in *Diplomate dato VI Aprilis MCCXLIV*, ad hæc usque verba: *ut singuli vestrum.*
4. *Excesserint &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Ut

Anno 1258 Die 23 Martii.

Ut Priores nostri, ceterique Præpositi, non secus ac subditi solvi (1) possint ab excommunicatione, ceterisque censuris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, ac vices Priorum gerentibus, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ORdinis vestri generosa plantatio &c. (3). Datum Viterbii X Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Solvi*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem exscripsit *Ususmaris pag. 48.*
3. *Plantatio &c.*) Ut in *Diplomate dato XXI Januarii MCCLV.*

Anno 1258 Die 2 Aprilis.

Indulgentia (1) visitantibus Ecclesiam S. Mariæ ad Gradus Viterbien. in festo Sanctissimæ Annunciationis, & per Octavam.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

VIrę perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem Civium supernorum, a redemptis pretio Sanguinis fusi de pretioso Corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute. inter quę illud esse pręgrande dignoscitur, quod ubique, sed pręcipue in Sanctorum Ecclesiis Maiestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Viterbien., quę in honore B. V. Marię constructa esse dignoscitur, imploraturi delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles, quasi per pręmia salubriter ad merita invitemus, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad eandem Ecclesiam in die Annunciationis ipsius Virginis, & septem diebus immediate sequentibus, causa Devotionis accesserint, annuatim, unum annum, & quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii IV Nonas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Indulget ut supra.

1. *Indulgentia*.) Legendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Anno 1258 Die 10 Aprilis.

Indulgentia (1) concessa visitantibus Ædes sacras Fratrum Prædicator. Tolosan.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VIrę perennis &c. (3). Quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum... Prioris & Fratrum Ordinis Prędicatorum Tolosan., imploraturi &c. (4) in singulis festivitatibus B. Marię Virginis, Beatorum Johannis Baptistę, Dominici Confessoris, & Petri Martyris ejusdem Ordinis professoris, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis, accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii IV Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Indulgentia*.) Consule *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, ex Autographo asservato *Tolosæ*. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Perennis &c.*) Ut in *praecedenti Diplomate* ad hæc usque verba: *Peccaminum injungentes*.
4. *Imploraturi &c.*) Ut in eodem ad hæc usque; *Eandem Ecclesiam*.

Mona-

Monasterium S. Mariæ in Staynach (1) variis privilegiis donat.

Anno 1258 Die 12 Aprilis.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 266.

CCV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę Monasterii
S. Marię in Staynach, ejusque Sororibus, tam pręsentibus, quam futuris,
regularem vitam professis in pręfato Monasterio, Salutem, &
Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse pręsidium, ne forte cujuslibet temeritatis
incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, Religionis enervet. Eapropter, dile-
ctę in Christo filię, vestris justis petitionibus clementer annuimus, & Monasterium Sanctissimę Dei Geni-
tricis & Virginis Marię in Staynach, Curiensis Dięcesis, in quo divino estis officio mancipatę, sub B. Petri
& nostra protectione suscipimus, & pręsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuen-
tes, ut Ordo Canonicus (3), qui secundum Deum & B. Augustini Regulam, atque Institutiones Fratrum
Prędicatorum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiter obser-
vetur. Preterea quascunque possessiones, quęcunque bona idem Monasterium impręsentiarum juste ac ca-
nonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione
fidelium, seu aliis justis modis, pręstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, & eis, quę vobis succes-
serint, & illibata permaneant; in quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo
pręfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Capellam S. Virgilii cum omnibus per-
tinentiis suis, quam habetis in Villa, quę vulgariter nuncupatur Morher. Annuum redditum undecim
Marcarum Veronensium, quem habetis in Villa Mulpac communiter appellata. Annuum redditum unius
Marcę Veronen. in Villa, quę vulgo nominatur Lauts, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis
(4), pascuis, in bosco, & plano, in Aquis, & Molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus,
& immunitatibus suis. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas, a seculo fugientes, ad conver-
sionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum ve-
strarum post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit de eodem loco discedere, discedentem ve-
ro nullus audeat retinere. Pro consecrationibus vero Altarium, vel Ecclesię vestrę, sive pro Oleo Sancto,
vel quolibet ecclesiastico Sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo audeat
quicquam extorquere, sed hęc omnia gratis vobis Episcopus Dięcesanus impendat, alioquin liceat vobis
hęc, nostra auctoritate, recipere a quocunque malueritis Catholico Antistite, gratiam, & communionem
Sedis Apostolicę obtinente. Quod si Sedes Dięcesani Episcopi vacaverit, interim omnia ecclesiastica Sa-
cramenta a vicinis Episcopis accipere libere, & absque contradictione possitis; sic tamen ut ex hoc proprio
Episcopo nullum pręjudicium generetur. Quia vero interdum Dięcesani Episcopi copiam non habetis,
si quem Episcopum Romanę Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam
notitiam habetis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones (5) Monialium, vasorum, & vestium, &
consecrationes Altarium recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terrę fuerit, liceat vobis,
clausis januis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce Divina Officia
celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priorissa,
vel earum aliqua, quę tibi successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia pręponatur,
nisi quam seniores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris, secundum Deum, & B. Au-
gustini Regulam providerint eligendam. Paci quoque & tranquillitati vestrę paterna in posterum sollicitudi-
ne providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum nullus
rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere,
seu violentias audeat exercere: decet (6) nimirum ergo, ut nulli omnino hominum liceat pręfatum Mo-
nasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibusli-
bet vexationibus fatigare, sed omnia integre conservare, earum, pro quarum gubernatione ac sustenta-
tione concessa sunt, usibus commodis (7) profutura: salva Sedis Apostolicę auctoritate. Si qua igitur in
futurum Ecclesiastica, Secularisve persona hanc nostrę Constitutionis paginam sciens, contra eam temere
venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, po-
testatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate co-
gnoscat, & a sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena
fiat, atque in extremo examine districtę subjaceat ultioni. Cunctis autem, eidem loco sua jura servanti-
bus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud distri-
ctum Judicem pręmia ęternę pacis inveniant. Amen. Amen.

Suo, & S. Sedis præsidio Monasterium tutatur.

Possessiones confirmat.

Moniales Monasterio ascribendæ.

Ne discedant, inhibet.

A quibus Sacramenta suscipienda.

Quomodo Priorissa sit eligenda.

Ne quis molestiis eas afficiat.

Sanctio pœnalis.

Fausta precatur servantibus jura Monasterii.

S. Pontificis subscriptio.

Cardinalium subscriptiones.

Ego Alexander Catholicę Ecclesię Episcopus.
Ego Odo Tusculanus Episcopus.
Ego Stephanus (8) Prenestinus Episcopus.
Ego Fr. .... (9) Titulo S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.
Ego Fr. Hugo Ecclesię S. Sabinę Presbyter Cardinalis.
Ego Ricardus S. An. Diaconus Cardinalis.
Ego Ottomanus (10) S. Marię in Via-lata, Diaconus Cardinalis.
Ego Petrus S. Gregorii ad velum aureum Diac. Cardinalis.
Ego Johannes S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.
Ego Ottobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis.

Datum Viterbii per manum Magistri Jordani, S. Rom. Ecclesię Notarii & Vicecancellarii, II Idus Aprilis, Indictione Prima, Incarnationis Dominicę Anno MCCLVIII, Pontificatus vero Domini Alexandri PP. IV Anno Quarto.

1. *Staynach.*) Inter Monasteria Provinciæ *Hungariæ* istud recenset *Echard Tomo II Scriptor. Ord. Prædicat. in Indice Cœnobiorum pag.* 5.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo in *Staynacensi* Monasterio asservato. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Canonicus.*) Quæ hic notata velles legesis supra *ad XXX Martii MCCXVIII.*

4. *Usuagiis.*) Idem est ac *Usuarium*, seu Ususfructus, vel potius jus utendi, ut in *I Decretal. Tit. XLIII Cap. IV... Cum ... super usuario cujusdam nemoris quæstio verteretur.*

5. *Benedictiones.*) De quibus disseretur in *Tractatu de Censensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*

6. *Decet.*) Turbatum locum crediderim.

7. *Commodis.*) Forsan: *Omnimodis.*

8. *Stephanus.*) De Cardinalibus istis consulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II.*

9. *Fra...*) Is erat *Frater Johannes de Toleto* Ordinis *Cisterciensis* alumnus, de quo *Ciaconius mox laudatus*, *ad annum MCCXLIII pag.* 118.

10. *Ottomanus.*) Sic Amanuensis: lege: *Octavianus*, de quo *Ciaconius* citatus, *pag.* 123.

Anno 1258 Die 13 Aprilis.

Definitoribus Provinciæ Lombardiæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut nonnullos ex Fratribus ejusdem Provinciæ auctoritate Apostolica quolibet triennio Visitatores quorundam Monasteriorum Ordinis S. Augustini constituant.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 882.

CCVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Diffinitoribus Capituli Provincialis Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

INter alias sollicitudinis nostrę curas illa potior est, & major, ut de salute subditorum, & Religiosarum precipue personarum, studio vigili meditantes, tanto de ipsorum pace, & quiete solicitius, & perspicacius cogitemus, quanto ad id universalis cura regiminis, & suscepte servitutis officium specialius nos astringit. Cum igitur, sicut accepimus, de Marola, & de Campagnola Monasteriorum personas Ordinis S. Augustini, Regin. Dięcesis, sic in unum divina traxerit caritas, & coniunxerit amor fraternus, quod de duabus domibus facti sunt spiritu, & habitu Corpus unum: Nos cupientes ipsorum Monasteriorum, & Personarum statum semper in prospera dirigi, ac felicibus jucundari successibus, & proficere spiritualibus, & temporalibus incrementis, quędam nuper edidimus Statuta, provida, & honesta, in eisdem Monasteriis futuris temporibus conservanda. Et quia datur nobis firma fiducia, & spes certa promittitur, quod, vestrę pręstante caritatis auxilio, & studio puritatis, possit facile id, quod de Monasteriorum ipsorum, & personarum salute, prosperitate, ac quiete queritur, provenire, discretioni vestrę, districte precipiendo mandamus, quatenus deinceps quolibet triennio (1) in vestro Provinciali Capitulo eligatis, & statuatis auctoritate Apostolica tres Visitatores Ordinis vestri Fratres vestrę Provincię viros providos, & discretos, qui de Marola cum Monasterio Columbarii, Mutinen. Dięcesis, & de Campagnola Monasteria supradicta de tertio in annum tertium visitantes, corrigant, & reforment ibidem auctoritate predicta tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noverint indigere, facientes inter alia, quę inibi duxerint ordinanda, Statuta predicta inviolabiliter observari. Contradictores &c. Non obstantibus aliquibus Apostolicę Sedis literis, vel indulgentiis cujuscunque tenoris fuerint, per quas hujusmodi correctio, vel visitatio impediri valeat, vel differri, & de quibus, & quarum toto tenore oporteat in nostris literis fieri mentionem. Nullum autem volumus vobis, aut Ordini, vel Provinciali Capitulo vestro occasione visitationis hujusmodi, visitandi alias, corrigendi, vel emendandi, aut aliquod aliud in prędictis Monasteriis jus acquiri, sed tantum valeat, & duret hujusmodi Visitationis officium, quantum Summo Pontifici placuerit, & non ultra. Datum Viterbii Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandat ut supra.

Clausula Derogatoria.

1. *Quolibet triennio.*) Nota morem, Capitula Provincialia de triennio ad triennium tunc congregandi.

Anno 1258 Die 13 Aprilis.

Priori Fratrum Prædicatorum Parisiensium, ut in Regno Franciæ Fidei Censores (1) sint numero sex, ipsosque constituere, & officio missos facere possit.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 882.

CCVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MEminimus, olim tibi, de cujus providentia, & discretione plenam in Domino fiduciam obtinemus, negotium fidei contra hęreticos, eorumque fautores, & receptatores, ac defensores in Regno Francię per nostras sub certa forma commisisse literas per te, ac duos alios Fratres tui Ordinis exequendum. Verum quia ad hujusmodi negotii executionem in Regno ipso, cum sit valde diffusum, tu, dictique duo Fratres sufficere non valeatis, nos, volentes, ut prędictum negotium plenum, auctore Domino, sortiatur effectum, discretioni tuę, assumendi adhuc pro ipso negotio quatuor alios Fratres ejusdem Ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, & quos eandem auctoritatem circa dictum negotium habere volumus, quam dicti duo Fratres ab Apostolica Sede habere noscuntur. Amovendi quoque Fratres ipsos, & substituendi alios loco eorum, quoties, & quando tibi videbitur expedire, plenam, & liberam concedimus, auctoritate prępentium, facultatem. Datum Viterbii Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Decernit ut supra.

1. *Censores.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

Re-

Rectoribus Ecclesiarum Calatajuben. (1), ut Fratres Prædicatores habeant commendatos.

Anno 1258 Die 19 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus Ecclesiarum Calatajuben. Tyrasonen. Diocesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN generalem Christi fidelium notitiam jam devenit, quod dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum pro innocentia suę vitę, ac Religionis sacrę meritis occurrunt gratissimi Divinę oculo Majestatis, maxime cum ipsi studeant sub extrema paupertate vivere, & virtutum cultui desudare, ipsorumque ferventer ad hoc aspiret affectio, ut per eorum ministerium salus proveniat animarum. Sed vos, prout mirantes accepimus, banc de dilectis filiis Fratribus ipsius Ordinis Calatajuben. considerationem habere ac prędicta merita eorum advertere dedignantes, ipsos, si proponant aliquando populo Verbum Dei, & audire despicitis, & alios ab ipsorum auditu multis modis avertere dampnabiliter laboratis, in vestrarum & aliarum animarum periculum, ac multorum scandalum, & jam dicti Ordinis detrimentum. Cum itaque temeritas hujusmodi divinę penitus sit opposita voluntati, & in gravem nostri cordis redundet offensam, universitatem vestram, si tamen digna nostris in hac parte precibus habeatur, rogandam attentius duximus, & monendam, per Apostolica vobis scripta districte pręcipiendo, mandantes, quatinus circa dictos Fratres pro Conditoris omnium, & Apostolicę Sedis, ac nostra reverentia affectum benivolum dirigentes, eos super iis, quę sunt ad Dei gloriam, & honorem, per vos seu quoscunque alios impedire de cetero nullatenus pręsumatis; sed eis potius ad hoc pręstetis auxilium & favorem, ita quod exinde vobis gratię divinę premium. & a Nobis opportuni favoris proveniat incrementum. Datum Viterbii XIII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Exordium ab encomio FF. Prædicatorum.

Rectores increpat.

Mandat ut supra.

1. *Calatajuben.*) In *Aragonia*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Episcopo Perusino, ut quæ damno Fratrum Prædicatorum & Minorum sancivit, Statuta rescindat (1).

Anno 1258 Die 6 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Perusino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VEhementer mirari cogimur, & moveri, quod tu de novo auctoritate propria, inter quędam alia temere statuisti, ut nullus de Civitate, ac Diocesi Perusina Penitentiam recipiat ab alio quam a Sacerdote proprio, nisi de ipsius speciali licentia & mandato; quod si aliquis secus fecerit, denegentur ei Sacramenta Ecclesiastica, & etiam sepultura. Quilibet vero Parochialis Presbyter dispositiones ultimarum voluntatum parochianorum suorum, & eorum legata in subsidium pauperum ac alios pios usus relicta diligenter inquirat, & scire procuret; & si testator, vel sui consanguinei hęc noliut pandere proprio Sacerdoti, nec ipse, nec etiam aliqui alii Clerici Sepulturę illius, si decesserit, debeant interesse. Cum autem Statuta hujusmodi ex causis legitimis reputemus iniqua & contraria canonicis institutis, ac redundantia in periculum animarum, & specialiter contra dilectos filios Fratres Prędicatorum & Minorum Ordinum edita videantur, quos deberes sincera prosequi in Domino caritate, Fraternitati tuę per Apostolica scripta, in virtute obedientię firmiter pręcipiendo, mandamus, quatinus statuta ipsa infra octo dies a receptione prȩsentium, vocatis & pręsentibus omnibus Religiosis, & Secularibus Clericis ejusdem Civitatis, publice, & sine fictione aliqua studeas revocare. Non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis, dictorum statutorum confirmationem continentibus, seu quibuscunque aliis sub quacunque forma, vel expressione verborum ab Apostolica Sede obtentis, per quas mandati nostri effectus in hac parte impediri valeat, vel differri, & de quibus oporteret in nostris literis plenam & expressam fieri mentionem: Alioquin venerabili Fratri nostro Episcopo Asisinat. per literas (3) nostras injungimus, ut ipse ad prȩfatam Civitatem accedens ex tunc Statuta ipsa juxta formam tibi traditam, auctoritate nostra, non differat revocare. Contradictores eadem auctoritate, appellatione postposita, compescendo. Datum Viterbii II Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Statuta edita ab Episcopo Perusino.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Rescindat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulis VII, IX, & X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum, cujus plumbum filis cannabinis erat appensum.

3. *Literas.*) Desiderantur.

Anno 1258 Die 13 Maii.

Magistro & Fratribus, ut Apostatas (1) debita pœna mulctent.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

DEvotionis vestrę precibus benignum impertientes assensum, excommunicandi, capiendi, ligandi, incarcerandi, & alias subdendi disciplinę rigori Apostatas vestri Ordinis, per vos, ac etiam allos, si necesse fuerit, in quocunque habitu eos contigerit inveniri, plenam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis. Nulli ergo &c. Datum Viterbii III Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Apostatas.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo XI.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1258 Die 13 Maii.

Priori, & Fratribus Patavinis, ut ex pecuniis restituendis, & ex legatis ducentas Marcas, seu Besses argenti possint accipere.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CCXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatorum Paduę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NEcessitatibus vestris &c. (2). Ducentarum Marcarum &c. Datum Viterbii III Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Cœnobio *Patavino*. Aliud ejusdem tenoris Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum *Cremonen.* Alexander IV dedit *Viterbii III Idus Maii Pontificatus anno IV.* Istius Autographum asservatur *Cremonæ*. Plumbum sericis filis appenditur.

2. *Vestris &c.*) Ut in *Diplomate dato XXII Junii MCCLVII.*

Anno 1258 Die 13 Maii.

Ædes Sacras FF. Prædicatorum Perusin. visitantibus quolibet die festo & per Octavas B. Mariæ Virginis, S. Dominici, & S. Petri Martyris Indulgentiam (1) elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso Corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute, inter quę illud esse pręgrande demonstratur, quod ubique, sed precipue in Sanctorum Ecclesiis Majestas Altissimi collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Perusin., quę in honorem Beati Dominici Confessoris constructa esse demonstratur, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per pręmia salubriter ad merita incedant, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad Ecclesiam prędictam in singulis festivitatibus gloriosę Marię Virginis, & ipsius Beati Dominici Confessoris, ac Sancti Petri Martyris, ejusdem Ordinis professoris, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint, annuatim, Centum dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii III Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Concedit ut supra.

1. *Indulgentiam.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Perusii* asservato.

Anno 1258 Die 12 Junii.

Electo Ravennatensi (1), Apostolicæ Sedis Legato, ut quæ Mantuani sanxerunt, irrita faciat, & ab Innocentio IV edita Statuta servanda curet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Electo Ravennatensi, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IMplacida relatio nuper nostrum turbavit auditum &c. (3). Quocirca discretioni tuę in virtute obedientię, per apostolica scripta pręcipiendo, mandamus, quatinus hujusmodi statuta, quę a Mantuanis &c. (4) ad id, & etiam ut inviolabiliter observent statuta, quę felicis recordationis Innocentius Papa

pię-

prędecessor noster contra hęreticos edidit, quęque receperunt prędicti Potestas, Anciani (5), Consilium, & Commune, appellatione postposita, compellendo. Datum Viterbii II Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Ravennatensi.*) Legesis *notata ad XVIII Decembris MCCLVII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Auditum &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc usque verba: *Quocirca fraternitati.*
4. *Mantuanis &c.*) Ut in eodem ad hæc usque verba: *Sententias ad id.*
5. *Anciani.*) Vide *notam IV in Bullam* mox citatam.

Sorores Madritenses privilegiis (1) Fratrum Prædicatorum donat;

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. folio* 313.

Anno 1258 Die 13 Junii.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę & Conventui Monialium inclusarum Monasterii de Mayorico (3), Ordinis S. Augustini, Toletanę Diœcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXIV.

Devotionis augmentum vobis provenire confidimus, si super his, quę digne deposcitis, Nos benignos ad gratiam habeatis. Cum itaque vos, prout accepimus, secundum Instituta dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, sub eorum cura, & etiam sub clausura vivatis, Nos vestris supplicationibus annuentes, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut privilegiis, & indulgentiis eidem Ordini Prędicatorum ab Apostolica Sede concessis, vobis competentibus, quandiu (4) juxta Instituta ipsorum, & sub eorum cura vivatis, uti, & gaudere libere valeatis. Nulli ergo &c. Datum Viterbii Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Concedit ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Monasterio *S. Dominici Madriten.*
3. *Mayorico.*) Vide *notam ad Diploma datum XX Martii MCCXX.*
4. *Quandiu.*) Nota verba, & legesis *Tractatum de Consensu Bullar. Tit. mox laudato.*

Ædes Sacras Monasterii S. Dominici Madriten. visitantibus, quolibet die festo, & per Octavas B. Mariæ Virginis, S. Dominici, & S. Petri Martyris, Indulgentiam (1) elargitur.

Anno 1258 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, pręsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXV.

Vitę perennis &c. (3). Ecclesiam dilectarum in Christo filiarum Priorissę, & Sororum de Mayorico (4), Toletanę Diœcesis &c. (5). Datum Viterbii Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Indulgentiam.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Monasterio *S. Dominici Madriten.*
3. *Perennis &c.*) Ut in *Diplomate dato XIII Maii MCCLVIII.*
4. *Mayorico.*) Vide *notata XX Martii MCCXX.*
5. *Diœcesis &c.*) Ut supra *XIII Maii MCCLVIII.*

Ut ab ipsa electione, pro jure suo, Magister Ordinis Ordinem administret (1).

Anno 1258 Die 20 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXVI.

Inter alia quibus ex injuncto &c. (3). Cum igitur, sicut nobis exponere curavistis, tu fili Magister, & prędecessores &c. (4) ac Ordinem ipsum a Sede approbatum eadem, honestate floridum, prȩclarum scientia, & virtute fęcundum &c. (5) auctoritate prȩsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Administret.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Injuncto &c.*) Ut in *Diplomate dato XVII Januar. MCCXLIV* ad hæc usque verba: *Cum igitur sicut nobis.*
4. *Prædecessores &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Ac Ordinem ipsum.*
5. *Fœcundum &c.*) Ut ibidem ad hæc usque: *Libero facultate.*

Anno 1258 Die 26 Junii.

Sodalibus Consociationis (1) B. Mariæ Virginis, constitutæ in Cœnobio FF. Prædicatorum Patavin. Indulgentiam impertitur.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. folio* 517.

CCXVII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus, Confratribus, & Consororibus universis Fraternitatis B. Marię Paduan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. SPlendor paternę glorię, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, & abscondita producit in lucem, pia vota fidelium de clementissima ipsius majestate sperantium tunc pręcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Cum autem, sicut ex dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Pręedicatorum Paduan. insinuatione percepimus, Fraternitas vestra in honorem gloriosę Marię Virginis ..(3) de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui se in eadem fraternitate collegas, & confratres hactenus statuerunt, vel statuerint in futurum, ac etiam semel singulis (4) mensibus secundum servida, salubria, ac provida statuta vestra, in Ecclesia pręedictorum Fratrum ad Missarum solemnia; & Dei Verbum in Commemoratione ipsius B. Virginis audienda convenerint reverenter, centum dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii VI Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Concedit ut supra.

1. *Consociationis.*) De qua in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Cœnobio *Patavino*.
3. *Virginis* ...) Ex Diplomate ejusdem tenoris *date XXIII Januar. MCCLIX* sic legendum: *Virginis sit laudabiliter instituta.*
4. *Singulis.*) Notet lector antiquum morem, & discat etiam Seculo XIII Institutis *Societatis Sanctissimi Rosarii* cautum esse, *ut Confratres semel singulis mensibus*, prima scilicet Dominica cujuslibet Mensis, *in Ecclesia Fratrum Prædicatorum ad Missarum solennia, & Dei verbum in Commemoratione B. Mariæ Virginis audiendæ convenerint.*

Anno 1258 Die 27 Junii.

F. Alberto (1) Lectori Colonien., ut Hermannum de Bachein in possessionem quorundam Beneficiorum mittat.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. A. fol.* 884.

CCXVIII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alberto Lectori Fratrum Pręedicatorum Colonien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra. SIgnificante nobis venerabili Fratre nostro Archiepiscopo Colonien. accepimus, quod dilectus filius Lambertus de Vvintere, Canonicus Ecclesię Burien., Colonien. Dięcesis, Canoniam, & Prębendam, quas in Ecclesia ipsa obtinere se asserit, intendit libere resignare. Cum itaque dilectus filius Hermannus Clericus natus Danielis de Bachein. militis (3), familiaris pręedicti Archiepiscopi commendatus de honestis moribus, nullum, sicut asseritur, Ecclesiasticum Beneficium sit adeptus; Nos eundem Clericum, obtentu ipsius Archiepiscopi gratiosa benevolentia prosequentes, mandamus, quatenus a pręfato Lamberto, cum ab eo requisitus fueris, libera ipsarum Canonię, ac Prębendę resignatione recepta, eas ipsi Hermanno, si est idoneus, & velit in eadem Ecclesia residere personaliter, & ad Ordines, quos dictę Prębendę onus exiget, promoveri, per te vel per alium, auctoritate nostra, conferens, & assignans, facias eum recipi in pręfata Ecclesia in Canonicum, & in fratrem, & dictarum Canonię, & Prębendę pacifica possessione gaudere. Non obstante si auctoritate literarum Sedis Apostolicę, aut Legatorum ejus, vel motu proprio Capituli ejusdem Ecclesię in ea sub expectatione vacaturarum prębendarum aliqui sunt recepti, quibus quoad assecutionem aliarum, nullum post hoc volumus pręjudicium generari, sive aliqua indulgentia dictę Sedis, per quam effectus hujusmodi gratię impediri valeat, vel differri, & de qua in literis nostris plenam, & expressam oporteat fieri mentionem. Contradictores &c. Datum Viterbii V Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Clausulà derogatoria.

1. *Alberto.*) Beato scilicet *Alberto*, qui *Magnus*, etiam dum viveret, nuncupatus est. Clarissimum totius Ecclesiæ & Ordinis lumen fuit: *Nec sane mirum*, inquit *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLIX* num. XVI, *cum is ab ipsa Virgine Maria, quam cultu præcipuo prosequebatur, ac in qua requiescunt omnes scientiarum, & gratiarum thesauri, dum, ebetioris ingenii in adolescentia existens, philosophiam assequi desperaret, dono Scientiæ præditus feratur.* Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicator. ad annum MCCLXII pag.* 162.
2. *Archivo.*) Ejusdem meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. VIII.* Laudat *Epistolam DCXCII.*
3. *Militis.*) Id est *Nobilis.*

Ut

Anno 1258 Die 29 Junii.

Ut FF. nostri, quibus licet, intra trimestre ad alium Ordinem transeant (1), alioqui pœnas luant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN gravem cordi nostro redundat offensam, si quod a nobis salutis causa conceditur, in perniciem convertatur, non sine illorum scandalo, quorum mens ad hoc ferventer invigilat, ut & sibi per innocentis vitę meritum, & aliis proficiat per exemplum. Cum itaque sępe contingat, quod aliqui ex Fratribus de Ordine vestro, prout accepimus, ad hoc a Sede Apostolica, seu a vobis, licentiam obtineant ad Religionem aliam transeundi, ut, proprii motum sequentes arbitrii, possint per seculum nequiter evagari, dignum esse providimus, ut super hoc salubre remedium apponamus. Hinc est, quod nisi dicti Fratres, infra duos, vel tres menses, post obtentam licentiam supra dictam, ad aliam Religionem, suę saluti congruam, studuerint se transferre, ac de ipsorum diligentia & studio supra ingressum hujusmodi Religionis constiterit evidenter, & ipsius habitum susceperint regularem, vobis, ut ex tunc, prout vestri Ordinis honestati expedire videritis, contra ipsos, tanquam contra alios vestri Ordinis Apostatas, procedere valeatis, liberam auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis, infra tempus probationis, nulla professione facta, inde pręsumpserint resilire. Nulli ergo &c. Datum Viterbii III Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Decernit ut supra.

Eandem legem sancit in Novitios.

1. *Transeant.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1258 Die 10 Julii.

Ne reverentia (1) erga Diœcesanos Episcopos adhibenda damno sit Fratribus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRovida & salubria vestri Ordinis Instituta ita favoris Apostolici debent muniri pręsidio, ut nulli possint subesse calumnię, vel aliquod dispendium sustinere. Hinc est, quod Nos, devotionis vestrę precibus inclinati, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut pro eo quod Episcopis Diocesanis vestris debitam ac devotam obedientiam, & reverentiam impenditis, nullum circa Instituta pręmissa, & pręcipue super institutione, ac destitutione Priorum ejusdem Ordinis, pręjudicium incurratis. Nulli ergo &c. Datum Viterbii VI Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Cavet ut supra.

1. *Reverentia.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarii Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1258 Die 3 Augusti.

Monasterium S. Jacobi de Ripolis (1) in Ordinem Fratrum Prædicatorum cooptatum declarat, & ipsum privilegiis (2) ejusdem Ordinis donat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 901.

CCXXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii S. Jacobi de Ripolis, Florentinę Diœcesis, Ordinis S. Augustini, Instituta Fratrum Prędicatorum servantibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis benignitas &c. (3) duxeritis observandas, felicis recordationis Innocentius Papa prędecessor noster, vos, & Monasterium vestrum dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali ejusdem Ordinis in Tuscia, sua auctoritate, commisit, eadem auctoritate nihilominus statuens, ut sub Magisterio & doctrina prędictorum Magistri & Prioris, qui pro tempore forent, de cetero maneretis, illis gaudentes privilegiis, quę Ordini prędictorum Fratrum a Sede Apostolica sunt concessa, vel in posterum concedentur; Ipsique Magister, & Prior, contraria consuetudine ipsorum Ordinis, vel indulgentia a Sede prędicta obtenta, seu etiam obtinenda nequaquam obstantibus, animarum vestrarum sollicitudinem gerentes &c.(4) Verum licet idem prędecessor dictos Magistrum & Priorem a commissione facta ipsis per eum de vobis duxerit absolvendos, postmodum tamen dilectus F... noster Hugo (5) tituli S. Sabinę Presbyter Cardinalis prędecessoris ejusdem, ad precum multorum instantiam, de suorum Fratrum & Majorum sępe dicti Ordinis Prędicatorum consilio, vos Magistro & Priori antedictis secundum pręmissam formam iterato commisit. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Cardinali super hoc factum est, ratum, & firmum habentes, ac secundum commissionem, & statutum ipsius Prędecessoris, vos, & idem Monasterium de novo unientes Ordini Prędicatorum eidem, id auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus; nihilominus vobis de speciali gratia

Decernit ut supra.

con-

concedimus, ut omnibus libertatibus, & immunitatibus, quibus idem Ordo Prędicatorum munitus existit, ad plenum vos, & vestrum Monasterium gaudeatis. Nulli ergo &c. nostrę unionis, confirmationis, & concessionis &c. Datum Viterbii III Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Ripolis.*) *Florentiæ in Tuscia.*
2. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Benignitas &c.*) Ut in *Diplomate dato IV Julii MCCXLV* ad hæc usque verba: *Duxeritis observandas.*
4. *Gerentes &c.*) In Diplomate mox laudato.
5. *Hugo.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*

Anno 1258 Die 3 Augusti.

Magistro & Provinciali Provinciæ Tusciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut Monasterii S. Jacobi de Ripolis curam suscipiant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 903.

CCXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Tuscię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APostolicę Sedis &c. (1). Sane fuit ex parte dilectarum in Christo filiarum Priorissę & Conventus Monasterii S. Jacobi de Ripolis, Florentinę Diœcesis, Ordinis S. Augustini, Instituta Fratrum Prędicatorum servantium, propositum coram nobis, quod cum eędem inclusę corpore in castris claustralibus, mente tamen libera, devote Domino famulantes, de Institutionibus Fratrum vestri Ordinis, illas quę sibi competunt &c. (2), ipsas, & earum Monasterium vobis auctoritate sua commisit &c. (3). Doctrina Magistri, & Prioris Provincialis Ordinis vestri in Tuscia, qui pro tempore forent, de cetero permanerent, illis gaudentes privilegiis, quę Ordini vestro ab Apostolica Sede concessa sunt, vel in posterum concedentur. Ipsique Magister & Prior &c. (4). Electio tamen Priorissę libere pertineat ad Conventum &c. (5) ad plenum gaudeant omnibus libertatibus, & immunitatibus, quibus idem Ordo Prędicatorum munitus existit; Ideoque discretioni vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus pręmissa omnia juxta Commissionem, & statutum hujusmodi, ad ministerium vestrum spectantia, curetis diligenter, & solicite, sublato cujuslibet difficultatis dispendio, adimplere. Datum Viterbii III Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandat ut supra.

1. *Sedis &c.*) Ut in praecedenti ad hæc usque verba: *suffragio dignoscuntur.*
2. *Competunt &c.*) In eodem ad hæc usque: *Prædecessor noster.*
3. *Commisit &c.* Ibidem ad hæc usque: *Doctrina Magistri.*
4. *Prior &c.*) Ibidem usque ad: *Firmitate alia roboratis.*
5. *Conventum &c.*) Ibidem ad hæc usque: *Ad plenum.*

Anno 1258 Die 21 Septembris.

Magistro, & Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut per ipsos inemendabilibus liceat ad alios Ordines, Militaribus exceptis, transire (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEcens & dignum esse perspicimus, ut pacem & tranquillitatem vestram paterna diligentia procuremus; Hinc est, quod nos vobis pręsentium auctoritate concedimus, ut de vestro ejectis Ordine, vel egressis, qui receptione in eodem Ordine, suis exigentibus culpis, reddiderint se indignos, licentiam dare possitis, quod ipsi, ne materiam habeant evagandi, ad quoscunque alios Ordines approbatos, pręterquam ad Beati Augustini Templariorum, Hospitaliorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, cum vestris testimonialibus literis valeant se transferre. Ceterum districtius inhibemus, ne tales aliter ad alium Ordinem transire, vel ipsos aliqui recipere, seu retinere pręsumant, absque Sedis Apostolicę licentia speciali, faciente de pręsentibus mentionem. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Viterbii XI Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Concedit ut supra.

1. *Transire.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1258 Die 17 Novembris.

Leges in hæreticos latæ (1).

Ex Pegna ad Calcem Director. Inquisitor. pag. 34.

CCXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, Consiliis, & communitatibus Civitatum, aliorumque locorum Italię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm adversus hęreticam pravitatem quondam Fredericus, olim Imperator, promulgaverit quasdam Leges, per quas, ne pervagetur, compesci poterit, pestis illa, nos illas, quas felicis recordationis Innocentius Papa prędecessor noster observari mandavit, prout in ipsius Literis contineri perspeximus, volentes ad robur Fidei, ac salutem fidelium observari, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus insertos pręsentibus, faciatis singulis in vestris Capi-

Capitularibus annotari, contra hereticos sectę cujuslibet secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Fratribus Inquisitoribus hereticę pravitatis Ordinis Prędicatorum, vel Minorum, ac eorum singulis litteris nostris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant &c. (2). Datum Anagnię XV Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Lata.*) Legesis *Dissertationem I Tomo ultimo*.

2. *Compellant &c.*) Ut in *Diplomate dato XXXI Octobr. MCCXLIII.*

Inquisitoribus (1) Tolosanis, ne quis eos, ipsorumque Notarios excommunicatione devincire queat.

Anno 1258 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus Inquisitoribus hereticę pravitatis in partibus Tolosanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXV.

NE fidei negotium, contra damnatam heresim prudentię vestrę commissum, impediri, quod absit, propter aliquam, vel retardari contingat, vobis auctoritate presentium, indulgemus, ut nullus Apostolicę Sedis delegatus, vel subdelegatus ab eo, conservator, aut etiam executor a S. Sede deputatus, seu deputandus, in vos, & in quatuor Notarios, sive scriptores vestros, super his vobis fideliter obsequentes, quandiu in prosecutione hujusmodi negotii vos, & ipsi fueritis, possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, absque speciali mandato predictę Sedis, faciente plenam, & expressam mentionem de hac indulgentia. Decernentes irritum, & inane, si secus a quocunque fuerit attentatum &c. Datum Viterbii Nonis Decembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Inquisitoribus.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*. *Tolosa.* Adeas *Percinum Monument, Conventus Tolosani Parte III pag.97.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato

Ne quis Fratres nostros, Sedis Apostolicæ Legato, vel Episcopo proprio approbante, de rebus divinis ad populum dicentes, vel confessiones (1) excipientes, molestiis afficiat.

Anno 1259 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXVI.

CUm olim quidam temere sentientes, & ad sobrietatem sapere nescientes, impudenter assererent, quod de licentia, vel commissione Diocesanorum Episcoporum libere non poteratis Prędicationis exercere officium, & Confessiones audire sine Sacerdotum Parochialium licentia & assensu; Nos ad tollendam & confutandam assertionem hujusmodi, & dilucidandum in talibus veritatem, dudum in quibusdam litteris nostris determinando expressimus, quod vos de licentia, vel commissione, aut concessione Legatorum Sedis Apostolicę, vel Ordinariorum locorum, libere possitis prędicare populis, audire Confessiones, & absolvere confitentes, ac Pęnitentias injungere salutares, aliorum inferiorum Prelatorum & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu minime requisito. Volentes igitur, hujusmodi nostram determinationem irrefragabiliter observari, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne quisquam super his, vel eorum aliquo, vos, vel aliquem vestrum, aut etiam confitentes vobis, contra premissę determinationis formam aliquatenus molestare presumat; decernentes nichilominus irritum & inane quicquid a quoquam contra inhibitionem hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo &c. Datum Anagnię XV Kalend. Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Hac de re fancita confirmat.

Inhibet ut supra.

Decretum irritans faciens.

Sanctio poenalis.

1. *Confessiones.*) Dicam in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Exemplar ejusdem tenoris Anno Domini MCCLXXIII *Bononia* comprobatum fuit a *Theoderico Cervien-si*, *Ottone Mindensi*, & *Antonio Sorano* Episcopis. Extat in Cœnobio *Bononiensi*, ut videre est *folio* 11 *Bullarii* ejusdem Conventus in Archivo Ordinis asservati. Idem Diploma legitur apud *Castellanum pag.* 23.

Decano Colimbrien. (1), ut quæ damno Fratrum Prædicatorum sanxerunt nonnulli, irrita (2) faciat.

Anno 1259 Die 20 Januarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Ecclesię Colimbrien. Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXVII.

PErtulerunt ad audientiam nostram dilecti filii Prior, & Fratres Prędicatorum Ordinis, Sancteranen., Ulixbonen. Diocesis, quod licet ipsi ex concessione Sedis Apostolicę liberam habeant sepulturam, quędam tamen Capitula, necnon & Clerici alii Ecclesiarum Diocesis ejusdem, ad dictos Priorem, & Fra-

Statuta a Capitulis & Clericis nonnullis damno nostro edita.

Fratres debitam propter Deum reverentiam non habentes, sed affligentes eos gravibus molestiis, & pressuris, motu proprio, vel potius temerario, statuerunt, seu ordinaverunt, ut omnibus de jurisdictione, & Parochila eorum, apud Ecclesiam dictorum Fratrum eligentibus Sepulturam, a propriis Sacerdotibus Sacramenta Ecclesiastica denegentur, ad funus quoque illorum nulla campana pulsetur, nullusque Clericus corpus Sepulturam taliter eligentis, cum decesserit, ad Ecclesiam ipsorum Prioris & Fratrum audeat comitari, cum tamen ipsi funera comitentur illorum, qui apud alias Ecclesias eligunt sepeliri. Nec his contenti, ordinationes alias, & statuta prędictis similia, & etiam graviora edidisse noscuntur, per quę devotio Fidelium ad dictos Priorem, & Fratres habita minuitur, & ipsis Priori, & Fratribus scandalum non modicum generatur. Cum autem pro parte dictorum Prioris & Fratrum ad nostram providentiam super hoc habitus sit recursus, nos temeritates hujusmodi nolentes, sicut nec debemus, ęquanimiter tolerare, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus prędictas, & quascunque alias ordinationes, vel statuta contra prędictę Sedis concessionem super his in eorumdem Prioris, & Fratrum prejudicium attemptata per te, aut alium, auctoritate nostra, penitus studeas irritare, & ne similia fiant de cetero, districtius inhibere procures; decernendo irritum & inane, si quid contra inhibitionem hujusmodi a quoquam fuerit attemptatum, & contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi, vel interdici, aut excommunicari non possint per literas Sedis ejusdem, quę de indulto hujusmodi specialem & expressam non fecerint mentionem, seu Constitutione de duabus dietis edita in Concilio (4) generali, ita quod ultra tertiam, vel quartam extra suam Diocesim aliqui auctoritate pręsentium ad judicium non trahantur. Datum Anagnię XIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Mandat ut supra.

Derogationes.

1. *Colimbrien.*) Seu *Conimbriensi* in *Portugallia* Regno, ubi *Santeranense* Cœnobium, & *Ulixbonensis*, sive *Ulyssipponensis* Diœcesis.
2. *Irrita.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
3. *Archivo.* In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
4. *Concilio.*) *Lateranensi IV Cap. XXXVII.*

Anno 1259 Die 23 Januarii.

Indulgentia Fraternitati (1) B. Mariæ Virginis Placentiæ (2) constitutæ concessa.

Ex Petro Maria Campi Histor. Placent. Parte II in Regesto ad An. MCCLIX.

CCXXVIII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus, Confratribus, & Sororibus universis Fraternitatis B. Marię Placentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Splendor paternę glorię, qui hunc mundum &c. (3). Cum itaque, sicut ex dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Placentin. insinuatione percepimus, Fraternitas vestra in honorem Gloriosę Marię Virginis sit laudabiliter instituta, Nos digne &c. (4). Datum Anagnię X Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Fraternitati.*) Vide *Diploma datum XXVI Junii MCCLVIII.* Hujusce Diplomatis argumentum sic paucis exhibet *Campi* Laudatus. *Un' altra Indulgenza per la Compagnia del Rosario, instituita nella Chiesa di S. Giovanni in Canali.*
2. *Placentia.*) In *Italia* sub Dominio Ducis *Parmensis*.
3. *Mundum &c.*) Ut in Diplomate mox citato ad hæc usque verba: *Meritis adjuvatur*.
4. *Digne &c.*) In eodem ad finem usque.

Anno 1259 Die 1 Februarii.

Episcopo Legionen. (1), ut Statuta quædam nobis contraria rescindat (2).

Ex Johanne Lopez Histor. Ord. Parte III Lib. I Cap. XXXV pag. 84.

CCXXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Legionen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pertulerunt ad audientiam nostram dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum Palentin. (3) Civitatis, quod licet ipsi ex concessione Sedis Apostolicę liberam habeant Sepulturam; tamen Capitulum, necnon & Clerici alii Ecclesiarum, Civitatis, & Dięcesis Palentin. ad dictos Priorem & Fratres &c. (4). Datum Anagnię Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Legionen.*) In *Hispania*.
2. *Rescindat.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
3. *Palentin.*) Vide supra *VIII Augusti MCCXXXI.*
4. *Fratres &c.*) Ut in *Diplomate dato XX Januarii MCCLIX.*

Vis.

Visitantibus Ædes Sacras FF. Prædicatorum Tranen. (1) singulis Festis B. Mariæ Virginis, S. Crucis, SS. Dominici & Petri Martyris, ac per Octavas eorundem, Indulgentiam (2) elargitur.

Anno 1259 Die 8 Februarii.

Ex Arch. (3) *Ordinis lib. B. fol.* 457.

CCXXX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Vitę perennis gloria &c (4) injungentes, quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Tranen., quę in honorem Sanctę Crucis constructa esse dignoscitur, imploraturi &c. (5) in singulis festivitatibus Gloriosę Beatę Marię Virginis, ipsius S. Crucis, & Beatorum Dominici Confessoris, ac Petri Martyris, ejusdem Ordinis Professoris, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis, accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnię VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Tranen.*) In *Apulia*.
2. *Indulgentiam.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) Habes Autographum in *Tranensi* Cœnobio.
4. *Gloria &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVII Aprilis MCCLVII* ad hæc usque verba: *vobis peccaminum*.
5. *Imploraturi &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Ad Ecclesiam ipsam*.

Archiepiscopis, Episcopis &c. ut Fratres Prædicatores, quos laudibus celebrat, habeant commendatos, & de rebus divinis ad populum dicere, ac ipsos confessiones excipere sinant (1).

Anno 1259 Die 27 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXXI

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

Quoniam habundavit iniquitas, & refriguit caritas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum Fratrum Prędicatorum Dominus suscitavit, qui non quę sua, sed quę sunt Christi, quęrentes, tam contra profligandas hęreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas se dedicarunt Evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntarię paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum & necessarium ministerium favore benevolo prosequentes, universitati vestrę ipsos affectuose duximus commendandos, caritatem vestram rogantes, & exhortantes in Domino, ac per Apostolica scripta mandantes, quatenus dilectos filios Fratres Ordinis memorati, pro reverentia divina & nostra, ad officium prędicandi, ad quod sunt ex professione sui Ordinis deputati, benigne recipere procuretis, ac populos vobis commissos, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devote suscipiant, admonentes, etiam in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, nec impediatis, quominus illi, qui ad eorum prędicationem accesserint, tunc eorum Sacerdotibus valeant confiteri; quatenus ad prędicta suscipienda vestris exhortationibus Populi pręparati, tanquam bona & fructifera terra, pro vitiorum tribulis incipiant segetem germinare virtutum, & dicti Fratres per cooperationem vestram suscepti ministerii cursum felicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum & finem, Salutem videlicet animarum. Quia vero sępe vitia sub specie virtutum occulte subintrant, & angelus satanę in Angelum lucis se plerumque simulate transformat, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus, si qui de prędictorum Fratrum Ordine se dicentes, in vestris partibus prędicaverint, se ad quęstum pecuniarum convertendo, per quos Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis, & condemnetis eosdem. Datum Anagnię III Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto,

Mandat ut supra.

1. *Sinant.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis Cannabinis appenditur.

Abbati S. Sofiæ (1) de Benevento, ut quæ damno nostro sancita sunt, antiquet.

Anno 1259 Die 6 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Sanctę Sofię de Benevento, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pertulerunt ad audientiam nostram dilecti filii Prior & Fratres Ordinis Prędicatorum de Benevento, quod licet ipsi ex concessione Sedis Apostolicę liberam habeant sepulturam, quędam tamen Capitula, necnon Clerici alii Ecclesiarum Civitatis & Diocesis de Benevento ad dictos Priorem, & Fratres debitam pro-

propter Deum reverentiam non habentes &c. (3). Datum Anagniæ II Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Sedis.*) *Beneventi* sita est hæc Congregationis Canonicorum Regularium, *Salvatoris* nuncupatorum, Abbatia percelebris, quam renovatam debent Eminentissimo Cardinali *F. Vincentio Maria Ursino* Ordinis FF. Prædicatorum, qui nunc Summus Pontifex *Benedictus XIII* feliciter regnat. Horribili siquidem concussa motu semel & iterum fere tota corruerat, die nempe V Junii MDCLXXXVIII, & XIV Martii MDCCII. At eadem magnificentia, qua Civitatem *Beneventanam*, funditus pene, priore terræ motu eversam, elegantiorem restituit, Abbatiam suis sumptibus his instauravit Eminentissimus ille, novisque reditibus auxit. Id liquet ex Instrumento publico dato Die VIII Februarii MDCCVIII. Asservatur *Romæ* in Archivo Canonicorum Regularium *Salvatoris*. Sed de his alias.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis Cannabinis appenditur.

3. *Habentes &c.*) Ut in *Diplomate dato XX Januarii MCCLIX* ad finem usque.

Anno 1259 Die 5 Aprilis.

Episcopo (1) Parisiensi, ne quis Guillelmi (2) de Sancto-amore causa molestias alicui exhibeat.

Ex Bullario Castellani (3) pag. 41.

CCXXXIII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

INdignanter accepimus, & tibi referimus cum dolore, quod quidam Magistri, & scholares Parisius commorantes, non unitatis, & concordiæ, sed dissensionis, & scandali amatores, Parisiense Studium, quod sopitis controversiis erat in tranquillo statu positum, perturbare, ac Religiosis quibusdam, & aliis, a suo, ens, vel se ab ipsorum societatis consortio separando, graves inferre molestias moliuntur: pro eo quod Guillelmi de Sancto-amore ipsius turbatoris Studii, suis exigentibus culpis, quia transeunte ejus lingua super terram, posuerat temere os in cælum, per nos, citra condignum tamen, quia pœnam meruerat graviorem, ab illis partibus, ne illas corrumpat ulterius, separati, relevationi, seu revocationi renuunt consentire, honestatem in hoc, & justitiam amplectentes. Cum igitur intentionis, & voluntatis nostræ prorsus existat, dictum Guillelmum, cujus de multis malis, quæ hactenus commisisse noscitur, nulla pœnitentiæ signa monstrantur, nunquam relevare in aliquo, vel ad sua Beneficia, seu Parisius, revocare; Fraternitati tuæ per Apostolica scripta, districte præcipiendo, mandamus, quatenus, convocatis omnibus Magistris, & scholaribus Parisius studentibus, sub excommunicationis pœna eis districte præcipias, ut nullos Religiosos, seu quoscunque alios, occasione hujusmodi (4), molestare præsumant, se ab eorum, sive ipsos a suo consortio separando, quia præfati Guillelmi relevationi, vel revocationi non præstant assensum; cum illum præstare non debeant, nec hominis jurgiosi, & in sua obstinati pervicacia, relevationem, seu revocationem salva possunt conscientia postulare; Denuntiaturus nihilominus Magistris, & scholaribus memoratis, quod omnes pœnas, & privationes, in ordinatione, sententiis, literis, vel statutis a nobis dudum emissis contentas, incurrunt, qui Religiosos, & quoscunque alios molestare præsumunt, separationem hujusmodi procurantes, cum separare alios a se, & subducere, vel subtrahere taliter se ab aliis idem penitus reputemus. Non obstantibus juramentis, vel promissionibus, aut obligationibus, seu quibuscunque statutis, quibus dicti Magistri, & scholares se astrinxisse pro relevatione, & revocatione cujuslibet, pro causis Universitatis astricti (5) dicuntur, maxime cum idem Guillelmus, non pro factis Universitatis ejusdem, sed pro suæ malignitatis offensa, fuerit Sedis Apostolicæ judicio, justitia exigente, punitus. Datum Anagniæ Nonis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Cavetur supra.

1. *Episcopo.*) Is erat Reginaldus.

2. *Guillelmi.*) *Controversia enim Parisiensis germina hoc anno repullularunt, quibusdam Magistris, & Scholaribus partes Guillelmi de Sancto-amore reassumentibus, vindictam de utroque Prædicatorum & Minorum Ordine expetentibus, procul etiam a suo facientibus consortio. Ut eorum comprimeret insolentiam Episcopo Parisiensi scribit Pontifex*. Hæc *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad Annum MCCLIX num. IV pag.* 123.

3. *Castellani.*) Autographum extat *Parisiis*. Illud idem legitur apud *Vuaddingum* mox laudatum, *Boulæum Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.*348.

4. *Hujusmodi.*) Addit Boulæus: *Quod nempe Guillelmum de Sancto-amore relevationi, seu revocationi consentire renuunt, molestare præsumant.*

5. *Astricti.*) Ex Boulæo *Afflicti*.

Anno 1259 Die 18 Aprilis.

Inquisitoribus Lombardiæ & Marchiæ Januen., ne quis ipsos ipsorumve Notarios, excommunicet (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prædicatoribus, Inquisitoribus pravitatis hæreticæ in partibus Lombardiæ, & Marchiæ Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NE Inquisitionis negotium, contra dampnatam hæresim prudentiæ vestræ commissum, impediri, quod absit, propter aliquorum astutiam, vel etiam retardari, continent, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut nullus Sedis Apostolicæ delegatus, vel subdelegatus ab eo, conservator, aut etiam executor a Sede deputatus eadem, seu etiam deputandus, in vos & quatuor (3) Notarios, sive scriptores vestros, super his vobis fideliter obsequentes, quandiu in prosecutione hujusmodi negotii, vos, & ipsi fueritis, possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti, sententiam promulgare, absque speciali man-

Decernit ut supra.

mandato prędictę Sedis, faciente plenam & expressam de hac indulgentia mentionem. Decernentes irritum & inane, si secus a quoquam fuerit attemptatum. Nulli ergo &c. Datum Anagnię XIV Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto. *Sanctio pœnalis.*

1. *Excommunicet.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem habet *Ususmaris pag.49*.
3. *Quatuor.*) In Autographo hoc verbum commutandum notatur, ipsi enim eadem manus superposuit: *Decem*: In extrema vero parte Diplomatis, in sinu pergameni sic legere est: *Ubi dicitur quatuor, dicatur decem & octo*: subscripsit *Vitalis in curia*.

Transactionem Priorem inter S. Firmini Montis-Pessulani (1) & Fratres nostros initam abrogat (2).

Anno 1259 Die 28 Aprilis.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol.905.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus domus Fratrum Prędicatorum juxta (3) Montem-Pessulanum, Magalonen. (4) Dięcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. CCXXXV.

Religionis favor, sub qua virtutum Domino deservitis, & devotionis vestrę merita nos inducunt, ut vos illa prosequamur gratia, quę vobis, & Ordini vestro dignoscitur opportuna. Sane ad nostrum pervenit auditum, quod cum dilecti filii Prępositus, & Capitulum Magalonen. Ecclesię, & Prior S. Firmini de Monte-Pessulano, Magalonen. Dięcesis, vos, & domum vestram super diversis, & variis articulis multipliciter aggravarent, tandem inter vos, & eosdem Prępositum, Capitulum, & Priorem, sine Magistri tamen, & Capituli Generalis Ordinis vestri assensu (5), inter cetera super infrascriptis articulis taliter extitit ordinatum, videlicet, quod in Cęmeterio vestro non sepeliretis aliquem, nisi esset Frater vestri Ordinis, vel Conversus, & sanus propriis pedibus ad vos accederet, vobiscum in vestro Ordine moraturus; nullum etiam ea occasione in Conversum reciperetis, vel Fratrem, ut ipsum possetis, cum decederet, in vestro Cęmeterio sepelire; Clericosque, & seculares de Monte-Pessulano infirmos in Fratres recipere non possetis. Nullum insuper excommunicatum, vel interdictum nominatim in Ecclesiis vestra ad Divinum admitteretis Officium, & sententias ab Episcopo, Archidiaconis, & Archipresbyteris Magalonen., ac Prępositio, & Priore prędictis latas, curaretis inviolabiliter observare; Clericos vero, vel Laicos nisi alienigenę forent, ad penitentias, seu Confessiones nullo modo deberetis admittere, nec cuiquam concederetis viaticum sine dicti Prioris licentia speciali. Pręterea nullus Prior, vel Frater Domus ejusdem post prandium in Plateis, nisi infra septa domus vestrę, vel in Ecclesiis, Claustris, seu Cęmeteriis prędicaret; Et si de loco vestro ad locum alium contingeret vos transferre locum vestrum, in quo nunc degitis, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, non possetis, nisi cum Magalonen. Ecclesia permutare. In Ecclesia vero vestra nonnisi duas squillas (6) habere possetis horis Canonicis, ut est moris. Compositionem ipsam etiam, seu ordinationem acceptantes, & laudantes ex certa scientia bona fide promisistis, eandem, utpote provide, ac juste, de consilio, & assensu quondam Fratris R.... tunc Prioris Provincialis vestri factam, servare, renunciantes cuilibet juri, & beneficio promulgato, vel etiam promulgando. Consensistis etiam, quod nulla Charta, nullumque Instrumentum, vel munimentum contrarium huic Compositioni noceret, vel contra eam habere posset alicujus roboris firmitatem. Et si contra Compositionem hujusmodi scienter contigerit vos venire, nisi infra certum tempus post monitionem dicti Prioris S. Firmini de transgressione, vel violatione Compositionis ipsius Ecclesię S. Firmini satisfacere curaretis, ex tunc tandiu cessaretis a Divinorum celebratione in Ecclesia vestra, donec esset de premissis eidem S. Firmini Ecclesię satisfactum. Cum igitur ex hujusmodi ordinatione, quę sine dictorum Magistri & Generalis Capituli assensu facta dicitur, his, quę Ordini vestro, tam ex Apostolicę Sedis Privilegiis, vel indulgentiis, quam etiam a jure concessa noscuntur, plurimum, ut asseritur, derogetur, decens est, & conveniens rationi, ut privilegiis, & indulgentiis, Ordini vestro a prędicta Sede concessis, vos, & prędicta domus vestra, sicut alię domus, & Fratres ejusdem Ordinis plenarie gaudeatis, ac dignum existit, ut quod a jure conceditur, vobis, deditis sanctę contemplationis otio, non negetur. Nos itaque, volentes vobis super hoc providere, ut in prędictis articulis, non obstante ordinatione, seu Compositione hujusmodi, etiamsi sit per Sedem eandem confirmata, uti possitis indulgentiis, & privilegiis Ordini vestro, & vobis a Sede prędicta concessis, & a jure communi, liberam vobis auctoritate pręsentium concedimus facultatem. Decernentes irritum, & inane quicquid contra vos, vel aliquem vestrum, seu quoscunque alios, premissorum articulorum occasione, vel alicujus eorum, per quemcunque de cetero fuerit attentatum. Nulli &c. nostrę Concessionis, & Constitutionis &c. Datum Anagnię IV Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Exordium. *Transactionis tenor.* *Abrogat ut supra.* *Decretum irritum faciens.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Montis-Pessulani.*) In *Gallia Narbonensi*.
2. *Abrogat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit.VII*, & *IX*.
3. *Juxta.*) Nondum enim intra mœnia civitatis erat Cœnobium Fratrum Prædicatorum.
4. *Magalonen.*) Intra *Stagna Volcarum*, nunc extincta *Magalonensium* civitas, tunc Episcopalis, sita erat. Ipsi successit *Mons. Pessulanus* ad tria circiter milliaria.
5. *Assensu.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit.IV*.
6. *Squillas.*) Seu Campanas. Dicetur in eodem *Tractatu Tit. I*.

Anno 1259 Die 20 Maii.

Sororibus Prulianis (1), ne Capellanum Parochiæ S. Martini de Limoso in partem reddituum ejusdem Parochiæ vocare teneantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium Inclusarum Monasterii B. Marię de Pruliano Ordinis S. Augustini, secundum Instituta, & etiam sub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Tholosan. Diocesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex Sororum petitio. Decreuit ut supra. Decretum irritum faciens. Sanctio pœnalis.

MEritis vestrę Religionis Inducimur, ut vos favore benevolo prosequamur; sed in his pręcipue, quę vos, & Monasterium vestrum digne possint a dispendio pręservare. Lecta siquidem coram nobis vestra petitio continebat, quod in Ecclesia Parochiali Sancti Martini de Limoso, quam legitime in usus propriosobtinetis, & per quadraginta annos & amplius possidetis, Capellanus habetur, qui licet Diocesano pręsentatus a vobis gerat curam animarum, annexam Ecclesię memoratę, nulla tamen certa portio de proventibus, seu bonis ejus, fuit ei medio tempore assignata, quia semper vos sibi decenter & congrue in vitę necessariis providistis. Quare humiliter petebatur a nobis, ut quieti vestrę in hac parte consulere paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur obtentu dilecti filii nostri Hug... (3) tit. S. Sabinę Presbyteri Cardinalis, qui pro vobis super hoc Apostolicam gratiam imploravit, vestris supplicationibus annuentes, ut Capellano, qui pro tempore fuerit in pręducta Ecclesia, non teneamini de proventibus, seu quibuscunque bonis ipsius Ecclesię certam, & determinatam portionem, contra consuetudinem super hoc hactenus observatam, usque ad nostrum beneplacitum, assignare, nec ad id per Diocesanum loci, vel quemcunque alium compelli possitis, vobis auctoritate pręsentium indulgemus. Sententias vero suspensionis, vel Interdicti, aut excommunicationis, si quas in vos, vel eandem Ecclesiam propter hoc promulgari contigerit; decernimus irritas & inanes; ita tamen quod Capellano pręfato de hujusmodi necessariis providere decenter more solito studeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę Concessionis, & Constitutionis &c. Datum Ansgnię XIII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Prulianis.*) Ut in *Diplomate date XV Octobris MCCXV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Hug. &c.*) *Hugonis* nostri, de quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*

Anno 1259 Die 9 Junii.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut tempore generalis interdicti (1) Sacra celebrare possint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra. Sanctio pœnalis.

DEvotionis vestrę precibus inclinati, ut tempore generalis Interdicti, non pulsatis campanis, excommunicatis & Interdictis exclusis, januis clausis, submissa voce, in Ecclesiis, & Oratoriis vestris, ac aliis quibuscunque cum ad loca perveneritis, ecclesiastico suppositis Interdicto, divina possitis Officia celebrare, & Ecclesiastica recipere Sacramenta, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, dummodo causam non dederitis Interdicto, nec contineat id vobis specialiter interdici, neque Ecclesię & Oratoria eadem fuerint specialiter interdicta. Nulli ergo &c. Datum Anagnię V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Interdicti.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tit. X Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Adeas *Usumarem pag.* 49. Idem *Datum Viterbii Kalendis Decembris, Pontificatus Alexandri IV Anno III,* Christi MCCLVII, legitur apud *Castellanum pag.* 26, *in Constitutionibus Ord. Prædicator. typis editis an. MDV num. LIII, in aliis an. MDVII num. LVIII.* Illius Autographum est in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.*

Anno 1259 Die 11 Junii.

Magistro & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ne suum in Ordinem adsciscant (1) Eremitas S. Augustini.

Ex Bullario Ordinis Eremitarum S. Augustini pag. 33.

CCXXXVIII.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Provincialibus, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUanto pręclara Ordinis vestri Religio inter Religiones alias per insignem gratiam meritorum, pręrogativam virtutum, & eminentiam sanctitatis, conspectiori rutilat claritate, tanto magis vestram condecet honestatem, ut omnem in vobis justitiam adimpleatis, debitę caritatis legem erga singulos observetis, non faciendo id aliis, quod vobis ascribitis ad offensam. Sane dudum vestris supplicationibus inclinati, universis Prioribus, & Fratribus Eremitis Ordinis Sancti Augustini, & Sancti Guilielmi aucto-

auctoritate literarum (a) nostrarum inhibuisse meminimus, ne aliquos Ordinis vestri Fratres professos, in Ordine suo recipere, vel retinere præsumant, sine Priorum suorum petita licentia, & obtenta: & decernentes nihilominus irritum, & inane quicquid per eos contra inhibitionem hujusmodi contigerit attentari. Eadem auctoritate duximus statuendum, ut præsumentes scienter contra eandem inhibitionem propria temeritate venire, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, excepto mortis articulo, non possint absolvi, nisi conspectui Sedis Apostolicę se præsentent, ab ea juxta ipsius providentiam absolutionis beneficium obtenturi. Cum igitur vos deceat pati legem, quam imponi aliis procurastis, universitati vestrę, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus pręfatorum Eremitarum scandalis abstinentes, aliquos in Ordine ipsorum professos, in Ordine vestro, sine petita, & obtenta Priorum suorum licentia nullatenus admittatis; ita quod nulla inter vos & ipsos occasione hujusmodi contentio valeat exoriri, sed potius, sicut decet, caritas, & dilectio jugiter augeatur. Datum Anagnię III Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Quinto. Indulget ut supra.

1. *Adsciscant.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. II, & XII.*

2. *Literarum.*) De quibus *V. Martii MCCLVIII.*

Cancellario (1) Ecclesiæ S. Genovefæ Parisien., ne quis Licentiæ stadium decurrat, nisi juret, se Religiosis concordia conjunctissimum fore. Anno 1259 Die 17 Junii.

Ex Boulæo Histor. Universitatis Parisien. Tomo. III pag. 351.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Cancellario Ecclesię S. Genovefę Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXXXIX.

PRæsentium tibi auctoritate, pręcipiendo, mandamus, quatenus nullum de cetero licenties Parisius in aliqua Facultate, nisi prius juret ordinationes, & statuta, pro tranquillo statu Parisien. Studii dudum a nobis edita, & ea, quę continentur in ipsis se inviolabiliter servaturum, & expresse promittat per hujusmodi juramentum, quod deinceps Religiosorum, & aliorum in eodem Studio desudantium quietem & pacem directe, vel indirecte, occulte, vel manifeste, per se, vel per alium, scienter nullo modo turbabit, puniens nihilominus pęna debita juramenti hujusmodi transgressores. Datum Anagnię XV Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Quinto. Inhibitio.

1. *Cancellario.*) Audiendus hic ipsemet *Boulæus* supra laudatus, pag. 350. *Interim Alexander Pontifex*, inquit Boulæus, *eidem semper proposito insistens, non revocandi ab exilio Guilelmi, vidensque, se non potuisse tot Bullis, nec posse Academicorum animos pervincere, existimavit occurrendum saltem esse malo venturo; & quia Episcopum, & Cancellarium Parisiensem satis habebat ad votum, suis mandatis obsequendis, scripsit ad Cancellarium San-Genovefianum, vetuitque, ne cui in ulla Facultate regendi licentiam concederet, qui non juraret, se statuta sua observaturum, & pacem cum Mendicantibus bona fide habiturum.*

Episcopo Parisiensi; ne Parisienses cum Guillelmo (1) de Sancto-amore usum ullius rei consocient. Anno 1259 Die 20 Junii.

Ex Bullario Castellani (2) pag. 42.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXL.

MUltorum relatione didicimus, quod per Nuncios, & literas, quas Universitas Scholarium Parisiensium, vel aliqui de ipsa, Guilelmo de Sancto-amore transmittunt, & recipiunt ab eodem frequenter, Parisiense Studium, & status Religiosorum, & aliorum existentium Parisius non modicum perturbatur; volentes igitur pravorum (3) malitiis obviare, Fraternitati tuę, per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus eidem Universitati, & singulis de ipsa, ex parte nostra pręcipere, ac districtius inhibere procures, ne de cetero dicto Guillelmo aliquas literas, vel Nuncios, quibus posset bonus status Parisiensis Studii & Religiosorum, ac aliorum quomodolibet perturbari, mittere, vel ab eodem Guillelmo recipere aliquo modo præsumant communiter, vel divisim; & si quis contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, nec ab ea possit absolvi, nisi de mandato Sedis Apostolicę speciali. Datum Anagnię XII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto. Inhibendum decernit ut supra.

1. *Guillelmo.*) *Fovebant... animorum commotiones frequentes nuncii, & literæ a prædicto Guillelmo transmissæ, vel ad eundem remissæ. Jussit itaque Pontifex, ut nullum cum eo haberetur, sed omnino interciperetur, literarum commercium. Hujus autem curam eidem* (Parisiensi) *commisit Episcopo.* Verba sunt *Vvaddingi Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLIX num. V pag. 183.*

2. *Castellani.*) Idem transcripserunt *Vvaddingus* mox laudatus pag. 184, *Boulæus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag. 351.*

3. *Pravorum.*) Boulæus: *Paucorum.*

Non-

Anno 1259 Die 24 Junii.

Nonnullorum Parisiensium Doctorum erga Fratres Prædicatores, & Minores merita prædicans, ipsos ad perseverantiam cohortatur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Galderico Cluniacen., & Eurardo Vallis-scolarium Ordinum Monachis, Egidio Archidiacono, & Ruberto de Quinchi Canonico Rothomagen., & Petro dicto Rufu Canonico Ecclesię Corboliacen., Parisien. Diocesis, Magistris in Theologica facultate Parisien. constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Laudat & hortatur ut supra.

VEstrę sollicitudinis operosa vigilantia, qua circa bonum statum Parisien. Studii, & quietem filiorum Fratrum Prędicatorum, & Minorum, Parisius residentium, prudenter insistitis, constanti nobis assertione fidelium referentium innotescit, Apostolicę Sedis vobis.... (3) gratiam, & favorem, quę cum tempus retributionis occurrit, se a bene meritis non avertit. Nos itaque hujusmodi fervoris vestri promptitudinem dignis in Domino laudibus commendantes, universos & singulos ad hęc.... (4) perseverantia, invitamus, ut ex his merito gloria vobis tesaurizetur & fama. Datum Anagnię VIII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Cohortatur.*) Firmatur ex hoc Diplomate *nota V* in *Bullam datam VII Decembr. MCCLV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis erat appensum.
3. *Vobis...*) Fortassis: *Augescit.*
4. *Ad hæc...*) Quæ temporis injuria hic etiam desiderantur sic restituerem: *Consummanda felici perseverantia.*

Anno 1259 Die 26 Junii.

Episcopo Parisiensi, ut quæ de Studio Parisiensi sancita sunt, statuta servanda curet, Diploma, Fratres Prædicatores & Minores illustri laude celebrans, indicet in vulgus, & in Guillotum quendam animadvertat (1).

Ex Bullario Castellani (2) *pag.* 42.

CCXLII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Studii Parisiensis encomium.

EX alto fuisse conspicimus Civitati Parisiensi provisum, quod honorifico (3) decore Studii Generalis, & tantorum Universitate Scholarium illustrata, prętuceat orbis civitatibus, orbemque lucidum reddiderit sui luminis claritate. Ipsa quidem Universitas fons irriguus consuevit esse virtutum, universale speculum, mater studere volentium, & magistra scientiarum ad singulos dona derivans, cunctosque clarificans illustribus radiis Doctrinarum. Et quia nonnulli seditionis, & nequitię filii lucem in tenebras convertere satagentes tantum Studium subvertere conabantur, nos eorum conatibus obviantes, certa statuta, de nostrorum consilio Fratrum, edidimus, per quę Studio soliti reddebantur incrementa vigoris, & talium perversorum intentio tollebatur. Cumque noster animus optata super eo tranquillitate quiesceret, quod sicut habebat relatio plurimorum, statum quietis, & pacis, Universitas resumpsisset; postmodum, quod turbati referimus, qui dicebantur a suarum seditionum languore sanati, passos fore (4) didicimus recidivam in divini contumeliam nominis, Apostolici mandati contemptum, & subversionem Studii memorati. Nuper enim nostris est auribus intimatum, quod Magistri, & Rectores Artistarum Parisiensium se a dilectorum filiorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum, & quorundam aliorum Magistrorum, & Scholarium, Religiosorum, & Secularium societate, seu consortio separantes, ipsos, in elusionem Mandati Apostolici, super hoc directi, ad suum consortium pro suę voluntatis arbitrio, non admittunt contra statuta, olim a nobis super hoc edita, temere veniendo. Verum quia id animum nostrum eo acerbius vulnerat, quo materia majoris turbationis, & scandali, nisi super hoc a nobis salubre exhibeatur remedium, posset exinde non absque gravi generalis Ecclesię dispendio facilius exoriri, maxime cum hujusmodi separatio, quacunque arte vel ingenio adinventa fuerit, & quocunque nomine censeatur, expresse contra Ordinationem nostram, & statuta prędicta, pro tranquillo statu Studii Parisiensis edita, sit pręsumpta. Volumus, & per Apostolica scripta, tibi firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus eisdem Rectoribus, & Artistis, ac aliis Magistris, & Scholaribus Parisius commorantibus, ex parte nostra districte pręcipias, ut infra quindecim dies post hujusmodi pręceptum eosdem Fratres, ac alios in suum consortium, seu societatem, juxta eorundem statutorum tenorem, admittere studeant, & efficaciter retinere; nihilominus inhibendo, ne similia de cetero attententur; alioquin tam Rectores, Artistę prędicti, ac alii qui memoratos Fratres, & eis super hoc adherentes, ad hujusmodi societatem, seu consortium juxta pręceptum nostrum taliter admittere, ac retinere non curaverint, quam etiam omnes illi, qui contra inhibitionem hujusmodi publice, vel occulte, seu quovis alio modo venire pręsumpserint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua nullatenus absolvi valeant, nisi personaliter ad Apostolicam Sedem accesserint, absolutionem hujusmodi petituri. Porro cum per Prędicationes, & disputationes Guilielmi de Sancto-amore Fratres prędicti, qui, ut Christum lucrifaciant, abjectionem voluntarię paupertatis elegisse noscuntur, & quamplures alii fuerint graviter diffamati, nos ad confutandam super hoc ipsius Guilielmi malitiam, & elucidandam in talibus veritatem, universis Pręlatis literas nostras, quibus statum dictorum Fratrum non indigne approbavimus, duximus destinandas, quarum tenores per te, vel per alios Parisius, & alibi, in Ecclesiis, & locis aliis in prędicationibus publicis, prout expedire videris, coram Cle-

Prædicatores & Minores Fratres, ac alii nonnulli indignis accepti fuerant modis.

Mandat ut supra.

Diploma vulgandum decernit.

Clero, & Populo, tam latinis, quam vulgaribus verbis exponere diligenter studeas. Insuper quendam Libellum famosum, & detestabilem ab eodem Guilielmo editum, prout publice apud Sedem Apostolicam confessus extitit, quem per nos, de Fratrum nostrorum consilio condemnatum, igne cremare fecimus, cujus titulus: Tractatatus brevis de periculis novissimorum temporum; nuncupatur. Principium autem ejus erat: Ecce videntes clamabunt foris: necnon & quosdam alios Libellos famosos in infamiam & detractionem (5) eorundem Fratrum ab eorum ęmulis in literali, & vulgari sermone, necnon rythmis, & cantilenis indecentibus de novo, ut dicitur, editos, quos tibi exhiberi facias, detentores ad exhibitionem ipsorum per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, convocatis Magistris, & Scholaribus Parisius existentibus, facias publice coram omnibus igne cremari. Pręterea Guilloaum Bedellum Scholarium Nationis Picardorum, pro eo quod suę salutis immemor, in Dominica de Ramis Palmarum proxime pręterita, pręedicante dilecto filio Fratre Thoma de Aquino, ejusdem Ordinis Pręedicatorum, quendam Libellum (6) famosum, quem utpote contra eosdem Fratres editum publice reprobaveras (7) contempta excommunicationis sententia, quam in omnes auctores, detentores, & publicatores ipsius libelli auctoritate ordinaria promulgasse diceris, in conspectu Cleri, & Populi, tunc ibidem existentium, in tui, & ipsorum Fratrum injuriam publicare pręsumpsit, excommunicatum, pręsentibus Magistris, & Scholaribus supradictis, studeas nunciare, privando ipsum nihilominus perpetuo Bedellionatus Officio, ita quod illud nec per se, neque per alium de cetero exercere presumat, nec etiam salarium aliquod sibi, quem de Civitate Parisiensi, sublato appellationis obstaculo, perpetuo procures expellere, petere, vel recipere liceat ratione officii supradicti, auxilio carissimi in Christo filii nostri Regis Francię illustris, ad pręmissa, si opus fuerit, invocato; non obstantibus quibuscunque appellationibus a dictis Magistris, Rectoribus, & Scholaribus interjectis. Ad hęc volumus, ut omnes illi qui deinceps hujusmodi Libellos, vel consimiles edere, vel detinere, seu publicare, aut pręfatum Bedellum Parisius reducere pręsumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua non nisi juxta modum absolvi valeant pręnotatum. Pręsentes autem literas omni mora, & difficultate postposita, coram Universitate prędictorum Magistrorum, & Scholarium studeas publicare. Datum Anagnię VI Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Libelli de errore damnati.

Guilloti scelus.

Excommunicatione publice devinciendus Guillotus a munere removetur.

1. *Animadvertat.*) *Denuo enim intimatur Pontifici, Magistros & Rectores Artistarum Parisiensium se a Prædicatorum, Minorum, & aliorum Ordinum Fratrum, quorundam item aliorum Magistrorum, Scholarium, Religiosorum, & Secularium societate separantes, ipsos in elusionem Mandati Apostolici, super hoc directi, ad suum consortium pro suæ voluntatis arbitrio noluisse admittere. Bedellum item nationis Picardiæ injuriam irrogasse Thomæ Aquinati prædicanti, atque alia hujus generis multa, a fautoribus prædicti Guillelmi facta in damnum Religiosorum. Mittit de his .... literas ad Episcopum præfatum* (Parisiensem) *Religiosis valde propitium. Hæc Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLIX num. VI pag.* 184.

2. *Castellani.*) Idem exscripserunt *Vuaddingus* laudatus, *Boulæus Histor. Universit. Parisien. pag.* 351 *Tomo III.*

3. *Honorifico.*) *Vuaddingus* & *Boulæus* legunt: *Honorificata.*

4. *Fore.*) Ex Boulæo *Fuisse.*

5. *Detractionem.*) Boulæus. *Detrectationem.*

6. *Libellum.*) Calumniis in Religiosos viros confarcinatum *Odoric. Raynald. Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLIX num. XXX.*

7. *Reprobaveras.*) Ex eodem. *Reprobaverat.*

Magistris & Scholaribus Parisiensibus, ne Guillelmo de Sancto-amore studeant (1), & ut Fratres Prædicatores ac Minores habeant commendatos.

Anno 1259
Die 11 Julii.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccles. ad An. MCCLIX num. XXVII.

CCXLIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistris, & Scholaribus Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Inter alia (3), quę olim pro Universitatis, & disciplinę vestrę profectu salubriter ordinanda prospeximus, quod Religiosi viri, pręsertim Fratres Pręedicatores, & Minores, degentes Parisius, qui sicut merito religionis, & vitę, decora membra universalis Ecclesię sunt censendi, sic eodem (4) merito, & participatione doctrinę, atque scientię Universitatis vestrę debent pars non incongrua, nec indigna videri, ejusdem Universitatis tam consortio, quam beneficio gauderent in omnibus, sub certa forma duximus statuendum. Sed, licet non forsan in omnibus, in plurimis tamen, animosę voluntatis arbitrio rationabilis ęquitatis evertente judicium; aliqui contra Ordinationem nostram, cui voluntarię approbationis assensus, & promptę obeditionis obsequium debebatur, pręsumptuosum rebellionis levavere calcaneum, aliqui, mandatorum nostrorum vim, & potestatem ingeniosis adinventionibus vacuantes, superficialiter sic nostris detulere sermonibus, quod verius illusisse probantur. Cum enim juxta Ordinationem eandem pręedictos Fratres teneamini a vestro separare consortio, quis non videat manifeste delusionis commentum, quod separando vos ab ipsis, prohibitam separationis pęnam eis infligitis indirecte, contra positam vobis ejusdem Ordinationis legem communem, privatis fraudibus, rectissime moliendo. Pro Guillelmo pręterea de Sancto-amore, quem a communione vestra prorsus extraneum notissima culpa fecit, ad pristinum Universitatis vestrę revocando consortium, conventum fieri, vel haberi tractatum, ne sopiti scandali rediret occasio, Apostolicę Sedis auctoritas interdixit; nihilominus autem, quia nostis eosdem Fratres propter transgressionis culpam, & prolatę animadversionis pęnam, quas religioso timore devitant, nec posse, nec velle, ubi habentur de dicta revocatione tractatus, convenire vobiscum, quoties pro quibuslibet Universitatis negotiis convenitis, hujusmodi tractatus reducitur, quo eisdem Fratribus illicitum fiat vestris Congregationibus interesse, in quo utique facto sagittę nocere paratę, quę perverse mittuntur in alios, in spirituales plagas mittentium convertuntur. Caveant ergo sibi, qui tales struere non verentur insidias, ne dum aliis tendiculas deceptionis objiciunt, ipsi in propositos sibi a nobis laqueos excommunicationis, aliarumque sententiarum inciderint, a quibus nequibunt, cum voluerint, de facili expediri. Mirum si considerationis vestrę docta prudentia dignum venia judicet prędicti Guillelmi grave peccatum,

FF. Prædicatores, & Minores laudibus effert.

Summi Pontificis mandatis obedire detrectant aliqui.

quod nec confessionis humilitas, nec pęnitentię satisfactio, nec conveniens pęnitudinis indicium mitigavit; pręsumptionis enim ejus audacia publicavit longe, lateque seipsam, eamque non tam condignę, quam misericordis animadversionis ultio prędicavit: quod videlicet in perniciosam Universitatis vestrę scissuram, & dissolutionem Studii salutaris, non est veritus ponere os in cęlum contra Sedis Apostolicę potestatem, adversus auctoritatem Pontificum, contra ministeria Sacerdotum, contra statum, & profectum Religiosorum virorum, maxime Prędicatorum, & Minorum, quorum sacra plantatio Sanctam fęcundat, & venustat Ecclesiam, reprobe dogmatizans, & quantum in ipso fuit, disseminans in Ecclesia unitatis nefandi schismatis pestem, famosum, infamemque conscribendo Libellum, ne in ventum cederent (5) contumeliosa, & damnabilia verba sua. Porro quamvis eundem Libellum in favillam, & cinerem Ecclesia Romana damnaverit Spiritu oris sui, ostendens hoc ipso, quę stipendia deberentur auctori, ipse tamen nec apud Sedem Apostolicam, nec postmodum alibi constitutus suum super eodem Libello, quem se composuisse non abnuit, humiliter confiteri curavit, & emendare commissum, sed in sua rigidus pervicacia eos, quorum animos incitare non desinit, temeritatis proprię incentivo secum trahit in pertinacis, ut accepimus, obstinationis abyssum. Hęc quippe non est illa, quę desursum venit, sapientia pudica, pacifica, & modesta, pro qua capessenda peregrinari, patriis relictis sedibus, elegistis, pro qua constituistis scholasticis vos exercere sudoribus, pro qua decrevistis nocturnis lucubrationibus fatigari, quam utique nemo pertingit, qui fuerit sapientię terrenę, quę animalis est, & maligna, ac sanę doctrinę opposita, studiosus: hęc nempe carnalium est, deorsum emergens prudentia, qua, secundum hominem ambulantes, zelo, & contentione rixantur, ac sibimet, propter concupiscentiam, quę in eorum membris militat, inquieti, pacem ad Deum, & proximos nescierunt ... Pręfatus vero Guillelmus, pro quo per memoratos Nuncios supplicastis, si convenientia humilitatis, & pęnitentię signa monstraverit, per quę appareat a via suę pravitatis conversus, poterit Apostolicę Sedis non solum misericordiam, sed & gratiam promereri &c. (6). Datum Anagnię V Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Guillelmi pervicacia.

1. *Studeant.*) Audiendus *Odoricus Raynald.* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLIX num. XXVII. *Gravioribus, inquit, literis Parisiensis Academiæ Doctores perstrinxit* Alexander, *Guillelmum e Sancto-amore pravarum opinionum erroribus infectum admisisse, eique studia sua impendisse; unde graves in Religiosos viros inimicitias ab eo subornati plures susceperant, atque exercebant. Quasi enim Academia causa, non ob scelera sua fuisset Censura Apostolica percussus, ad redintegrandam illius dignitatem sese astrinxerant, jam enim Sacerdotiis exutus fuerat, ac Doctorum albo Pontificis auctoritate erasus de quo pristinis honoribus restituendo, cum libellum supplicem porrigerent Academici, Pontifex pervicaciam hominis qui nondum errorem ejurasset, objecit. Rite tamen crimen expianti veniam est pollicitus.*

2. *Odorico.*) Legitur etiam apud *Boulæum Tomo III Histor. Universitat. Parisien. pag.* 353.

3. *Inter alia.*) Hujus Diplomatis Exordium idem esse ac Bullæ -- Ex alto - *Data XXVI Junii MCCLIX* docet *Boulæus*. Si res ita se habeat, idem erit ad hæc usque verba: *Subvertere conabatur.*

4. *Merito Religionis, & vitæ, decora membra Universalis Ecclesiæ sunt censenda, sic eodem.*) Hæc non novit *Boulæus.*

5. *Cederent.*) Ex eodem: *caderent.*

6. *Promereri &c.*) Hic etiam nonnulla desunt, quibus, ut inquit *Odoricus*, Summus Pontifex *addit paterna monita, ut remotis jurgiis pacem colant, ac Dominicanos & Minoritas infestare caveant.*

Anno 1259
Die 15 Julii.

Regi (1) Francorum, ut Episcopo Parisiensi manum auxiliarem præbeat adversus turbatores (2) Parisiensis Studii.

Ex Boulæo Histor. Universitat. Parisien. Tomo III pag. 355.

CCXLIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Regis Galliæ.

DUm Apostolicę Sedis sermones, & scripta ea promptitudine, quoties tuę celsitudini mittuntur, assumis, ut videaris in illis eum, cujus in terris vices, licet immeriti, gerimus, intueri, expendis utique latius animadvertendum ceteris christianissimę devotionis exemplar, quod palam semper effulsit, & in excelso throno benedicti a domino Regni tui. Hinc nobis & Ecclesię Christi accessit assidue materia spiritualis exultationis & laudis. Hinc quoque in pressuris, quas eadem Ecclesia inter fluctuosos mundi hujus impetus extrinsecus inquieta perpetitur, refrigerium percepit internę consolationis & pacis. Sane quamvis experimentorum testimonia de tuarum nos lętificantia incremento virtutum, quas sublimis venustat humilitas, jugiter increbrescant, hoc tamen nunc inter bona tua lętanter, & gratanter accepimus, quod ad favorem regium contra Parisiensis Studii turbatores viris pacificis sapientię otia studiosa censentibus impendendum, preces & exhortationes Apostolicę te pronum, & benevolum invenerunt. Super quo serenitati tuę gratiarum exsolvimus actiones. Cum autem venerabili fratri nostro Episcopo Parisiensi contra turbatores eosdem diversa mandata dederimus, in quibus exequendis ipsum oportet Regalis potentię brachio adjuvari, celsitudinem tuam rogamus, & hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus eidem Episcopo ad compescendum, & puniendum illos, prout expedire cognoverit, dexteram traditę tibi divinitus potestatis accommodes, quoties fueris requisitus, ut tuo munimine inter inquietos innocens pacificorum tranquillitas muniatur, cupientium studiis vacare prudentię tuta convalescat utilitas, & exinde apud Deum tuorum crescat cumulus meritorum. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Hortatur ut supra.

1. *Regi.*) *S. Ludovico.*

2. *Turbatores.*) De quibus in præcedentibus Diplomatibus.

Epi-

Episcopo Parisiensi, ne quis Ecclesiastica bona cum Guillelmo de Sancto-amore communicet (1). Anno 1259 Die 25 Julii.

Ex Bullar. Usumaris pag. 49.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXLV.

AD aures nostras pervenit; quod licet Nos olim Guillelmum de Sancto-amore propter graves & manifestos ejus excessus, omnibus suis beneficiis privaverimus, justitia exigente, nihilominus tamen, venerabilis Frater noster Episcopus Beluacen., Prębendam, quam idem Guillelmus in Episcopatu suo tenuerat, cuidam Clerico, non ut sibi, sed ipsi Guillelmo proficiat, fraudulenter & sub quadam palliatione dicitur contulisse. Nos itaque super his efficaciter providere volentes, fraternitati tuę per Apostolica scripta, pręcipiendo, mandamus, quatenus, si inquisita super hoc de plano, & sine judiciorum strepitu veritate, rem inveneris ita esse, Prębendam ipsam personę idoneę, ac Ecclesię Romanę devotę, sine cujuslibet difficultatis aut morę dispendio, auctoritate nostra conferas, & assignes, amoto ab ea quolibet illicito detentore. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Si vero aliquis Clericus dicto Guillelmo contumaci, superbo, & pro suis iniquitatibus, citra tamen condignum, punito de bonis Ecclesiasticis scienter pręsumpserit ministrare, tu id nobis per tuas literas intimare procures; ut contra talem nominatim, & gravius, procedatur. Datum Anagnię VIII Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto. Mandat ut supra.

1. *Communicet.*) Consule pręcedentia Diplomata.

Irritas (1) facit Excommunicationis, suspensionis, aut Interdicti sententias, in Fratres nostros, ipsorumve causa ab Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque, quibus ex privilegiis Ordinis nefas est, latas & ferendas. Anno 1259 Die 10 Octobris.

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 589.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, per Hispaniam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXLVI.

MEritis vestrę Religionis inducimur, ut quę digne deposcitis, ad exauditionis gratiam admittamus. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, & Pręlati, ac Rectores Ecclesiarum, & alii Clerici per Hispaniam constituti, indulgentiis, ac privilegiis, vobis ab Apostolica Sede concessis minime deferentes, interdum in vos, contra eorum tenores, interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias promulgare pręsumunt, super quo Apostolicę provisionis remedium implorastis; Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, omnes sententias, quas dicti Archiepiscopi, Episcopi, Pręlati, Rectores, & Clerici in vos, seu vestrum aliquem, aut loca vestra, seu quoscunque alios occasione vestri taliter contra indulta, vobis, & Ordini vestro ab Apostolica Sede concessa, in posterum ferre pręsumpserint, quoad personas vestras, & loca, irritas decernimus & inanes, quoad alios vero, in quos occasione vestri ferri contigerit, eas comminuimus, & censemus penitus irritandas. Nulli ergo &c. nostrę Constitutionis infringere &c. vel &c. Si quis &c. Datum Anagnię VI Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto. Exordium. Decernit ut supra.

1. *Irritas.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *Cordubensi*. Plumbum sericis filis appenditur.

Ne quis Fratres Prædicatores Censuris (1) afficiat. Anno 1259 Die 14 Octobris.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 78.

Alexander, Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum per Hispaniam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCXLVII.

MEritis vestrę Religionis &c. Datum Anagnię II Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Censuris.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Religionis &c.*) Ut in pręcedenti Diplomate ad finem usque.

Anno 1259 Die 15 Octobris.

Generali & Provincialibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, ne quis ejusdem Ordinis vestes nostras, vel similes nostris induat (1).

Ex Bullar. Usufmaris pag. 50.

CCXLVIII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali, & universis Provincialibus Prioribus Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hac de re alias sancitum.

Meminimus nos per literas nostras inhibuisse districtius, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, vel extra Ordinem constitutus, habitum dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, aut ita consimilem, quod propter eum Frater Prędicator credi possit, deferre liceat, absque mandato Sedis Apostolicę speciali. Statuimus, quoque, ut hi, qui habitum prędictum, vel sibi prędicto modo consimilem, deferre pręsumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum essent ab eisdem Fratribus requisiti, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, cogerentur. Sed vos, prout accepimus, prędictum Fratrum Prędicatorum habitum, vel ei ita consimilem defertis, quod quando tunicam superiorem deponitis Fratres Prędicatores credimini, & ab eis in hujusmodi habitu non videmini discrepare, quod in eorundem Fratrum redundat scandalum, & fidelium plurimorum. Volentes igitur confusionem habitus evitare, quę sępe confusionem inducit Ordinum, & etiam animorum, & vobis universis, & singulis, necnon & Fratribus omnibus vestrę curę commissis, in virtute obedientię districte pręcipiendo mandamus; quatenus omni dilatione, ac difficultate remotis, habitum hujusmodi penitus deponatis, eum nullo unquam tempore reassumpturi, & vos filii Priores, vestros subditos simili modo eum sine mora deponere compellatis, de sibi vobis, & Religioni vestrę habitu congruo providentes, ita quod contra vos, & eosdem subditos propter hoc durius procedere, vel super hoc providere aliter non cogamur. Datum Anagnię Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Mandat ut supra.

1. *Induat.*) Legesis *Diploma datum V Martii MCCLVIII*, & *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. II.*

Anno 1259 Die 24 Octobris.

Priori Fratrum Prædicatorum Pictaviensium (1), ut antiquet quædam a Canonicis S. Juniani (2) Lemovicensis Diœceseos sancita.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 944.

CCXLIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Pictavien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujusce Diplomatis causa.

Ad tantum mentis excessum Prępositus, & Capitulum Ecclesię Sancti Juniani, Lemovicen. Diœcesis, sicut frequenter audivimus, proruperunt, quod ipsi tam in elusionem provisionum, quę quibusdam pauperibus Clericis auctoritate literarum nostrarum sunt factę in Ecclesia memorata, quorum aliqui contra eos super his per Auditores a nobis eis deputatos, definitivas, quidam vero excommunicationis sententias in personas illorum singulariter per executores nostros, vel subdelegatos eorum obtinuerunt rationabiliter promulgari, tum etiam quia contendunt hęreditarie Dei Sanctuarium possidere, temeritate propria statuerunt, quod singuli ex ejusdem Ecclesię Canonici, qui vigintiquinque fuisse noscuntur, unum, & dictus Prępositus quatuor Canonicos, prout dictaret cuilibet voluntas propria, instituerent in eadem; & si qui eorum pro parte sua nollent tunc ad hoc aliquem nominare, id possent efficere infra annum, ita quod dicti Prępositus, & Capitulum, ad quos spectat ibidem Canonicorum institutio, & collatio Prębendarum, omnes hujusmodi eis pręsentatos recipere in Canonicos tenerentur, & quoties receptionem talium quoquomodo cassari contingeret, toties tenerentur ad receptionem illorum de novo, super his omnibus observandis pręstito illicito juramento. Porro hujusmodi nefandi statuti prętextu viginti eorum nepotes, aut consanguinei, vel affines sunt in Ecclesia ipsa in Canonicos de novo recepti, novem alii recipiendi sunt infra annum, quorum quidam idiotę, aliqui vero pueri, & alii minoris ętatis existunt, sicque, prędictis excommunicatis Canonicis prędictas excommunicationum sententias damnabiliter dicentibus (3) in contemptum, nullus de dictis pauperibus in eadem Ecclesia est receptus, quin potius in eorum odium, Prępositus, & Capitulum supradicti certum in ipsa Ecclesia Canonicorum numerum, qui nondum in ipsa fuerat, statuerunt. Cum autem nostri appositione consilii super premissis deceat salubriter provideri, discretioni tuę per Apostolica scripta districte pręcipiendo mandamus, quatenus tam dictum Statutum, quam receptionem talium ipsius occasione pręsumptam, & quicquid ex eis secutum est, auctoritate nostra irritum revocans, & denuntians penitus non tenere, prędictos de novo in Ecclesia ipsa receptos exinde penitus amoveas, nec permittas occasione ipsius statuti nefarii de cetero aliquos ibidem in Canonicos recipi, & in Fratres. Contradictores &c. Nos enim nihilominus decernimus irritum, & inane quicquid super premissis secus fuerit attentatum. Non obstante indulgentia, qua tibi, vel Fratribus tui Ordinis a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod de causis inviti cognoscere minime teneamini, quę vobis a Sede committuntur eadem, seu qualibet indulgentia dictę Sedis, per quam effectus pręsentium impediri valeat, vel differri. Datum Anagnię IX Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Mandat ut supra.

Decretum irritatur.

1. *Pictaviensium.*) In *Gallia Aquitanica* ad *Clanim* fluvium.
2. *S. Juniani.*) In superiori Agro *Lemovicensi* in *Gallia Aquitanica*.
3. *Dicentibus.*) Forsan *Ducentibus*.

So-

Sorores Prulianas (1) decimis solvendis eximit (2).

Anno 1259 Die 26 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 907.

CCL.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum Monasterii B. Marię de Pruliano Ordinis S. Augustini, Tolosan. Dięcesis, sub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Pietatis opera, cujus observantię vos pro Christi gloria dedicastis, adeo vobis Apostolicę Sedis gratiam promerentur, ut ea, quę cum Deo, & honestate possumus, vobis favore benevolo concedimus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut de possessionibus, quas propriis sumptibus colitis, seu de molendinis vestris, aut de vestrorum animalium nutrimentis non teneamini alicui decimas exhibere; districtius inhibentes, ne quis de pręmissis a vobis decimas exigere, vel extorquere pręsumat, non obstantibus aliquibus indulgentiis impetratis, vel etiam impetrandis, per quas effectus hujusmodi gratię valeat impediri, nos enim decimas hujusmodi ad opus Infirmarię vestri Monasterii deputamus. Nulli &c. nostrę concessionis, inhibitionis, & deputationis &c. Datum Anagnię VII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Indulget ut supra.

1. *Prulianas.*) Vide *Diploma datum XV Octobris MCCXV.*

2. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

Ne Sorores Monasterii S. Felicis de Vada (1) Ordinis Prædicatorum, Pisanæ Dioeceseos, conveniri (2) possint ex Literis Apostolicis, quæ de hoc privilegio mentionem non fecerint.

Anno 1259 Die 8 Novembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 944.

CCLI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monialium inclusarum Monasterii S. Felicis de Vada, Pisan. Dięcesis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Augustini, secundum Instituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Devotionis augmentum vobis, Deo propitio, provenire confidimus, si super his quę digne cupitis, nos benignos ad gratiam habeatis. Hinc est, quod nos vestris piis precibus inclinati, volentes quieti, & paci vestrę paterna diligentia providere, vobis auctoritate pręsentium indulgemus, ut a quoquam conveniri per literas Apostolicas non possitis, nec aliquis contra vos auctoritate ipsarum procedere valeat, nisi eędem literę de indulgentia hujusmodi, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem Nulli ergo &c. nostrę Concessionis &c. Datum Anagnię VI Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Concessio.

1. *De Vada.*) Sic *Pisanum* Monasterium *S. Pauli ad Hortum* olim nuncupatum fuit ex Abbatia *S. Felicis de Vada*, eidem Monasterio ab *Alexandro IV* concessa. Legesis *Fontanam de Romana Provincia pag.* 271.

2. *Conveniri.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V, & XIII.*

Monasterium Santaranense (1) suo & S. Sedis Apostolicæ præsidio munit.

Anno 1259 Die 10 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Sororum inclusarum Monasterii juxta Ecclesiam de Trinitate Santaranen., Ordinis S. Augustini, Ulixbonen. Dięcesis, secundum Instituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sacrosancta Romana Ecclesia, devotos, & humiles filios ex assuetę pietatis officio propensius diligere consuevit; Et ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tanquam pia mater suę protectionis munimine confovere. Epropter, dilectę in Christo filię, vestris justis petitionibus grato concurrentes assensu, personas vestras, & locum, in quo divino estis obsequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę impręsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum, pręstante Domino, justis modis, poterit adipisci, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, specialiter autem domos, hortos, possessiones, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste, ac pacifice possidetis, vobis, & per vos Monasterio vestro, Auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Anagnię IV Idus Novembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

1. *Santaranen.*) In *Portugallia Regno.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Maria ad Gradus Viterbien.*

Le-

Anno 1259 Die 30 Novembris.

Leges (1) in hæreticos latæ.

Ex Pegna ad calcem Directorii Inquisitor. pag. 38.

CCLIII. Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Ancianis, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD extirpanda de medio populi christiani heretice pravitatis zizania, que abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius juxta commissam nobis solicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus eadem in necem catholici seminis pervagari. Ut autem adversus nequitie operarios consurgant, stentque firmiter Ecclesie filii ac Orthodoxe fidei zelatores, Constitutiones quasdam felicis recordationis Innocentius Papa Predecessor noster ad extirpationem heretice pestis edidit, & in Capitularibus vestris conscribi, ac a vobis exacta diligentia observari mandavit, que seriatim inferius continentur. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli Constitutiones easdem conscribi in vestris Capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem heresim, se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Inquisitoribus, seu Inquisitori heretice pravitatis, & eorum singulis damus nostris literis in mandatis, ut singulos vestrum ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Leges istas servari jubet.

Constitutiones autem sunt he.

Statuimus ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, seu Consules, sive quivis alii, qui Civitati presunt, vel loco alii ad presens, aut pro tempore prefuerint in futurum in Italia, jurent precise, ac sine terore aliquo, attendere inviolabiliter, & servare, & facere ab omnibus observari toto tempore sui regiminis tam in Civitate, vel loco sui regiminis, quam in terris sue ditioni subiectis omnes, & singulas, tam infrascriptas, quam alias Constitutiones, & leges tam Canonicas, quam Civiles, editas contra hereticam pravitatem & super his precise servandis recipiet a quibuslibet sibi in Potestaria vel regimine succedentibus juramentum, que qui prestare noluerit pro Potestate, Capitaneo, seu Consule, vel Rectore nullatenus habeatur, & que ut Potestas, Capitaneus, Consul, vel Rector fecerit, nullam penitus habeant firmitatem, nec ullus teneatur, aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela prestanda, eis exhibuerit juramentum: Quod si Potestas, Capitaneus, vel aliquis predictorum hec omnia, & singula servare noluerit, vel neglexerit, preter notam perjurii & perpetue jacturam infamie, ducentarum marcarum penam incurrat, que irremissibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem Communis, cui preest, integre convertantur, & nihilominus ut perjurus, & infamis, & tanquam hereticorum fautor de Fide suspectus, officio, & honore sui regiminis spolietur, nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul, seu Rector habeatur in aliquo, aut de cetero ad aliquam dignitatem, vel officium publicum nullatenus assumatur. Idem quoque Potestas Capitaneus, Consules, Rector, vel quivis alii, ad regimen cujuslibet Civitatis, vel loci assumpti in principio sui regiminis in publica concione, more solito congregata, banno Civitatis, vel loci supponant tanquam pro maleficio omnes hereticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & teneantur bannum hujusmodi a suis predecessoribus positum confirmare, precipue autem, quod nullus hereticus, vel heretica de cetero habitet, vel moretur, aut subsistat in Civitate, seu aliquo loco jurisdictionis, aut districtus ejusdem, & quicunque ipsum, vel ipsam inveniet, libere capiat, & capere possit impune, & omnes res ipsius, vel ipsorum eis licenter auferre, que sint auferentium pleno jure, nisi auferentes hujusmodi sint in officio constituti. Idem quoque Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel quivis alii hujusmodi infra tertium diem post introitum regiminis sui duodecim viros, probos, & catholicos, & duos notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneatur, quos Diecesanus, si presens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Predicatores, & duo Minores, ad hoc a suis Prioribus, si Conventus ibi fuerit eorundem Ordinum, deputati duxerint eligendos. Instituti autem hujusmodi, & electi, possint, & debeant hereticos, & hereticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hec tam in Civitate, quam in tota ejus jurisdictione, atque districtu, plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem Diecesani, vel ejus Vicarii, seu Inquisitorum, vel Inquisitoris. Teneantur autem Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alii ad hujusmodi regimen deputati, quilibet in expensis communis, cui preest, facere duci eosdem hereticos ita captos quocunque Diecesanus, vel ejus Vicarius, seu Inquisitores vel Inquisitor, predicti, in jurisdictione, vel districtu Diecesani Episcopi, seu Civitatis, vel loci, voluerint illos duci. Officialibus vero predictis plena fides de his omnibus adhibeatur, que ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo speciali prestito juramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, ubi duo, vel tres, seu plures presentes fuerint ex eisdem. Porro cum Officiales hujusmodi eliguntur, jurent, hec omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus in his que ad officium eorum pertinent, plenius pareatur. Et tam dicti duodecim, quam Servitores, & Notarii pretaxati simul, vel divisim, plenariam precipiendi sub penis, & bannis taxatis, & expressis in Constitutionibus infrascriptis, que ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Possint autem Officiales predicti communitati, Castris, seu Ville, in districtu, seu jurisdictione Civitatis, cui presunt, precipere sub pena & banno, usque ad centum libras provenien. Senatus, & ultra, ad arbitrium Potestatis, quod Potestati, vel Diecesan., aut ejus Vicario, seu Inquisitoribus, aut Inquisitori hereticorum presentabunt infra prefigendum eis terminum competentem, omnes hereticos, & hereticas, quos, & quas sibi dicti Officiales duxerint assignandos, & Potestas a non servantibus preceptum, penam, vel bannum hujusmodi exigere teneatur. Potestas autem, vel Capitaneus, Consules, seu Re-

Juret Magistratus, se Leges istas observaturum.

Pœnas in violatores Legum decernit.

Heretici banno supponendi.

De Ministris S. Inquisitionis eligendis.

Quo ducendi heretici.

Ministris S. Inquisitionis fides habenda.

Eorundem potestas.

Rector, vel alii hujusmodi, quocunque vocabulo censeantur, teneantur habere firma, & rata omnia precepta, quę occasione officii sui fecerint duo ex ipsis, seu plures, & pęnas exigere non servantium. Quod si dictis officialibus aliquo tempore, aliquod damnum contigerit in personis, vel rebus pro suis officiis exequendis, a Communi Civitatis, vel loci, per restitutionem plenariam serventur indemnes, nec ipsi officiales, vel hęredes eorum possint aliquo tempore conveniri de his, quę fecerint, vel pertinent ad eorum Officium, nisi secundum, quod eisdem Dięcesanis, & Fratribus, & Inquisitoribus, vel Inquisitori videbitur expedire. Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis Potestas, vel quicumque ipsius Civitatis, vel loci regimini pręfuerit, teneatur totidem subrogare officiales, secundum formam pręscriptam, qui predictum officium, secundum formam eandem, in aliis sex mensibus sequentibus exequantur. Sane ipsis Officialibus dentur de Camera Communis prędicti, quando exeunt Civitatem, aut locum, pro hoc officio exequendo unicuique pro qualibet die decem & octo Provenien. in pecunia numerata, quos Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, aut alius hujusmodi teneatur eis dare, vel dari facere infra diem tertium, postquam ad eandem redierint Civitatem, vel locum. Et insuper habeant tertiam partem bonorum hęreticorum, & receptatorum eorum, quę occupaverint, & mulctarum, ad quas fuerint condemnati, secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti, sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit ullo modo, officium, vel etiam exercitium compellantur. Nullum etiam statutum conditum, vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire. Et si quis horum Officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, seu occupationem aliquam, vel excessum, Dięcesano, & Fratribus supradictis visus fuerit amovendus, ipsum ad mandatum, vel dictum eorum teneatur amovere Potestas, Capitaneus, vel quivis alius hujusmodi predictorum, & alium secundum formam pręscriptam substituere loco ejus. Quod si quis eorum contra fidem, & sinceritatem officii sui in favorem hęresis deprehensus fuerit excessisse, pręter notam infamię perpetuę, quam tanquam fautor hęreticorum incurrat, per Potestatem, Capitaneum, Consules, vel Rectorem, seu alium similem, ad Dięcesan., & dictorum Fratrum, vel Inquisitorum, seu Inquisitoris, arbitrium puniatur. Potestas preterea militem suum, vel alium assessorem, si Dięcesanus, vel ejus Vicarius, aut Inquisitores, vel Inquisitor a Sede Apostolica deputati, seu dicti officiales petierint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium exercere fideliter. Quilibet etiam, si presens in terra, vel requisitus fuerit, teneatur tam in Civitate, quam in jurisdictione, vel districtu quolibet, dare ipsis officialibus, & eorum sociis consilium, & juvamen, quando voluerint hęreticum, vel hęreticam capere, vel spoliare, aut inquirere, seu domum, vel locum, aut aditum intrare aliquem pro hęreticis capiendis, sub librarum viginti quinque Provenien. pęna, vel banno. Universitas autem Castri, vel Burgi sub pęna, & banno librarum quinquaginta; Villę vero viginti quinque Provenien. pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata. Quicunque autem hęreticum, vel hęreticam captum, vel captam, auferre de manibus capientium, vel capientis ausus fuerit, vel defendere, ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel curtem, seu locum aliquem, ne capiatur, & inquiratur ibidem, juxta legem Paduę promulgatam per Fredericum tunc Imperatorem, publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur, & domus illa, in qua prohibiti fuerint sine spe rędificandi funditus destruatur, nisi forte Dięcesano, vel in ejus absentia ipsius Vicario, una cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hęreticorum, vel solo ipsi Dięcesano, quando Inquisitorum, vel Inquisitoris pręsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit, pręfatę domus Dominum in hoc casu penitus innocentem, & prorsus inculpabilem extitisse, ac etiam eum non esse credentem, vel receptatorem, aut defensorem, sive fautorem hęreticorum, seu de hęretica labe suspectum, & bona, quę ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hęretici fuissent ibidem inventi, nisi forte legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione majores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam domini domus ejusdem, & tunc propter hanc prohibitionem, vel impeditionem specialem Burgus, vel Castrum componat Communi libras centum, & Villa libras quinquaginta, & vicinia tam Burgi, quam Castri & Civitatis libras vigintiquinque Provenien. in pecunia numerata, nisi infra tertium diem, ipsos defensores vel defensorem hęreticorum Potestati captos duxerint personaliter pręsentandos. Teneatur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alii hujusmodi omnes hęreticos, & hęreticas, qui capti amodo fuerint, custodiri facere sub expensis Communis Civitatis, vel loci, cui pręsunt, per viros catholicos ad hoc electos a Dięcesano, si fuerit pręsens, & Fratribus supradictis, vel Inquisitoribus, seu Inquisitore, in aliquo speciali carcere tuto, & securo, in quo ipsi soli teneantur, scorsum a latronibus, & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum. Si quando aliqui, vel aliquę non hęretici pro captis hęreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsan assignaverint, predicti suppositi, perpetuo carceri mancipentur, & hęretici nihilominus reddi, & assignari cogantur, & qui hunc dolum fecerint, juxta legem prędictam bonis omnibus publicatis, in perpetum relegentur. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, seu quivis alii hujusmodi cum bono, & securo comitatu omnes hęreticos, quocunque nomine censeantur, infra dies quindecim, postquam capti fuerint, Dięcesano, vel ejus speciali Vicario, seu hęreticorum Inquisitoribus, vel Inquisitori pręsentare pro examinatione de ipsis, & eorum heresi facienda. Damnatos vero de hęresi per Dięcesanum, vel ejus Vicarium, seu Inquisitores, vel Inquisitorem predictos, Potestas, Capitaneus, vel alii eorum supradicti, vel ejus, seu eorum Nuncius specialis, eos sibi relictos recipiat statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos Constitutiones contra tales editas servaturus. Teneantur pręterea Potestas, Capitaneus, Consules, aut Rector, vel alii hujusmodi omnes, hęreticos, quos captos habuerint cogere citra membri diminutionem, & mortis periculum, tanquam vere latrones, & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei, & fidei christianę, errores suos expresse fateri, & accusare alios hęreticos, quos sciunt, & bona eorum, & credentes, & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures, & latrones rerum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia, quę fecerunt. Domus autem, in qua repertus fuerit hęreticus, vel hęretica sine ulla spe rędificandi funditus destruatur, nisi dominus domus eos ibidem procuraverit reperiri. Et si dominus illius domus habuerit cum ea domos alias, appendices, cum una eademque domus interdum diversis, & coherentibus mansionibus distinguatur, & omnes illę domus, appendices, sive in domo illa, sive in ejus appendicibus hęreticus, vel hęretica deprehensus fuerit,

Ministri illi serventur indemnes.

Ipsorum munus sex mensibus expletur.

Qualis eorum merces.

Ad nullum aliud officium compellendi.

Quandonam, & a quibus sint amovendi.

Quomodo puniendi.

Omnes prædictis, & Inquisitoribus faveant.

Magistratus ubi voluerit Diœcesanus vel Inquisitor hæreticos captos custodiat.

Assignantes non hæreticos pro hæreticis, puniantur.

Hæretici infra quindecim dies Inquisitorum præsentiam subeant.

Damnati plectantur.

Cogantur hæretici ceteros hæreticos indicare.

Hæreticorum domus destruantur, & earum Domini puniantur.

fuerit, similiter destruantur, & bona quę fuerint inventa in domo illa, ipsiusque appendicibus, nisi forte legitime per testes fide dignos, & omni exceptione majores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam dmnini domuum earundem constiterit, publicentur, & fianr auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti. Et insuper dominus dnmus illius, pręter notam infamię perpetuę, quam incurrat, componat Communi Civitatis, vel loci quinquaginta libras Provenien. in pecunia numerata, quam si non solverit in perpetuo carcere detrudatur. Quę autem de domorum, & appendicium destructione, bonorum publicatione, ac pęnarum impnsitione facienda dominis domuum earundem, pręmissa sunt, volumus observari; nisi forte Dięcesan., vel in ejus absentia ipsius vicario, una cum Inquisitoribus, seu Inquisitnri hęreticorum, vel soli ipli Dięcesan., quando Inquisitorum, vel Inquisitoris pręsentia haberi non poterit, legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione majores, pręfatarum domorum dominos in hoc casu penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse, ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensnres, sive fautores hęreticorum, seu de hęretica labe suspectos, quos nec in domibus, vel appendicibus, nec in bonis eisdem, seu quovis modo puniri volumus, si, ut dictum est, apparuerint innocentes. Burgus, autem ille, seu castrum, in quo hęretici capti fuerint, vel inventi, componat Communi Civitatis libras centum, & Villa libras quinquaginta, & Vicinia tam Burgi, quam castri, & Civitatis, libras vigintiquinque Provenien. in pecunia numerata, nisi infra tertium diem receptatores ipsorum captos pręsentaverint Potestati, sive cuivis alii Pręsidenti ejusdem regimini Civitatis.

Fautores hæreticorum declarantur infames.

Quicunque vero deprehensus fuerit dare alicui hęretico consilium, vel auxilium, seu favorem pręter aliam pęnam superius, & inferius pretaxatam, ex tunc ipso jure in perpetuum sit factus infamis, nec, ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hęreditatis successionem accedat. Nullus pręterea ei super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causę aliquę ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hęreticorum tanquam hęretici puniantur.

Nomina hæreticorum in variis libris sunt describenda.

Teneantur insuper Potestas, sive Capitaneus, Consules, sive Rector quivis alius pręsidens regimini Civitatis, vel loci nomina virorum omnium, qui de hęresi, vel loci fuerint infamati, vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere annotari, quorum unum Commune Civitatis, vel loci, habeat, & alium Dięcesanus, & tertium Fratres Pręedicatores, & quartum Fratres Minores, & ipsorum nomina ter in anno in concione publica solemniter faciat recitari.

Filii hæreticorum omni officio, & dignitate privantur.

Teneatur quoque Potestas, seu Rector vel quicunque regimini supradicto pręfuerit filios, & Nepotes hęreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum eorum, diligenter investigare, eosque ad aliquod officium publicum, seu consilium nullatenus admittere in futurum.

Potestas tenetur Inquisitoribus dare unum de suis assessoribus qui compellat alios indicare hæreticos, & ipsorum bona.

Teneatur pręterea Potestas, seu Rector vel quivis alius hujusmodi regimini pręsidens unum de Assessoribus suis, quem elegerit Dięcesanus, si fuerit pręsens, & Inquisitores, seu Inquisitor, pręedicti ab Apostolica Sede dati, mittere cum eis, quandocunque voluerint, in jurisdictione Civitatis, atque districtus qui Assessor secundum quod pręedictis Inquisitoribus, seu Inquisitori visum fuerit, ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compellat, quod si quos ibidem hęreticos sciverint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita, & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hęreticorum, eos dictis Inquisitoribus, sive Inquisitori, studeant indicare; ipse autem Potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Friderici tunc Imperatoris, Padue promulgatas.

Infra decem dies pœnas dent rei.

Teneatur insuper Potestas, seu quivis Rector Civitatis vel loci, quocunque vocabulo nuncupentur in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis, vel occupatis, consignandis, & dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies, postquam accusatio, sive denuntiatio facta fuerit, hęc omnia exequi cum effectu; & condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere, & dividere illas, sicut inferius continentur, & eos, qui solvere non poterunt banno maleficii supponere, & donec solvant in carcere detinere. Alioquin pro his omnibus & singulis syndicetur, sicut inferius continetur. Et insuper teneatur unum de Assessoribus suis quemcunque Dięcesanus, vel ejus Vicarius, & dicti Inquisitores seu Inquisitor hęreticorum, voluerint ad hęc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

Pœnæ prædictæ nullo modo relaxentur.

Omnes autem condemnationes, vel pęnę, quę occasione heresis factę fuerint, neque per concionem, neque per concilium, neque ad vocem Populi, ullo modo, aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari. Teneatur insuper Potestas, Capitaneus, consul, seu quivis alius Rector omnia bona hęreticorum, & receptatorum eorum, quę per dictos officiales fuerint occupata, seu inventa, & condemnationes pro his exactas, dividere tali modo; Una pars deveniat in Commune Civitatis, seu Loci, Secunda in favorem, & expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint, Tertia ponatur in aliquo tuto loco secundum quod dictis Dięcesano, & Inquisitoribus, vel Inquisitori, videbitur reservanda, & expendenda per consilium eorundem in favorem Fidei, & ad hęreticos extirpandos, non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo condito, vel condendo.

Ne quid ex dictis immutetur, cavet.

Si quis autem de cetero aliquod illorum statutorum, seu Constitutionum attentaverit delere, diminuere, vel mutare sine auctoritate Sedis Apostolicę speciali, Potestas, Capitaneus, seu Consul, vel alius quivis Rector, qui pro tempore fuerit in illa Civitate, vel loco teneatur eum tanquam defensorem hęreticorum publicum, & Fautorem secundum formam pręscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta Provenien. in pecunia numerata, quam si exigere non poterit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi solverit duplam dictę pecunię quantitatem.

Rectores examen subeant.

Teneatur sane Potestas, sive Capitaneus, Consul, seu quivis Rector infra decem dies sui regiminis syndicare pręcedentem proximo Potestatem, Capitaneum, Consulem, vel Rectorem, & ejus etiam Assessores per tres viros catholicos, & fideles quos eligant una cum Dięcesan. Fratres Pręedicatores, & Minores, a suis Priore, & Guardiano, pariter assignati, de omnibus his, quę in statutis istis, seu Constitutionibus, & legibus contram hęreticos, & eorum complices editis continentur, & punire ipsos, si excesserint, in omnibus, & singulis, quę omiserint, & cogere restituere de propria facultate, non obstante, si per

ſi per aliquam licentiam conſilii, vel alterius cujuslibet a ſyndicatione fuerint abſoluti; jurabunt autem prędicti tres viri bona fide ſyndicare pręfatos de omnibus ſupradictis. Ceterum teneatur Poteſtas, ſive Capitaneus, Conſul, aut quivis Rector cujuslibet Civitatis, vel Loci delere, ſeu abradere penitus de Statutis, & capitularibus Communis quodcunque ſtatutum conditum, vel condendum inveniatur contradicere iſtis Conſtitutionibus, ſeu ſtatutis, & legibus, ſive quomodolibet obviare, & in principio, & in medio ſui regiminis, hęc ſtatuta, ſeu Conſtitutiones, & leges in publica concione facere ſolemniter recitari, & etiam in aliis locis extra Civitatem ſuam, ſeu locum, ſicut Dięceſanis, ſeu Inquiſitoribus, ſive Inquiſitori, & Fratribus ſupradictis videbitur expedire. Porro hęc omnia ſtatuta ſeu Conſtitutiones, & leges, & ſi quę alię contra hęreticos, & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apoſtolicę conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri, quorum unum ſit in ſtatuto Communis cujuslibet Civitatis, ſeu loci, ſecundum apud Dięceſanum, tertium apud Fratres Prędicatores, quartum apud Fratres Minores, cum omni ſinceritate ſerventur, ne poſſint per falſarios in aliquo violari. Datum Anagnię II Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Statuta contraria, ſi quæ ſint, irrita declarat.

Statuta iſta quatuor in libris notentur.

1. *Leges.*) Conſulenda notata in *Bullam datam XV Maii MCCLII.*

Cura Monialium, aliiſque nonnullis oneribus levat (1) Fratres Prædicatores.

Anno 1259 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INſpirationis Divinę gratia faciente, vos, quos in lucem gentium Dei ſapientia dediſſe dignoſcitur, ad hoc continuis deſudaris affectibus, ut ſpiritualem conſequendo lętitiam, quę per quietem contemplationis acquiritur, & prędicationis ſacrę ſtudium obtinetur, ſic decurratis pręſentis vitę ſpatium, quod, annuente Jeſu Chriſti clementia, vobis tandem, ac proximis proveniat gloria perpetuę claritatis. Digne igitur, quia per ea, quę vobis a Sede Apoſtolica committuntur, principalis veſtri propoſiti nonnunquam executio impeditur, & non modicum ſaluti detrahitur animarum, auctoritate vobis pręſentium indulgemus, ut ad correctionis, ſeu viſitationis officium Monaſteriis, vel Eccleſiis impendendum, aut ad cognitiones cauſarum, ſententiarum executiones, vel ad alia contingentia cauſas ipſas, ſeu citationes, & denunciationes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationum procedere, vel recipere curam Monialium, ſeu Religioſarum quarumlibet, nulli Fratrum veſtrorum de cetero teneantur, vel compelli poſſint, quod ſint in cauſis aliquibus Aſſeſſores, per literas Sedis Apoſtolicę, vel Legatorum ipſius, aut quaſcunque perſonas, niſi ejuſdem Sedis literę expreſſe de hac indulgentia, & veſtro ſpecialiter Ordine fecerint mentionem. Nulli ergo omnino &c. Datum Anagnię Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium.

Indulget ut ſupra.

1. *Levat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tit. X*, & *XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Sororibus Santaranen. (1), ut in Ædibus ſacris ejuſdem Monaſterii tempore Generalis Interdicti (2) res Divina peragi poſſit.

Anno 1259 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CCLV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii Santaranen. Ordinis S. Auguſtini, Ulixbonenſis Dięceſis, ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEvotionis veſtrę precibus inclinati, pręſentium vobis auctoritate concedimus, ut cum Generale terrę fuerit Interdictum, liceat vobis, clauſis januis, excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, & voce ſuppreſſa, in Monaſterio veſtro dicere horas Canonicas, & audire Divina a proprio Capellano, dummodo vos, & idem Capellanus, cauſam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat ſpecialiter interdici. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Anagnię Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Concedit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Santhranen.*) In *Portugallia.*

2. *Interdicti.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Abſolu-

Anno 1259 Die 13 Decembris.

Absolutionem Palavicino (1), Bosio de Doata, & Cremonensibus temere datam, prætermissis Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, nullam esse declarat.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccles. ad an. MCCLIX num. VI.

CCLVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiscopo Ebredunensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

SAtis ex devota tuarum serie literarum, satis etiam ex nostra mente collegimus, quam implicitus, & confusus, quam detestabilis, & damnosus dudum fuerit, & sit hodie Lombardię status, quę in hoc potissime vigere dignoscitur, quod dispendiosis litibus, & periculosis discordiis non sine offensa gravissima implicetur, Nobis, sicut & quibusdam Romanis Pontificibus Prędecessoribus nostris, fundentibus propter hoc sępe profunda suspiria, & etiam lacrymosa. Procedit ex iis, quod & super valetudine corporali, & multimoda cordis angustia, quam sub multorum de partibus illis detestanda versutia frequentissime pertulisse dignosceris, tibi paternis affectibus condolemus, ac etiam te plenis in Domino prosequimur actionibus gratiarum, quod susceptę Legationis officium cum omni diligentia, & virtute prosequi studuisti. Ad hęc, quia instanter, ac humiliter petivisti, ut super diversis articulis, quos prędictę tuę literę continebant, tibi nostrum beneplacitum exponere curaremus, nos fraternitati tuę duximus respondendum, quod beneficium absolutionis per quandam Religiosam personam Palavicino, & Bosio de Doata, ac etiam Cremonen. illis, qui tunc contra quondam perfidum, & impium Ezelinum in exercitu existebant, temere pręstitum, cum nullam super hoc potestatem habuerit, & Ecclesię formam in aliquo non servarit, Fratribus Minoribus, & Prędicatoribus prętermissis, per quos, juxta ordinationem tuam, hujusmodi absolutio debuit provenisse, irritum esse, auctoritate nostra decernas, ac illud publice denunties non tenere; provisto, quod si prędicti Palavicinus, & Bosius redire velint ad mandatum Ecclesię reverenter, & in ejus devotione persistere pura fide, ac societatem, seu confęderationem penitus abjurare, quam cum Manfredo, quondam Principe Tarentino, seu quibuscunque aliis Dei, & Ecclesię inimicis, damnabiliter inierunt, necnon super iis, pro quibus per Sedem Apostolicam excommunicationis vinculo sunt astricti, satisfactionem congruam impertiri, tu eis, recepta prius ab ipsis de iis observandis idonea cautione, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię largiaris; facturus id ipsum circa Cremonenses, & quoscunque alios, aut Communitates etiam Lombardię, seu Marchię Tarvisinę, quoad excommunicationis & interdicti sententias relaxandas: si tamen ipsi juxta prędictum modum ad mandatum ipsius Ecclesię cum debita velint humilitate redire. Circa satisfactionem vero pręstandam ab eis, cum vix, aut nunquam posse provenire credatur, ac etiam super obtinenda idonea cautione, quod ipsi mandatum Ecclesię fideliter observabunt, procedas, prout tua discretio melius viderit expedire; diligentiam, quam poteris habiturus, ut Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, bonorum immobilium omnino, necnon & mobilium, si qua extant, competens fiat restitutio, quę prędicti Palavicinus, & Bosius, seu Communitates olim eisdem Ecclesiis & personis indebite abstulerunt. Provideas etiam diligenter, quod si qua ipsi juga, vel onera Ecclesiis, & personis eisdem imposuerunt hactenus, vel de cetero duxerint imponenda, illorum & statutorum, ac omnium aliorum fiat amotio, quę redundant in earum pręjudicium, & libertatis ecclesiasticę detrimentum. De facienda quidem confęderatione, vel societate inter aliquas civitates, Ecclesię Romanę nomine, cum ipsam talibus non deceat implicari, te nullatenus intromittas. Pręterea quia merentium consolator Dominus gemitus Ecclesię suę clementer audivit, & lacrymis plurimorum, qui ejus misericordiam super tantis ipsorum angustiis assidue implorabant, finem imposuit affectatum, brachio suę potentię confringendo prędicti cornua Ezelini, Crucem amodo non prędices, nec facias prędicari. Votorum etiam redemptiones non exigas; nec facias ab illis exigi, qui olim contra Ezelinum eundem Crucis signaculum assumpserunt, quia nos opportuno tempore, prout expediens fuerit, super hoc curabimus providere. Ceterum tuę circumspectioni committimus, ut in partibus illis maneas, & tuę Legationis officium, juxta morem, prudenter, ac laudabiliter exequaris, dummodo consideratis circumstantiis opportunis fiduciam habeas, quod super iis, quę honorem contingunt Ecclesię, possis, Deo propitio, prosperare. Si vero tua pręsentia ibidem non fuerit fructuosa, licentiam tibi concedimus, quod ad nos, duce Domino, revertaris. Datum Anagnię Idibus Decembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Absolutionem prædictam irritam declarat.

Quonam modo Palavicinus ceterique sint absolvendi.

1. *Palavicino.*) Seu *Pelavicino*: Hic autem notanda paucis aperit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLIX num. V, ubi hæc habet: *Cum . . . Palavicinus, Boso, Cremonenses, aliique populi antea ab ea* (Ecclesia) *anathemate defixi, cum adversus Ezelinum fœdus percusserant, non rite a quodam viro Religioso absoluti fuissent, Alexander Ebredunensi Episcopo, A. S. L., partes imposuit, ut si illi in fide Ecclesiæ perstare in animum induxissent, fœdera cum Manfredo olim Principe Tarentino, aliisque Romanæ Ecclesiæ hostibus infringerent, atque illata damna resarcirent Apostolica auctoritate Ecclesiæ conciliaret. Ex monumento enim pervetusto, in quo fœderis illius contracti a Palavicino, Bosone, & Cremonensibus cum Marchione Estensi, Mantuanis, ac Mediolanensibus, contra Ezelinum leges descriptæ sunt, ea recensentur, ut Manfredum tanquam Siciliæ Regem legitimum, & amicum haberent, atque ad eum in Pontificis gratiam restituendum operam navaturos spponderent, cujus fœderis conditio, cum Romanæ Ecclesiæ juribus adversaretur, quæ ferebatur, ut invasorem Siciliæ pro Rege legitimo colerent, eam rescindendam censuit, ac Manfredi societati renunciare, si fidelium numero aggregari vellent, imperavit.*

F. Albertum (1) Episcopum Ratisponensem constituit.

Anno 1260 Die 5 Januarii.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 941.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Alberto de Ordine Predicatorum, Lectori Colonien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLVII.

Exordium.

SUsceptę servitutis officium nos inducit, ut inter solicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa Ecclesias solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus: In eo maxime, ut viduatis, ne longę vacationis dispendia patiantur, de talium nostrę diligentię studio provideatur, substitutione Pastorum, per quos & spiritualibus proficiant institutis, & incrementis temporalibus augeantur. Sane cum Ratisponensis Ecclesia per cessionem venerabilis Fratris nostri Episcopi quondam ipsius Ecclesię, Pastoris solatio sit destituta, nos ad relevandum (3) statum (4) ejusdem Ecclesię paternis, prout ad Nostrum spectat officium, affectibus intendentes, de persona tua, nobis, & Fratribus nostris merito tuę probitatis accepta, eidem Ecclesię, de ipsorum Fratrum nostrorum consilio, duximus utiliter providendum. Cum enim de Divinę legis fonte adeo salutiferę fluenta Doctrinę potaris, quod ejusdem in tuo pectore vigeat plenitudo, tibique presto sit, in iis quę Dei sunt, judicium rationis, indubitatam spem gerimus, quod Ecclesię predictę, quę in spiritualibus, & temporalibus asseritur multipliciter deformata, cicatrix obduci, & ruina per tuę diligentię studium poterit restaurari. Quocirca tibi mandamus, quatenus nostris, quin potius divinis beneplacitis te coaptans, & provisionem acceptans hujusmodi, ad Ecclesiam prefatam accedas, acturus juxta datam tibi a Deo prudentiam utiliter curam ejus. Nos enim in votis gerimus, te in reformatione ipsius Ecclesię semper prosequi favoribus opportunis. Datum Anagnię Nonis Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Constituit ut supra.

1. *Albertum.*) *B. Albertum Magnum*, de quo superius, & in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV.*
2. *Archivo.*) Idem habes apud *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCLXII pag.* 168.
3. *Relevandum.*) Librarius *Echard* legit: *Revelandum.*
4. *Statum.*) Idem scripsit: *Statutum.*

Ratisponensi Capitulo Fratrem Albertum, Ordinis Prædicatorum Lectorem, Episcopum Ratisponensem creatum significat (1).

Anno 1260 Die 5 Januarii.

Ex Arch. (2) Ordinis lib. A. fol. 940.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Decano, & Capitulo Ratisponen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLVIII.

Exordium.

SUsceptę servitutis &c. (3). De persona dilecti filii Fratris Alberti de Ordine Fratrum Predicatorum, Lectoris Colonien., Nobis, & Fratribus nostris merito suę probitatis accepta, eidem Ecclesię, de ipsorum Fratrum nostrorum consilio, duximus utiliter providendum. Cum enim idem Frater de legis divinę fonte adeo salutiferę fluenta doctrinę potarit, quod ejusdem doctrinę in suo pectore vigeat plenitudo, sibique presto sit in his, quę Dei sunt, judicium rationis, Indubitatam spem gerimus, quod Ecclesię predictę, quę in spiritualibus, & temporalibus asseritur multipliciter deformata, cicatrix obduci, & ruina per suę diligentię studium poterit restaurari. Quocirca universitati vestrę per Apostolica scripta, precipiendo, mandamus, quatenus eundem Fratrem ad supradictam Ecclesiam accedentem, recipientes hilariter, & honeste tractantes, ei tanquam Patri, & Pastori animarum vestrarum plene, ac humiliter intendatis, & exhibeatis eidem obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devote, ac irrefragabiliter conservando; alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Anagnię Nonis Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

F. Alberti encomium.

Ipsi obediendum jubet.

1. *Significat.*) Consule præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) Ejusdem Diplomatis meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCLXII pag.* 168.
3. *Servitutis &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *Affectibus intendentes.*

Inquisitoribus ad singula quæsita respondet (1).

Anno 1260 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus hereticę pravitatis in partibus Italię, presentibus, & futuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLIX.

Exordium.

QUod super nonnullis Constitutionum (3) Articulis, in quibus causa fidei tangitur, Nos consuluere voluistis, sollicitudinis vestrę prudentiam in Domino commendamus. Primus igitur vestrę consultationis articulus continebat, utrum debeat dici relapsus in heresim, qui lapsus est in eam post abjurationem ipsius, in qua non invenitur antea commisisse, cum secundum proprietatem verborum non videatur relapsus, qui non fuerat ante lapsus? Ad quod taliter respondemus; quod talis, si tanquam accusatus, vel suspectus de heresi, eam in judicio abjuravit, & postea committat in ipsa, censeri debet quadam juris fictione relapsus, licet ante abjurationem suam plene probatum non fuerit crimen heresis contra ipsum, dummodo

Quis dicatur relapsus in heresim.

prius hujusmodi orta suspicio, violenta fuerit, & certis, ac veris indiciis comprobata; si vero levis, & modica, quanquam sit ex hoc gravius puniendus, relapsorum tamen in heresim non debet pena puniri, ex quo presumi non potest verisimiliter ante lapsus in eam. Quesivistis etiam circa idem, si is, qui heresim abjuravit, & per solam inexcusabilem receptationem, vel receptionem, aut deductionem, seu associationem, vel visitationem hereticorum, sive dationem, vel missionem munerum, aut etiam alias in favorem eorum, qui excusari non possint, sine adoratione tamen, ut verbis vestris utamur, lapsus est postmodum, propter hoc debeat judicari relapsus? Et quidem si legitime constitit, vel etiam nunc constaret, quod tales, ante hujusmodi abjurationem, in heresi commisissent, non est dubium eos, ex hoc fuisse relapsos, quia tunc dubitari non debet, illos ex approbati a se prius erroris consequentia, id fecisse. Preterea nonnulli talium, ut proponitis, jurant coram Inquisitoribus, tam de se, quam de aliis super facto heresis veritatem dicere, sed perjurant, non odio tamen, vel pretio, sed timore sui potius, & suorum: corrigunt autem se postmodum super iis, contra se, ac alios suos complices deponendo. Cum itaque perjurus secundum jura, etiam post penitentiam, in criminalibus a testimonio repellatur, hinc queritur, utrum contra illos suos complices, sit per testimonia talium procedendum. Super quo taliter respondemus; quod cum crimen hujusmodi sit exceptum, si ex manifestis indiciis apparuerit, tales, non animi levitate, aut odii fomite ductos, seu corruptos pecunia, sed zelo fidei tanquam penitentes proprie culpe, asserere, quod talia prius tacuerant, & velint in hoc errorem suum corrigere, ac alios nominare, stari debet in favorem fidei, nisi aliud obsisteret attestationibus eorundem. Ad aliud autem quod queritur; utrum ad Inquisitores heresis pertineat de Divinationibus, & sortilegiis, que contra aliquos sibi denuntiantur, cognoscere, ac punire talia exercentes? Breviter respondetur, quod, cum negotium Fidei, quod summe privilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri, Inquisitores ipsi de iis, nisi manifeste saperent heresim, ratione hujusmodi Officii sibi commissi, se nullatenus intromittant, sed eos relinquant suis judicibus penis debitis castigandos. Quidam insuper, ut adiicitis, pro his, que commiserunt in heresim, astringunt se Inquisitoribus sub obligatione bonorum suorum, ad recipiendum ab eis penitentiam, & complendam, sed ea licet iniuncta, non tamen peracta, quin potius in toto, vel in parte neglecta, decedunt. Queritur ergo utrum Inquisitores ipsi, vel qui in eorum locum succedunt, possint ad satisfaciendum pro ipsis defunctis, heredes, vel detentores bonorum sic decedentium coarctare. Ad quod dicimus, quod si per hujusmodi penitentiam, aliquod onus ad salutem proficiens impositum fuerit, in bonis temporalibus exequendum, ad complementum ipsius, per Inquisitores cogi debent heredes, vel alii, ad quos bona talium, cum suo onere devenerunt. Injungitur etiam aliquibus ad penam in penitentia pro heresi ab ipsius pestis Inquisitoribus, ut usuras restituant, ad quod obligaverant in judicio Ecclesie se, & sua. In quo queritur utrum Inquisitores ipsi, vel qui succedunt in locum eorum, ad respondendum coram se conquerentibus de usuris hujusmodi, & ad restitutionem earum, si de ipsis constiterit, possint compellere taliter penitentes, prout ab eis in aliis sibi injunctis penitentiis fieri consuevit? Ad quod respondemus Questionem motam super usuris contra tales, judicialiter non debere audiri ab Inquisitoribus heresis, nec decidi. Nolentes, quod per causas hujusmodi offendiculum negotio Fidei preparetur; eos tamen ad restitutionem usurarum, de quibus constitit, compellere poterunt, quibus in satisfactione pro predicto crimine hanc restitutionem in penitentia injunxerunt. Sunt & alii qui confessi sunt in judicio de heresi coram, Inquisitoribus hujusmodi pravitatis, sed antequam eis injungeretur penitentia, decesserunt. Super quo queritur, si heredes talium, compelli possint ab Inquisitoribus, ut ad ipsorum arbitrium satisfaciant pro defunctis, precipue cum ii, dum viverent, ad faciendam penitentiam, quam Inquisitores eis vellent injungere, bona sua Inquisitoribus obligaverint? Cui questioni, sic duximus respondendum; quod postquam tales non decesserunt heretici, sed reincorporati potius Ecclesie unitati, non videmus, quod eis post mortem, vel eorum heredibus, qui ad successionem talium admittuntur, sit satisfactio pro extincto jam crimine injungenda. In eo vero casu, in quo hujusmodi heredes ad successionem non deberent, ob culpam sui actoris, admitti, non obstante, quod actoribus ipsis viventibus hoc non fuerit, intercedente ipsorum morte, per sententiam declaratum, ad confiscationem bonorum post mortem nihilominus procedatur. Adiecistis preterea negotium, seu Officium Inquisitionis contra hereticos dilecto filio Priori Fratrum Predicatorum Parisien. a Sede Apostolica fuisse sub ea forma commissum, ut idem super hoc posset inquirere, tam per se, quam per alios, quos ad hoc idoneos reputaret; In quo queritur, utrum tales delegati, vel subdelegati existant; & quid possint etiam sic electi? Super quo duximus taliter ordinandum? quod idem Prior possit tres, vel quatuor idoneos ad hoc opus assumere, qui parem cum ipso habeant potestatem; & amovere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescunque viderit expedire; Ipsi tamen Priori, & aliis sic assumptis, committendi duntaxat citationes, & examinationes testium, cum de hujusmodi crimine, ac circumstantiis ejus inquiritur, ac denuntiationes sententiarum, quas super iis contra quoslibet contigerit ferri, & iis similia faciendi, conceditur ab eadem Sede facultas. Questioni vero, qua queritur, utrum constitutus in Sacris deprehensus in heresi, & propter hoc immurandus perpetuo, prius sit ab Ordinibus a suo Episcopo degradandus, antequam tradatur huic penitentie? Respondemus, quod talis, qui est perpetuo immurandus, prius debet a suis Ordinibus degradari. Nonnulli quoque Clerici, & quod deterius est, Sacerdotes, pretextu pecunie vel alicujus servitii temporalis inveniuntur aliquando Inquisitionis impedire negotium, instruendo citatos hereticorum credentes, de celanda veritate, falsitate dicenda, vel eos indebite liberando; de quibus queritur, utrum Inquisitores possint tales capere, aut etiam retinere, aut quod sic accepta restituant, coarctare. Dubium itaque non videtur, quod ii, quos constat exercere premissa, ea faciunt in favorem heretice pravitatis, quare possunt a talibus per Inquisitores compesci, & pena debita castigari, tam per captionem personarum, quam etiam alias, prout culpa exegerit delinquentis. Quod autem postmodum querebatur, quomodo essent puniendi Religiosi, qui inveniuntur in heresim deliquisse; cum Seculares peccantes in simili casu, immurationis, vel alia pena plectantur; ejus solutio satis patet, cum certum sit, tales in hoc consimilibus delinquentes, gravius etiam secularibus puniendos. Frequenter etiam vobis ab Apostolica Sede committitur, ut tam hereticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, quam ipsorum filios, & nepotes, ac illos etiam, qui predictorum interventu, vel gratia, tale essent adepti, vel assequerentur in posterum, privandi Perso-

Utrum aliis perjuris credendum.

Utrum de divinationibus & Veneficiis Inquisitores possint cognoscere.

Utrum poenam decedentibus constitutam heredes pendere debeant?

Num de usuris cognoscant Inquisitores.

Utrum debitas quidem, sed hereticis defunctis non propositas poenas persolvere debeant heredes.

Quid possint a Fidei censoribus delegati.

In æterna vincula conjiciendus, ex sacris Ordinibus depellendus est.

Qui moræ fuerint Inquisitoribus, Clerici poenas debitas luant.

Religiosus in hæresim delapsus gravius puniendus.

Quinam privandi Beneficiis Ecclesiasticis ceterisque Dignitatibus.

Personatibus, dignitatibus, & honoribus quibuscunque, ac beneficiis & Officiis publicis Ecclesiasticis de Diœcesanorum, vel, eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, habeatis liberam facultatem. Quod qualiter intelligi debeat, petivistis ejusdem Sedis oraculo declarari. Hoc sane de filiis, & nepotibus illorum hæreticorum, credentium, & aliorum hujusmodi qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emendatos constiterit, & pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam ipsi, vel jam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni ejus insistunt, vel parati fuerunt, dum viverent, ad recipiendam eandem. Diœcesani quoque in privandis talibus sunt generaliter requirendi, nisi forsan constaret legitime, quod iidem scienter eis beneficia contulissent; tunc enim eos in iis requirendos esse non credimus, sed potius a suo judice puniendos. Vos igitur circa hæc, & alia contingentia in hac parte, commissum vobis officium, sic prudenter, & fideliter exequi procuretis, sic ad ea pure propter Deum, cujus causam geritis, vestra feratur intentio, quod labor vester vobis ad vitæ premium, & aliis ad salutem, quæ solum in talibus quæritur, proficiat animarum. Datum Anagniæ (4) IV Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Respondet.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In *Ms.* cui Titulus: *De Sacro Inquisitionis officio.* Apud *Pegnam ad Calcem Directorii Inquisitor. pag.* 30 Fratribus Minoribus inscriptum legitur. Sic etiam apud *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVIII num. IX,* & *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLVIII num. VIII pag.* 172.
3. *Constitutionum.*) Iidem scripserunt: *Quæstionum.*
4. *Anagnia.*) Apud *Pegnam* & *Bzovium* datum fertur: *Viterbii V Kalendas Octobris, Pontificatus Alexandri IV Anno Quarto*: Apud *Vvaddingum* vero: *Anagniæ Idibus Decembris, Pontificatus Anno Quarto.*

Magistro & Fratribus, ut qui juramento, vel votis etiam solemnibus alteri deditus, in Ordine nostro vota (1) solemnia nuncupavit, istius sit.

Anno 1260 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

PEtitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod nonnulli Fratrum vestri Ordinis, antequam Ordinem ipsum intrarent, quod alium ingrederentur Ordinem, eorum aliqui juramento, quidam autem solempni voto, & alii promissione simplici se ligarunt. Quare nobis humiliter supplicastis, ut cum tales Ordinem vestrum ingressi, jam sint in eo vinculo professionis astricti, curaremus super hoc salubriter providere. Nos igitur & saluti talium, & paci vestræ, in hac parte consulere cupientes, ac hujusmodi eorum ingressum contra præmissa taliter attemptatum ratum babentes, & firmum, præsentium auctoritate concedimus, ut juramentis, votis, & promissionibus hujusmodi nequaquam obstantibus, illi, qui sic jurarunt, exceptis iis qui fuerant Cistercien., vel Minorum Fratrum Ordines professi, possint in Ordine vestro permanere. Datum Anagniæ Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cistercienses, & Minores Fratres excipit.

1. *Vota.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Inquisitoribus Lombardiæ, ut perpetuum tenebris vinculisque mandent Stephanum Confanonerium de interfectione S. Petri (1) Martyris, & hæresi damnatum.

Anno 1260 Die 21 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Lombardia, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat.

OLim contra nobilem virum Stephanum Confanonerium de Aliate, Mediolanen. Diocesis, inquisitione, sicut accepimus, vobis insinuantibus, per vos habita super eo quod ipse de hæretica pravitate graviter infamatus fuerat, & comperto quod a multis retro temporibus credens (3), & receptator hæreticorum, & ipsorum defensor erroris, fideique catholicæ publicus impugnator extiterat, quodque culpabilis in B. Petri Veronensis Martyris, ejusque socii necem fuit; tandem eo pluries citato legitime ad sententiam audiendam, & comparere per se, vel per alium, contumaciter contempnente, vos ipsum, sapientum communicato consilio, vinculo excommunicationis, exigente justitia, innodastis, atque pronunciastis, & condempnastis, esse credentem, defensorem & receptatorem, & fautorem hæreticorum, & hæreticum manifestum, eumque tanquam publicum hæreticum capiendum fore, ac perpetuo carceri mancipandum, filios & nepotes, si quos tunc habebat, vel in futurum haberet, ecclesiasticis dignitatibus, personatibus, beneficiis, & honoribus quibuscumque, ac publicis officiis privantes, & privandos imposterum esse, ac bona ipsius Stephani confiscanda, ipsumque Stephanum, filios, & nepotes ejusdem subjacere pœnis aliis, per constitutiones canonicas, & legitimas sanctiones, hæreticis, & eorum filiis, & nepotibus imposita, decernentes. Cumque postmodum idem Stephanus in vestra comparens præsentia, & ex propria confessione culpabilem se ostendens, reconciliari catholicæ unitati a vobis humiliter postulasset, vos ipsum ad nostram destinastis præsentiam, pœnam de commissis, & pœnitentiam recepturum. Porro nobis agentibus de imponenda sibi pœnitentia salutari, ipse tamquam sibi male conscius, & de misericordia Ecclesiæ non confidens, illicentiatus ab Apostolica Sede discessit. Sed Dominus Deus nolens eum relinquere libero perversæ voluntatis arbitrio, quo ad interitum pertinebat, aut quod temporaliter impunitus æternis ultricis gehen-

Mandat ut supra.

gehennę cruciatibus servaretur, ipsum nuper dedit salubri captionis laqueo, ne medelam effugiat, comprehendi, quem vos, ut asseritis, detinentes, polluiastis, quid de eo sit vobis agendum? Literis Apostolicis edoceri. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus fortem carcerem & securum in loco, ubi custodiri possit, & de quo non verisimiliter credendum, quod per hostium potentiam, vel factionem inde possit educi, fieri procurantes, eidem incarceratum Stephanum, ad peragendam pęnitentiam, perpetuo mancipetis; facientes per loci Diocesanum, & Clerum tam de expensis carceris construendi, quam de incarcerati sumptibus necessariis providere; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Ceterum quę pęna, vel quę pęnitentia alias ipsi Stephano, ejusque posteritati sint pro meritis infligendę, juxta sanctiones canonicas & civiles, vestrę circumspectionis Industrię duximus relinquendum. Ad quas, pensatis singulis circumstantiis diligenter, prout honori Dei, & dilatationi fidei orthodoxę expedire videbitis, procedatis. Quod si non omnes iis exequendis. commode potueritis interesse, duo, vel unus, vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagnię XII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *S. Petri.*) Vide *Diplomata data XIII Junii MCCLI, & XXV Martii MCCLIII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Credens.*) Legesis *notam XLII in Diploma datum XXXI Octobr. MCCXLIII.*

Anno 1260 Die 30 Januarii.

Ædes Sacras FF. Prædicatorum Rotomagen. (1) singulis Festis B. Mariæ Virginis, SS. Jacobi, Matthæi, Dominici, & Petri Martyris, Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris, die Dedicationis ejusdem Templi, ac per Octavas eorundem visitantibus Indulgentiam (2) elargitur.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCLXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Vite perennis &c. (4). Quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Predicatorum Rotomagen. quę in honorem Sancti Jacobi Apostoli noscitur esse constructa &c. (5). Qui ad Ecclesiam ipsam in singulis Festivitatibus gloriosę Marię Virginis, & predicti Sancti Jacobi, ac Beatorum Matthęi Apostoli, Dominici, & Petri Martyris ejusdem Ordinis professorum, & Sanctę Agnetis Virginis & Martyris, necnon & in Anniversario die Dedicationis ejusdem Ecclesię, & septem diebus immediate sequentibus causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnię III Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Rotomagen.*) In *Normannia.*
2. *Indulgentiam.*) Sicut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.
4. *Perennis &c.*) In *Diplomate dato XXVII Aprilis MCCLVII* ad hæc usque verba: *Quatenus ad Ecclesiam.*
5. *Constructa &c.*) Ibidem ad hæc usque: *Pœnitentibus & confessis.*

Anno 1260 Die 6 Martii.

Excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias in Fratres nostros, ipsorumve causa ab Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque, quibus ex privilegiis Ordinis nostri nefas est, latas & ferendas, irritas (1) facit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Meritis Religionis vestrę &c. (3). Datum Anagnię II Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Irritas.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem habes apud *Castellanum pag. 27*, & in *Constitutionibus Ord. Prædicat. typis evulgatis anno MDV num. LVI, in aliis MDVII num. LX.*
3. *Vestra &c.*) Ut in *Diplomate dato X Octobris MCCLIX.*

In

In Cœnobii nostri Pisani Cœmeterio liberam cunctis esse sepulturam (1) declarat. Anno 1260 Die 25 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Pisan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXIV.

Cum Ordinis vestri Ecclesiis Sedes Apostolica liberam, ut asseritis, concesserit sepulturam, nos, volentes concessionem hujusmodi firmiter observari, vobis pręsentium auctoritate concedimus, ut beneficio concessionis predictę, sicut vobis competit ex tenore ipsius, utamini libere quotiens opus erit, non obstante contradictione cujusquam, decernentes nichilominus irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas occasione hujusmodi sepulturę, contra ipsius concessionis tenorem a quoquam in vos communiter, vel divisim, aut locum vestrum, seu quoscumque alios, contigerit promulgari; Salva semper canonica justitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo &c. concessionis, & constitutionis &c. Datum Anagnię VIII Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Concedit ut supra. Decretum irritum faciens. Sanctio pœnalis.

1. *Sepulturam*.) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Initio autem Diplomatis eadem manus scripsit hæc verba: *Pro Francia sub eadem data, cum additione illa . . . . videbitur . . pro Conventu Burdigalensi*.

Leges (1) evulgat in hæreticos. Anno 1260 Die 25 Aprilis.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. B. fol.* 540.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXV.

Noverit universitas vestra, quod nos, ad instar felicis recordationis Gregorii Papę prędecessoris nostri, excommunicamus, & anathematizamus universos hęreticos &c. (3). Datum Anagnię VII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Leges*.) De quibus in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, ex Autographo asservato in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*
3. *Hæreticos &c.*) Ut in *Diplomate dato XV Junii MCCLIV* ad finem usque.

Inquisitoribus Franciæ, ut relapsis hæreticis, dolore tactis, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta concedant (1), cum civili Magistratui puniendi traduntur. Anno 1260 Die 30 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filii Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis, in terris subjectis dominio carissimi in Christo filii nostri Regis Francię illustris, deputatis ab Apostolica Sede, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXVI.

Super eo quod scriptum legitur, Ecclesia nulli claudit gremium redeunti, & alibi hii, qui post abjurationem erroris, vel postquam se proprii Antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam hęresim recidisse, seculari decernuntur judicio, sine ulla audientia penitus relinquendi; cum scripturę hujusmodi videntur sibi invicem adversari, quid tenendum sit, per Sedem edoceri Apostolicam postulastis. Nos itaque inquisitioni vestrę, de Fratrum nostrorum consilio, respondemus, quod taliter deprehensis, etiamsi, ut dictum est, sine ulla penitus audientia, relinquendi sunt judicio seculari, si tamen postmodum peniteant, & penitentię signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt, humiliter petita, Sacramenta Pęnitentię ac Eucharistię deneganda. Datum Anagnię II Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Respondet ut supra.

1. *Concedant*.) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Episco-

Anno 1260 Die 30 Aprilis.

Episcopo Legionen. (1), ut excommunicationis sententias in Fratres nostros, eorumque causa latas, vel ferendas, rescindat (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCLXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Legionen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Facti narratio.

PEtitio dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Palentin. nobis exhibita patefecit, quod cum ipsi ex concessione Sedis Apostolicę haberent liberam sepulturam, nos tandem eis utendi sepultura hujusmodi per literas nostras concessimus facultatem. Sententias quoque, si quas venerabilis Frater noster Episcopus Palentinus, aut alius pro eo, in ipsos, vel aliquem eorum, seu quoscumque alios, occasione sepulturę pręfatę forsitan promulgavit, per easdem literas decrevimus irritas & inanes. Sed Magister Gunialvus Canonicus Palentinus, Vicarius prędicti Episcopi, in remotis agentis, hujusmodi concessionibus & decreto prędictę Sedis non solum deferre negligit, sed ipsa etiam in contemptum habere presumit, prout ex eo manifeste colligitur, quod cum Vincentius & Johannes de Cerrato Portionarii Ecclesię Palentin. de mandato prędicti Vicarii, ut dicebatur, in eos, qui funus cujusdam mulieris per Civitatem Palentin. ad Ecclesiam prędictorum Prioris, & Fratrum, apud quam eadem mulier, dum viveret, elegerat sepulturam, comitabantur, excommunicationis sententiam, contra tenorem concessionum, & Decretorum prędictorum, temere fulminassent, idem Vicarius exinde requisitus, non solum, se id mandasse asseruit, verum etiam omnes illos, qui funus ipsum comitati fuerant, temeritate propria excommunicationis vinculo innodavit, & omnes, qui talia querebant ab eo, statim de facto citavit, ut coram ipso responsuri super iis die tertio comparerent, nec iis contentus, comitantes prędictum funus, fecit per Ecclesias ipsius Civitatis excommunicatos publice nunciari, in eorum prejudicium, & prędicti Ordinis detrimentum; maxime cum ex iis devotio fidelium ad eos habita, sine quorum subsidiis vivere nequeunt, non modicum minuatur. Quare petebant a nobis, ut super hoc eis subvenire paterna sollicitudine curaremus. Quia vero ipsorum molestias cordis nostri non modicum pungitivas, non possumus, nec debemus conniventibus oculis pertransire, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus supradictas excommunicationis sententias in eosdem Priorem & Fratres, seu quoscumque alios, contra concessiones, & decretum prędicta, prolatas .... (4) si quas ferri contigerit occasione funeris supradicti, auctoritate nostra per te, vel per alium denunties, nullas esse. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante, si aliquibus a Sede sit prędicta indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari, vel extra, aut ultra certa loca conveniri non possint per literas Apostolicas, quę de indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, seu constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datum Anagnię II Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Legionen.*) Legendum *Diploma datum I Februar. MCCLIX.*
2. *Rescindat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
4. *Prolatas....*) Sic quæ desunt restituenda videntur vel etiam.

Anno 1260 Die 4 Maii.

Sodalibus Consociationis (1) B. Mariæ Virginis, alteriusque Societatis, ut Interdicti tempore Sacris interesse, & Sepulturæ privilegiariæ possint donari.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus de Congregatione B. Virginis, ac de Societate, seu Schola Fidelium Mediolanen., presentibus, & futuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE studio pię conversationis, ut vitę vestrę, laudabile nobis testimonium perhibetur. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus annuentes, auctoritate vobis presentium, juxta quod fel. rec. Innocentius (3) PP. Prędecessor noster vobis concessisse dicitur, indulgemus, ut cum generale terrę fuerit interdictum, vos, & singuli vestrum, quandiu in fidei catholicę puritate, ac devotione Sedis Apostolicę persistetis cum uxoribus & filiis vestris, Divina in locis, in quibus ex Indulto Sedis Apostolicę celebrantur, audire possitis, ac ibidem recipere Ecclesiastica Sacramenta, dummodo Divina ipsa, clausis januis, non pulsatis campanis, voce suppressa, & excommunicatis, & interdictis exclusis, celebrentur in locis eisdem, & vos causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Adjicimus, autem, ut cum vos, vel aliquem vestrum, aut uxorum, vel filiorum ipsorum, seu eorum, qui vobis succelserint, mori contigerit, in illorum ipsorum Cęmeteriis, nisi moriens excommunicatus, vel nominatim fuerit interdictus, aut alias ecclesiastica sepultura privandus, sepeliri libere valeatis. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Anagnię IV Nonas Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Indulget ut supra.

1. *Consociationis.*) De qua in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobio S. Eustorgii Mediolanen. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Innocentius.*) Desideratur hocce Diploma.

So-

Sorores Monasterii de Vvimental (1) Ordinis Prædicatorum ad perseverantiam cohortatur.

Anno 1260 Die 15 Maii.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 943.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę, & Conventui Monasterii in Vvimentai Ordinis S. Augustini, Constantien. Dięcesis, secundum Instituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXIX.

PRo vitę perennis gloria consequenda vos vanitatem seculi postponentes, suscepto Religionis habitu, prout accepimus, elegistis virtutum Domino sub B. Augustini Regula secundum Instituta Fratrum Prędicatorum perpetuo famulari. Cum autem postmodum auctoritate literarum (2) fel. record. Innocentii Papę Prędecessoris nostri, Ordini eorum incorporatę, diligenti deliberatione prehabita, sicut asseritur, existatis, nos hujusmodi vestros processus in Domino commendantes, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes, quatenus dictum Ordinem Sancti Augustini secundum Instituta premissa inviolabiliter observetis vigilanti studio, sub eisdem Ordine, & Institutis laudabiliter insistendo, per quę abundantia divinę gratię vobis digne valeat provenire, nos enim nihilominus, ne quis vos super premissis impediat, vel molestet, auctoritate presentium districtius inhibemus, non obstante quod aliquę vestrum, pro eo quod dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum curam vestri Monasterii dimiserunt, injustitia non modica positę, & ex quadam animi levitate, sine nostra, & Dięcesani loci licentia, se Cisterciensi Ordini astringere pręsumpserunt. Datum Anagnię Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Hortatur ut supra.

1. *Vvimental.*) In Suevia.

2. *Literarum.*) Desiderantur.

Ædes Sacras FF. Prædicatorum Barchinonen. diebus festis B. Mariæ Virginis, SS. Martini, Dominici, & Petri Martyris, S. Catharinæ Virginis & Martyris, Dedicationis ejusdem templi, ac per Octavas eorundem, visitantibus Indulgentiam (1) elargitur.

Anno 1260 Die 15 Maii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol. 535.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXX.

VItę perennis &c. (3). Quatenus ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Prędicatorum Barchinonen., quę in honore B. Catharinę Virginis & Martyris noscitur esse constructa &c. (4) in singulis Festivitatibus Gloriosę Marię Virginis, & Beatorum Martini, ac Dominici Confessorum, & S. Petri Martyris, ac ejusdem Sanctę Catharinę, necnon & in Anniversario die Dedicationis ejusdem Ecclesię, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Anagnię Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Indulgentiam.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo asservato *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*, ubi aliud est ejusdem tenoris datum eadem die, quo Pontifex *omnibus vere pœnitentibus & Confessis, qui ad Ecclesiam ipsam* (Fratrum Prædicatorum) *in die Dedicationis hujusmodi, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis accesserint &c.*

3. *Perennis &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVII Aprilis MCCLVII* ad hæc usque verba: *Quatenus ad Ecclesiam.*

4. *Constructa &c.*) In eodem ad hæc usque: *Pœnitentibus & Confessis.*

Accedentes ad Judicem excommunicatum, quo pœnis mulctet hæreticos, excommunicationem non subiisse, declarat (1).

Anno 1260 Die 28 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia, & Marchia Januen., a Sede Apostolica deputatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXXI.

QUęsivistis, an alicui Regno, Provincię, aut loca regimini presidentes excommunicata (3), vel alias jurisdictionem aliquam, pro eo, quod fortasse duntaxat de facto president, non habentes, & officiales eorum, requisiti per Ordinarios, vel Delegatos eorum, aut Inquisitores hereticę pravitatis, a Sede Apostolica deputatos, justitiam, contra hereticos, credentes, defensores, fautores, vel receptores eorum, possint, & debeant exercere? Et an requirentes eosdem excommunicatos, propter hoc sententiam excommunicationis incurrant? In favorem igitur fidei duximus statuendum, ut tales in his casibus, in quibus fuerint requisiti per Ordinarios, Delegatos, vel Inquisitores eosdem, ad superiores, qui legitime in locis ipsis justitiam exercere possint, recursum habere sine morę dispendio, vel periculo negotii

Declarat ut supra.

non habentes, possint, & debeant contra hereticos, credentes, defensores, fautores, & receptatores eosdem suum officium exercere, cum id ad exaltationem Fidei, & salutem pertineat animarum, & requirentes eos propter hoc excommunicationis sententiam non incurrent. Non credant autem Presidentes & officiales predicti per hoc, quod pro fidei vitando periculo salubriter est provisum, sibi esse in aliis casibus concessum aliquid, vel permissum. Datum Anagnię V Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Declarat.*) Consulenda *Dissertatio I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.* In quo Exemplar, mutilum tamen & vitiatum in paucis; ignoscat lector librario qui pervertit. Asservatur Autographum in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis Cannabinis appenditur. Ad hoc Diploma referendum *Caput VI Tit. I, lib. V, Sexti Decretalium.*
3. *Loca regimini præsidentes excommunicata.*) Legendum ex *Capite* mox laudato. *Loci regimini Præsidentes excommunicati, vel de facto tantum, & non de jure, jurisdictionem habentes.*

Anno 1260 Die 28 Maii.

Fidei Censoribus, ut, qui vocati, vadimonium deseruere, suspecti hæreseos, de hæresi damnentur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Consultationi vestre breviter respondemus, quod cum pro contemptu non impunitas, sed pena contumacibus debeatur, & contumacia, maxime in causa fidei, suspicioni presumptionem adiiciat vehementem: si quis suspectus de heresi vocatus a vobis, ut de fide respondeat, parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, & ob eam contumaciam a vobis excommunicationis vinculo innodatus per annum in excommunicatione perstiterit, animo pertinaci, ex tunc eum, velut hereticum, condemnetis; quemadmodum de illis, qui sola suspicione notabiles, innocentiam suam congrua purgatione monstrare neglexerint, & propter hoc excommunicationis innodati sententia, eam per annum contempserint, in generali Concilio est statutum. Datum Anagnię V Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Damnentur.*) Dicam in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mediolani* in Cœnobio *S. Eustorgii* asservato. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1260 Die 30 Maii.

Excommunicatis, & hæreseos consciis dictionem testimonii in hæreticos esse decernit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum Inquisitoribus heretice pravitatis, in Lombardia, & Marchia Januensi deputatis ab Apostolica Sede, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Consuluit nos discretio vestra, utrum illos, qui ratione criminis hereseos, vel alia de causa, excommunicationis sententia sunt ligati, contra hereticos, defensores, fautores, vel receptatores eorum ad testimonium perhibendum admittere, & stare dictis eorum, seu illorum etiam debeatis qui complices, participes, seu socios ejusdem criminis se fatentur. Quia igitur, si iidem excommunicati non admitterentur ad habendum testimonium contra tales, & dictis eorum. ac sic fatentium non staretur, frequenter officium Inquisitionis, vobis commisse, in dispendium fidei contingeret impediri, quando presertim vix, aut nullo modo potest, nisi per sic fatentes, super hoc veritas apparere, statuimus in favorem fidei, ut in hujusmodi Inquisitionis negotio dicti excommunicati contra hereticos, credentes (3), defensores, fautores, & receptatores eosdem, ad testimonium admittantur, & stetur tam illorum dictis, quam eorum, qui, ut predictum est, socios ejusdem criminis se fatentur, si ex verisimilibus conjecturis, que ex numero deponentium, vel personarum tam deponentium, quam earum, contra quas deponitur, qualitate, ac aliis circumstantiis conijci poterunt, sic fatentes non falsa dicere presumantur. Datum Anagnię III Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Decernit ut supra.

1. *Decernit.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod tenet Conventus *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filiis cannabinis appenditur.
3. *Credentes.*) De quibus in *nota XLII ad Diploma datum XXXI Octobris MCCXLIII.*

Rayne-

Anno 1260 Die 5 Julii

Raynerio Viterbiensi, ut quædam Fratribus Ordinis Prædicatorum de Urbe veteri legata restituenda curet.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCLXXIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Raynerio de Viterbio, Cappellano nostro, Rectori Patrimonii B. Petri in Tuscia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Bonę memorię Suanen. (2) Episcopus in ultima voluntate sua quędam bona mobilia valorem centum & quadraginta librarum provisinorum (3) non excedentia, prout accepimus, in pios usus, quamquam id forte facere de jure nequiverit, per manus quorumdam, quos executores super hoc constituit, erogare mandavit; & licet nos, necessitatibus dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Prędicatorum de Urbe veteri (4) paterno compatientes affectu, premissa bona eis concesserimus de gratia speciali, mandantes executoribus ipsis per literas nostras, ut illa dictis Priori & Fratribus assignarent, quia tamen tu eadem bona diceris occupasse, quod attemptare nullatenus debuisti, dicti Prior & Fratres optatum de hujusmodi nostra gratia nequiverunt commodum obtinere. Cum autem ipsi propter hoc duxerint ad nostram providentiam recurrendum, discretionem tuam attente rogandam duximus, & monendam, per Apostolica tibi scripta, firmiter precipiendo, mandantes, quatinus bona predicta eisdem Priori, & Fratribus, vel nuncio eorum, nomine ipsorum integre, ac sine difficultate, juxta hujusmodi nostram concessionem assignare procures, ita quod super hoc providere aliter non cogamur, sed tuam sinceritatem exinde possimus merito commendare. Datum Anagnię III Nonas Julii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Hujusce Diplomatis causa.

Mandat ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Suanen.*) In *Hetruria* sub Archiepiscopo *Senensi*, ipsi nomen *Galerinus*, vel *Gualcherinus*, alias *Galletinus*, de quo consulendus *Ughellus* in Episcopis *Suanen.*, seu *Soanen.*
3. *Provisinorum.*) Monetæ species sic a *Provisione* dicta; Hinc *Solidus Provisinus* & *Provisinorum*: *Libra Provisina*, & *Provisinorum*.
4. *Urbe veteri.*) Vulgo *Orvieto* in ditione Pontificia.

Anno 1260 Die 15 Julii.

F. Raymundo (1) de Pennafort, ut a Provinciali Hispaniæ delegatus Fratres Ordinis Prædicatorum Infidelibus Evangelium annuntiaturos mittat (2).

Ex Johanne Lopez Histor. Ord. Parte III Lib. I Cap. LXII pag. 160.

CCLXXV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymundo de Pennaforti, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Significasti nobis, & Nos libenter audivimus, quod Fratres Predicatores, missi de mandato nostro Tunisium (3), & ad alias barbaras nationes, tam in conversione infidelium, quam etiam in corroboratione fidelium, operantur fructum non modicum per gratiam Jesu Christi. Quia vero tibi a dilecto filio Priore Provinciali Fratrum Prędicatorum Hispanię commissum dicitur, ut possis hujusmodi Fratres mittere ad terras Saracenorum, & ad alias infidelium nationes. Nos, eius supplicationibus inclinati, presentium auctoritate concedimus, ut tu, & quicunque alius Frater tui Ordinis, cui prędictus Prior super hoc commiserit vices suas, valeatis auctoritate nostra Fratres ad hoc idoneos ad easdem partes mittere, ac id eis in remissionem injungere peccatorum. Datum Anagnię Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Laus Fratrum;

Concedit ut supra.

1. *Raymundo.*) *Sanctus* de quo sæpius supra.
2. *Mittat.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo VIII.*
3. *Tunisium.*) In *Africa.*

Anno 1260 Die 7 Octobris.

Fidei Censoribus, Sociis, ac Notariis eorundem Indulgentiam elargitur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia, & Marchia Januensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Firmissime teneat &c. (3). Datum Anagnię Nonis Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Elargitur.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Teneat.*) In *Diplomate dato XV Decembr. MCCLVIII*

Anno 1260 Die 9 Octobris.

Fidei Censoribus dat amplissimam facultatem (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus Inquisitoribus pravitatis hęreticę in Lombardia, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

Clausula derogatoria.

CUpientes ut Inquisitionis negotium contra hęreticam pravitatem sollicitudini vestrę commissum, ad Dei gloriam & augmentum fidei Catholicę, in vestris manibus feliciter prosperetur, compellendi, appellatione remota, per censuram ecclesiasticam per vos, vel alios, quos ad hoc idoneos duxeritis eligendos, omnes illos, qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis per quoscumque hactenus factę, ac etiam faciendę, & quascumque alias scripturas confectas, & conficiendas, contra hęreticos, credentes, receptatores, seu fautores eorum, habent, vel habuerint, ut ea sine cujuslibet difficultatis, seu dilationis dispendio vobis exhibeant, necnon & absolvendi a sententia excommunicationis omnes illos, qui dimissa hęreticorum perfidia, ad unitatem Catholicę Fidei libere, ac humiliter redire voluerint, & credentes, receptatores, fautores, ac defensores eorum, ac etiam reconciliandi eos Ecclesię, a qua noscuntur diabolica suggestione precisi, convocandique clerum & populum civitatum, castrorum, aliorumque locorum contra tales, ut aut in ferendis sententiis contra ipsos possitis peritos & discretos, prout expedierit, advocare, dandique omnibus accedentibus ad convocationem hujusmodi, auctoritate nostra quadraginta dierum Indulgentiam; Procedendi etiam contra illos, quos in Lombardia & Marchia Januen. commisisse constiterit, licet ad alias partes se duxerint transferendos; Faciendi quoque observari inviolabiliter omnia statuta provide edita in Conciliis Legatorum Sedis Apostolicę, quę negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii, & augmento fidei fuerit opportunum; necnon & ut in negotio eodem summarie absque judiciorum & advocatorum strepitu, procedere valeatis, auctoritate presentium vobis concedimus facultatem: Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus si aliquibus ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, nisi plenam & expressam, vel de verbo ad verbum fecerint de indulto hujusmodi mentionem, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datum Anagnię VII Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Facultatem.*) De qua in *Dissertatione I Tomo ultimo*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1260 Die 11 Octobris.

Præposito Ecclesiæ S. Euphemiæ Placentin., ut quævis ædificanda Domus distet trecentis Cannis (1) a Cœnobio FF. Prædicatorum Placentin.

Ex Petro Maria Campi Histor. Placent. Parte II in Regesto ad An. MCCLX.

CCLXXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prepósito Ecclesię S. Euphemię Placentin., Ordinis S. Augustini, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

Clausula derogatoria.

PAci, & tranquillitati dilectorum filiorum Fratrum Prędicatorum Placentin. providere volentes, discretioni tuę per Apostolica scripta, districte precipiendo, mandamus, quatenus nullius Religionis Monasterium, seu Oratorium, aut Claustrum Religiosarum vel Secularium personarum ędificari, vel construi, aut Ecclesiam jam ędificatam inibi in religiosum locum, vel regularem domum transferri permittas, infra spatium trecentarum Cannarum circa omnes fines, loco predictorum Fratrum contiguos, & vicinos. Non obstantibus aliquibus literis, per quas hujusmodi precepti nostri possit executio impediri, vel de quibus oporteat in presentibus fieri mentionem. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Anagnię V Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Cannis.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Anno 1260 Die 15 Octobris.

Fidei Censoribus, ut in quemcunque privilegiarium possint inquirere, (1) & constituere queant Tabelliones.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia, & Marchia Januensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concedit ut supra.

NE commissę vobis contra hęreticos Inquisitionis officium quocunque contingat obice prępediri, vobis, & singulis vestrum, prępsentium auctoritate concedimus, ut non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, quibuscunque personis, cujusvis dignitatis, conditionis, vel gradus, Religionis, aut Ordinis, & prępsertim Cisterciensis, Prędicatorum, Minorum, seu Eremitarum, sive Communibus, vel Universitatibus Civitatum, locorum, specialiter vel generaliter, sub quacunque verborum expressione vel forma, ab Apostolica Sede concessis, vel admodum concedendis, etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipsa-

ipsarum, nequeat derogari, maxime quod illi excommunicari, vel ipsorum terrę supponi non possint Ecclesiastico interdicto, aut quod prędictorum, aut aliorum quorunlibet Ordinum Fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorunlibet, sive denuntiationes sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate literarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum Ordinibus, & privilegiis, vel indulgentiis, eis super hoc a Sede Apostolica concessis, habeatur in eisdem literis mentio specialis, in eodem officio & contra impedientes illud, vel in eo vobis juxta officium, & posse suum, a vobis requisitos assistere non curantes, libere, juxta formam vobis per literas nostras traditam, procedatis, cum ex hujusmodi, vel aliis privilegiis, & indulgentiis nullum vobis in tantę pietatis negotio velimus obstaculum generari. Ad hęc, si super his, quę circa idem officium, illudque contingentia, in scriptis fuerint redigenda, Tabellionum secularium copia forte defuerit opportuna, personis regniaribus cujuscunque Ordinis, qui tabellionatus officium in seculo habuisse noscuntur, exercendi illud in his, cum a vobis, necessitate hujusmodi suadente, fuerint requisiti, auctoritate nostra, licentiam concedatis, quos ad hoc constitutione canonica, vel regulari, contraria nequaquam obstante, ex districto volumus jussionis nostrę pręcepto teneri. Quod si nec tales habere potueritis, alios duos viros idoneos clericos, vel laicos, quoties talis incumbit necessitas, assumatis, qui simul fideliter ea, quę fuerint a vobis, vel coram vobis, ex prędicto officio generali, gerenda, conscribant, quorum scripta, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, ac si unius personę publicę manu confecta fuissent, inconcussam habere decernimus firmitatem. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali. Datum Anagnię Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Inquirere.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur etiam apud *Pegnam ad calcem Directorii Inquisitor. pag. 50*, & in *Bullario Romano, est XXII Alexandri IV.* Ejusdem meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLX num. IV.*

Priori S. Martini de Guazolongo, & Præposito Ecclesiæ de Casulis, ut sententiam & declarationem, quas secundum Fratres nostros Pisanos R.... (1) Cardinalis tulit, & ipse Pontifex confirmavit, servandas (2), curent.

Anno 1260 Die 17 Novembris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Sancti Martini de Guazolongo Pisan. (4), & Pręposito Ecclesię de Casulis Vulteran. (5) Diocesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCLXXX.

Exhibita nobis dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Prędicatorum Pisan. petitio continebat, quod cum Nos in causa, quę inter ipsos ex parte una, & Capitulum majoris Ecclesię Pisan. ex altera, super eo quod ipsi de dictis Priori & Fratribus super habenda libera Sepultura, & sepeliendis corporibus illorum, qui apud eorum Ecclesiam eligunt sepeliri, indebite opponentes, eos super his multipliciter perturbabant, dilectum filium nostrum R..... Sancti Angeli Diaconum Cardinalem dedissemus partibus Auditorem, idem Cardinalis cognitis hujusmodi causę meritis, & iuris ordine observato, ac Procuratoribus utriusque partis pręsentibus, necnon a nobis obtenta licentia de sententia proferenda, diffinitivam pro eisdem Priore & Fratribus sententiam promulgavit, declarando jus sepeliendi corpora eorum, qui apud eos sepulturam eligunt, eis competere, ac parti alteri super his perpetuum silentium imponendo, non obstantibus aliquibus Privilegiis Apostolicis Ecclesię Pisan. concessis, quę, quantum ad hoc, nullius momenti existunt, & etiam quadam compositione inter ipsos & dictum Capitulum super his edita, quam pars dicti Capituli allegabat, prout in publico instrumento confecto exinde, ac sigillo prefati Cardinalis signato, plenius continetur. (Supplex FF. nostrorum petitio.) Nos itaque, eorundem Prioris & Fratrum supplicationibus inclinati, sententiam, & declarationem hujusmodi per eundem Cardinalem provide latas, ratas & firmas habentes, eas auctoritate Apostolica duximus confirmandas. (Mandat ut supra.) Quocirca discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatinus sententiam & declarationem easdem facistis per vos, vel per alium, seu alios auctoritate nostra firmiter observari. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod suspendi, vel interdici, aut excommunicari, seu extra certa loca conveniri non possunt, sive aliqua indulgentia Sedis ejusdem, per quam effectus mandati nostri in hac parte impediri valeat, vel differri, & de qua in literis nostris plenam & expressam oporteat fieri mentionem: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Laterani XV Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *R.....*) *Richardus Annibaldensis*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCXXVII pag. 88.*
2. *Servandas.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis canabinis appenditur.
4. *Pisan.*) *Hetrurię* Diœcesis in *Italia.*
5. *Vulteran.*) Vulgo *Volterra*, in *Hetruria.*

Anno 1260 Die 27 Novembris.

Ne se subdùcentes, vel ejecti (1) ex Ordine nostro, doceant, prædicent Evangelium, vel Confessiones excipiant.

Ex Bullar. Ususmaris pag. 50.

CCLXXXI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, eorumque Vicariis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum nostrorum petitio. Cohiberi per Nos ita debet malignitas perversorum, ut illi, qui studio innocentis vitę serventer invigilant ad ea, quę divinę voluntati sunt placita, & animarum fructuosa saluti, liberius, & jucundius invalescant. Sane petitionis vestrę seriem audivimus continentem, quod nonnulli ex Fratribus vestri Ordinis, qui, suis culpis exigentibus, a vestris sacris collegiis repelluntur, & illi, qui onus obedientię temeritate propria deponentes, extra claustra ipsius Ordinis damnabiliter evagantur, prędicandi, confessiones audiendi, & docendi officia, exercere prę sumunt in suę salutis dispendium, & plurimorum scandalum, & ejusdem Ordinis detrimentum. Nos itaque vestris devotis precibus inclinati, ut illi ex prędictis Fratribus, quos pro suis culpis ab Ordine ipso, per vos, aut aliquem vestrum, expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio motu, prędicare, confessiones audire, seu docere, non audeant, nisi ad alium Ordinem, in quo licite hujusmodi exerceantur officia, transiverint de nostra, vel vestra licentia speciali, *Inhibitio.* auctoritate prędentium districtius inhibemus; vobisque concedimus, ut si forte ipsi, contra inhibitionem *Sanctio pœnalis.* nostram aliquid super premissis temere attentare presumpserint, singuli vestrum in illos, quos infra fines prędicationis (2) suę, juxta consuetudinem vestri Ordinis distinctos, invenerint talia presumentes, monitione premissa, excommunicationis sententiam valeant promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani V Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Ejecti.*) Consulendus *Tractatus de consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XI, & XII.*

2. *Prædicationis.*) Nota morem. Ut enim Apostoli, sicut docet *Chrysostomus*, sic Fratres Prædicatores, jam inde a principio Ordinis, Orbem universum Evangelii luce illustrandum inter se se partiti erant. Hinc unicuique Conventui certi *Prædicationis* fines & termini constituebantur, ut videre est ex *Capitulo Provinciali Provinciæ Tolosanæ* an. MCCLV. *Attendentes, quod Domus Montisalbani de Castro Saraceno fuit læsa, ordinamus, quod dictum Castrum sit de prædicatione Domus Tolosanæ &c.*

Anno 1260 Die 27 Novembris.

F. Raynerio, ceterisque Fidei Censoribus, ut inquirant in eos qui F. Raynerum Mediolano depulerunt (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratri Raynero (3), & aliis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Provincia Lombardię, & Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat. Ad audientiam nostram pervenit, quod cum quidam Cives Mediolanenses, iniqua consilia cogitantes, tractatum habuerint, ut perditionis filium Ubertum Marchionem. Pelavicinum (4), in suę Civitatis Dominum pręficerent, seu Rectorem, tu, cum id ad tuam, fili Frater R.. (5), pervenisset notitiam, cupiens juxta datam tibi a Deo prudentiam salubriter occurrere dispendiis rerum, & animarum periculis, quę exinde sequi poterant, dictos cives in prędicatione publica diligentius monuisti, eis palam nichilominus persuadens, ut, cum idem U.. (6) fautor & receptator hęreticorum manifestus existeret, & alias esset vehementer de hęretica pravitate suspectus, quod de habendo ipsius dominio incaute conceperant, non ducerent ad effectum, ne ex ipsius contactu ejusdem Civitatis sinceritas lęderetur: Adiciens, quod, si secus facerent, tu, pulsatis campanis Civitatis prędictę tam Clerum, quam universum fidelium & Cruce signatorum Mediolanen. cętum, ad impediendum tantę iniquitatis malum, ne prodiret in actum, in tuum subsidium advocares. Sed iidem cives monitionem hujusmodi tam utilem, & salubrem, quam in humilitatis, & mansuetudinis spiritu, eos suscepisse decuerat, contemptibiliter respuentes, ad Domum *Mandat ut supra.* Fratrum Prędicatorum ipsius Civitatis, in qua tunc temporis morabaris, in furoris & iracundię impetu accesserunt, tibi comminatorie in eorundem Fratrum presentia nunciando, ut de Civitate ipsa, ejusque districtu discedere non differres, sicque coactus fuisti exinde recedere, & ad locum alium, te transferre: quod animum nostrum eo gravius vulnerat, quo id in divinam offensam, contemptum catholicę fidei, & Apostolicę Sedis injuriam, necnon & derogationem officii exequendę Inquisitionis contra hęreticos manifestius noscitur redundare: maxime cum prefata tua monitio in augmentum ejusdem fidei, honorem Ecclesię, ac laudem ejusdem respiceret Civitatis; quam monitionem prefati Cives, si saniori fuissent usi consilio, nullatenus respuissent. Ne igitur tantę temeritatis excessus, si impunitus remanserit, transeat aliis in abusum, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel aliquis vestrum tam contra hujusmodi iniquitatis auctores, quam etiam contra omnes alios, prout expedire videritis, procedere *Clausula derogatoria.* procuretis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus indulgentiis, seu litteris ab Apostolica Sede obtentis, vel etiam obtinendis, etiam si de ipsis obtentis in presentibus mentio fieri debeat specialis, seu inhibitione, si qua facta est, vel fieri contigerit per easdem. Datum Laterani V Kalend. Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. De-

1. *Depulerunt:* .) Habes id apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. V ad annum MCCLIX pag. 76. Gravissimas*, inquit, *persecutiones patitur hoc anno Inquisitor Mediolanen. P. Raynerius Sacconus. Nam Ubertinus Palavicinus, haereticorum fautor, atque Mediolanensium Rector, eundem in exilium relegavit, sequentique anno P. Rycardum concionatorem eximium haereticorumque persecutorem ex Mediolanensi civitate ejecit, eo quod publice in haereticorum exitium declamaret, eorum futilia deliramenta damnando. Ubertini in Raynerium indignatio ex eo est orta, quod cum Inquisitor in haereticos insurgere non posset, utpote ab eodem protectos, id Pontifici Maximo nunciavit, qui statim Palavicinum tanquam haereticorum fautorem publice excommunicatum denuntiavit. Quapropter ille satellites ad Conventum S. Eustorgii misit, ut Inquisitorem male tractarent, atque ex civitate exulare cogerent, & si contradiceret, occiderent. Ille autem intrepidus pro catholica Fide tuenda, exilium subiit.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Raynero.*) Seu *Raynerio*, de quo saepius supra.

4. *Pelavitinum.*) Vide inferius *IX Decembris MCCLX*.

5. R...) *Rayneri*.

6. U...) *Ubertus Pelavicinus*.

Ædes Sacras Ordinis Prædicatorum Syracusan. singulis diebus festis B. Mariæ Virginis, S. Dominici, S. Petri Martyris, Dedicationis ejusdem Templi, ac per Octavas eorundem, visitantibus Indulgentiam (1) impertitur.

Anno 1260 Die 1 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXXIII.

VItę perennis &c. (3) ad Ecclesiam dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Syracusan. &c. (4). In singulis Festivitatibus Gloriosę Virginis Marię, & BB. Dominici Confessoris, & Petri Martyris, necnon & in Anniversario die Dedicationis ejusdem Ecclesię, & septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis, accesserint, annuatim centum dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Datum Laterani Kalendis Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

1. *Indulgentiam.*) Legendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet *Conventus S. Mariae ad Gradus Viterbien.*

3. *Perennis &c.*) In *Diplomate dato XXVII Aprilis MCCLVII* ad hæc usque verba: *Peccaminum injungentes*.

4. *Syracusan. &c.*) In eodem ad hæc usque: *Ecclesiam ipsam*. Est autem *Syracusana* civitas in *Sicilia*.

Provinciali Ordinis Prædicatorum in Lombardia, ut Octo ex Fratribus sibi subditis Fidei Censores instituat (1).

Anno 1260 Die 2 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXXIV.

CUm super negotio Inquisitionis faciendę adversus hereticam pravitatem in partibus Lombardię tibi dudum sub certa forma scripsisse dicamur; Nos cupientes, ut in eodem negotio, auctore Domino, ad ipsius laudem, & salutem fidelium eo melius, & efficacius procedi valeat, quo circa illud propensioris sollicitudinis studio fuerit laboratum: pręsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus octo de Fratribus tui Prioratus providos, & discretos, zelum habentes, ad negotium fidei prosequendum, si forsan eos nondum assumpsisti, assumere, juxta formam tibi super hoc traditam, non postponas, qui una cum dilecto filio Fratre Rainerio (3) de Placentia, tui Ordinis, Inquisitore, contra pravitatem eandem a Sede Apostolica deputato, illud juxta formam eis a nobis super hoc traditam, in Lombardia, & Marchia Januen., viriliter, & constanter, humano timore postposito, prosequantur. Datum Laterani IV Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

1. *Instituat.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Rainerio*. Consule *Diploma datum XXVII Novembr. MCCLX*.

Inquisitoribus Lombardiæ, ut Constitutiones Apostolicas, & Leges, a Friderico in hæreticos latas, observandas curent (1).

Anno 1260 Die 2 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia, & in Marchia Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. CCLXXXV.

CUpientes, ut negotium Inquisitionis vobis commissum, Deo propitio, ad laudem Nominis sui, & salutem fidelium efficacius valeat promoveri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, & vestrum singuli omnes communitates Civitatum & locorum Lombardię ac Marchię Januen., ad recipiendum, & observandum Constitutiones Apostolicas contra hereticos editas, atque leges, quas

Mandat ut supra.

quas quondam Fredericus (3), olim Romanorum Imperator, nunc in devotione Apostolicę Sedis existens, adversus hereticam pravitatem edidisse dignoscitur, necnon & ut omnia Statuta ab eis, ut dicitur, edita, quę predictis Constitutionibus, & legibus quomodolibet obviare, seu processum Inquisitionis hujusmodi faciendę impedire videntur, de Capitularibus suis prorsus abundant (4), & similia de cetero non attentent, monitione pręmissa, per excommunicationis in personas, & in terras eorum interdicti sententias, appellatione remota, cogatis. Non obstante, si aliquibus de partibus illis ab eadem Sede indultum existat, quod excommunicari, seu terrę ipsorum ecclesiastico interdicto supponi non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam de indulto hujusmodi mentionem; aut quibuslibet aliis indulgentiis, vel literis Apostolicis, per quas attriburę vobis jurisdictionis effectus impediri valeat, seu etiam retardari. Datum Laterani IIII Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Decretum irritum faciens.

1. *Curent.*) Ut in *Differtatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.*
3. *Fredericus.*) Videas *Diploma Datum XXXI Octobris MCCXLIII.*
4. *Abundant.*) Malim. *Abradant.*

Anno 1260 Die 3 Decembris.

Episcopo Parisiensi, ut nonnullos ab excommunicatione solvat (1).

Ex Bullario (2) *Castellani pag.* 44.

CCLXXXVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Parisiensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TUa nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli clerici tuę Civitatis, & Dięcesis incurrerunt excommunicationis sententiam, latam auctoritate nostra in omnes illos, qui Libellos famosos contra Predicatorum, & Minorum Ordinum Fratres a Magistro Guillelmo de Sancto-amore, seu aliis editos publicare prędumerent, seu etiam retinere. Quare nobis humiliter supplicasti, ut, cum multitudo sit in causa, super hoc eorum saluti providere misericorditer curaremus. De tua itaque circumspectione confisi, pręsentium tibi auctoritate concedimus, ut ab eisdem excommunicatis, sufficienti cautione pręstita, quod Libellos hujusmodi, quos comburi facias, de cetero non tenebunt, ipsos ab hujusmodi sententia absolvas hac vice, juxta formam Ecclesię, vice nostra, ac faciens eos ab executione suorum Ordinum, usque ad certum tempus, prout videris expedire, manere suspensos, tandem cum ipsis super irregularitate, si quam medio tempore celebrando divina officia, seu immiscendo se illis, contraxerint, dispensare procures, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire. Datum Laterani III Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Concessio.

1. *Solvat.*) Tandem hoc anno finem accepit *controversia Parisiensis*, ut autumat *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLX num. X pag.* 197, *cedentibus Religiosorum adversariis contrario Pontificis conatui, & absolutionem petentibus ab incursis Censuris. Commisit Papa suam auctoritatem Episcopo Parisiensi, ut pœnitentes a nexu solveret: ea tamen præmissa cautione, ne amplius apud se retinerent perniciosos Libellos Guillelmi de Sancto-amore, quos comburi jussit ab Episcopo.*
2. *Bullario.*) Idem habent *Vvadingus* mox laudatus, *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.* 361.

Anno 1260 Die 9 Decembris.

Inquisitoribus Lombardiæ, ut Uberto Pelavicino ad vadimonium per se obeundum diem dicant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCLXXXVII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia, & Marchia Januensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRęcelsi dispositoris Iudicis in Apostolatus specula constituti, cunctorum vitam, & statutum sedula debemus attentione prospicere, & acta, & merita singulorum vigilanter agnoscere, & discutere diligenter, ut sint oculi nostri aperti, & aures intentę circa commissam nobis custodiam domus Dei, quatenus quęcunque in illa, opera, & recta, & prava, & justa, & iniqua, clarius advertentes, & purgemus in ea noxia, & salutaria pręservemus. Hujus autem vigilantię nostrę aciem ad magnates, & nobiles, populorumque Rectores convertere attentius nos oportet, quia quanto eminentius potentia, & honore supersunt, tanto, si male agunt, exempla de se aliis proferunt graviora. Quare de nimia redargui negligentia non indigne possemus, si cum universorum cura nobis immineat, & in corripiendis excessibus tam sublimium, quam humilium, nostrum debeat vigere judicium, circa potentes personas Apostolicum in his intermitteremus officium, & debitum aliquatenus postponeremus examen, erga quas solicitudinis nostrę instantia studiosior, & ferventior inveniri (3). Sane quia de Huberto, dicto Marchione Palavicino, gravia nimis, & intolerabilia, quę fidelium corda concutiunt & perturbant, scandalum in Ecclesia commovent, & tremendum Ecclesię censurę vigorem debilitant, nostris sunt auribus intimata, fama clamante publica, & gravium ac proborum frequenti notificante relatu. Nos, nolentes per torporem, vel desidiam, quę detestabilior, & notabilior forent in nobis, sufferre, vel dissimulare iniquitates ipsius, & perniciose illicitis ejus ausibus indulgere, disposuimus, jam pravis ejus operibus, & pestiferis actibus, illo auctore, qui est Deus ultionum, & Dominus, opportunis Apostolicę providentię remediis obviare. Cum igitur idem Hubertus jam per longi temporis spatium, pluribus, & diversis excommunicationum sententiis irretitus, clavibus Ecclesię vilipensis, hujusmodi excommunicationes bibens ut aquas, ad gremium sanctę Matris Ecclesię redire contumaciter, & pertinaciter contempserit, & contemnat, fueritque jam ab

Exordium a paterna solicitudine.

In quibus peccaverit Ubertus, sigillatim recensentur.

ab olim, & sit ipsius Ecclesię persecutor, assistendo publice, contra eandem Ecclesiam, quondam Frederico (4) Romanorum Imperatori, & Conrado nato ipsius, persecutoribus ejusdem Ecclesię manifestis, & ad presens faveat, adhereatque adversus predictam Ecclesiam Manfredo, quondam (5) Principi Tarentin. qui eisdem Frederico, & Conrado in hujusmodi persecutione succedens, dictam Ecclesiam vexat multipliciter, & molestat, cum etiam dictus Hubertus in pluribus Civitatibus, Castris, & locis Lombardię, Ecclesias, & loca Ecclesiastica, quampluribus bonis suis mobilibus, & immobilibus spoliasse, ac eis graves imposuisse tallias, & collectas, & impositas violenter ab ipsis extorsisse, ac sub diversitate temporum multas personas ecclesiasticas diversis afflixisse tormentis, & etiam peremisse, dicatur, & intelleximus, quod in nonnullis ex predictis Civitatibus, Castris, & locis, Ecclesiastico interdicto suppositis, in derogationem Ecclesiasticę auctoritatis, & censurę, quę fulcimentum est Catholicę fidei, atque robur, & in ipsius detractionem, & debilitationem fidei, mandat, & facit celebrari divina, ad ea celebranda civitatum, castrorum, & locorum ipsorum clericos coercendo, quod in pluribus Terris Lombardię sibi adherentibus, seu faventibus, publice manuteneret hereticos, errores, & hereses in populis seminantes, & ad ipsum heretici, tanquam ad defensorem, & receptatorem eorum de aliis Lombardię terris, & etiam de partibus Tolosanis, atque Provincię confugiunt, & in eo inveniunt refugium singulare, habeatque, ac retineat in sua familia quendam nomine Berengarium, qui fuit de heresi sententialiter condemnatus, ipsum suę potentię brachio protegens damnabiliter, & defendens, nec permisit, nec permittit, Inquisitores hereticę pravitatis ab Apostolica Sede deputatos, in terris, in quibus plenum habet dominium, injunctum eis Inquisitionis officium exercere. Nos attendentes, quod hęc scrupulo, & suspicione non carent hereticę pravitatis, ac non valentes deinceps tam detestabilia, tamque perniciosa ipsius Huberti opera sub dissimulatione transire, presertim cum errantes per inviam precipitii ad salutarem reducere semitam teneamur, digne providimus ipsum ad nostram citare, seu, evocare presentiam, ut cum intendamus super his per viam Inquisitionis, & alias, prout suadebit justitia, procedere contra eum, suam, si potest, super his ostendat, & purget innocentiam, nostrisque pareat beneplacitis, & mandatis. Verum quia dictus Hubertus, nec nuncio facile citari potest, nec literis, cum propter ejus tyrannidem vix quisquam inveniri valeat, qui suam ad hęc temere adire presentiam, nec nos debeamus, nec velimus etiam, quempiam propter hęc periculis exponere, sine mora alium convenientem citandi eum modum invenimus, illam preeligentes, & assumentes formam, per quam citationis edictum sufficiens & efficax in hoc negotio proponatur, videlicet, ut vos apud Mediolanensem, Januensem, Papiensem, Placentinam, Parmensem, Mantuanam, Pergamensem (6), & Laudensem Civitates tam per vos, quam per Pontifices Civitatum ipsarum, aliasque personas idoneas, quibus id duxeritis committendum, multitudine populi congregata, publice, & solemniter, populo ipso astante & audiente, citetis eundem, ita quod ipse Hubertus nullam possit excusationem pretendere, quod ad eum talis citatio non pervenerit, vel quod ignorarit eandem, cum non sit verisimile, id. quod tam patenter revelabitur omnibus, remanere apud ipsum incognitum, vel occultum; Ideoque discretioni vestrę, de Fratrum nostrorum consilio, per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte precipiendo, mandamus, quatenus in predictis octo Civitatibus, vel ipsarum aliquibus, si videritis, quod in omnibus ipsis Civitatibus id non possit commode fieri, presente fidelium multitudine copiosa, tam per vos, quam per Pontifices Civitatum ipsarum, & alios viros idoneos, quos ad hęc elegeritis, memoratum Hubertum publice, ac solemniter, eisdem fidelibus presentibus & audientibus, citare curetis; contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, ut infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi, personaliter compareat coram Nobis, suam super premissis, si potest, innocentiam ostensurus, nostrisque precise mandatis, & beneplacitis pariturus, & facturus in his quod exegerit ordo juris; Pronuntiantes, & comminantes, eidem, quod si infra hujusmodi terminum comparere contempserit coram nobis, Nos nihilominus contra eum, tanquam contra hominem de heretica pravitate suspectum, tam per viam inquisitionis, quam etiam alias, prout suadebit justitia, constanter, auctore Domino, procedemus, ipsius non obstante absentia, sicut viderimus expedire. Ne vero alicujus suspicionis pretendi possit occasio, plenam ei, & his, quos secum duxerit, securitatem tribuimus; universis districtius inhibentes, ne ipsos in personis, vel rebus turbare, vel offendere, seu quomodolibet impedire presumant, parati de hoc opportunas literas exhibere, & providere sufficienter, quod per terram, & districtum Ecclesię ad nos accedere tute possint. Et ut hujusmodi preceptum nostrum efficacius adimplere possitis, compellendi auctoritate nostra, tam predictos Episcopos, quam alias quascunque personas ad citationem hujusmodi faciendam, non obstante quolibet privilegio, seu indulgentia Sedis Apostolicę, liberam vobis concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Volumus autem, ut de citatione hujusmodi confici faciatis publica Instrumenta, illa nobis transmissuri. Quod si non omnes his interfueritis exequendis, unus, vel duo, aut tres vestrum illa efficaciter exequantur. Datum Laterani V Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Mandat ut supra.

Tutelare Diploma Pontifex pollicetur Uberto.

Decretum irritum faciens,

1. *Dicant.*) Licet enim in *Ecelino* debellando strenuam navasset operam *Pelavicinus*, animum tamen adversus Ecclesiam gerebat adhuc, ut videre est apud *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad annum* MCCLIX *num.* X, ubi hæc habet: *Pelavicinus novæ dominationis occupandæ avidus, cum Brixianos morte Ecelini contrariis studiis fluctuantes videret, conciliandæ inter eos amicitiæ specie, in eorum urbem, ac gratiam aliquorum solertee sese insinuavit; atque unius partis studia amplexus, contrariam prostravit, pepulitve, ac urbem in suam potestatem redegit; atque Ecelini improba exempla sectatus, tyrannidem exercere cœpit. Versabatur adhuc in carcere Archiepiscopus Ravennas A. S. Legatus, in quem ab Ecelino conjectus fuerat; ipsum vero Pelavicinus non modo laxare vinculis, Alexandro suam auctoritatem adhibente, renuit, verum arctiori custodia teneri jussit. Sed Legatus egregia arte suspenso e carcere fune sese in terram dimisit, atque in paratum equum insiliens concitatissimo cursu Patavium se proripuit, qua Monachus Patavinus fusius narrat.* At tandem aliquando anno scilicet MCCLXVI in gratiam Ecclesiæ rediisse *Pelavicinum*, testatur *Clemens IV* in Literis ad *Galliæ* Regem. *Ecce per Dei gratiam Regnum Siciliæ redivivum nuper a mortuis resurrexit. Ecce Tuscia. Ecce Pelavicinus Marchio, cum Cremonensibus, & Placentinis, & aliis partis suæ nobilibus ad Ecclesiæ redière mandata &c.* Extant apud *Odoricum ad annum* MCCLXVI *num.* XXIII.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum habes in Cœnobio S. *Eustorgii Mediolanen.*

3. *Inveniri.*) Adde: *Debet.*

4. *Frederico.*) *II.*

5. *Quondam.*) Cave hinc, *Manfredum* tunc e vivis excessisse, credas. Vivebat, sed infelix bellum indixerat matri Ecclesiæ. Hinc *Quondam Princeps Tarentinus* vocatur.

6. *Pergamen.*) Ut in *Diplomate dato X Martii* MCCXXVIII.

Anno 1260 Die 11 Decembris.

Inquisitoribus (1) Ordinum Prædicatorum, & Minorum, ut in omnes, nemine excepto, sontes inquirant; & cavet, ne eorundem Ordinum Præpositi se negotiis Inquisitionis admisceant.

Ex Bullario (2) Romano in Alexandro IV. Est XXIII.

CCLXXXVIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Prędicatorum, & Minorum Ordinum Inquisitoribus hęreticę pravitatis, per diversas Italię partes a Sede Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

CAtholicę fidei negotium, quod plurimum insidet cordi nostro, in vestris prosperari manibus, ac de bono in melius procedere cupientes, ac volentes omne ab eo impedimentum, omneque obstaculum removere, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus in eodem negotio, de divino, & Apostolico favore confisi, & omni humano timore deposito, constanter, ac interpide procedentes circa extirpandam hęreticam pravitatem tam de Lombardia, & Tuscia, quam de omnibus aliis Italię partibus, cum omni vigilantia, omnique studio laboretis. Et si forsan Magister, & Minister Generalis, aliique Priores, & Ministri Provinciales, ac Custodes, seu Guardiani aliorum locorum vestrorum Ordinum, pretextu quorumcunque privilegiorum, seu indulgentiarum ejusdem Sedis, dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum vobis, vel vestrum alicui, seu aliquibus injunxerint, seu quoquomodo pręceperint, ut ad tempus, vel quoad certos articulos, certasve personas negotio supersedeatis eidem, nos vobis universis, & singulis auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte, vel intendere quomodolibet pręsumatis. Nos enim privilegia, seu indulgentias hujusmodi, quantum ad hunc articulum tenore pręsentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quę in vos, vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus, & inanes; Nam etsi pręstdicta Sedes interdum Pręlatis aliquibus vestrorum Ordinum per suas, sub certa forma, committat literas, ut ad exercendum Inquisitionis officium contra hęreticam pravitatem aliquos suorum Ordinum Fratres assumere valeant, ipsosque, cum expedire viderint, amovere, ac alios subrogare, non tamen per hoc quod ipsis ea duntaxat de causa in hac parte committitur, quia de Fratrum suorum Ordinum idoneitate habere notitiam pręsumantur, aliqua eis super hujusmodi Inquisitionis negotio, vobis immediate a pręstdicta Sede commisso, vel committendo, facultas vel jurisdictio attribuitur, seu potestas. Datum Laterani III Idus Decembris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Cavet ut supra.

1. *Inquisitoribus.*) Legesis *Dissertationem I Tomo ultimo.*
2. *Bullario.*) Adeas *Pegnam ad calcem Directorii Inquisitorum pag.* 50. Ejusdem tenoris Autographum tenet Conventus *S. Dominici Urbevetan.* Datum *III Kalendas Decembris Pontificatus Alexandri IV Anno Sexto.* Hujus Exemplar legitur in Archivo Ordinis *Libro B. folio* 128.

Anno 1260 Die 28 Decembris.

Archiepiscopis, Episcopis &c. ut ab insidiis hæreticorum F. Raynerium (1) tueantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCLXXXIX.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prępositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis, & aliis Ecclesiarum Pręlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE dilecti filii Fratris Raynerii de Placentia, Ordinis Prędicatorum, circumspecta prudentia in prosequendo fidei Orthodoxę negotio specialiter approbata, plenam habentes fiduciam ipsum Inquisitorem hęreticę pravitatis in certis Provinciis per alias nostras, sub certa forma, literas duximus deputandum. Cum igitur propter ejusdem inimicos fidei dictum Inquisitorem caute incedere oporteat, & attendere ab insidiis eorundem, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandantes, quatenus sibi ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, in eundo, & redeundo de securo conductu, prout idem petierit, & opportunum fuerit, sublata difficultate qualibet providere curetis, ita quod sibi injunctum hujusmodi Inquisitionis officium, vestro favore suffultus, securius, & liberius exequi valeat, vestraque a nobis possit devotio merito commendari, nec oporteat, nos procedere contra vos aliter in hac parte. Datum Laterani V Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Raynerium.*) De quo sæpius supra.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mediolani* in Cœnobio *S. Eustorgii* asservato. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Archie-

Anno 1261 Die 3 Januarii.

Archipresbytero, & Capitulo Ecclesiæ Pisanæ, ut Fratres nostros de rebus divinis ad populum dicere sinant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXC.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo Ecclesię Pisan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Fratrum Prædicatorum encomium.

EX commisso nobis Apostolatus officio lucrum tenemur solliciti quærere animarum, de quarum salute, opportuna quadam vigilantia cogitantes, ne se mortis faucibus ingerant, digne inter alias animi curas, quibus distrahimur, provisionis remedia propensius adhibemus, ad quod eo magis idoneos dilectos filios Priorem, & Fratres Ordinis Prędicatorum Pisan. esse credentes, quod ad Prędicationis laudabile ministerium exequendum. suę Religionis professio est specialius deputata, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apostolica scripta pręcipiendo, mandantes, quatenus, permittentes eosdem Fratres in Ecclesia vestra congruis temporibus proponere libere verbum Dei, nullum in hoc interponatis difficultatis obstaculum, sed potius eis in hac parte favorabiliter assistatis, scituri, quod si super hoc mandatum Apostolicum adimplere neglexeritis, nos aliter in dicto negotio curabimus providere. Datum Laterani III Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Sinant.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum extat in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Anno 1261 Die 3 Januarii.

Canonica portione solvenda Nostrates eximit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

PIum est & consonum ęquitati, ut vos, qui abnegantes salubriter vosmetipsos, elegistis in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, illius intuitu, cujus Vicarii sumus in terris, illa prosequamur gratia, per quam cultus ejus ampliari valeat, & paupertas vestra in aliquo relevari. Hinc est, quod nos necessitatibus vestris paterno compatientes affectu, ut de his, quę in ornamentis, aut pro eis, aut libris, seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, seu aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis ad sustentationem vestram. aut indumentis vestris, vobis legantur, nulli canonicam justitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere, devotioni vestrę auctoritate pręsentium indulgemus; districtius inhibentes, ne quis a vobis de pręmissis aliquid exigere, vel extorquere pręsumat, & sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quas in vos, vel aliquem vestrum, seu executores testamentorum, vel hęredes decedentium, seu benefactores vestros, communiter, vel divisim, per quoscumque contra hujusmodi concessionem, & inhibitionem nostram contigerit promulgari, decernentes irritas & inanes. Nulli ergo &c. concessionis, inhibitionis, & constitutionis &c. Datum Laterani III Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum, Plumbum sericis filis erat appensum. Habes etiam Exemplar authenticum *Libro E folio* 52. Idem exscripsit *Ususmaris pag.* 50.

Anno 1261 Die 4 Januarii.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut Vigiliis, Festis, & per Octavas SS. Dominici ac Petri Martyris, ipsi, ceteri Religiosi, ac Clerici seculares tempore generalis interdicti (1) Sacra celebrare possint in Templis Ordinis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus, ac Fratribus universis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRo reverentia B. Dominici Confessoris, qui vestri sacri Ordinis extitit Institutor, ac etiam S. Petri Martyris, professoris ejusdem, necnon sanctę conversationis, & vitę vestrę meritis, delectamur vos prosequi dono gratię specialis; Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus annuentes, vobis auctoritate pręsentium indulgemus, ut, cum generale terrę fuerit interdictum, in vigiliis, & festivitatibus Confessoris, & Martyris prędictorum, & octo diebus immediate sequentibus, vos una cum aliis Religiosis, & Clericis secularibus qui tunc in Ecclesiis & oratoriis vestris convenerint, apertis januis, excommunicatis dumtaxat exclusis, divina officia inibi celebrare possitis, dummodo vos, ac iidem Religiosi, & Clerici, causam non dederitis interdicto, nec id vobis, & eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Laterani II Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Indulget ut supra.

1. *Interdicti.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Idem habes apud *Castellanum pag.* 28, in *Constitutionibus Ord. Prædicator. impressis anno MDV num. LVIII, in aliis an. MDVII num. LXII.* Exemplar authenticum tenet Conventus noster *Ragusinus.* *Bull. O. P. Tom. I.*

Ma-

Anno 1261 Die 20 Januarii.

Magistro, & Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut ad Ordinem ascribendos a censuris (1) solvere queant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXCIII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CÆlestis amor Patrię &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Laterani XIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Censuris.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filiis appenditur. Idem transcripsit *Usus maris pag.* 52.
3. *Patrie &c.*) Vide in *Diplomate Dato XXII Martii, MCCXLIV.*

Anno 1261 Die 4 Februarii.

Hanc clausulam *Salva canonica justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum* (1) *corpora assumuntur*: nec Clericos novo jure donare, nec Fratribus nostris damno esse.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXCIV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Constantien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

SUa nobis dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum de Turego, tuę Diocesis, petitione monstrarunt, quod fel. rec. Gregorius PP. prędecessor noster per literas suas statuit & mandavit, ut corpora illorum, qui apud ipsos eligunt sepulturam, deferantur ad eorum Oratoria tumulanda, & quod eis ab hujusmodi decedentibus in ultima voluntate relinquitur, dictorum Prioris & Fratrum usibus applicetur, salva canonica justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur; ex quibus verbis ultimis Clerici loci ejusdem occasionem sumentes, dictos Priorem, & Fratres super canonica portione eorum, quę ipsis in prędicta Villa de Turego a Christi fidelibus in ultima voluntate legantur, multipliciter inquietant. Quia vero nos per illam clausulam salva cononica justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur: Clericis ipsis nihil novi juris intelligimus attributum, nec eisdem Priori & Fratribus aliquod pręjudicium generatum, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictos Clericos, quod eosdem Priorem & Fratres super his, nisi alias hoc eis de jure competat, occasione illius clausulę de cetero non molestent. sed eis restituant potius, si qua prętextu dictę clausulę forsitan habuerunt, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compelias. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Sedis ejusdem, quę plenam & expressam non fecerint de induito hujusmodi mentionem. Datum Laterani II Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Declarat ut supra.

Clausula derogatoria.

1. *Mortuorum.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX, & X.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1261 Die 18 Martii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut apud Clericos excommunicatos diversari possint (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXCV.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Datię (3), Norvvergię (4), Svetię (5), & Rigię (6), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ATtendentes, quod necessitas legibus non arctatur, devotionis vestrę precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut si vos ad domos aliquorum Clericorum, qui pro detentione concubinarum sunt excommunicationis vinculo innodati, declinare contigerit, licite cum eisdem Clericis hospitari possitis, nec propter hoc excommunicationis laqueus vos involvat. Nulli ergo &c. Datum Laterani XV Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Indulget ut supra.

1. *Possint.*) In *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononiensi fol. XI*, ex transumpto authentico comprobato *anno MCCLXXIII Indictione I die XII, exeunte Julio, a Theoderico Cerviensi, Ottone Mindensi, & Antonio Serano* Episcopis. Extat *Bononiæ.*
3. *Datia.*) *Daciæ* nempe, ingens est *Europæ* Regio.
4. *Norvvegiæ.*) Regnum amplum *Europæ* ad *Arctos* extensum.
5. *Svetiæ.*) *Suecia.* Regnum est *Europæ* versus Septentrionem.
6. *Rigiæ.*) In *Livonia.*

Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Præpositis per Alemanniam (1), Bohemiam, Moraviam, & Poloniam constitutis, ut Fratres nostros de rebus divinis ad populum dicere, & Confessiones excipere sinant (2).

Anno 1261 Die 18 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCXCVI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac ceteris Pręlatis per Alemanniam, Bohemiam, Moraviam, & Polonism constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ordinem nostrum laudibus celebrat.

PLantatus olim in agro Ecclesię Fratrum Prędicatorum Ordo, sic a suis primordiis, gratia operante divina, laudabilibus incrementis successive profecit, quod assidue flores pręferens copiosius honestatis, & producens uberius fructus vitę inter alia plantaria dominica, puritate conversationis, scientię dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Unde Nos in agro ipso cultores, licet immeriti, a Domino deputati, eundem Ordinem grandi prosequi favore proponimus, & exaltationem ipsius jugis diligentię studio multipliciter procurare, ut Apostolicę gratię rore continue irroratus, majoribus semper, Deo tribuente, consurgat, & dilatetur augmentis. Sane intelleximus, quod quidam ex vobis, Fratribus Prędicatoribus, ne in vestris Civitatibus & Dięcesibus officium Prędicationis exerceant, & Confessiones fidelium audiant, pro suę interdicunt arbitrio voluntatis. Verum quia ex debito Pastoralis officii, vobis commissi, tenemini personas religiosas diligere, ac eis favorem benevolum impertiri, pręsertim in his, in quibus salus animę procuratur, discretionem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prędictos Fratres Verbum Dei proponere, ac fidelium Confessiones in pręfatis Civitatibus, & Dięcesibus libere audire permittatis, ita quod lucrum impediri nequaquam valeat animarum, vosque divinam exinde gratiam uberius habere possitis. Datum Laterani XV Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Mandat ut supra.

1. *Alemanniam.*) Licet *Alemannia* vulgo sit idem ac *Germania*, hic tamen ab illa distinguitur, & merito; *Germania* siquidem latius patet, & præter alias regiones complectitur etiam *Bohemiam*, *Moraviam &c.* in hoc autem Diplomate, ut apud auctores, *Alemannia* proprie vocantur *Rhætia*, *Helvetia*, & *Suevia*.

2. *Sinant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo VII.*

3. *Archivo.*) In *Bullario Bononiensi fol.* 12, cujus Exemplar authenticum comprobarunt Episcopi, ut in *nota II* ad præcedens Diploma dictum est.

Mare magnum, id est Diploma privilegia (1) privilegiis coagmentans.

Anno 1261 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXCVII

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus universis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

VIrtute conspicuos, sacri vestri Ordinis Professores, qui contemplationi cęlestium ferventer invigilant, & pię vitę studio sine intermissione desudant, decet per Apostolicę circumspectionis auxilium sic provide dirigi, & solicite consoveri, ut alicujus prętextu calumnię nullum internę pacis excidium nullumque religiosi status perferant detrimentum, sed in iis robur & vigorem habeant per quę circa cultum divini nominis devotis & quietis mentibus invalescant. Hinc est, quod cum, sicut nobis exponere curavistis, tu, fili Magister, & prędecessores tui, juxta ejusdem Ordinis consuetudinem observatam hactenus, & a Sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum prędicti Constitutiones Ordinis extitistis, Fratrum ipsius curam gesseritis, Magisterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote, & humiliter obedierint, & intenderint reverenter, & in eodem Ordine sit statutum, ut Magister ipsius, qui pro tempore fuerit, a Magisterii officio amoveri valeat a Deffinitoribus Capituli Generalis: Nos volentes ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, ac Ordinem ipsum a Sede Apostolica approbatum, honestate floridum, pręclarum scientia, & virtute fęcundum, privilegio Apostolicę gratię attollere singulari, vestris supplicationibus inclinati, devotioni vestrę, ut successores tui, fili Magister, qui erunt pro tempore, statim, postquam electi secundum Constitutiones fuerint supradictas, eo ipso veri ejusdem Ordinis effecti Magistri curam animarum Fratrum ipsius plene habeant, ac libere gerant, ipsosque Fratres auctoritate propria ligare ac solvere, necnon in Ordine eodem agere valeant, quę ipsi, & pręfati Deffinitores, juxta prędictas Constitutiones, eisdem Ordini & Fratribus secundum Deum viderint expedire, aliasque possint officium Magisterii licite in omnibus exercere: iidemque Fratres, tibi Magister, & successoribus ipsis devote & humiliter obediant, & intendant, & pręfati successores, &, tu Magister, a Deffinitoribus Capituli Generalis ipsius Ordinis, secundum Ordinis Constitutiones ejusdem, absolvi, & amoveri possitis, auctoritate Apostolica indulgemus, ratum habentes, & firmum quicquid super premissis per te, Magister, dictosque Prędecessores, Fratres, & Deffinitores, factum, & observatum est hactenus, concessa tibi exequendi Magistri officium quoad pręmissa omnia, & alia, libera facultate. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum Constitutiones Ordinis ipsius Conventibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cujusquam alterius licentia libere in domibus prędicti Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget Studium Generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consuevit. Et licet Episcopis Dięcesanis vestris debitam & devotam obedientiam & reverentiam impendatis, nolumus tamen, quod circa Instituta, & pręcipue super institutionem & destitutionem Priorum ejusdem

Ordinem laudibus celebrat.

Cujus auctoritatis sint Magister Generalis, ac Deffinitores, declarat.

Sine cujuscunque venia Fratres ab Ordine constituti Theologiam docere possunt in Cœnobiis Ordinis.

Ne Fratrum negotiis Episcopi se admisceant.

Priori electione rescissa posterior vel per literas, aut per Procuratores facta confirmari potest.

Lege, quæ Magistri, ac Priorum Provincialium electionis tempus definit, electores solvit.

A quovis Episcopo Catholico hic Ordines suscipere possunt Fratres; ut nec Episcopi periculum initiandorum faciant in literis, nec Episcopis Fratres se obligent.

In Ædibus sacris Ordinis rebus divinis ritu solemni operam dare licet.

In templis nostris, & aliis, tempore generalis interdicti sacra possumus celebrare.

Domesticis nostris Sacramenta ministrare possumus.

Eorundem corpora sepulcris nostris reddenda.

Procuratores & Domesticos nostros excommunicationis & Interdicti generalis sententiis obnoxios non esse.

In excommunicatorum terris degere, & ibidem victum rogare possumus.

Facultas solvendi a Censuris.

Multis oneribus levat Fratres nostros.

Socios Legatis, Archiepiscopis, & Episcopis datos repetere & corrigere possunt Præpositi nostri.

ejusdem Ordinis, ex hoc pręjudicium aliquod incurratis. Quando vero in aliquo Capitulo, vel Conventu vestri Ordinis de Conventuali, vel Provinciali Priore occurrerit electio facienda, si ex aliqua causa Fratrum electionem a Fratribus ejusdem Ordinis, quorum interest, non contingat forsitan confirmari, Superior, ad quem confirmatio electionis hujusmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus, quos ipsi electores, vel major pars eorum per literas suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeat in Priorem; in electionibus quoque eorundem Magistri, & Priorum Provincialium ipsius Ordinis, Fratribus, qui debent electionem hujusmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus super hoc a jure statutum non currat, nec ipsi in hac parte juris hujusmodi regulis coarctentur. Et quia ejusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis sępius transmittuntur, propter quod stabilem & perpetuam in certis & determinatis ejusdem Ordinis domibus non faciunt mansionem, quia etiam bonos, & idoneos, & approbatos a vobis Fratres, facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejusdem Ordinis, quibuscunque malueritis catholicis Pontificibus, communionem & gratiam Apostolicę Sedis habentibus, pręsentare, ipsisque Pontificibus pręsentatos a vobis Fratres, sine qualibet examinatione per eosdem Pontifices facienda, & absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum, ad Ordines promovere. In locis quoque in quibus degitis, liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portabili possitis Missarum solemnia, & alia divina Officia celebrare, absque juris pręjudicio alieni. Cum autem generale interdictum terrę fuerit in Ecclesiis, & oratoriis vestris, & aliis quibuscunque, cum ad loca perveneritis ecclesiastico supposita interdicto, clausis januis, interdictis, & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, & submissa voce, liceat vobis celebrare divina, & ecclesiastica recipere Sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto. nec contingat id vobis specialiter interdici, neque Ecclesię & Oratoria fuerint specialiter interdicta. Iis vero, qui vestris immorantur obsequiis cuncta libere administrare possitis ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decedunt in vestris cęmeteriis sepelire. Si quando autem in terras, in quibus residetis, vel earum personas excommunicationis, seu interdicti sententias contigerit promulgari; pueri vestris servitiis deputati, negotiorum quoque vestrorum Procuratores, & operarii, qui in vestris locis eorum operibus personaliter continue institerint, hujusmodi sententiis minime obnoxii habeantur, ibique possint audire divina, juxta formam, quę locis ipsis, in eo casu, a Sede Apostolica est concessa, nisi eisdem causam dederint, vel excommunicari specialiter, seu interdici contingat eosdem. Et quia vos, extremam patientes pro Christi nomine paupertatem, exhortationis pię studio bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis semitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc, & etiam quando vos per ipsos transire contigerit, necessaria vitę deposcere, & recipere valeatis. Magister quoque, & singuli Priores Provinciales, & Conventuales, ac eorum vices gerentes in Provinciis, & Conventibus, & locis sibi commissis, pręfatis Fratribus constitutis ibidem, necnon aliis Fratribus ejusdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecunque, absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam intraverint Ordinem, sive post, in casibus excesserint, in quibus excommunicationis sententiam & notam irregularitatis incurrerunt, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impertiri, nisi adeo gravis & enormis excessus fuerit, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore, vos, Magister, Priores tam Provinciales, quam Conventuales, necnon & vices vestras gerentes, in proprios habueritis confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, juxta formam concessionis super absolutione & dispensatione Fratrum ejusdem Ordinis superius vobis factę. Ad hęc volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis sunt ligati, absolutionis beneficium juxta formam Ecclesię impertiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum, & professionem emissam, recoluerint, se talibus in seculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam, vos Magister, & singuli Priores Provinciales, & Conventuales, & vices vestras gerentes, valeatis absolvere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis divina pręsumpserint officia celebrare; ita tamen, quod si aliqui ex hujusmodi eisdem sententiis propter debitum sunt astricti, satisfaciant, ut tenentur. Porro quieti vestrę providere volentes, quod per literas Apostolicę Sedis, aut Legatorum, seu delegatorum ipsius conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non possitis inviti per literas ipsius Sedis, de cetero impetrandas, quodque nullus vestrum correctionis, seu visitationis, vel inquisitionis officium Monasteriis, vel Ecclesiis, seu quibuscunque personis impendere, vel ad cognitionem causarum, citationem partium, & denuntiationem sententiarum interdicti, & excommunicationum procedere, aut recipere curam Monialium, seu Religiosarum quarumlibet teneatur per literas Apostolicas impetratas, & impetrandas in posterum, nisi hujusmodi Apostolicę literę de hoc indulto, & Ordine vestro expressam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apostolica indulgemus. Concedimus etiam ut ad visitanda aliqua Monasteria Monialium cujuscunque Ordinis compelli aliquatenus non possitis, aut ad recipiendum commissiones causarum, seu sententiarum executionem, vel alia contingentia causas ipsas, per literas pręfatę Sedis, in quibus facta non fuerit de indulgentia hujusmodi specialis mentio, sive per Legatos, vel delegatos ipsius, vel etiam per quoscunque. Nullus insuper Archiepiscopus, vel Episcopus, nullusque alius Prelatus Ecclesiasticus, nec eorum vicarii, vel officiales, ad portandum, vel deferendum literas, vel exequendum, aut denuntiandum sententias contra Principes Seculares, Communitates, Populos, seu quoscunque benefactores vestros, nullusque delegatus, vel ordinarius Judex ad faciendum citationes, vel commissiones recipiendas, seu quod sitis in causis aliquibus assessores, seu ad alia, lites, controversias, contingentia in causis, quę coram ipsis tractantur, quenquam vestrum compellere valeant, sine pręedictę Sedis mandato, vel licentia speciali, expressam faciente de hac indulgentia mentionem, nec quisquam vestrum parere, vel intendere teneatur super iis monitionibus, mandatis, & jussionibus eorundem, aut facere, vel implere quod in hac parte duxerint injungendum. Ceterum Magister, & singuli Priores Provinciales, ac ipsorum Vicarii illos ex Fratribus, de quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicę, vel Legatorum ipsius, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis quibuscunque provisum extitit, vel

vel in posterum contigerit provideri, ac etiam, non obstante aliqua contradictione, possint ad suum Ordinem revocare, nec per literas ejusdem Sedis, seu Legatorum ipsius jam obtentas, vel de cetero obtinendas, aliquos de Fratribus ipsius Ordinis prefatis Archiepiscopis, & Episcopis, aut aliis in socios teneantur deputare, nisi dictę literę Apostolicę obtinendę de indulto hujusmodi, & Ordine ipso, expressam fecerint mentionem, aut alias id honestati Ordinis, & illorum saluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, nisi de latere nostro missus, auctoritate literarum Sedis Apostolicę, specialem de hoc indulto, & Ordine vestro non facientium mentionem, cujusque Prelatus, nec aliqua persona Religiosa, vel Secularis de Fratribus ejusdem Ordinis ad sua, seu Ecclesię negotia procuranda, vel secum manendum, aliquos assumere valeat, nisi quos Magister, & Prior Provincialis ipsorum, tanquam idoneos, & discretos, sibi duxerint assignandos; quos etiam subjacere volumus Ordinis disciplinę. Illos vero ipsius Ordinis Fratres, qui ad predicandum Crucem, vel inquirendum contra pravitatem hereticam, seu ad alia hujusmodi negotia sunt, vel fuerint ubicunque a Sede Apostolica deputati, tu fili Magister, tuique Successores, removere, seu revocare, penitus transferre, ipsisque, quod supersedeant, injungere, aliosque substituere, cum expedire videritis, licite, ac libere valeatis, & in eos, si contravenerint, censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet Prior Provincialis, vel ejus Vicarius, ejusdem Ordinis ad ipsum in sua Provincia circa Fratres ipsius Ordinis, quibus ab eadem Sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus literis, vel indulgentiis Apostolicis, impetratis, vel etiam in posterum impetrandis, quę de hoc non fecerint mentionem.

Cruci prædicandæ præfectos Fratres Ordinis & Fidei Censores revocare, & alio transferre possunt Præpositi nostri.

Inhibemus quoque, ne quis post professionem in Ordine vestro factam ab ipso Ordine, sine Magistri, vel sui Prioris licentia discedat, discedentem vero absque cautione literarum alterius ipsorum, pretextu alicujus privilegii Apostolicę Sedis, nullus audeat retinere; Quod si forte retinere presumpserit, vobis, Magister, & Priores duntaxat, licitum sit in ipsos discedentes Fratres excommunicationis sententiam promulgare.

Votis solemnibus nuncupatis nullus ab Ordine sine Præpositi sui discedat licentia.

Si vero aliqui de Fratribus vestri Ordinis post obtentam licentiam a Sede predicta, vel a vobis, ad aliam Religionem transeundi, infra duos, vel tres menses, se ad illam Religionem suę saluti congruam non contulerint, & ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis, Magister, & Priores, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos tanquam contra alios Ordinis vestri apostatas, procedere, secundum quod honestati ipsius Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius Religionis, infra tempus probationis, nulla professione facta, inde presumpserint resilire. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & alias subdere disciplinę rigori possitis, per vos, ac etiam alios, in quocunque habitu eos contigerit inveniri, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Pœnas debitas pendent Apostatæ.

Ne transfugæ vel ejecti ex Ordine, docere, prædicare, vel confessiones excipere præsumant.

Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine vestro pro suis culpis per Magistrum, Priores, ac eorum Vicarios, expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, predicare, confessiones audire, seu docere presumant, nisi ad alium Ordinem, in quo licite hujusmodi officia exercentur, transierint, de nostra, vel Magistri, seu Priorum, aut Vicariorum ipsorum, licentia speciali. Quod si forte ipsi contra inhibitionem nostram aliquid super premissis temere attentare presumpserint, Magister, & singuli Priores, ac ipsorum Vicarii, in illos, qui infra fines predicationis suę, juxta consuetudinem Ordinis vestri distinctos, invenerint talia presumentes, monitione premissa, auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeant promulgare. Ejectos autem de Ordine vestro, vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis reddiderint se indignos, transeundi ad alios Ordines approbatos, preterquam ad B. Augustini, Templariorum, Hospitalariorum, & aliorum Religiosorum arma portantium, ad vitandam occasionem evagandi, Magister, & Priores, seu ipsorum Vicarii cum suis testimonialibus literis, auctoritate nostra, licentiandi liberam habeant facultatem.

Ut ad alios Ordines, Militaribus exceptis, sese transferre, per Præpositos inemendabilibus liceat.

Nos enim districtius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere, seu retinere presumant absque licentia speciali Sedis Apostolicę, faciente de hoc plenariam mentionem. Inhibemus etiam, ut nulli, sive sit in Religionis Ordine, sive extra Ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ita consimilem, quod propter eum Frater Predicator credi possit, deferre liceat absque mandato Sedis Apostolicę speciali, & ut dicta inhibitio majorem consequatur effectum, statuimus, ut ii, qui habitum vestrum, vel sibi predicto modo consimilem deferre presumpserint, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum, cum a vobis requisiti fuerint, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur.

Nullus similes nostris, vel easdem vestes potest induere.

Ceterum, cum humilitas vestra sibi de latitudine orbis terrę nihil preter domos & hortos, cum virgultis, premiorum obtentu cęlestium, duxeris reservandum, Nos, pie volentes, quod illorum fructus integre vestrę paupertatis usibus applicentur, ut de dictis hortis & virgultis vestris, nulli decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate presentium indulgemus, districtius inhibentes, ne quis a vobis de premissis aliquid exigere, vel extorquere presumat.

Decimis solvendis immunes nos reddit.

Quia vero nonnulli, vestrę Religionis habitum assumentes, diversis personis, quę sciri, & inveniri non possunt, aliqua bona interdum restituere tenentur, vobis, Magister, & Priores, ac Vicariis predictis, concedimus, ut singuli vestrum in locis sibi commissis bona ipsa in pios usus convertere valeant, prout secundum Deum viderint expedire.

Priori permittit ea, quæ restituenda sunt a Novitiis.

Sepulturam quoque in Ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui se illic sepelire deliberaverint, nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publice usurarii fuerint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumentur; districtius inhibentes, ut nulli Religiosi, vel seculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cemeteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus illorum, qui ad loca vestra tumulandi fuerint, ibidem exequias celebrare, sine assensu vestro & voluntate presumant.

Liberam Sepulturam in Templis nostris esse decernit.

Inhibemus insuper universis Fratribus vestri Ordinis, ne aliquis eorum alii, quam Prelatis suis peccata sua confiteri presumat, nisi necessitatis cogente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Prior proprius alicui Fratri dederit Fratri alteri ejusdem Ordinis licentiam confitendi.

Præpositis, aut iis, quibus facultatem Præpositi fecerint, & non aliis, peccata confiteantur Fratres.

Universis autem Ecclesiarum Prelatis, & aliis inhibemus, ne confessiones vestras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, seu convocationes suas, accedere, vel cum eis extra Civitates, vel intra, processionaliter exire, aut suis Constitutionibus subjacere, vel capitula, scrutinia, & inquisitiones in locis vestris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obe-

Episcopis quedam interdicit.

A portione Canonica solvenda Fratres eximit.

Translatis Coenobiis, supellex, ceteraque hujusmodi etiam transferenda.

A tributis quocunque nomine indicendis Fratres eximit.

Ne quis Fratres nostros vadetur.

Decretum irritum faciens.

obedientiam a Prioribus,& Supprioribus vestris exigere, seu prohibere, ne ad Civitates, vel villas, ubi religiose ac honeste commorari possitis, a populis evocati, audeatis accedere, ibique pro vestris usibus construere ędificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut de iis, quę vobis a fidelibus tam in ornamentis Altaris, quam luminaribus Ecclesiarum, fabricis, libris, & aliis vestris necessitaribus, absolute conferuntur, vel in ultima voluntate legantur, portionem aliquam a vobis, aut ultimarum executoribus volunratum, seu decedentium hęredibus, exigere, vel extorquere, aut in accedentes Fratres, seu constituentes hujusmodi, vel receptatores ipsorum, aut executores, vel hęredes prędictos, excommunicationis sententiam ferre pręsumant. Ad hęc liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam ędificia, seu omnem ędificiorum materiam locorum, quę dimittunt, Ecclesiis dedicatis duntaxat exceptis, quam libros, calices, & paramenta, secum ad alia loca transferre, ac ędificia cum solo, & aliis, ad eadem loca pertinentibus, pręter Ecclesias, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorum, ad quę dicti Fratres se transferunt, ędificationem, seu alias in eorum utilitatem convertere, secundum quod eis melius videbitur expedire. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alii Pręlati; seu quęvis alia persona ecclesiastica, vel secularis, prędicta loca, seu bona occupare, recipere, vel usurpare, aut quoquo modo sibi vendicare pręsumant, absque dictę Sedis licentia speciali, districtius inhibemus. Indulgentes vobis, ut ad pręllationem procurationum Legatorum prędictę Sedis, vel Nunciorum ipsius, seu Dięcesanorum locorum, aut exactionem, vel collectarum, seu subsidiorum, vel provisionum, quorumcunque, minime teneamini, nec ad ea solvenda per literas dictę Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum ejusdem, seu Rectorum terrarum, Ecclesię Romanę impetratas, seu impetrandas in posterum, cujuscunque tenoris fuerint, in perpetuum compelli possitis, nisi dictę Sedis literę impetrandę plenam & expressam de hujusmodi indulto, & dicto Ordine, fecerint mentionem. Ceterum cum fel. rec. Innocentius PP. Prędecessor noster olim duxerit statuendum, ut exempti quantumcunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere, Nos vobis, ut occasione Constitutionis hujusmodi nullum libertatibus, & immunitatibus, vobis, & vestro Ordini, per privilegia, & indulgentias ab Apostolica Sede, concessis, pręjudicium generetur, auctoritate pręsentium indulgemus. Decernimus ergo irritum & inane quicquid contra concessionum tenorem, constitutionem, & inhibitionem hujusmodi per quoscunque fuerit attentatum, & interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas contra concessiones, constitutiones, & inhibitiones easdem in vos, vel vestrum aliquos, aut loca vestra, seu benefactores vestros, in posterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum concessionum, constitutionum & inhibitionum infringere &c. Datum Lateran. V Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.* In quo Exemplar. Autographum est in Coenobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Anno 1261 Die 1 Aprilis.

CCXCVIII.

Monasterium Vallis-Gratiæ variis privilegiis (1) donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę Monasterii Vallis-Gratię, ejusque Sororibus, tam pręsentibus, quam futuris, regularem vitam professis. In Perpetuam Memoriam.

Exordium.

Monasterium suo, & S. Sedis præsidio tuetur.

Possessiones confirmat.

Novalia eximuntur a decimis.

Moniales Monasterio ascribendæ.

Monasterium immune reddit ab Interdicto generali.

A quibus Chrisma, Oleum Sanctum &c. possint suscipi.

RELigiosam vitam eligentibus, Apostolicum convenit adesse pręsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrę Religionis enervet. Eapropter, dilectę in Christo filię, vestris postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Vallis-Gratię Constantiensis (3) Dięcesis, in quo divino estis obsequio mancipatę, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & pręsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam, atque Institutionem Fratrum Prędicatorum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus, inviolabiliter observetur. Pręterea quascunque possessiones, quęcunque bona, idem Monasterium impręsentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, pręstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, & eis, quę vobis successerint, & illibata permaneant; in quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo pręfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quę propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus, non percipit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere pręsumat. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas e seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum, post factam in Monasterio vestro Professionem, fas sit sine Priorissę suę licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero, absque communium literarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrę fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, dummodo causam non dederitis interdicto, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, & Benedictiones Monialium a Dięcesano suscipietis Episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctę Romanę Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochię vestrę, nullus sine assensu Dięce-

Diœcesani Episcopi, & vestri, Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hęc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, & Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis, secularibusque personis a vobis omnino fieri prohibemus; Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publici usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas preterea, & possessiones, ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quę a laicis detinentur, redimendi & legitime liberandi, de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas; obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priorissa, vel earum aliqua, quę tibi successerint, nulla ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia prępanatur, nisi quam Sorores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris, secundum Deum, & B. Augustini Regulam, providerint eligendam. Paci quoque, & tranquillitati vestrę paterna in posterum solicitudine providere volentes, Auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem tenere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Preterea omnes libertates, & immunitates a Prędecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, Monasterio vestro concessas, necnon & libertates, & exemptiones secularium exactionum, a Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus, rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimode profutura; salva Sedis Apostolicę auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica justitia. Si quę igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrę Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit Pax D. N. I. C., quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum Judicem pręmia ęternę pacis inveniant, Amen. Amen.

A tributis eximit Monasterium.

In ipso sepultura est libera. Quomodo Priorissa sit eligenda.

Jura & consuetudines Monasterii firmat.

Sanctio pœnalis.

S. Pontificis, & Cardinalium subscriptiones.

Ego Alexander Catholicę Ecclesię Episcopus.
Ego Odo Tusculanus Episcopus manu propria.
Ego Stephanus Prenestinus Episcopus manu propria.
Ego F. Johannes Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinal.
Ego F. Hugo Tit. S. Sabinę Presbyter Cardinal.
Ego Ottobonus S. Andriani Diaconus Cardinal.

Actum Laterani per Manum Magistri Jordani S. R. E. Notarii, & Vicecancellarii. Primo (4) Aprilis, Indictione tertia, Incarnationis Dominicę Anno MCCLXI, Pontificatus vero Domini Alexandri Papę IV Anno Septimo.

2 *Privilegiis.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo asservato in Monasterio *Vallis Gratia.*
3. *Constantien.*) In *Suevia.*
4. *Primo.*) Sic Amanuensis. Legendum. *Kalendis.*

Magistro, Prioribus, ac vices Priorum gerentibus, Ordinis Prædicatorum, ut a censuris subditos solvere (1) possint.

Anno 1261 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, ac vices Priorum gerentibus, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCXCIX.

Licet ad hoc Fratrum vestri Ordinis pia desudet intentio &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Laterani IV Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Solvere.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum fericis filis appenditur.
3. *Intentio &c.*) Ut in *Diplomate date XVIII Martii MCCLVIII.*

In Ædibus sacris Ordinis FF. Prædicatorum liberam Sepulturam (1) cunctis esse decernit.

Anno 1261 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CCC.

Cum a nobis petitur quod justum est, & honestum &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Laterani IV Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

1. *Sepulturam.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum, Plumbum fericis filis appenditur.
3. *Honestum &c.*) Ut in *Diplomate date XXX Novembris MCCXXVII.*

Anno 1261 Die 13 Aprilis.

Confirmat donationem soli, in quo Fratres Prædicatores Ædes Sacras Cœnobiumque Tolosan. construxerunt (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCCI.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Tolosan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

PEtitio vestra, Nobis exhibita, continebat, quod bonæ memoriæ Tolosanus Episcopus (3) vos olim, pro salute fidelium, in Civitate Tolosan. voluit mansionem habere, ac tandem locum infra terminos Parochiæ Ecclesiæ S. Mariæ, quæ Deaurata dicitur, ad ... Abbatem, & Conventum Monasterii Moissacensis, Ordinis S. Benedicti, Caturcensis Diœcesis, pertinentis, quam citius potuit collocavit, concedens vobis, ut infra eosdem terminos Ecclesiam construi faceretis, & officinas alias vestris usibus opportunas, ponendo primarium lapidem in eadem. Vos autem in eodem loco per licentiam & assensum hujusmodi Ecclesiam & officinas easdem construxistis postmodum, & jam in illis fere triginta annis pacifice habitastis. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, quod super his ab eodem Episcopo factum est, ratum habentes, & gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, defectum, qui ex eo in iis forsitan extitit, quod ad hoc consensus Capituli sui, ac eorundem Abbatis, & Conventus, seu Prioris Monachorum, & Rectoris ipsius Ecclesiæ non accessit, supplentes de plenitudine Apostolicæ potestatis. Nihilominus etiam vobis tenore præsentium indulgemus, ut indulgentiis, & privilegiis, vobis & Ordini vestro concessis, necnon & approbatis ipsius Ordiois consuetudioibus, vobis ibidem competentibus, uti, & gaudere libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmatioois, suppletioois, & coocessionis infringere &c. Datum Laterani Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Septimo.

Confirmatio.

1. *Construxerunt.*) Hic notatu digna paucis aperit *Percinus* noster *Monument. Convent. Tolosan. ad an. MCCLX num. IV pag. 57*, cujus hæc verba. *Dum Ecclesia nostra construeretur paulatim a tempore, quo Fulco Tolosanus Episcopus .... primum ejus lapidem posuerat anno MCCXXXI, & constructioni Raymundus ejus successor totis viribus propriisque sumptibus faveret, lis mota est ab Abbate Moissacensi, & a Rectore Parochiæ B. Mariæ Deauratæ, quorum erat fundus; Abbatis quidem, ut supremi domini, Rectoris autem ut Parochi, qui certum jus habebat in domibus ibidem sitis, quas destruxeramus pro novo ædificio. Unde ad Summum Pontificem sæpius recurreramus, ut terminata lite, opus constructionis ad optatum finem deduci posset.* Hac de causa Pontifex scribit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum asservatur *Tolosæ*. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Episcopus.*) *Fulco*, ut videre est ex Diplomate quod *Raymundus de Falgario* Successor *Fulconis* dedit his verbis: *Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Frater Raymundus permissione divina Tolosanus Episcopus, salutem in Domino sempiternam. Quanta reverentia & favore sanctus Fratrum Prædicatorum Ordo dignus sit apud omnes, universo fere orbi multifariam innotescit. Conductis siquidem primo mane, ac horis ceteris vinea Domini Sabaoth ex denarii conventione cultoribus pro temporum varietate diversis, hora tandem undecima dispensatio divina illorum providit Ordinem ad humanum genus de vicino adventu Judicis commonendum verbis pariter & exemplis, ut sic populus acceptabilis pararetur advenienti districto Judicio. Hi sunt quos Propheta prævidit in spiritu equos fortes ac varios, virtutum varietate circumdatos, & quadrigas novissimas de medio montium errorum* (legerem *æreorum*, ut apud *Zachariam* Prophetam VI v. 1) *egressas, ut perambulent omnem terram, Nomen Domini nostri Jesu Christi manifestando nationibus universis, & in ipsis lateribus aquilonis, ubi superbissimus spiritus olim posuerat sedem suam, Spiritum Domini requiescere facientes. Hos legalia tintinnabula præfigurarunt, quibus non modice poderis Pontificis extremitas ornabatur. Hujus Ordinis tam insignis primaria fundamenta, suprema providentia disponens omnia congruenter, per Beatissimum famulum suum Dominicum providentissime jecit, ac posuit in Tolosa. Illa siquidem civitate cum adjacente Provincia indigna ex parte pravitatis hæreticæ toxico medullitus jam infecta, portendi nihil aliud hoc tempore videbatur, nisi quod totaliter in illis partibus sepeliretur Ecclesia, & periret fides catholica penitus, passim pullulantibus & succrescentibus vepribus dogmatum perversorum, ac suffocantibus triticum Electorum, fidemque Domini nostri Jesu Christi. Sed nolens pius Dominus quos Sanguine suo redemit perire, per prædictum sui nominis Confessorem, & per multitudinem filiorum suorum potenter lupos abegit ab ovibus, & in prosecutionem ipsorum totum fere populum Christianum sedulis prædicationibus concitavit. Ad cujus lucis ortum exultans Sanctæ recordationis Fulco Ecclesiæ Tolosanæ Episcopus, cui immediate, licet immeriti & indigni successimus, cum nos Fratrum Ordinis ante dicti Fratrum Prædicatorum in Provincia Provincialis essemus, ad locum ubi nunc est Ecclesia Fratrum supra dicti Ordinis, qui tunc temporis hortus de Garrigiis dicebatur, personaliter accessit & venit. Ibique, nobis præsentibus, præsente quoque Religioso viro A .... de Drigono jam defuncto Priore Ecclesiæ B. Mariæ Deauratæ Tolosæ, Crucem fixit, & situm designavit, ac præsinivit in ædificatione Ecclesiæ, primumque lapidem posuit, ipsique ædificationi voluntatem suam ac auctoritatem præbuit & consensum. Insuper in ipso loco Cœmeterium assignavit liberum, ac etiam benedixit, & tam nos quam multos alios Fratres Ordinis ibidem, præsente Clero & populo collocavit. Nos ergo attendentes arborem hanc, cujus in Sede nobis, Deo auctore, commissa, fixa est primo radix, facere nostri Ecclesiæ copiosos fructus & producere tam salutares, & ad ipsius cultus dilationem, atque diligentius custodiam intendentes, universis & singulis quæ vidimus, & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt, fidele & omni acceptatione dignum testimonium perhibentes, nostram auctoritatem & consensum præstitimus, & præstamus. In quorum omnium prædictorum testimonium certum, & omnimodam firmitatem, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum Anno Domini MCCLX.* Hujus diplomatis Autographum asservatur *Tolosæ*. Illud exscripsit *Percinus* loco supra laudato *num. VI pag. 58*.

A tributis quocunque nomine indicendis Fratres eximit (1).

Ex Bullario (2) Castellani pag. 25.

CCCII.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, universis, & singulis viris Religiosis Sancti Dominici, Provinciæ Lombardiæ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DIgnum est, & æquitati convenit, & rigori, quod insigniti privilegio clericali, laicorum vexationibus non turbentur. Sane vestri querelam accepimus, quam dolentes referimus: quod Civitatum, castrorum, aliorumque locorum Rectores vobis injurias inferunt, & jacturas, super exactionibus, talliis, collectis, ab eisdem impositis vobis, necnon oneribus personalibus quibuscunque more laicorum solito:

Deum

Deum prę oculis non habentes, Sedem Apostolicam non verentes matrem omnium, & magistram. Volentes igitur, ut tenemur ex officii nostri debito, de cetero oppressionis hujusmodi duritiem coarctare; eisdem Rectoribus, ac personis aliis quibuscunque, tenore pręsentium, sub interminatione anathematis, prohibemus, ne de cetero talia pręsumant aliquatenus attentare, vobis, vestrumque cuilibet auctoritate Apostolica injungentes, ne de cetero ad exactiones, tallias, collectas, necnon opera personalia; quocunque nomine censeantur, perstringi possitis. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid contra hujusmodi nostram concessionem, & gratiam, a quocunque contigerit attentari. Nulli ergo. Datum &c.

1. *Eximit.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Bullario.*) Idem habes in *Constitutionibus typis editis Anno MDV num. LI*, & in *aliis An. MDVII num. LV* Ibidem autem sicut in *Bullario Castellani*, iisdem mendis scatet.

APPENDIX

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Alexandro IV Summo Pontifice, promotos exhibens.

PATRIARCHÆ.

F. Angelus Maltraversus ex Archi episcopo Cretensi Episcopus Ferrariensis, ut dicetur inferius, & ex Episcopo Ferrariensi Patriarcha Gradensis. *Bernardus Guidonis in Episcopis Marchiæ Tarvisinæ. Cavalerius Tomo I pag. 30 num. LXXV. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis Prædicator. pag. 328 col. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VI pag 47 ex Ughello & Plodio.* Apostolicis Literis *Neapoli* datis *V Kalendas Junii*, Pontificatus Anno Primo, Christi MCCLV, *Alexandrum IV* Capitulo *Gradensi* commendasse *F. Angelum* Patriarcham, docet *Fontana* mox laudatus. Hinc emendandi Scriptores, a quibus iste Patriarcha remittitur ad Annum MCCLX. Anno 1255 Die 28 Maii.

ARCHIEPISCOPI.

F. Johannes de Columna, Romanus, ex antiqua *Columnensium* prosapia oriundus, Archiepiscopus Messanensis in Sicilia. *Acta Capitulor. Generalium Tomo I folio 246. Bernardus Guidonis in Episcopis Siciliæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXI pag. 85. Cavalerius Tomo I pag 25 num LIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXC pag. 418.* Nec audiendi, ut bene optime monet *Cavalerius*, Auctores illi, qui *Johannem* nostrum, vel *Jacobum* vocant, vel distingunt ab alio *Jacobo de Columna*, quem sibi fingunt: unus enim & idem est *F. Johannes de Columna*. Provincialis *Romanæ* Provinciæ anno MCCLV, Archiepiscopus *Messanensis*, & Legatus S. Sedis eodem anno MCCLV, tum in Urbe Vicarius Summi Pontificis *Urbani IV*. Et sane; quod *Johannes* fuerit nomen ejus, constat ex Ms. Codice *de viris Illustribus &c.* Seculo XIII exarato, & a *Johanne* nostro edito. Illum pluries volvi, & ubique *Johannem de Columpna* auctorem nuncupari vidi. Eodem vocatur nomine *Libro de vitis Fratrum Parte IV Cap. X § III*, in *vita S. P. Dominici a Constantina Medices* edita, apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 34 col. I num. XLII*, a *Bernardo Guidonis in Episcopis Romanæ Provinciæ*, & in *Diplomate* superius exscripto *II Aprilis MCCLIII*. Ea vero omnia munia Provincialis, Archiepiscopi, Legati, Vicarii Summi Pontificis obiisse *Johannem de Columna*, constat tum ex citatis Auctoribus, tum ex Epistola quam *F. Conradus* ad Episcopum *Catanensem* de rebus *Siculis* dedit anno MCCXC, tum vel maxime ex hac inscriptione perantiqua, quam legebat *Fontana* noster in Ædibus Sacris *S. Sabinæ* de Urbe, ad Sacellum *S. Petri* Martyris. *Anno Domini MCCLXIII Pontificatus D. Urbani IV Anno ejus Secundo, istud Altare fuit consecratum ad honorem B. Petri Martyris Ord. Fratrum Prædicatorum, quando est Statio apud S. Priscam in III feria Hebdomadæ Sanctæ, per venerabilem Patrem Fratrem Johannem de Columna Archiep. Messanensem, Vicarium tunc temporis D. Papæ Urbani, in quo posuit Indulgentiam unius anni & XL dierum annuatim, & durat hæc indulgentia usque ad Octavas Paschæ. In festo autem ejusdem B. Martyris est ibidem Indulgentia unius anni & XL dierum.* Adeas *Fontanam Theatro Dominicano* Parte *II Cap. I Tit. VI pag.* 342, & *Echard* loco laudato. Anno 1255.

F. Petrus Polonus, Archiepiscopus Gnesnensis in Polonia. *Cavalerius Tomo I pag. 25 num. LV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXVIII pag. 198 ex Regesto Alexandri IV.* In hoc tamen, ut apposite notat *Cavalerius*, hallucinatur *Fontana*, quod *Petrum* inter Episcopos *Gnesnenses* recenseat. Enim vero anteaquam lucis usuram accepisset *Petrus*, Sedes *Gnesnensis* Archiepiscopalis erat, ut videre est ex *Johanne Longino Dlugosso in vita Sancti Stanislai Martyris*. Extat in *Maio Bollandiano Tomo II pag. 202.* Anno 1260.

EPISCOPI.

Circa Annum 1254. CONstantinus Medices, Episcopus Urbevetanus, vulgo *Orvietto*, in ditione Pontificia, immediate sub S. Sede. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romanæ Provinciæ. Ughellus in Episcop. Urbevetan. Tomo I Italia Sacra pag.*1470 *Edit. II. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. V pag.*71 *col. I, & pag.* 75 *col. II. Cavalerius Tomo I pag.*21 *num.XXXIX. Echard. Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLVIII pag.* 153.

Circa Annum 1254. F. Petrus Perez Hispanus, Episcopus Salmanticensis, sub Archiepiscopo Compostellano in Hispania. *Fernandez in Episcopis Hispaniæ. Gonzalez d' Avila in Historia Salmanticen. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag.*282. *Cavalerius Tomo I pag.*24 *num.LI.*

Circa Annum 1254. F. Ernestus Prussus, Episcopus Pomesaneosis, seu Pomezanensis, in Prussia Ducali, sub Archiepiscopo Rigensi, ut censet *P. Labbe in Apparata ad Concilia, pag.* 18 *Breviarii Geographiæ Episcopalis*, & ex *Echard* mox laudando sub *Gnesnensi* Archiepiscopo. *Germania Sacra Tomo I Parte I pag.*55 *col. II. Cavalerius Tomo I pag.*694 *num.II ex Laurentio Beyerlinch. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.*25 *Indicis Episcopor. col. I, ex Bucelino. Dominicus Frydrycowicz in Libro, cui Titulus: S. Hyacinthus &c. Regni Poloniæ Patronus pag.*231. Caute tamen hac de re legendus iste loco citato, errat enim in paucis.

Anno 1255 Die 8 Februar. F. Gualterus, seu Vualterus, qui & Valerius, Agnus Dei nuncupatus, natione Venetus, ex Episcopo Tarvisino, ut dictum est in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV ad annum MCCXLV*, Episcopus Castellanus. Sic Episcopatus *Venetiarum* tunc vocabatur ex ea *Venetæ* civitatis parte quæ *Castellum* dicitur. *Bernardus Guidonis in Episcopis Marchiæ Tarvisinæ. Cavalerius Tomo I pag.* 23 *num. XLVII. Scottus in Ughelli Italia Sacra Tomo V pag.*544, 545, & 1268, *Edit. II*, quem consulas velim.

Circa Annum 1255. F. Bartholomæus de Benevento, Episcopus Aleriensis in Insula Corsica, sub Archiepiscopo Pisano. *Bulla* Debitum *Datæ XVIII Februarii MCCLXIV. Ughellus in Episcopis Alerien. Tomo III Italiæ Sacræ pag.*502 *Editione II, ex Regesto Vaticano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXII pag.*120. *Cavalerius Tomo I pag.*44 *num.CXXVI.* Nunc in ruinis jacet *Aleria*, cujus Episcopus *Curiæ* in meditullio Insulæ *Corsicæ* degit. Ex hoc ad Episcopatum *Ameriæ* translatus fuit *Bartholomæus* anno MCCLXIV.

Anno 1255. F. Thomas Agni de Lentino, seu Leontio, vulgo *Lentini* Episcopus Bethleemitanus in Judæa. *Bernardus Guidonis in Episcopis Terræ Sanctæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.*140. *Cavalerius Tomo I pag.*34 *num. LXXXIX. Echard Tomo I ad annum MCCLXXVII pag.*358. *F. Guillelmus Tripolitanus Auctor coævus in fragmento Libri de Statu Saracenorum apud Duchesnium Tomo V Scriptorum Francicorum pag.*432. Fuit *Thomas* S. Sedis Apostolicæ Legatus anno MCCLV, Archiepiscopus *Consentinus* anno MCCLXVII, Patriarcha *Jerosolymitanus*, Episcopus *Acconensis*, & denuo S. Sedis Legatus anno MCCLXXII, ut dicetur inferius. Nec me movent recentiores nonnulli extranei, qui vel *Thomam* dividunt in duos, quorum unus *Thomas Agni*, alter *Thomas de Lentino* fuerit nuncupatus, vel ejusdem *Thomæ* gesta ita perturbant, ut unus & idem *Thomas* vix internosci queat. Immo consulendi Scriptores domestici, *Thomæ* suppares, qui ipsius vitæ seriem dilucide narrant. *F. Thomas Agni de Lentino*, inquit *Bernardus Guidonis* apud *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. pag. 359 col. I, *fuit Patriarcha Jerusolymitanus, & Episcopus Acconensis. Hic fuit a Domino Deo suo semper & ubique directus, qui cum esset Prior Provincialis Romanæ Provinciæ Episcopatum Bethleemitanum compulsus est recipere, & Legatus in Terra Sancta factus multum bene se habuit, deinde, ad Archiepiscopatum Cusentinum translatus, multo melius. Tandem ad Patriarchatum electus bono principio optimum finem adjunxit. Hic obiit anno Domini MCCLXXVII.* Hæc *Guidonis* noster. *Tempore illo* (Anno scilicet circiter MCCLVII, quo Soldanus *Melech Elvahet* regnabat in Ægypto) *F. Thomas*, verba sunt *Guillelmi Tripolitani* supra laudati, *erat Bethelevitanus* (seu Bethleemitanus) *Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus in Acon, qui factus est postmodum Patriarcha Hierusalem.* Hinc liquet, unum & eundem *Thomam Agni de Lentino* Episcopum, Legatum, Archiepiscopum, Patriacham fuisse. Quo tempore unaquaque ex his dignitatibus auctus fuerit, dictum est supra, inferius evincam.

Anno 1255. F. Angelus Maltraversus, ex Archiepiscopo Candiensi, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV* dictum est, Episcopus Ferrariensis, sub Archiepiscopo Ravennatensi, in Italia. *Ughellus in Episcopis Ferrarien. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 544 *Edit. II, ex Chronico Andreæ Danduli. Cavalerius Tomo I pag.* 30 *num. LXXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLIV pag.* 192. Eodem Anno MCCLV ex Episcopatu *Ferrariensi* ad Patriarchatum *Gradensem* translatum fuisse *F. Angelum*, probatur ex Diplomate superius laudato. Non ergo pluribus annis sedit *Ferrariæ*, ut autumat *Fontana*, sed per aliquot menses duntaxat, ut innuit *Cavalerius*.

Anno 1255 Die 18 Januarii. F. Bartholomæus de Bragantiis, ex Nimociensi, ut videre est in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV ad annum MCCXLVIII*, Episcopus Vicentinus, in Longobardia, sub Aquilejensi Patriarcha. *Nicolaus*

Sme-

Smeregus, auctor æqualis, in Chronicis. Antonius Thienans in Catalogo SS. & BB. Vitentiaorum. Barbaranus in Historia Vicentina. Bernardus Guidonis in Episcopis Marchiæ Tarvisina. Ughellus Tomo V Italiæ Sacræ in Episcop. Vicentiais pag. 1052 ex Regesto Vaticano Epistola DCCXLI fol. 10. Cavalerius, cæterique citati in Appendice ad Pontificatum Laurentii IV ad Episcopos Anni MCCXLVIII, & *ad Legatos ejusdem anni*.

F. Galhardus de Ursisaltu, vulgo *d' Oarsault*, Vasco, ex Priore Tarasconensis Cœnobil Episcopus Bethle- Anno 1256.
emitanus in Judæa. *Bernardus Guidonis in Episcopis Terræ Sanctæ. Cavalerius Tomo I pag. 119 num. CXV. Fevillet in Anno Domiaicano ad V Februarii. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Episcopor. pag. 26 col. I. Carolus a S. Vincentio in Anno Domiaicano I Parte Septembr. in Chronologia Missionum pag. 79.* De anno inter auctorea non convenit. *Johannes Michael Pio*, quem latine *Plodium* vocant, ablegat ipsum ad annum MCCCXLI; *Fernandez* ad MCCCXC. Istum excipit *Fontana Theatro Domiaicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag. 141.* Sed utrique Sententiæ jure ac merito reclamat *Cavalerius*, & probat *Galhardum* æqualem fuisse *S. Petro Martyri*, cujus amicitiam sibi compararat. Cum ergo cælos petierit S. Martyr anno MCCLII, nec Episcopatum iniit *Galhardus* vel anno MCCCXC, vel MCCCXLI, nec per id tempus superstes fuit. Hocce *Cavalerii* placitum eo vel maxime probatur, quod *Bernardus Guidonis*, qui vivere desiit anno MCCCXXXI, *Galhardum* inter Episcopos recenset, ergo nec anno MCCCXC, nec MCCCXLI Episcopus constitutus fuit *Galhardus*. Id etiam firmatur, quia Capitulum Provinciale Provinciæ *Tolosanæ*, apud *Montem-Pessulanum* anno MCCLII congregatum, creat primum Priorem *Aginnensis* Cœnobii *Fratrem Guillelmum de Blavia*, & Lectorem instituit Fratrem *Galhardum de Ursisalta*, uti videre est ex *Actis ejusdem Capituli*. Constat etiam ex *antiquis monumentis* Conventus *Tarascensis*, & ex Actis *Avenionensis* Capituli Provinciæ *Tolosanæ*, coacti anno MCCLVI, eodem anno *Galhardum* nostrum fuisse Priorem Cœnobii *Tarasconensis*, non igitur ablegandus est Episcopus iste vel ad annum MCCCXLI, vel ad MCCCXC.

F. Hugo Episcopus Osseriensis, seu Ossorensis, vel Kilkennien., vulgo enim *Osray*, *Ossery*, & *Kilkenule* Anno 1256.
vocatur, sub Archiepiscopo Dublinensi, in Hibernia. *Cavalerius Tomo I pag. 23 num. XLVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXL pag. 252 ex Regesto Vaticano.*

F. Patritius o Scanlain Episcopus Rapotensis, sive Rathbonensis, sub Archiepiscopo Armachano, in Hi- Anno 1256.
bernia. *Bulla* - Constitutus - *Data III Februarii MCCLVI. Cavalerius Tomo I pag. 78 num. CCXLVIII. Sovegius in Anno Dominicano pag. 19 Præfationis Mensis Junii.* Archiepiscopus Armachanus fuit *Patritius* anno MCCLXI.

F. Berengarius de Peralta Episcopus Ilerdensis, sub Archiepiscopo Tarraconensi, in Catalonia. *Diago Li-* Anno 1257.
bro II Histor. Provinciæ Aragoniæ Cap. XXXVIII pag. 147 &c. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXCVII pag. 205. Cavalerius Tomo II pag. 29 num. II. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. XIV, ubi hæc habet: *Eodem anno nonnulli alii ex Ordine divi Dominici Beatorum Cælitum numerum auxerunt. Inter hos eminet Beatus Berengarius Lerideasis, ad ejus Civitatis Episcopalem Cathedram, Angelo visibiliter nunciante, ex Diaconii gradu evectus, atque maxima cum opinione sanctitatis defunctus. Ejus sepulcro aperto, cum aliquis Episcoporum, sacrum corpus inspexisset, post multos a morte annos, sanguinem copiosum fundere aspexit.* Sancti titulo donatum fuisse *Berengarium* probat *Diago* supra laudatus.

F. *Jacobus de Milleto Sebastensis Ecclesiæ Episcopus effectus est, qui cum gregem sibi commissum per salutis semi-* Circa Annum 1258.
tam dirigere curaret, ab Alexandro Papa IV ad Millevitanam translatus est XXVII Maii anno Millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, alio Fratre Dominicano Sebasten. Episcopo in ejus locum creato, prout habetur in Bulla hujusmodi translationis existente in Archivo Regii Conventus S. Dominici de Neapoli nobis insinuata. Hæc totidem verbis *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXIX pag. 292.* Ipsum excipit *Cavalerius Tomo I pag. 23 num. XLVIII.*

F. Simon de Clisson, seu de Glisso, Episcopus Macloviensis, sub Archiepiscopo Turonensi, in Gallia. Anno 1259.
Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Franciæ. Claudius Robertus in Gallia Christiana ad Episcopos Maclovienses num. XLIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLVII pag. 222. Cavalerius Tomo I pag. 44 num. CXXIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Episcopor. pag. 23 col. II.

F. Henricus Saxo, Episcopus Osiliensis, vulgo *Oesell*, Insula est ad Livoniam, sub Archiepiscopo Rigensi. Anno 1259.
Chronicon Miadense. Heister in suffragan. Colonien. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcopor. pag. 25 col. I, & pag. 849 col. II.

F. Morandus de Signia, Episcopus Calliensis, vulgo *Cagli*, in Umbria superiori, sub Archiepiscopo Urbi- Anno 1259.
natensi. *Ughellus in Episcopis Calliensibus Tomo II Italiæ Sacræ pag. 816 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXI pag. 150 ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag. 34 num. LXXXVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCLXXVI pag. 355.* Episcopus *Faventis* fuit *Morandus* anno MCCLXV.

B. Vittus

Circa Annum 1259. B. Vittus ex Episcopo Lithuanorum, ut dictum est in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV ad Episcopos Anni MCCLII*, Episcopus Lebusien., seu Lebussien., vel Libuen. vulgo *Lebuss*, sub Archiepiscopo Gnesnensi in Marchia Brandeburgica. De hac translatione audiendus noster *Dominicus Frydrychowvicz* in *Libro* cui Titulus: *S. Hyacinthus &c. Poloniæ Patronus*. En ipsius verba pag. 229. *Beatissimus Christi Confessor Vittus, Boleslai Regis Pudici a Confessionibus, Sacræ Theologiæ Magister, de Conventu Cracoviensi .... fidelissimus operarius Christi, cum primo strenuam navasset operam, cum aliis multis vineæ Christi coadiutoribus in Lituanorum gentilium conversione, ab Innocentio IV eidem genti recenter per eundem baptizatæ primus Pontifex præficitur; a quibus non multo post ad vomitum & idololatriam cum Rege Mendegone redeuntibus, atrocibus injuriis, calamitatibusque oneratus, quin & vulneribus affectus, tandem Sede pulsus, Cracoviam venit, celebritatique ei, dum Sancti Stanislai ossa, nuper ab Innocentio IV in album Sanctorum relati, solemni pompa de Sepulcro levarentur, & hominum venerationi exponerentur, cum Archiepiscopo Gerardoque, ac ceteris Episcopis interfuit MCCLVI. Lituanis autem a fide & suo pastore retrogradis, obstinatis, ac in sua permanentibus cæcitate, Beatus Vittus aliis gentibus, Provinciisque suam operam adhibere cœpit, & per Boleslaum Pudicum ad Episcopatum Lubecensem* (legerem *Lebussensem*: Episcopatus enim *Lubecensis*, vulgo *Lubeck*, est in *Saxonia* inferiori, in *Wagria* tractu, in ipso limite *Lavenburgensis* ditionis ad *Travam* fluvium, sub Arhiepiscopo *Bremensi*, nec per id tempus *Polonici* juris erat *Lubeck*, sed ab anno MCCIX victis *Danis* civitas Imperii libera jamjam evaserat) *sublimatus, auctoritate Sedis Apostolicæ, ac Capituli consensu, ovium sibi commissarum gubernium fidele exercuit, datis pluribus suæ sanctitatis testimoniis. Rediens Cracoviam ad suæ Ecclesiæ in Curia regali negotia peragenda, graviter infirmatus, Sacramentis munitus repedavit in Cælum. In Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis sepultus, plurimis miraculis clarere cœpit, ob quorum multitudinem, Fratrumque, ac populi devotionem celsissimus Princeps Petrus de Gamratis Archiepiscopus Gnesnensis, & Episcopus Cracoviensis, ossa ejusdem cum magna Cleri & populorum assistentia, ex terra effosa sublevavit, & in Thecam plumbeam recondens, in Altare S. Petri Martyris conclusit, quæ deinde Eminentissimus Georgius Radzivilius S. R. E. Cardinalis transferens, in Sarcophago S. Hyacinthi sub ejus statua Alabastrina cultui hominum exposuit MDXCIV.*

Anno 1260 Die 5 Januarii. B. Albertus cognomento Magnus, *S. Thomæ Aquinatis* Magister, Episcopus Ratisponensis, sub Archiepiscopo Salisburgensi, in Germania. *Bullæ* - Susceptæ - *Datæ V Januarii MCCLX. Bernardus Guidonis in Episcopis Teutoniæ. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLX num. VI. Odoricus Raynaldus ad eundem annum numero XV. Cavalerius Tomo I pag. 28 num CV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Tit. CCCCLXXXV pag 271. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXII pag. 162.*

Circa Annum 1260. F. Benedictus Mirob, Episcopus Elenensis, in Comitatu Ruscinonensi, sub Archiepiscopo Tarraconensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Tit. CCXXXIII pag. 188 ex Plodio de viris illustribus Ordinis Prædicatorum Parte II Libro I. Cavalerius Tomo I pag. 25 numero LVI.* Nunc Perpinianum translata hæc Sedes.

Anno 1260. F. Petrus ex Provinciali Poloniæ, Episcopus Plocensis, vulgo *Ploczko*, in Polonia Inferiori, sub Archiepiscopo Gnesnensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Titulo CCCCLXXI pag. 266 ex Ughello in MS., Plodio Parte II Libro III, ex Chronicis Ordinis, & ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag. 25 num. LVII. Dominicus Frydrychowvicz in Libro cui Titulus: Sanctus Hyacinthus &c. Regni Poloniæ Patronus &c. pag. 221.*

Anno 1260. F. Lucas Neapolitanus, Episcopus Triventinus in Samnio, tunc sub Archiepiscopo Beneventano. *Cavalerius Tomo I pag. 26 numero LXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Titulo DCIII pag. 313 ex Taegio & Ughello*, cujus hæc verba Tomo I *Italiæ Sacræ* pag. 1329 Edit. II. *Frater Lucas Triventinus Episcopus, infracti animi vir, qui cum Manfredi coronationi interesse nollet, ab ipso in exilium pulsus, ad Clementem IV confugit anno MCCLXVI, ab eoque commendatur Albanensi Episcopo, Apostolicæ Sedis Legato, ut expulso ab Triventina Ecclesia intruso a Manfredi tyrannide, illum in propriam reducat Sedem. Literæ Clementis sunt numero LXII Reg. Vatican. ejusdem Pontificis anno Secundo. Cujus Ordinis, vel patria fuerit Lucas, quove tempore hanc rexerit Ecclesiam adhuc me latet*, inquit *Ughellus*, sed id ex Auctoribus mox laudatis compertum habes.

Anno 1261. F. Herbordus, seu Riboldus, Hungarus. Episcopus Bergomensis, in Statu Veneto, sub Archiepiscopo Mediolanensi. *Bernardus Guidonis in Episcopis Lombardiæ superioris. Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Titulo LXXXIV pag. 139. Cavalerius Tomo I pag. 31 num. LXXVIII. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXXII pag. 263. Ughellus in Episcopis Bergomensibus Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 476.* Misericordiæ Societatem, qua pauperum sublevaretur inopia, erigendam curasse *Herbordum*, docet *Ughellus*, cui ceteri suffragantur. En *Guerrini* verba apud *Ughellum* mox laudatum: *Regula insignis Consortii Misericordiæ majoris Bergomi edita fuit per B. Pinamontem Peregrinum de Brembate, primum contra hæreticam pravitatem Bergomi Inquisitorem, & divi Dominici Discipulum, sub censura & directione Episcopi Herbordi, & Capituli Bergomensis, ut Peregrinus in vinea Cap. XXXVIII.* Quis fuerit ille noster *B. Pinamons Peregrinus Brembati* docet *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCLXVI pag. 246.*

Johan-

LEGATI.

Anno 1255.

JOhannes de Columna Archiepiscopus Messanensis, ut in *hac Appendice* videre est, Legatus Messanæ constitutus ab Alexandro IV. *Thomas Fazellus de Rebus Siculis Libro VIII Cap. III ad annum MCCLV. Spondanus Annal. Ecclesiast. ad eundem annum numero X. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad ann. MCCXC pag. 418 col. II.*

Circa Annum 1255.

F. Thomas Agni de Lentino Episcopus Bethleemitanus, S. Sedis Apostolicæ Legatus. Hoc enim munus obiisse *Thomam* Episcopum *Bethleemitanum*, antequam *Consentiæ* sederet, liquet ex testimoniis *Guillelmi Tripolitani*, & *Bernardi Guidonis* superius relatis in hac *Appendice ad Episcopos anni MCCLV.*

Anno 1256.


F. Constantinus Medices, Urbevetanus Episcopus Legatus ad Imperatorem Theodorum missus. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLVIII pag. 153, aliique hac in Appendice laudati ad Episcopos anni MCCLIV. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVI a numero XLVII ad LVIII*, ubi *Bullam* Legationis partim exscribit, & de hac Legatione fuse disserit.

Anno 1257.

F. Eymerardus, seu Heimerardus, ut scribit *Odoricus Raynaldus* Legatus ad Brixienses: *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLVII num. XLVIII*, & ex nostris vir clarissimus R. P. Magister *Minorelli in Chronicis Mss. ad annum MCCLVII*, ubi hæc habet. *Venerabilis Pater Eymerardus hoc tempore pietate, doctrina, eloquentia, religionis studio, interritaque animi fortitudine in Ecclesia tuenda clarus erat. Inter cetera ipsius gesta hoc maxime prædicandum. Gripholinus Brixiæ Præfectus, ut suæ obsequeretur avaritiæ, Sacras Ædes diripuerat: Ecclesiasticos bonis spoliaverat. Obsistentes, vel reclamantes vinculis & custodia coercebat. Præter hæc mala civitas gravibus laborabat dissidiis. His mederi malis Summus Pontifex cupiens, Eymerardum, cujus virtutes exploratas habebat, Legatum misit, qui auctoritate Apostolica facinorosos cohiberet, dissidentes componeret, Ecclesiæque bona restituenda curaret. Hanc arduam provinciam forti animo aggressus, effecit, ut Gripholinus rapta restitueret, conjectosque in carcerem e vinculis eximeret: utque inter discordes pax non ficta coalesceret, ac civitas Pontificis voluntati se submitteret. Cum hæc autem nonnullis seditiosis minus placerent, sancto viro moliebantur necem, quam ipse impavidus, libensque subiisset, nisi Deus, disjectis insidiis, cum martyrii alioquin cupidissimum discrimini subduxisset.* Hæc transcripta volui, quia hujusce Legati vix ceteri Scriptores meminere.

Circa Annum 1258.

F. Bartholomæus de Bragantiis, Episcopus Vicentinus, Legatus in Angliam missus. Consulendi Scriptores *hac in Appendice* laudati *ad Episcopos anni MCCLVI.* Ipsemet etiam *Bartholomæus* hic audiendus. Sic loquitur apud *Echard* Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXX pag. 255 col. II. *Cum de Regno Angliæ, quo pro fidei negotiis profecti eramus, cum ipso Rege Angliæ pariter & Regina Parisius venissemus, spes nostra desideratum suscepit effectum. Nam piissimus Rex Francorum* (S. Ludovicus) *de Spinea Domini Corona Spinam unam excludi fecit, & nobis regio flexo poplite, nostris ex opposito flexis genibus devotus obtulit, & de suis sacris regiis manibus manus pontificales ditavit. Quid ultra? dilectionis osculo dato pariter & accepto, mutua recommendatione facta hinc & inde, nos abire permisit.* De his consulendus *Echard* loco laudato, & *pag. 258*, ubi Instrumentum donationis hujusce pretiosissimæ Spinæ refert ex *Barbarano in Historia Vicentina*. Legitur etiam apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Capite V pag. 77.* Autographum asservatur in Archivo Cœnobii *Vicentini*.



URBA-

URBANUS IV

Natione Gallus, Patria Trecensis, in locum demortui Papæ Alexandri IV, Viterbii suffectus est Anno MCCLXI Die XXIX Mensis Augusti. Ibidem Consecratus (*a*) fuit eodem Anno die IV Septembris. Excessit e vivis (*b*) die II Mensis Octobris Anno MCCLXIV. Sedit Annos III, Mensem I, dies IV.

(*a*) Bulla - Vestri - Data II Idus Septembr. Pontificat. Urbani IV Anno I. (*b*) Clemens IV Lib. I. Epistola I.

Anno 1261 Die 12 Septembris.

Visitantibus Ædes Sacras S. Mariæ ad Gradus Viterbien. (1) die qua in iisdem coronatus fuit, Dominica nempe prima Septembris, ac septem diebus sequentibus, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum S. Marię ad Gradus Viterbien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ordinem nostrum laudibus celebrat.



Vestri Ordinis pręclara Religio piis operibus ita fulgere conspicitur, ut pro quodam Dei candelabro per orbis latitudinem habeatur; consurgente in Nobis propter hoc illo benignitatis affectu, quod singula loca ipsius Ordinis, sed vestram pręcipue delectamur Ecclesiam dono prosequi gratię specialis; maxime cum Nos, quos tunc Patriarchatus Jerosolimitani fungentes officio, & pro Ecclesię Jerosolimitanę negotiis apud Sedem Apostolicam constitutos, ad Apostolicę dignitatis fastigium divina pietas evocavit, in eadem Ecclesia, quę in honorem gloriosę Marię Virginis constructa esse dignoscitur, Prima (3) Dominica Septembris fuerimus juxta morem Romanorum Pontificum, recepto benedictionis munere, ac pręmissis Missarum sollempnis coronati. Cupientes itaque, quod pręfata Ecclesia propter hoc honoribus congruis a Christi fidelibus frequentetur, & frequentantes pro devotionis suę meritis allequantur ibidem dona gratię salutaris, de omnipotentis Dei misericordia & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam ipsam in prima Dominica Mensis Septembris. ac septem diebus immediate sequentibus, causa devotionis, accesserint, annuatim tres annos & totidem quadragenas de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbii II Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Urbanus IV in Ædibus Sacris FF. Prædicator. S. Mariæ ad Gradus Viterbien. Coronatus.

Concessio.

1. *Viterbien.*) In *Ditione Pontificia*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Prima.*) Die nempe IV Septembris, hoc enim anno Litera Dominicalis fuit *B*.

Anno 1262 Die 13 Januarii.

Magistro, Prioribus, & ipsorum vices gerentibus, ut eos qui in Ordine nostro vota solemnia nuncupant, a ceteris votis, ac pœnis solvere (1) possint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

II. Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & universis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Indulget ut supra.

Qui ex Apostolici cura tenemur officii circa Religionis augmentum, attenti & vigiles inveniri, super hiis digne votis vestris annuimus, in quibus honorem vestri Ordinis, & animarum Salutem contineri sentimus. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ut si aliqui votis aliquibus sunt adstricti, qui in Ordine vestro habitum Religionis assumunt, vota hujusmodi, & penitentias eis impositas, cum professionem in Ordine ipso emittunt, dummodo vota ipsa non fuerint de transeundo ad Ordinem observantię artioris, Magister & Priores ipsius Ordinis, qui pro tempore fuerint, ac vices eorum gerentes, possint in observantias ejusdem Ordinis commutare, vobis auctoritate pręsentium Indulgemus. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Viterbii Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exceptio.

Sanctio pœnalis.

1. *Solvere.*) Ut in *Tractata de Censura Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem exscripserunt *Usujmaris pag. 31, Confettius pag. XI, Rodericus in Nova Collectione Privilegiorum Apostolicorum pag. 30, Exemplar Authenticum legitur Libro E. fol. 69. & 71.*

Priori

Priori FF. Prædicatorum Florentin. (1), ut ex aliis restituendis pecuniis inopiam familiæ suæ fœnerator quidam levare possit.

Anno 1262 Die 9 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A, folio 946.

III.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Florentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Oratoris supplex petitio.

Dilectus filius Castra Gualfredi, civis Florentinus, preventus Spiritus Sancti gratia, quę facit humanas mentes fructum concipere, ac parere salutarem, illis a quibus usuras extorsit. & quorum notitiam habere potuit, de iis, quę taliter pervenerunt ad eum, jam pro majori parte, per Dei gratiam, ut asserit, satisfecit. Verum quia nonnullis Ecclesiis, & personis ecclesiasticis ex eo super his nondum est juxta ipsius desiderium satisfactum, quod ignorat ipsorum nomina, & in remotis existunt, licet ad eum de usuris exortis a talibus modicum pervenisset, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipsum, uxore, ac pluribus filiis oneratum, oporteat de bonis temporalibus sustentari, & sibi propter satisfactionem hujusmodi, bona duntaxat immobilia remansisse dicantur, illud, quod de residuo bonorum suorum deberet secundum jura in pios usus converti, sibi pro sustentatione sua, & suę familię, ne mendicare cogantur. distribui loco pauperum, pietatis intuitu, mandaremus. Nos igitur, qui justa desideria promovere cupimus, & conservare promota, pia consideratione pensantes, quod expedit calamum quassatum non conteri, & in erasione ęruginis vas non frangi, mandamus, quatenus, cum bona Ecclesiastica in nostra plene dispositione consistant, de his, quę hujusmodi Ecclesiis, & personis, quarum nno possit per eum haberi notitia, deberent ab ipso restitui, & per hoc in opera pietatis converti, sie, auctoritate nostra, sibi, & suę familię de benignitate Apostolica providere procures, quod consideratis ipsius Castrę Gualfredi, ac hujusmodi suorum conditione, ac aliis circumstantiis universis, iidem valeant de talibus, quasi collatis sibi a nobis, commode sustentari, non obstante Indulgentia (2), qua tibi, vel Fratribus tui Ordinis a Sede Apostolica dicitur esse concessum, quod de Causis cognoscere inviti minime teneamini, quę vobis a Sede committuntur eadem, Datum Viterbii V Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio.

Clausula derogans.

2. *Florentin.*) In *Hetruria*.

2. *Indulgentia.*) De qua in *Diplomate dato VII Martii MCCXXV.*

Inquisitoribus agenda præscribit (1).

Anno 1262 Die 20 Martii.

Ex Bullario (2) Ususmaris pag. 51.

IV.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis, in Lombardia, & Marchia Januen. deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Licet ex omnibus mundi partibus, quę Christiana Religione censentur, teneamur ex officii nostri debito extirpare lethiferam pestem hęreticę pravitatis, in Italia tamen imminet nobis hęc sollicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quę (3) in detrimentum fidei Catholicę perversa genimina germinavit, ex vicinitate persensimus abundantius succrevisse. Ut igitur Inquisitionis officium contra hęreticos, in Lombardię Provincia, videlicet a Bononia & Ferraria inclusive usque ad ultimos fines superiorum partium ejusdem Provincię, ac Marchię (4) Januen. auctoritate Apostolica possit efficacius adimpleri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem Spiritus induentes ex alto, prędictum officium ubique infra pręfatos limites, simul, vel separatim, aut singulariter, prout negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis ęternę, sic efficaciter prosequi & exequi studeatis, ut per sollicitudinis vestrę prudentiam, de prędictis Lombardia, & Marchia, radix iniquitatis hęreticę succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quę perversis morsibus demoliuntur eandem, fructum afferat catholicę puritatis. Si quos autem de pravitate prędicta culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesię obedire, necnon & contra receptatores, defensores, & fautores eorum, juxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu Divino timori postposito, procedatis. Non obstantibus aliquibus literis, ad quoscunque alios de Lombardia, & Marchia prędictis, exceptis locorum Dięcesanis, super hujusmodi negotio ab Apostolica Sede directis, quarum deinceps, ad Inquisitiones hujusmodi faciendas, nolumus auctoritate procedi, quinimmo, ne procedatur per illas, districtius inhibemus; Nec pretextu commissionis, specialiter eisdem Dięcesanis super hoc factę, vestros processus, in eorundem Dięcesanorum Civitatibus & Dięcesibus, volumus impediri. Nec per hoc quod fidei negotium generaliter in ipsis Lombardia, & Marchia vobis committimus, commissiones a pręfata Sede Dięcesanis eisdem factas, si forian illarum, seu etiam ordinaria velint procedere auctoritate, intendimus revocare. Veruntamen sive auctoritate ordinaria, sive ex delegatione prędictę Sedis, iidem Dięcesani in hujusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuum, vel alias quomodolibet, vestros impediri processus, quin, Dięcesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prędictis, hęretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesię, absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit, proviso solerter, ne simu-

Exordium a Pastorali sollicitudine.

Instat de hæresi funditus extinguenda.

Hæreseos rei vel affines debitas pœnas pendant.

Clausula derogans.

Errores suos deponentes solvantur.

simulata conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius se ipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Quod si aliqui fuerint judicandi hęretici, vel incarcerationis pęna perpetua (5) alicui pro hujusmodi crimine infligenda fuerit, ad id per vos, de Dięcesanorum, vel Vicariorum suorum, si, ipsis Dięcesanis absentibus, pręsentes fuerint, consilio procedatur, ut in tantę animadversionis judicio, non postponenda, Pontificum auctoritas intercedat.

De Diœcesanorum consilio rei condemnandi.

Verum quia in tam gravi crimine cum multa oportet caute procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore durę ac dignę severitas ultionis, volumus & mandamus, ut vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine prędicto, ipsumque contingentibus, oportuerit, adhibeatis duas religiosas, & discretas personas, in quarum pręsentia, per publicam, si commode potest haberi, personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depositiones testium conscribantur.

Duobus Religiosis præsentibus Testes expendantur.

Ad conscribendas quoque hujusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quę in commisso vobis officio, ad Scriniarii, seu Tabellionis, officium pertinent, teneri districte pręcipimus, cum per vos, seu per deputatos ad hoc a vobis, requisiti fuerint, omnes & singulos vestri Ordinis Fratres, qui dum essent in seculo, hujusmodi Tabellionatus officium habuisse, & exercuisse noscuntur, & illos etiam, quibus idem Tabellionatus officium ratione pręfati negotii fidei fuit a dicta Sede commissum, & in posterum committetur; Concedentes hujusmodi Fratribus, necnon & aliis Religiosis quibuslibet, qui similiter, dum essent in seculo dictum Tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt, quibuscunque etiam Clericis secularibus officium ipsum habentibus, etiam si iidem Fratres Religiosi, & Clerici, sint in Sacris Ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsum, quoad premissa, non obstante aliquo contrario statuto canonis, vel Ordinis, quocunque vallato munimine, plenariam facultatem.

Testificationes Notarius, vel duo alii scripto tradant.

Fratres Notarii munus obire possunt.

Quod si testibus, quos a vobis recipi, vel ab alio vice vestra, super eodem crimine examinari contingeret (6). ex publicatione nominum eorundem videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete, coram aliquibus personis providis, honestis, & religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur: & sic, non obstante, quod illis, contra quos hujusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem judicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem.

Quomodo nomina Testium sint denuntianda.

Ut ergo commissi vobis officii debitum utilius, & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de hujusmodi crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, & denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis: accersendi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis in ferendis Sententiis prębeant consilium opportunum, ac vobis assistant, convocandi etiam Clerum, & populum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire; insuper in dicto negotio, de plano, & absque judiciorum, & advocatorum strepitu, ac contra illos, quos in prędictis Lombardia, & Marchia Januen. in hęreseos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi; necnon faciendi observari inviolabiliter, omnes Constitutiones Apostolicas, & leges Imperiales, per quondam Federicum olim Imperatorem, tunc in devotione Romanę Ecclesię persistentem, Padュę promulgatas (7) adversus hujusmodi pestem hęreticę pravitatis; necnon elargiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quotiens opportunum videritis, omnibus vere penitentibus & confessis, qui ad vestram convocationem, propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis & singulis vestrum, pręsentium tenore, facultas.

Quemlibet sibi adjutorem adjungere possunt Inquisitores.

Disceptatione compendiaria quæstiones instituere possunt.

Leges in Hereticos latas servandas curent.

Indulgentiam poterunt elargiri.

Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus, illam peccatorum veniam indulgemus, quę succurrentibus Terrę sanctę in generali Concilio (8) est concessa; sociis vero vestri Ordinis, & Notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione hujusmodi negotii laborabunt, & omnibus, qui personaliter vobis assisterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, vobis ex animo pręstiterint consilium, auxilium, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, tres annos de injunctis sibi penitentiis relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Ipsis ac eorum Ministris Indulgentia datur.

Compescendi pręterea, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, prędicatores quęstuarios a prędicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent, exponere, liberam vobis omnibus, & singulis vestrum concedimus, auctoritate pręsentium, facultatem.

Quæstuarii compescendi.

Ceterum si forte, quod non credimus, aliqui cujuscunque conditionis, huic negotio, vobis commisso, se opponere, seu illud pręsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi libere in eodem, immo, nisi requisiti, illud foverint, & juxta officium, & posse suum, singuli juverint studiose, contra eos, tanquam contra hęreticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones canonicas, freti eadem auctoritate, intrepide procedatis. Nos enim nihilominus ad reprimendum tam superbam, & perniciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium ecclesiasticę potestatis acriter exseremus, & Reges, & Principes, aliosque Christi fideles, sive pro Terrę Sanctę succursu, sive alias pro Christi servitio Crucis charactere insignitos, necnon & ceteros catholicos, prout expedire viderimus, invocabimus contra eos, ut cęlum & terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur.

In eos, qui Fidei Censorum detrectabunt imperium, animadvertit.

Denique, ut circa pręmissa plene vobis singulis vestrum coertionis, expedita, & inviolabilis adsit auctoritas, volumus, ut ea omnia viriliter exequamini, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, quibuscunque personis, cujusvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, vel Ordinis, & pręsertim Cistercien., Prędicatorum, Minorum, seu Eremitarum, sive Communitatibus, vel Universitatibus Civitatum, & locorum specialiter, vel generaliter, sub quacunque verborum expressione, vel forma, a memorata Sede concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipsorum, nequeat derogari, & illis maxime privilegiis, & indulgentiis, quibus ab ipsa Sede concessum est aliquibus, seu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terrę supponi non possint ecclesiastico interdicto, aut quod prędictorum (9), vel aliorum quorumlibet Ordinum Fratres, ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, sive denuntiationes sententiarum, excommunicationis, sus-

Clausula derogans.

suspensionis, vel interdicti auctoritate litterarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum Ordinibus & privilegiis, vel indulgentiis, eis super hoc a Sede concessis eadem, habeatur in eisdem litteris mentio specialis, cum ex hujusmodi, vel aliis privilegiis, & indulgentiis, nullum vobis in tantę pietatis negotio velimus obstaculum interponi, & constitutione de duabus dietis edita in Concilio (10) generali. Datum Viterbii XIII Kal. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Præscribit.*) *Quia*, ut inquit *Bzovius* Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXII num. III, *a Corradini, & Manfredi partiariis, præcipue in Lombardia, hæresim sive dispergi, sive foveri non ignorabat Urbanus, ideo eam, quæ sequitur, Constitutionem contra hæreticos sanxit.* De Privilegiis, quibus hocce Diplomate Fidei Censores donat *Urbanus*, dicetur in *Dissertatione* I *Tomo ultimo*.

2. *Bullario.*) Legitur etiam in *Sexto Decretal. Lib. V Tit. II de hæreticis Cap. XI, apud Bzovium mox laudatum, Pegnam ad calcem Directorii Inquisit. pag.55, in Bullario Romano. Est II.* Asservatur Autographum in Cœnobio S. *Eustorgii Mediolanen.*

3. *Qua.*) *Cherubini* librarius scripsit: *Qui*.

4. *Marchiæ.*) In supra citatis legitur: *Marchia*.

5. *Perpetua.*) Ex iisdem: *Perpetuæ*.

6. *Contingeret.*) Iidem: *Contigerit*.

7. *Promulgatas.*) Vide *diploma datum XXXI Octobr. MCCXLIII*.

8. *Concilio.*) *Lugdunen. I Cap. XVII.*

9. *Prædictorum.*) Alii legunt: *Prædicatorum*.

10. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXXVII.*

Provinciali Lombardiæ, ut Octo ex Fratribus Fidei Censores constituat (1).

Anno 1262 Die 23 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum, in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. V.

Licet ex omnibus mundi partibus quę Christiana Religione censentur teneamur ex officii nostri debito extirpare lethiferam pestem hereticę pravitatis, in Italia tamen imminet nobis hęc sollicitudo propensius, ubi eandem pestem propter malitiam temporis, quę in detrimentum fidei Catholicę perversa genimina germinavit, ex vicinitate persensimus habundantius succrevisse. Cupientes igitur in Lombardia, & Marchia Januen., per aliquos de Fratribus tui Ordinis partem super hoc nostrę sollicitudinis adimpleri; discretioni tuę per Apostolica scripta firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus, de consilio aliquorum discretorum Fratrum ipsius Ordinis, eligas Octo de Fratribus ejusdem Ordinis tuę Provincię, ydoneos ad hujusmodi opus Dominicum exequendum, eisque in virtute obedientię districte Apostolica pręcipere auctoritate procures, ut Inquisitionis officium in Lombardia & Marchia pręedictis contra hereticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis nostris litteris (3) commissam, quas Fratribus pręedicti Ordinis Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in eisdem Lombardia, & Marchia deputatis auctoritate Apostolica, & imposterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus super exequendo dicto Inquisitionis officio, destinamus, exequi studeant diligenter. Nos enim pręedictos Octo Fratres, quos ad hoc elegeris, & singulos ipsorum pręfatum officium exequi, juxta formam in litteris ipsis expressam, ac ipsos illam potestatem, & auctoritatem plenarie habere volumus, quę in eisdem litteris continetur. Si vero tu, vel Vicarius tuus, te absente, aliquem Inquisitorum hujusmodi ex aliqua forte causa nonnunquam fore videritis amovendum, ipsum amoveatis & substituatis loco ejus alium, quem similem potestatem & auctoritatem habere volumus, quotiens vobis, deliberatione cum aliquibus discretis Fratribus dicti Ordinis pręhabita, hoc fore videbitur faciendum; & si aliquem, vel aliquos Inquisitorum ipsorum decedere forte contigerit, Nos substituendi, de consilio aliquorum discretorum Patrum ejusdem Ordinis, alium, vel alios loco illius, vel illorum, qui decesserint, ita quod hujusmodi substituti eisdem omnino auctoritate & potestate fruantur (4). tibi, dictoque Vicario plenam & liberam concedimus tenore pręsentium facultatem. Datum Viterbii X Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Exordium a pastorali sollicitudine.

Mandat ut supra.

A munere Fidei censoris Fratres amovere poterunt Provincialis, & ipsius Vicarius.

1. *Constituat.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud asservatur in Cœnobio *Urbevetano*. Hujusce Exemplar habes *Libro B. fol.* 357 Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Litteris.*) Præcedenti Diplomate.

4. *Fruantur.*) In ejusdem Diplomatis Autographo dato die XVIII Octobr. MCCLXV legitur: *Fungantur*. Illud exscribetur inferius.

Commendat se precibus Fratrum.

Anno 1262 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Generali Capitulo Bononię congregatis (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VI.

In pręclare dignitatis honore, qua nos pretulit exaltator humilium, quasi onus importabile nostris est humeris alligatum, cujus dum magnitudinem stupendam attendimus, ad instar Apostolorum Principis, quem pelagi fluctus exterruit, non immerito formidamus; sed ubi (3) quodam modo ex humili fragilitatis nostrę consideratione mergimur, ex consideratione (4) divinę clementię relevamur, sperantes quod prospere hujus procellosi maris possimus transire angustias, si nobis impetretis auxilium, qui cęlesti Sponso in conscientię sanctę deliciis lectum floridum pręparastis. Quid enim vobis a Dei pietate negabitur mesentibus semper illam habere propitiam odore bonorum (5), & candore virtutum? Quid enim apud Reginam pręfulgidam, intemeratam Matrem Domini, Virginem Matrem (6) gloriosam, angelica vestra conversatio non obtinebit (7), quorum meritis splendet Ecclesia, quorum exemplis viget, & proficit Religio Chri-

Exordium.

Commendans se Fratribus, eosdem laudibus celebrat.

Christiana? Quid enim Bonorum (8) acies vestris non impetrabit affectibus, quę vobis beniena redditur pro laudis divinę pręconiis, & vitę meritis innocentis? Ecce Regis ęterni, cęlestisque curię vos habere favorem claris argumentis prȩsumitur, & signis perspicuis declaratur. Digne itaque universitatem vestram per Dei misericordiam obsecramus, de pia devotione pensantes, quantum Nobis ex eo possit imminere stuporis, quod qui cineris, & pulveris essentiam gerimus regnantis in secula Vicarii facti sumus, piis orationum subsidiis nobis gratię divinę prȩsidium acquiratis, supplici humilitate petentes, ut is, cujus admiranda potentia dat per gratiam esse fortia iis, quę sunt fragilia, per vestram orationem debilitatem nostram & robore fulciat, & virtute perfundat, detque Nobis sic prosequi, quod ipse impotentię nostrę credidit. ut inde gratię suę sequatur augmentum, populus christianus pace ac tranquillitate proficiat, & tandem Nobis, ac illi, claritatis eternę radius illucescat. Ceterum cum dignum sit, ut qui filialis devotionis in vobis fructum requirimus, sinceritati vestrę, quę sunt paternę dilectionis offeramus, cordibus vestris de Nobis volumus inesse fiduciam. quod vobis, & Ordini vestro in iis quę sunt favoris, & gratię secundum Deum, nos benignos semper habebitis, & benevolos sentietis. Datum Viterbii Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulor. Generalium fol.*176. Idem habes apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. V ad an. MCCLXII pag.*83.
2. *Congregatis.*) Die *XXVIII Maii MCCLXII.*
3. *Sed ubi.*) Fontana legit: *Si vero quodammodo ex fragilitatis nostræ.*
4. *Ex consideratione.*) Apud Fontanam: *De fiducia.*
5. *Bonorum.*) Idem addit: *Operum.*
6. *Virginem Matrem.*) Desiderantur hæc verba apud *Fontanam.*
7. *Non obtinebit.*) Ex eodem: *Non habeat.* Ceterum liquet ex hoc loco, pietatem erga Virginis Deiparæ cultum jure hæreditario nostram esse.
8. *Bonorum.*) Ex Fontana: *Quid beata Sanctorum acies.*

Anno 1262 Die 11 Maii.

Universis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus &c. ut S. Petri Martyris diem festum agant.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VII. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Prępositis, & aliis Ecclesiarum, & Religiosorum cujuscunque Ordinis Prȩlatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

MAgna Magnalia de Beato Petro Martyre Ordinis Prędicatorum natione Lombardo &c. (a). Datum Viterbii V Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum.

a. *Lombardo &c.*) Ut in *Diplomate dato III Februarii MCCLV.*

Anno 1262 Die 14 Maii.

Multa de S. Petro Martyre honorifice prædicans, Diploma, quo cælitibus annumeravit ipsum Innocentius IV, ad universos Archiepiscopos, Episcopos &c. mittit.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VIII. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prȩlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

S. Petrum Martyrem laudibus cumulat.

CUm fel. rec. Innocentius PP. prędecessor noster, de communi Fratrum suorum, ac Prȩlatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium consilio, & assensu, sanctę memorię B. Petrum Martyrem, Ordinis Prędicatorum, facta prius diligenti inquisitione de sanctitate vitę, ac veritate miraculorum ipsius, Sanctorum Martyrum catalogo duxerit ascribendum, & Apostolicę super hoc literę sint confectę, Nos, ut eorum series omnibus innotescat, & perpetua super hoc memoria in posterum habeatur, tenorem ejusdem literarum de verbo ad verbum prȩsentibus fecimus annotari, qui talis est. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus universis Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prȩlatis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Magnis & crebris declarata prodigiis &c. (a). Datum Viterbii II Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Tenor Diplomatis Innocentii IV.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum.

a. *Prodigiis &c.*) Ut in *Diplomate dato XXV Martii MCCLIII*, ubi differitur de his, quæ hic explicita velles.

Pro

Provinciali Lombardiæ, ut a voto belli pro Religione suscipiendi nonnullos solvat. Anno 1262 Die 15 Maii.

Ex Arch. (1) *Ordinis lib. B. fol.* 465.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IX.

CUm prędicationem Crucis pro Terrę Sanctę subsidio tibi in Lombardia, necnon, & in aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus, duxerimus (2) committendam, discretioni tuę, de qua plenam fiduciam obtinemus, absolvendi per te, vel per alium, seu alios, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, a voto Crucis omnes Crucesignatos hactenus in subsidium dictę Terrę, & Crucesignandos deinceps, qui propter suorum infirmitatem, aut debilitatem corporum inhabiles, vel impotentes fuerint ad pugnandum, vel transfretandum in ipsius Terrę succursum, dummodo secundum proprias facultates velint redimere vota sua, plenam, & liberam concedimus auctoritate prę sentium facultatem. Volumus autem, ut ea quę de hujusmodi votorum redemptionibus colligi contigerit, deponas sub testimonio idonearum personarum in aliquo tuto loco, nobis quid, & quantum, & a quibus collectum fuerit fideliter rescripturus. Datum Viterbii Idibus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo. Concessio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum*.

2. *Duxerimus.*) Desiderantur hæ Literæ.

Provinciali Lombardiæ, ut nonnullos ab excommunicatione majori solvat, & super Irregularitate dispenset. Anno 1262 Die 21 Maii.

Ex Arch. (1) *Ordinis lib. B. fol.* 465.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. X.

CUm prędicationem pro subsidio Terrę Sanctę in Lombardia, necnon in aliis locis, ubi tuus extenditur Prioratus, per nostras tibi sub certa forma literas (2) duxerimus committendum; Nos volentes aliqua tibi concedere, per quę saluti consulere valeas animarum, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi hac vice per te, vel per alium, seu alios idoneos, juxta formam Ecclesię, omnes illos de prędictis Lombardia, & locis, qui pro violenta injectione manuum in viros Religiosos, & Clericos seculares inciderunt in Canonem sententię promulgatę, & qui incendendo Ecclesias, necnon & alia loca Religiosa, & alias vinculo sunt excommunicationis astricti, dummodo injurias, & damna passis satisfaciant competenter; & non sit adeo gravis, & enormis excessus, quod propter hoc sit ad Sedem Apostolicam recurrendum: dispensandi quoque cum Clericis secularibus, & regularibus, qui hujusmodi ligati sententiis, facti immemores, aut juris ignari, se immiscuere divinis, super irregularitate, quam propter hoc incurrisse noscuntur, ac eis injungendi pęnitentiam salutarem, plenam, & liberam concedimus auctoritate prę sentium facultatem, proviso, ut ea quę forent expensuri veniendo ad Sedem Apostolicam, morando inibi, & redeundo ab ipsa, tibi juxta tuę discretionis arbitrium ab eis pro dictę Terrę subsidio facias assignari. Datum Viterbii XII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo. Conceditur ut supra.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico asservato in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum*.

2. *Literas.*) Desiderantur.

Provinciali Lombardiæ, ne quis molestiis eos efficiat, qui pro Religione bellum susceperint. Anno 1262 Die 21 Maii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. pag.* 465.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XI.

CUm prędicationem Crucis pro Terrę Sanctę subsidio tum in Lombardia, necnon in aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus per nostras tibi sub certa forma literas (2) duxerimus committendam, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus omnes Crucesignatos, & Crucesignandos pro dictę Terrę subsidio, quos sub nostra & Apostolicę Sedis protectione suscipimus, non permittas per te vel alium, seu alios, contra immunitates, & Privilegia Crucesignatis ab Apostolica Sede concessa, ab aliquibus indebite molestari; molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si personis aliquibus a prędicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas plenam, & expressam non facientes de indulto hujusmodi mentionem, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio (3) Generali, ac ejusdem Sedis indulgentia (4), qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ut de causis, quę per literas Apostolicas committuntur eisdem, cognoscere minime teneantur, nisi de indulto hujusmodi expressam faciant mentionem. Datum Viterbii XII Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Primo. Mandatum. Clausula derogans.

1. Archi-

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico asservato in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum*.
2. *Literas.*) Desiderantur.
3. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXXVII.*
4. *Indulgentia.*) De qua superius *VII Martii MCCXXV.*

Anno 1262 Die 21 Maii.

Provinciali Poloniæ, ut Imperio Constantinopolitano subsidium Catholici ferant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio ... Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Polonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Factum narrat. — *Palæologus in Catholicos tyrannice sævit.* — *Constantinopolis per insidias occupata.* — *Imperio Catholicorum Constantinopolim Innocentius III adjunxerat.* — *Palæologus Achajam, & Moream inhiat.* — *Balduinus Imperator, Venetorum Dux, aliique subsidio Constantinopoli veniebant.* — *Mandat ut supra.* — *Indulgentia concessa.*

ORta est Nobis de partibus Romanię (3) multę turbationis materia, & exinde prosilierunt jacula, quę diris puncturis affecerunt, & afficiunt intima cordis nostri. Ecce siquidem in regione illa contra fidelem populum schismaticorum exsertus (4) est gladius, undique ad subvertendum catholicorum statum Grecię (5) persecutionis turbo prorupit, propter quod cultores fidei orthodoxę hostilibus inibi quatiuntur insultibus, & Christiana Religio variis, & diversis adversionibus (6) impugnatur. Palęologus (7) namque schismaticus, qui Gręcorum Imperatorem vocari se facit, postquam illius perfidę gentis obtinuit principatum, contra populum Latinorum, qui in illis partibus commoratur, cępit sui furoris tyrannidem inhumanitus exercere; sicque adversus eum una cum subiectis sibi Gręcis nationibus conspiravit, quod ad illius exterminium, & subversionem tota suę malignitatis convertit studia, direxit intentionem, & animum pręparavit, improbe sperans, se posse de facili. Latinis ejectis, exinde Constantinopolitani Imperii dominium integre obtinere. Congregato igitur post debellationem, & captionem dilecti filii nobilis viri Guillelmi de Villardim (8) Principis Achaię exercitu copioso, & Civitatis Constantinopolitanę finibus appropinquans, Civitatem eandem, cum non posset illam violenter capere, proditionaliter occupavit (9), collocans in ea superbię suę sedem in sempiternum opprobrium Latinorum. O quantos concepit dolores! O quot suspiria protulit! O quam acerbas effudit lacrymas Romana Mater Ecclesia! cum audivit, quod prędictam Civitatem, quę in ejus permanens unitate in suo gremio altius relucebat, amisit. Recolens etenim quod multo tempore anxie vigilavit, laboriosa studia intentis vigiliis annectendo, ut Civitatem tam inclytam, famosam, tamque insignem, & amabilem obtineret. Memor etiam solicitudinum, sumptuum (10), & laborum quibus felicis recordationis Innocentius Papa Tertius Prędecessor noster illam imperialem Urbem ad unitatem Catholicam conquisivit (11), & audiens eam sic probrose deperditam, & ab ejus obedientia, ac devotione subtractam, acuti doloris gladio sua persensit viscera perforata. Veruntamen quantumcunque immensum ex hoc flebili casu civitatis ejusdem dolorem concepit, & mororem, nequaquam ob hoc cecidit spes ipsius, nec fuit animo consternata, quin de ipsius Civitatis, & per consequens prędicti Imperii recuperatione sollicite cogitaret, confidens in illo, qui est in se sperantium fortitudo, quod post hujusmodi percussionis dolorem, consolationis opportunę medelam misericorditer adhibebit. In hoc enim claret excellentia Fidei, super cujus petram eadem Ecclesia fundata consistit, quia quanto gravius Ecclesia ipsa impeditur, tanto persistit constantior, quoniam immobile accepit in Christo, qui est Veritas, fundamentum. Nam licet antiquis temporibus eadem Ecclesia memoratum Imperium amare planxerit ab ejus unitate subtractum, licet diutinas, & innumeras amaritudines, & afflictiones pertulerit de suorum inibi dimicantium oppressionibus filiorum, semper tamen animo forti stetit, nec unquam, quę potuit, illuc subsidia destinare cessavit, quia sibi continue Divina potentia in tanti prosecutione negotii necessarię subventionis largitione providit, corda fidelium ad prębendum ei super hoc adjutorium assidue accendendo. ex quibus innumeri jam effuso in pugna tam salutifera sanguine cursum vitę presentis sub glorioso triumpho martyrii feliciter consummarunt. Verum quia dicti Palęologi nequitia, faventis temporis tumefacta suffragio, prędicta Urbe, quę memorati Imperii caput existit, taliter occupata, ad occupationem residui ejusdem Imperii, videlicet Principatus Achaię (12), ac Morea (13) ferventer anhelat. Nos attendentes, quod Ecclesię corpus ex membri tam cari, scilicet Imperii prefati, carentia, si prędictum residuum, quod absit, occuparetur ab illo, notam probrosę deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendę jacturam: considerantes etiam, quod carissimus in Christo filius noster Balduinus (14) illustris Imperator Constantinopolitanus, & Nobilis Vir .... Dux Venetorum, sicut idem Imperator (15), & ejusdem Ducis Nuncii nobis in nostra constituti presentia retulerunt, una cum Prelatis, & Baronibus Principatus jam dicti, magnificum tam per mare, quam per terram, pro succursu ejusdem Imperii jam disposuerunt facere apparatum, ac volentes eos in hoc fidelium Christi presidiis adjuvari, digne providimus, fore ab eisdem fidelibus opportunum propter hoc suffragium postulandum. Tuę igitur discretioni per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus tam per te, quam per alios Fratres tui Ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, proponens eisdem Fidelibus per Terram Polonię, juxta datam tibi a Deo prudentiam Verbum Crucis, eos attentis, & sedulis exhortationibus inducere non omittas, ut pensantes provide, quam sit necessaria nunc Imperio prędicto festina subventio, advertentes etiam, quod per Imperii prefati succursum catholicę Fidei, & ecclesiasticę libertatis augmentum, necnon & Terrę Sanctę liberatio specialiter procurantur, ad succurrendum eidem Imperio, ac Latinis morantibus in eodem, quinimmo ad Imperium ipsum eripiendum de manibus adversariorum contra prefatum Palęologum, & fautores ipsius, assumpto Crucis signaculo viriliter, & festinanter exsurgant. Prędica (16) quoque fidelibus ipsis, quod dictus Dux Venetorum omnes Crucesignatos hujusmodi suo potenti navali stolio (17) illuc deferri faciet sine naulo (18). Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus eidem Imperio ac Latinis in personis, vel bonis eorum succurrentibus, illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsos-

ipsosque illo privilegio, eaque volumus immunitate gaudere, quę prędictę Terrę Sanctę subvenientibus in generali Concilio sunt concessa. Non obstante indulgentia Sedis Apostolicę, qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ne de Causis, vel negotiis, quę per literas Apostolicas committuntur eisdem, se intromittere teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi expressam faciant mentionem. Ut autem utilius, & facilius commissum tibi hujusmodi ministerium exequi valeas, tibi, & Fratribus ejusdem Ordinis, quos ad hoc cooperatores elegeris, convocandi ob id Cleros, & Populos locorum, in quibus huiusmodi Verbum Crucis proponere vos continget, quotiescunque & ubicunque videritis expedire, ut processionaliter prędicationibus vestris cum devotione intersint, necnon & largiendi omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad hujusmodi convocationes, & prędicationes vestras accesserint, quadraginta, vel centum dierum Indulgentiam, juxta vestrę discretionis arbitrium, moderandam, plenam concedimus auctoritate pręsentium potestatem. Datum Viterbii XII Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Clausula derogans.

Ad concionem populum vocare, ipsique Indulgentiam elargiri poterunt Fratres.

1. *Ferant.*) *Græci siquidem Schismatici Catholicorum res admodum afflixerant*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXII num. XXXIII, *Palæologus namque Balduino Imperatore Constantinopolitano dejecto, depulsoque Regia urbe, ut reliquum Imperium in suam potestatem redigeret, anhelabat. Nec fregit animos adversis casibus Balduinus, cum Venetorum enim Duce conjunctis armis, ad recuperandam Constantinopolim, expeditionem conflabat: nec illi Urbanus auxilio defuit; Minoritis enim* (& Prædicatoribus) *imperavit, ut incitandis ad arma sacra populis navarent operam, pro Constantinopoli e Græcorum manibus eripienda, Indulgentiasque profecturis pollicerentur, quas pro Terra Sancta subsidio bellum inituri consequerentur.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo in Cœnobio *Vratislaviensi* asservato Idem Ministro Provinciali Fratrum *Minorum Franciæ* inscriptum exscripsere *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXI pag. 231, & Odoricus supra citatus, numero XXXIV.*

3. *Romania.*) Seu *Thracia.*

4. *Exsertus.*) *Vvaddingus* & *Odoricus* legunt: *Erectus.*

5. *Græcia.*) Ex iisdem. *Gravis.*

6. *Adversionibus.*) *Adversitatibus*, ut legitur apud *Odoricum.*

7. *Palæologus.*) *Michael*, qui *Balduino* Imperatore & *Justiniano* Patriarcha *Constantinopoli* ejectis, Orientis Imperium occupaverat anno MCCLIX. *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLIX num. V &c.*

8. *Villaedim.*) Quem Odoricus *Vuillarduin*, Vvaddingus *Vvillardum*, & Bzovius *Villam* nuncupant. Captus est *Guillelmus de Villardim* anno MCCLX, ut videre est apud *Odoricum ad hunc annum numero LIII.*

9. *Occupavit.*) Anno MCCLXI, ut ex *Logotheta* refert *Odoricus ad eundem annum numero XXVII.*

10. *Sumptuum.*) Ex Odorico & Vvaddingo: *Suspiriorum.*

11. *Conquisivit.*) *Anno MCCIII.*

12. *Achaja.*) Sic passim *Græcia* vocatur, ibi tamen de *Achaja propria*, quæ *Ducatus Clarentiæ* nuncupatur, loquitur Diploma.

13. *Morea.*) Regio & Peninsula est Græciæ, *Peloponnesus* dicta.

14. *Balduinus.*) *II.*

15. *Imperator.*) *Vvaddingus* & *Odoricus* scripserunt: *Sicut ejusdem Imperatoris, & ejusdem Ducis Nuncii nobis, in nostra constituti præsentia retulerunt.* Legendum tamen: *Imperator:* Enim vero ipsomet *Odorico* teste ad annum MCCLXII numero XXXIX. *Accesserat ad Sedem Apostolicam Balduinus ipse, ac sui aspectu Pontificem dolore confoderat, depulsum solio per nefariam proditionem tantum Imperatorem intueri, pervenerunt etiam Venetorum Oratores, qui Urbano promisere omnes sine ullo nauli pretio trajecturos, qui eam expeditionem susciperent.* Non ergo *Imperatoris* Nuncii, sed ipsemet *Imperator* hac de re certiorem fecerat *Urbanum.*

16. *Prædica.*) *Vvaddingus* & *Odoricus* scribunt: *Prædicto.*

17. *Stolio.*) Seu numerosa classi, unde Italicum vocabulum *Stuolo* e verbo græco, στέλλω, mitto.

18. *Sine Naulo.*) Id est: *Gratis.*

Provinciali Aragoniæ, ut bellum pro Imperio Constantinopolitano suscipiendum populo Fratres suadeant.

Anno 1262 Die 25 Maii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. fol. 544.*

XIII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Aragonia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ORta est nobis &c (2). per Regnum Aragonię, necnon per alia loca, per quę tuus extenditur Prioratus juxta datam &c. (3). Datum Viterbii V Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod habet in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*

2. *Nobis &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *eisdem fidelibus.*

3. *Datam &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Provinciali Lombardiæ, ut in subsidium Terræ Sanctæ corrogatam pecuniam in aliquo tuto loco deponat.

Anno 1262 Die 1 Junii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. folio 465.*

XIV.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

VOlumus, & pręsentium tibi auctoritate, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus omnes redemptiones votorum Crucesignatorum, qui per deputatos ad hoc ab Apostolica Sede a votis hujusmodi absoluti fuerint, omnisque legata, necnon omnes obventiones, ex quacunque causa provenientes, subsidio Terrę Sanctę in Lombardia, necnon & aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus, per te, vel per alium, seu alios, integre colligere, illaque in aliquo tuto loco, sub idonearum personarum testimonio, deponere studeas, nobis quid, & quantum, & a quibus colligi de pręmissis contigerit fideliter rescripturus; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, plenam, & expressam non facientes de indulto hujus modi mentionem. & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio (2) Generali, & indulgentia, qua Fratribus dicti Ordinis dicitur esse concessum, ut de causis, quę per literas Apostolicas committuntur eisdem, se

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

se intromittere minime teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi expressam fecerint mentionem. Datum Viterbii Kalendis Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico, quod tenet Conventus SS. Johannis & Pauli Venetiarum.
2. *Concilio.*) *Lateranen. IV cap. XXXVII.*

Anno 1262 Die 5 Junii.

Bellum pro Terra Sancta suscipientibus, & iis, qui de eodem bello ad populum dixerint, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) *Ord. lib. B. fol.* 467.

XV.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Prędicatoribus verbi Crucis pro Terrę Sanctę subsidio, ac executoribus ejusdem Crucis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

Sanctio poenalis.

VOlentes labores vestros, quos pro Terrę Sanctę subsidio prompta voluntate subitis, spiritualibus pręmiis compensare, vobis universis, & singulis, propter hoc laborantibus, illam vestrorum, de quibus fueritis corde contriti, & ore confessi, concedimus veniam peccatorum, illoque volumus privilegio, eaque immunitate gaudere, quę dictę Terrę succurrentibus in generali Concilio (2) sunt concessa. Nulli ergo &c. nostrę concessionis &c. Datum Viterbii Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico asservato in Cœnobio SS. Johannis & Pauli Venetiarum.
2. *Concilio.*) *Lugdunen. I Cap. XVII.*

Anno 1262 Die 5 Junii.

Provinciali Lombardiæ, ut in subsidium Terræ Sanctæ curatores testamentorum, solvant legata.

Ex Archivo (1) *Ordinis lib. B. fol.* 465.

XVI.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

Clausula derogans.

CUm prędicationem Crucis pro Terrę Sanctę subsidio tibi in Lombardia, necnon & in aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus, duxerimus committendam, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, compellendi per te, vel alium, seu alios, per censuram ecclesiasticam, omnes executores Testamentorum, & alios quoscunque de prędictis Lombardia, & locis, qui legata quęcunque in hujusmodi dictę Terrę subsidium habere, ac detinere noscuntur, ut eadem legata convertenda in subsidium ipsum tibi, sublato cujuslibet obstaculo difficultatis, assignent, plenam, & liberam concedimus auctoritate pręsentium facultatem. Non obstante si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas, plenam, & expressam non facientes de Indulto hujusmodi mentionem, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, nec eisdem Sedis indulgentia (2), qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ut de causis, quę per literas Apostolicas committuntur eisdem, cognoscere minime teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi expressam faciant mentionem. Volumus autem, ut ea, quę de hujusmodi legatis colligi contigerit, sub testimonio Idoneorum personarum deponere iliudeas, in aliquo tuto loco, nobis quid, & quantum, & a quibus collectum fuerit, fideliter rescripturus. Datum Viterbii Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico, quod extat in Cœnobio SS. Johannis & Pauli Venetiarum.
2. *Indulgentia.*) Data die VII Martii MCCXXV.

Anno 1262 Die 11 Junii.

Generali, ac Fratribus Eremitis S. Augustini, ne Fratres nostros in Ordinem suum ascribant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali, ac ceteris Prioribus, ac Fratribus Heremitis Ordinis Sancti Augustini, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Refert quæ hac de re sanxerat Alexander IV.

FElicis recordationis Alexander PP. Prędecessor noster, paci & tranquillitati dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum paterna sollicitudine providere cupiens, ac etiam cujuslibet scandali materiam, quę inter vos, & ipsos oriri posset impollerum amputare, vobis, prout, significantibus dilectis filiis Magistro & Fratribus prędicti Ordinis Prędicatorum, accepimus, per literas (3) Apostolicas districte inhibuit, ne vos prętextu aliquarum literarum a Sede Apostolica generaliter, vel specialiter obtentarum, seu obtinendarum, Fratres ipsius Ordinis sine suorum Priorum licentia in vestro recipere Ordine temptaretis. Decrevit quoque dictus Prędecessor irritum & inane quicquid per eos contra inhibitionem hujusmodi contingeret attemptari, statuens nichilominus, quod prçsumentes scienter contra inhibitionem hujusmodi propria temeritate venire, sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto, a qua non pos-

possent absolvi nisi conspectui Sedis Apostolicę se personaliter pręsentarent, juxta ipsius providentiam absolvendi. In supradictis autem litteris suis idem Prędecessor vobis in virtute obedientię districtius dicitur pręcepisse, ut si quos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum in vestro recepissetis Ordine, suorum Priorum non petita licentia, nec obtenta, illos eidem Ordini Prędicatorum sine dilatinne aut difficultate restituere studeretis. Porro mirantes audivimus, licet credere vix possimus, quod vos hujusmodi inhibitionis decretis & pręceptis Apostolicis, ac etiam excommunicationibus vilipensis, quosdam Fratres prędicti Ordinis Prędicatorum, quos sine suorum Priorum licentia receperatis in Fratres, non solum eidem Ordini restituere noluistis, verum etiam fugitivos ipsius postmodum passim & indifferenter in Ordine vestro pręsumpsistis admittere, in dictorum Magistri & Fratrum Prędicatorum pręjudicium, plurimorum scandalum, & Ordinis eorum evidens detrimentum. Quia vero pro parte dictorum Magistri & Fratrum Prędicatorum super hoc ad nostram providentiam habitus est recursus, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta firmiter pręcipiendo, mandantes, quatinus universos & singulos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, quos contra inhibitionem & pręceptum hujusmodi recepistis, a vestro consortio penitus repellatis, & ipsos eidem Ordini Prędicatorum sine qualibet difficultate, seu dilatione, juxta tenqrem dictarum litterarum ipsius Prędecessoris nostri, restituere procuretis; alioquin venerabili Fratri nostro Episcopo Reatin. damus nostris litteris (4) in mandatis, ut vos ad id, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Datum Viterbii III Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Frimo.

Legem illam ab Alexandro IV latam violaverant Eremitæ.

Mandat ut supra.

1. *Ascribant.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabis appenditur.
3. *Litteras.*) Superius exscriptas *V Martii MCCLVIII.*
4. *Litteris.*) Vide inferius *VII Julii.*

Provinciali Lombardiæ, ne Crucesignatorum lites extra ipsorum Diœcesim ad alios Judices deferantur.

Anno 1262 Die 23 Junii.

Ex Arch. (1) *Ordinis lib. B. fol.* 467.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XVIII.

VOlentes omnes Crucesignatos in Lombardia, necnon & in aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus, & etiam Crucesignatos in subsidium Terrę Sanctę singularis privilegii pręrogativa gaudere, Crucesignatis, & Crucesignandis hujusmodi, ut per literas Apostolicę Sedis, vel Legatorum ejus, impetratas hactenus, quarum non sit auctoritate processum, & impetrandas in posterum, nisi dictę Sedis literę impetrandę plenam, & expressam fecerint de pręsentibus mentionem, extra diœceses, in quibus ipsi, & eorum bona consistunt, in causam trahi, vel ad judicem evocari non possint, dummodo parati sint coram eorum Ordinariis querelantibus exhibere justitię complementum, auctoritate pręsentium Indulgemus. Nulli ergo &c. Concessionis &c. Datum Viterbii IX Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cavet ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico asservato in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum.*

Provinciali Lombardiæ, ut, omni cunctatione abjecta, Fratres in subsidium Terræ Sanctæ pecuniam corrogent.

Anno 1262 Die 23 Junii.

Ex Arch. (1) *Ord. lib.* B. *folio* 466.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XIX.

CUm tibi super colligenda in certis casibus per te, ac alios Fratres tui Ordinis, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, pro subsidio Terrę Sanctę pecunia, sub certa forma direxerimus scripta (2) nostra, nos ipsius collectionem pecunię accelerari volentes, ne illius dilatione dictę Terrę subsidium retardetur, discretioni tuę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus mandatum in hac parte Apostolicum per te, dictosque Fratres, quos ad id exequendum ex eadem obedientia teneri volumus, indulgentia Sedis Apostolicę, qua Fratribus tui Ordinis dicitur esse concessum, ne pecuniam colligere, vel quoquomodo se de ipsa inrnmittere aliquatenus teneantur, & qualibet alia Sedis ejusdem indulgentia, per quam idem succursus impediri valeat, seu protelari, nequaquam obstante, celeriter, solicite, ac efficaciter exequaris, Datum Viterbii IX Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Authenticum asservatur in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum.*
2. *Scripta.*) Legenda *Diplomata data I, & V Junii MCCLXII.*

Anno 1262 Die 23 Junii.

Provinciali Lombardiæ, ut indulgentiam largiatur iis, qui Terræ Sanctæ subsidium tulerint.

Ex Arch. (1) *Ord. lib. B. fol.* 465.

XX.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Predicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DIscretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, largiendi, pensatis quantitate subsidii, & devotionis affectu, per te, vel alium, seu alios, quos ad hoc idoneos fore noveris, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui de bonis suis pro subsidio Terrę Sanctę congrue juxta tuę, & illorum, quibus hoc commiseris, discretionis arbitrium, ministrabunt, Indulgentiam, quę pro dictę Terrę succurrentibus in generali Concilio (2) est concessa, plenam, & liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Viterbii IX Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico, quod habetur in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum.*

2. *Concilio.*) *Lugdunen. I Cap. XVII.*

Anno 1262 Die 1 Julii.

Provinciali Lombardiæ, ut Crucesignati ad iter Terræ Sanctæ suscipiendum sese accingant (1).

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 466.

XXI.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Predicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm Terra Sancta, Christi respersa Sanguine, hoc presertim tempore, quo Tartarorum gens perfida de abditis terrę prosiliens contra Terram ipsam, diutinis jam Paganorum incursibus laceratam, illam novę persecutionis accendi (3), festino, ac magnifico succursu indigere noscatur. Nos, quorum ejus clamor assiduus pulsat aures, ipsius pio corde condolentes angustiis, & pressuris, ac cupientes eidem Terrę per Christianorum potentiam ad laudem, & gloriam Domini Nominis celeriter subvenire, volumus, & presentium tibi auctoritate, in virtute obedientię districte precipiendo mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios idoneos, omnes Comites, Duces, Barones, & quoscunque alios Clericos, & Laicos in Lombardia, necnon in aliis locis, per quę tuus extenditur Prioratus, constitutos, cujuscunque conditionis, status, & dignitatis existant, qui olim pro Terrę dictę subsidio Crucis signaculum assumpserunt, & assument deinceps, ut se sic studeant preparare, quod ad aliud mandatum nostrum se personaliter conferant in succursum Terrę predictę, moneas efficaciter, & inducas. Non obstante Constitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, & indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis ab Apostolica Sede dicitur esse concessum, ut de causis quę per literas Apostolicas committuntur eisdem se intromittere minime teneantur, nisi de indulgentia hujusmodi expressam faciant mentionem. Datum Viterbii Kalendis Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandatum.

Clausula derogans.

1. *Accingant.*) *Tartari* siquidem, verbis utor *Henrici Stero* in Chronicis ad an. MCCLXI, *Tartari devictis jam & deletis omnibus Regibus & Regnis Saracenorum in partibus transmarinis, Antiochia, ac aliis Christianorum terris, terrorem tam validum incusserunt, ut ad Papam, & Reges, supplices & frequentes legationes* Orientis Episcopi *dirigerent pro succursu.* Hinc ut ipsis esset auxilio, nullum non moverat lapidem *Alexander IV:* in singulis Provinciis indixerat Concilia, & Principes, ad conflandas contra *Tartaros* vires suas, hortatus erat anno MCCLXI, id liquet ex *Epistol. C libri I Urbani IV.* Ut igitur ad iter se accingant Crucigeri, Pontifex scribit.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Authentico quod tenet Conventus *SS. Johannis & Pauli Venetiarum.*

3. *Accendi.*) Mutilus hic locus; legerem: *Nova persecutionis æstu accendit.*

Anno 1262 Die 7 Julii.

Episcopo Reatino, ut quos in numerum suorum cooptarunt, Eremitæ S. Augustini Fratres nostros restituant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXII.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Reatin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

FElicis recordationis Alexander PP. Predecessor noster, paci & tranquillitati dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Predicatorum paterne sollicitudine providere cupiens, ac etiam cujuslibet scandali materiam, quę inter ipsos & dilectos filios Fratres Heremitas Ordinis S. Augustini oriri posset, imposterum amputare, eisdem Fratribus Heremitis, prout, significantibus Magistro, & Fratribus predicti Ordinis Predicatorum accepimus, per litteras (3) Apostolicas districte inhibuit, ne ipsi Fratres Heremitę pretextu aliquarum litterarum a Sede Apostolica generaliter, vel specialiter, obtentarum, seu obtinendarum, Fratres ipsius Ordinis Predicatorum sine suorum Priorum licentia in ipsorum Ordine recipere attemptarent; decrevit quoque dictus Predecessor irritum & inane quicquid per eosdem Fratres Heremitas contra inhibitionem hujusmodi contingeret attemptari; statuens nichilominus, ut presumentes scienter contra inhibitionem hujusmodi propria temeritate venire, sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto, a qua non possent absolvi, nisi conspectui Sedis Apostolicę se personaliter presentarent, juxta ipsius pro-

Tenor Diplomatis ab Alexandro IV hac de re dati.

providentiam abſolvendi. In ſupradictis autem litteris ſuis idem Prędeceſſor antedictis Fratribus Heremitis in virtute obedientię diſtrictius dicitur pręcepiſſe, ut ſi quos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum in ipſorum Ordine recepiſſent, ſuorum Priorum non petita licentia, nec obtenta, illos eidem Ordini Prędicatorum ſine dilatione aut difficultate reſtituere procurarent. Porro mirantes audivimus, licet credere vix poſſimus, quod dicti Fratres Heremitę hujuſmodi inhibitionibus, decretis, & pręceptis Apoſtolicis, ac etiam excommunicationibus vilipenſis, quoſdam Fratres prędicti Ordinis Prędicatorum, quos ſine Priorum ſuorum licentia receperant in Fratres, non ſolum eidem Ordini reſtituere noluerunt, verum etiam fugitivos ipſius Ordinis Prędicatorum poſtmodum paſſim, & indifferenter, in Ordine ipſorum pręſumpſerunt admittere, in dictorum Magiſtri & Fratrum Prędicatorum pręjudicium, plurimorumque ſcandalum, & Ordinis ejuſdem Fratrum Prędicatorum evidens detrimentum. Quia vero pro parte dictorum Magiſtri & Fratrum Prędicatorum ſuper hoc ad noſtram providentiam habitus eſt recurſus; Generali ac ceteris Prioribus, & Fratribus Heremitis, noſtris damus litteris (4) firmiter in pręceptis, ut univerſos & ſingulos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, quos contra Inhibitionem, & pręceptum hujuſmodi receperunt, penitus a conſortio eorum repellant, & ipſos eidem Ordini Prędicatorum ſine qualibet difficultate, ſeu dilatione, juxta tenorem dictarum litterarum ipſius Prędeceſſoris noſtri, reſtituere non omittant; Ideoque Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi idem Generalis, Priores, & Fratres Heremitę pręceptum noſtrum in hac parte neglexerint adimplere, ut eos ad id, monitione pręmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas. Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Quid hac de re Generali, & Fratribus Eremitis injunxerit, declarat.

Mandat ut ſupra.

3. *Reſtituant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Idem habes *Libro E. fol. 68.*
3. *Litteras.*) Datas *V. Martii MCCLVIII.*
4. *Litteris.*) Superius exſcriptis *XI Junii MCCLXII.*

F. Raynerio (1), ut cum Socio quamprimum ad ſe veniat.

Anno 1262 Die 21 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Urbanus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raynerio Placentino, Ordinis Prędicatorum, Inquiſitori hęreticę pravitatis in Lombardia & Marchia Januenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſuper quibuſdam agendis Eccleſię negotium catholicę fidei contingentibus, tecum velimus habere tractatum, tuaque ſit nobis propter hoc pręſentia plurimum opportuna, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta, in virtute obedientię diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus aſſumpto tecum uno Socio tui Ordinis idoneo, quem ad veniendum tecum ex obedientia volumus diſtricta teneri, ad nos ſublata difficultate qualibet feſtinanter accedas. Nos enim ad hoc, ut celerius ad nos accedere valeas, providendi tibi in equitaturis, & ſumptibus neceſſariis de pecunia, quę de bonis hęreticorum in Lombardię partibus ad manus Inquiſitorum obveniſſe dignoſcitur, necnon & equitandi libere, contrario tui Ordinis non obſtante ſtatuto (3); liberam concedimus auctoritate pręſentium facultatem. Datum Viterbii XII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandat ut ſupra.

1. *Raynerio.*) De quo in *Diplomate dato XIII April. MCCLV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanen.*
3. *Statuto.*) Legeſis *Conſtitutiones Ord. Prædicat. Diſtinctione I Capit. XVII.*

Inquiſitores Aragoniæ variis privilegiis donat (1).

Anno 1262 Die 28 Julii.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 547.

XXIV.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquiſitoribus hęreticę pravitatis in Regno, & dominio cariſſimi in Chriſto filii noſtri.. illuſtris Regis Aragonum deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRę cunctis noſtrę mentis deſiderabilibus Catholicę Incrementum Fidei affectantes, nimio utique dolore repiemur, cum audimus, aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem quacunque malignitate ſatagere, vel damnabilibus ipſam depravando reprehenſionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, ſeu commentis eandem mendacibus pervertendo. Ad quorum iniqua conſternenda (3) molimina, eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare. Sane, ut accepimus, in aliquibus partibus Regni, & dominii cariſſimi in Chriſto filii noſtri... illuſtris Regis Aragonum adeo infidelitatis error invaluit, quod ibi quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, euntes per devium falſitatis, peſtiferas ad concutiendum orthodoxę murum fidei machinas conſtruant (4), molientes ipſum fallacium argumentationum impulſibus demoliri. Verum, licet ubilibet Sedis Apoſtolicę diligentia, contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſus (5) hujuſmodi ſerpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, in prędictis tamen partibus cupientes anxie, ut negotium Fidei jugi profectu, eliſis omnino erroribus, fortius convaleſcat, vigilare ad hęc per nos, & alios, eo ſtudemus attentius, quo prędictum Regem ferventiorem ſentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Providimus igitur ibidem ad pręſens perſonas aliquas circumſpectas pro tanto negotio deputari, quarum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ut ſacro ipſarum mini-

Exordium a paſtorali ſollicitudine.

In nonnullis Aragoniæ civitatibus hæreſis graſſabatur.

Fidei Cenſores ibi conſtituti.

ministerio, pręfatę partes ab hujusmodi contagiis expurgentur. Ut autem (6) Inquisitionis officium contra hęreticos in pręfatis partibus possit efficacius adimpleri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, prędictum officium in dictis partibus simul, vel separatim, aut singulariter, prout negotii utilitas suadebit, ad extirpandam de ipsis partibus hęreticam pravitatem, sub spe mercedis ęternę, sic efficaciter prosequi, & exequi studeatis, ut per sollicitudinis vestrę prudentiam de partibus ipsis radix iniquitatis hęreticę succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quę perversis morsibus demoliuntur eandem, fructus afferat Catholicę puritatis. Si quos (7) autem de pravitate prędicta culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati velint absolute mandatis Ecclesię obedire, necnon & contra receptatores, defensores, & fautores eorum, juxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu Domino timori postposito, procedatis. Non obstantibus aliquibus literis, ad quoscunque alios de partibus ipsis, exceptis locorum Dięcesanis, super hujusmodi negotio ab ipsa Sede directis, quarum deinceps ad Inquisitiones hujusmodi faciendas nolumus auctoritate procedi, quinimmo, ne procedatur per illas, districtius inhibemus; nec prętextu commissionis specialiter eisdem Dięcesanis super hoc factę processus vestros in eorundem Dięcesanorum Civitatibus, & Dięcesibus, volumus impediri, nec per hoc (8) quod fidei negotium generaliter in ipsis partibus vobis committimus, commissiones a prędicta Sede Dięcesanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Veruntamen sive auctoritate ordinaria, sive ex delegatione prędictę Sedis iidem Dięcesani in hujusmodi negotio processerint, nequaquam volumus, vel per concursum processuum, vel alias quomodolibet vestros impediri processus, quin, Dięcesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero (9) aliqui ex prędictis, hęretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesię absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem, quod injungi talibus consuevit: proviso solerter, ne simulata, conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius seipsos fallentes, sub agni specie gerant lupum. Quod si (10) aliqui fuerint judicandi hęretici, vel incarcerationis pęna perpetuę alicui pro hujusmodi crimine fuerit infligenda, per vos ad id, de Dięcesanorum, vel Vicariorum suorum, si, Dięcesanis ipsis absentibus, pręsentes fuerint, consilio procedatur, ut in tantę animadversionis judicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat. Verum quia in tam gravi crimine cum multa oporteat cautela procedi, ut in eos sine ullo proferatur errore durę, ac dignę severitas ultionis, volumus, & mandamus, ut vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos in examinatione testium, quos recipi super crimine prędicto, ipsumque contingentibus oportuerit, adhibeatis duas religiosas, & discretas personas. in quarum pręsentia per publicam, si commode potest haberi (11), personam, aut per duos viros idoneos, fideliter eorundem depositiones testium conscribantur. Quod si testibus, quos a vobis recipi, vel alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorundem videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete, coram aliquibus personis providis, & honestis, religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur. Et sic, non obstante, quod illis contra quos hujusmodi testes deposuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem judicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem. Ut ergo commissi vobis officii debitum utilius, & liberius exequamini, committendi citationes, & testium examinationes, cum de hujusmodi crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, & denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis; Accersendi quoque, prout expedieris, peritos quoslibet, ut vobis in ferendis hujusmodi sententiis prębeant consilium opportunum, ac vobis assistant; Convocandi etiam Clerum, & Populum, Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio Fidei videritis expedire: Insuper in dicto negotio de plano, & absque judiciorum, & Advocatorum strepitu, ac contra illos, quos in prędictis partibus in hęreseos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi: Necnon faciendi vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quibus inquisitiones factę, & processus, per quoscunque auctoritate Sedis Apostolicę, vel Legatorum ejus habiti, contra hęreticos, continentur, a quibuslibet assignari, & observari omnia statuta tam per Sedem Apostolicam, quam in Conciliis Legatorum (12) ejusdem Sedis provide edita, quę negotium catholicę fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii, & augmentationi fidei fuerit opportunum: Privandi pręterea, de Dięcesanorum, vel, eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, hęreticos eosdem (13), credentes (14), receptatores, fautores, & defensores, eorumque filios, & nepotes personatibus, dignitatibus, ac beneficiis ecclesiasticis, & officiis publicis, ac honoribus quibuscunque: Necnon & largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pęnitentibus, & confessis, qui ad vestram convocationem, propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis, & singulis vestrum pręsentium tenore facultas. Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quę succurrentibus Terrę Sanctę in generali Concilio (15) est concessa: Sociis vero Fratribus vestri Ordinis, & Notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione hujusmodi negotii laboraverint, & omnibus qui personaliter vobis astiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum ex animo vobis pręstiterint consilium, auxilium, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi tres annos de injunctis sibi pęnitentiis relaxamus. Et si qui ex iis in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus. Compescendi pręterea, monitione pręmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, prędicatores quęstuarios a Prędicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forte habent, exponere, liberam vobis, & singulis vestrum concedimus auctoritate pręsentium facultatem. Ceterum si forte, quod non credimus, aliqui cujuscunque conditionis huic negotio vobis commisso se op-

Margin notes:

Ipsos hortatur ut hæreticos insequantur.

Clausula derogans.

Deponentes errores ab hæretica labe solvendi.

De Diœcesanorum consilio damnatorium judicium in hæreticos pronuntiandum.

Quomodo testes sint expendendi.

Quemlibet auxilio vocare poterunt Fidei Censores.

Disceptatione compendiaria in hæreticos Inquirendum.

Diurnis actis quæstiones omnes in hæreticos institutæ mandandæ.

Hæretici, & hæreseos affines ab omni munere dimittendi.

Indulgentia ab Inquisitoribus concedenda, & obtinenda.

Quæstuarii compescendi.

ſe opponere, ſeu illud pręſumpſerint aliquatenus impedire, ut non poſſit procedi libere in eodem, immo niſi requiſiti illud foverint, & juxta officium, & poſſe ſuum ſinguli juverint ſtudioſe, contra eos tanquam contra hereticorum fautores, & defenſores, ſecundum ſanctiones canonicas, freti eadem auctoritate intrepide procedatis. Denique ut circa premiſſa vobis plene, & ſingulis veſtrum coertionis expedita, & inviolabilis adſit auctoritas, volumus, ut ea omnia utiliter exequamini, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, quibuſcunque perſonis cujuſvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, vel Ordinis, & pręſertim Ciſtercien., Prędicatorum, Minorum, ſeu Eremitarum, ſive Communitatibus, vel Univerſitatibus Civitatum, & locorum ſpecialiter, vel generaliter ſub quacunque verborum expreſſione, vel forma a memorata Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipſarum, nequeat derogari, & illis maxime privilegiis, & indulgentiis, quibus ab ipſa Sede conceſſum eſt aliquibus, ſeu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipſorum Terrę ſupponi non poſſint eccleſiaſtico Interdicto, aut quod prędictorum, vel aliorum quorumlibet Ordinum Fratres ad executiones negotiorum, aut ad citationes quorumlibet, ſive denuntiationes ſententiarum excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, auctoritate literarum Apoſtolicarum minime cogi poſſint, niſi de ipſorum Ordinibus, & privilegiis, vel indulgentiis, eis ſuper hoc a Sede conceſſis eadem, habeatur in eiſdem literis mentio ſpecialis, cum ex hujuſmodi, vel aliis privilegiis, & indulgentiis nullum vobis in tantę pietatis negotio velimus obſtaculum interponi, & Conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio (16) generali. Datum apud Montem Flaſconem V Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Auxiliarem manum Fidei Cenſoribus negantes puniendi.

Clauſula derogans.

1. *Donat.*) Ut in *Diſſertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Barchinone* aſſervato in Cœnobio *S. Catharinæ*. Idem Diploma tranſcripſit *Eymericus Director. Inquiſitor. II Parte pag.* 137.
3. *Conſternendá.*) *Eymericus* legit: *Conterenda*.
4. *Conſtruant.*) Idem: *Conſtruxerant*.
5. *Diffuſus.*) Ex eodem: *Diffuſius*.
6. *Ut autem.*) Conſentit *Caput XI* -Ut officium- *in ſexto Decretal. lib. V Tit. II*, quo eaſdem fere leges hocce Diplomate latas, ſancivit *Clemens IV*.
7. *Si quos.*) Conſule *Caput* - Ad abolendam- & *Caput*- Excommunicamus- *Tit. VII de hæreticis lib. V Decretal.*
8. *Per hoc.*) Vide *Caput* - Per hoc- *in ſexto Decretal. lib. V Tit. II*.
9. *Si vero.*) Idem legitur *Capite XI §.* - Si vero- *Sexto Decret. lib. V Tit. II*.
10. *Quod Si.*) Conſule *Clement. lib. V Tit. III de hæreticis Cap. I §.* Propter quod.
11. *Poteſt haberi.*) *Eymericus* ſcripſit: *Poteſtis habere*.
12. *Legatorum.*) Hanc vocem ſpernit *Eymericus*, & obſoletam putat, *Alias* inquit, *in Conciliis Legatorum*.
13. *Eoſdem.*) *Eymericus* legit: *Eorundem*.
14. *Credentes.*) De quibus *Annotatione XLII in Bullam datam XXXI Octobr. MCCXLIII.*
15. *Concilio.*) *Lugdunenſi I Capit XVII.*
16. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXXVII.*

Provinciali Hiſpaniæ, ut Fidei cenſores creare, & ipſos a munere dimovere poſſit (1).

Anno 1262 Die 1 Auguſti.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. A. folio* 545.

XXV.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Prędicatorum in Hiſpania, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRę cunctis noſtrę mentis deſiderabilibus &c. (3). Providimus igitur ibidem ad pręſens perſonas aliquas circumſpectas pro tanto negotio deputari, quarum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ut ſacro ipſarum miniſterio pręfatę partes ab hujuſmodi contagiis expurgentur. Verum quia de prudentię tuę induſtria firmam in Domino fiduciam obtinemus, ad ejuſdem Regis (4) inſtantiam diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta, firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus, de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum tui Ordinis eligas duos de Fratribus ejuſdem Ordinis tuę Provincię idoneos ad hujuſmodi opus dominicum exequendum, eiſque in virtute obedientię, diſtricte Apoſtolica pręcipere auctoritate procures, ut Inquiſitionis officium in ipſis partibus contra hereticos, credentes (5), fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis literis (6) expreſſam, quas Fratribus prędicti Ordinis inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis in eiſdem partibus deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus, ſuper exequendo dicto Inquiſitionis officio deſtinamus, exequi ſtudeant diligenter. Nos enim prędictos duos Fratres, quos ad hoc elegeris, & utrumque ipſorum, pręfatum officium exequi juxta formam in literis ipſis expreſſam, ac ipſos illam poteſtatem, & auctoritatem plenarie habere volumus, quę in eiſdem literis continetur. Si vero aliquem Inquiſitorum hujuſmodi ex aliqua forte cauſa, nonnunquam fore videris amovendum, ipſum amoveas, & ſubſtituas loco ejus alium, quem ſimilem poteſtatem, & auctoritatem habere volumus, quotiens tibi, deliberatione cum aliquibus diſcretis Fratribus dicti Ordinis pręhabita, hoc fore videbitur faciendum. Et ſi aliquem, vel aliquos Inquiſitorum ipſorum decedere forte contigerit, Nos ſubſtituendi, de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum ejuſdem Ordinis, alium, vel alios, loco illius, vel illorum qui deceſſerint, ita quod hujuſmodi ſubſtituti, eiſdem omnino auctoritate ac poteſtate fungantur, tibi plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum apud Montem Flaſconem Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium.

Conceſſio.

1. *Poſſit.*) Ut in *Diſſertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ* aſſervato.
3. *Deſiderabilibus &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verba: *Efficaciter promovendum*.
4. *Regis.*) Nota, rogatu Regis *Jacobi I* conceſſum fuiſſe hocce Diploma.
5. *Credentes.*) Vide *Notam XLII in Diploma datum XXXI Octobr. MCCXLIII.*
6. *Literis.*) Præcedentibus.

Inqui-

Anno 1262 Die 4 Augusti.

Inquisitoribus Aragoniæ, ut a Censuris Ecclesiasticis mutue se solvere possint (1).

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 541.

XXVI.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Regno, & dominio carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum deputatis a Sancta Sede Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

UT negotium fidei valeatis liberius promovere, vobis auctoritate pręsentium indulgemus, ut si vos, & Fratres vestri Ordinis Socios vestros excommunicationis sententiam, & irregularitatem incurrere aliquibus casibus ex humana fragilitate contingat, vel recolatis eam incurrisse, quia propter injunctum vobis officium ad Priores vestros de levi super hoc recurrere non potestis, mutuo vos super his absolvere, juxta formam Ecclesię, & vobiscum auctoritate nostra dispensare possitis in casibus in quibus dictis Prioribus, ut dicitur, est ab Apostolica Sede concessum. Nulli ergo &c. Nostrę concessionis &c. Datum apud Montem Flasconem II Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Possint.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod habes in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen*. Ejusdem meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXII num. III*. Legitur in *Bullario Romano*. *Est VIII*. Idem habet *Eymericus Director. Inquisitor. Parte II pag.* 141.

Anno 1262 Die 4 Augusti.

Inquisitoribus Aragoniæ, ne quis ipsos, ipsorumve Notarios Censuris Ecclesiasticis devinciat (1).

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. folio 546.

XXVII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Regno & dominio carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum deputatis a Sancta Sede Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NE Inquisitionis negotium &c. (3). Datum apud Montem Flasconem II Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Devinciat*. Legenda *Dissertatio I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum est in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen*. Idem Diploma exscripserunt *Eymericus in Directorio Inquisitor. Parte II pag.* 140, *Cherubinus in Bullario Romano*. Est *IV*. Ipsius meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXII num. III*.
3. *Negotium &c.*) Ut in *Diplomate dato XVIII April. MCCLIX*.

Anno 1262 Die 25 Augusti.

Quinam ad testimonium contra suspectos hæreseos sint vocandi, ex Alexandri IV Diplomate declarat (1).

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 547.

XXVIII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Regno, & dominio carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Aragonum auctoritate Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid hac de re decreverit Alexander IV.

OLim ex parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum Inquisitorum hęreticę pravitatis in Tolosa, & aliis terris nobilis viri A. . . (4) Comitis Pictavien. felicis recordationis A. . . . . (5) Papę Prędecessori nostro exposito (6), quod nonnulli de partibus, ubi eis contra hęreticos Inquisitionis officium est commissum, in mortis articulo constituti, salutis medicum abhorrentes, consolatores (7) hęreticos ad se introduci faciunt, & ab eis per impositionem manus desolationis suę consolationem accipiunt secundum pessimam consuetudinem eorundem. Sed filii, & hęredes sic decedentium, propter hoc exhęreditari timentes, ac volentes ob id eorum malitiam excusare, proponunt, se velle probare per Testes, quod iidem, quando recipiebant consolationem hujusmodi, loquelam amiserant, & erant alienati a mente, cum moris sit apud eos, ut dicitur, quod nullum taliter consolentur, qui non sit sanę mentis, & memoriam habeat ordinatam. Ac super hoc eodem Prędecessore consulto ab eisdem Inquisitoribus, utrum tales debeant probationes admitti, idem Prędecessor eis duxit per suas Literas (8) taliter respondendum, ut si legitime constiterit, quod prędicti, dum sanę mentis essent, petierint hęreticos Consolatores, sicque viam fuerint universę carnis ingressi, licet consolationem hujusmodi, immo verius desolationem, non sanę mentis effecti, vel post jam perditam loquelam suscepisse dicantur, nulla super hoc probatio admittatur, cum

cum in nullo sic decedentes debeant propterea relevari. In dubio vero admitti poterit, non tamen Uxores, vel filii, seu familiares, aut de suis aliqui ad hoc probandum recipiantur in testimonium, sed alii testes idonei, & specialiter fidei zelatores, cum contra tales sit non modicum presumendum, sitque in talibus propter Fidei privilegium cum multa cautela, summaque diligentia, pre ceteris negotiis procedendum. Vos igitur in hac parte, juxta ipsius Predecessoris responsionem, commissum vobis negotium Fidei sic prudenter, & fideliter exequi procuretis, quod labor vester vobis ad vite premium, & aliis ad salutem, que solum in talibus queritur, proficiat animarum. Datum apud Montem Flasconem XII Kal. Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo. Declarat ut supra.

1. *Declarat.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod asservatur *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ.* Idem leges apud *Eymericum Director. Inquisitor. Parte II pag.* 141.
3. *Tolosa.*) Eymericus legit: *Catalonia*, & in margine: *Alias*, inquit, *Tolosa.*
4. *A...*) *Alfonsi.*
5. *A...*) *Alexandro IV.*
6. *Exposito.*) Ex Eymerico: *Expositum fuit.*
7. *Consolatores.*) Legendus *Petrus Vallium Cernai Histor. Albigen. Cap. II.* Adeas etiam *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLVIII num. XXIV &c.* ubi de *Consolatoribus* istis loquens, *Insana*, inquit, *illa opinio apud ejus temporis hæreticos vigebat .... ut crederent, salutem certissime adepturos, si qui ex iis, quos perfectos vocabant, morientibus manum imposuissent, atque Orationem Dominicam repetiisset, omniaque scelera, quantumvis immania, hoc facto penitus deletum iri. Hujusmodi vero superstitiosum ac vesanum ritum Consolationem vocitare consueverunt, quod morituri, eo usurpato, apicem felicitatis attigisse existimarent.* Ex numero *XXVIII* ex nostro *Raynerio*, auctore coævo, de iisdem hæc habet: *Quando autem aliquem in extremo vitæ periculo recipere volunt* (hæretici), *dant ei optionem, utrum velit in Regno Cælorum esse cum Sanctis Martyribus, vel Confessoribus. Si autem elegerit Statum Martyrum, tunc manutergio ad hoc specialiter deputato, quod Teutonice vocatur Brettextuch, ipsum strangulant, ostio super eum clauso. Si autem Confessorum elegerit, tunc post manus impositionem nil dant ei ad esum, nec purum aquam ad bibendum, & ita fame ipsum periment. Hæc erat infanda hæreticorum consolatio, quæ in carnificinam desinebat, subtili dæmonis commento, ne quis eorum, qui hæreticos accersivisset, ex cruentis ejus manibus evaderet.*
8. *Literas.*) Desiderantur.

Inquisitoribus ad quædam quæsita respondet (1).

Anno 1262 Die 21 Augusti.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. B. fol.* 541.

XXIX.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Predicatorum, Inquisitoribus heretice pravitatis, in Regno & dominio carissimi in Christo filii nostri .... illustris Regis Aragonum auctoritate Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Consultus felicis recordationis Alexander Papa Predecessor noster super articulis infrascriptis Fidei causam contingentibus ab Inquisitoribus pravitatis heretice in partibus Tolosanis a Sede Apostolica deputatis, per suas literas (3) respondit eisdem. Cujus utique responsionem presentibus de verbo ad verbum duximus adnotandum, que talis est. Quod super nonnullis &c (4). Vos igitur in premissis commissum vobis negotium in Regno, & dominio carissimi in Christo filii nostri .... illustris Regis Aragonum juxta dicti Predecessoris responsionem sic prudenter, & fideliter exequi procuretis, sic ad ea pure propter Deum, cujus causam geritis, vestra feratur intentio, quod labor vester vobis ad vite premium, & aliis ad salutem, que solum in talibus queritur, proficiat animarum. Datum apud Montem Flasconem XII Kalend. Septembris, Pontificatus nostri Anno Primo. Quæ hac de re respondit Alexander IV, refert.

1. *Respondet.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.* Meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXII num. III.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod extat in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.* Legitur etiam apud *Eymericum Director. Inquisit. Parte II pag.* 141.
3. *Literas.*) Datas *X Januar. MCCLX.*
4. *Nonnullis &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc usque verba. *A suo judice puniendos.*

Ut Fratres, qui hospitii Pauperum, ex testamento Cardinalis Capoccii Romæ construendi, curam suscipiant, delegentur, & Summi Pontificis conspectum subeant (1).

Anno 1262 Die 25 Octobris.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. A. fol.* 948.

XXX.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori (3) Predicatorum Roman., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Significaverunt Nobis ven. Frater O.. (4) Tusculanus Episcopus, ac dilectus filius noster I.. (5) Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinales, quod bo. me. P... (6) Sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis eos sui Testamenti Executores constituens, nonnulla de bonis suis quampluribus Ecclesiis (7), & familie sue in ultima voluntate legavit, ordinans, quod de omnibus aliis suis bonis mobilibus, seseque moventibus, detractis ex eisdem omnibus debitis, & ceteris, ad quorum satisfactionem de jure quomodolibet teneretur, necnon & satisfacto de bonis ipsis mobilibus, illis quibus bona mobilia legaverat, in certo loco urbis fieret Hospitale, ac de predictis bonis mobilibus dotaretur: Unde ipsi Executores, quod (8) pietati paratur obsequium, cum voluntas ultima defunctorum impletur, dictum ceperunt exequi testamentum. Cum autem in camera dicti Testatoris nullam pecuniam invenissent, circa mercatores, penes quos pecunia dicti testatoris remanserat, exigendo hujusmodi pecuniam ab eis, non modicum laborarunt, de qua satisfecerunt, postquam habuerunt eandem, legatariis memoratis, & nonnullis aliis, qui ostendere potuerunt per legitima documenta testatorem eundem sibi fuisse in aliquo debi-

Hospitium pauperum Romæ construendum testamento caverat Petrus Capoccius.

debitorem. Demum vero procedentes ad executionem residui testamenti prędicti per dilectos filios Magistros P.... dictum Boniom Cancellarium Curonen., & Bernardum Ambianen. Canonicum, viros utique fideles, industrios, & discreros Capellanos eorum, illa, quę de bonis ipsius Testatoris tempore sui obitus in Urbe ad manus eorum, non absque multę diligentię studio, pervenerunt, & alia, quę habebantur Anagnię, diligenter vendi fecerunt, exceptis parvis ex rationabili causa retentis, quę vendita oon fuere, ac post varios processus per Apostolicam Sedem ad eorum instantiam diversis temporibus habitos contra illos, qui nonnulla de bonis pręlibati defuncti nequiter occuparant, aliqua recuperaverunt, quorum quędam jam sunt vendita per Capellanos eosdem, quędam vero adhuc vendenda supersunt: Ipsi quoque in exigendo pecuniam a debitoribus dicti testatoris, & a mercatoribus oominatis, quę remanserat apud eos, & in recipiendo quamplurium rationem, sive computum ab eisdem, & cum eorum aliquibus, & quampluribus aliis, dictum defunctum sibi debitorem esse, asserentibus, litigando, non modicos pertulere labores, facientes, olim priusquam fel. rec. Alexander (9) Papa Prędecessor noster ultima vice (10) ad dictam pervenisset urbem, pecuniam ipsam, quam de prędictis bonis venditis per Capellanos jam dictos, & aliam, quam habere ab eisdem mercatoribus, & debitoribus potuerunt, eorum consignatam sigillis, in quodam scrinio, cujus claves penes se retinerent, in Æde sacra deponi, ut de ipsa eisdem in Urbe pręsentibus, pręfatum posset Hospitale construi, & dotari. Verum licet iidem executores postmodum in eadem morantes Urbe, tam per se, quam per alios, diligentem circa id solicitudinem adhibere curaverint, tamen propter seditionem, quę tunc supervenit ibidem, quod intendebant super hoc, efficere nequiverunt, pręsertim quia cum ipsi executores circa idem negotium volentes uti ministerio fratrum Hospitalis S. Antonii Viennen. (11), per quos idem Testator Hospitali prędicto statuit deserviri, Magistrum Hospitalis ejusdem, ut aliquos ex fratribus suis ad eorum pręsentiam destinaret, pluries duxerint requirendum, ipse eos destinare neglexit: Ceterum cum ipsi pro expediendo ipsius executionis negotio suum ad Urbem reditum expectarunt, tandem attendentes, quod hujusmodi reditus de facili in brevi provenire non potest, & quod idem negotium posset multipliciter deperire, si differretur ejus executio donec contingerit eorum inibi pręsentiam interesse, necnon pensantes, quod, si etiam pręsentes essent ibidem, eidem negotio libere, sicut opportunum foret, per se vacare non possent, maxime cum assidue circa diversa, & ardua Sedis Apostolicę negotia necessario distrahantur, nobis cum instantia supplicarunt, ut tam eis, quam dicto negotio providere salubriter curaremus, quod in eodem restat agendum negotio, personis idoneis committendo, quibus eorum consilium, & auxilium, in his quę ad expeditionem ipsius viderint opportuna, subtrahere non intendunt. Nos itaque nolentes, ut amplius ipsius negotii executio differatur, dictorum Executorum supplicationibus inclinati, de eorum consilio sic duximus providendum, ut quatuor personis fide dignis in Urbe commorantibus supradicta, per vos idem negotium committatur; ita quod tres ex ipsis in eo procedere minime valeant sine quarta; Quocirca discretioni vestrę per Apostolica
Mandat ut supra. scripta, in virtute sanctę obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus vos, filii Rectores, de discretorum Clericorum unum Clericum, vosque, filii Priores, & Guardiane, singuli vestrum, videlicet Conventuum vestrorum consilio, Fratres vestrorum Ordinum, viros fideles, idoneos, industrios, & circumspectos, dicto negotio deputandos infra octo dies a receptione pręsentium, assumere procuretis, sic autem assumptis, statim auctoritate nostra sub obedientię debito districtius injungatis, quod ipsi infra totidem alios dies immediate sequentes nostro se conspectui prę sentent, super premissis Commissionem a oobis sub forma, quam eis duxerimus pręscribendam, & a prędictis executoribus tam pecuniam memoratam, quam deponi fecerunt, quam alia, quę remanserunt penes eosdem, ut superius est expressum, necnon & instructionem ab eis, & dictis Capellanis eorum super rationibus, & computis jam habitis cum mercatoribus pręlibatis, ac aliis quę in eodem negotio sunt peracta, ut ex ipsis scire valeant, quę recipienda, & agenda supersunt, pręsentialiter recepturi, quibus pro expensis, quas in veniendo ad nos duxerint faciendas, de bonis Testatoris ejusdem satisfieri faciemus omnino, namque nostrę, & dictorum executorum intentionis existit, ut ulterius ad constructionem Hospitalis prędicti, absque dilatione qualibet procedatur. Volumus insuper, & mandamus, quod si quam ex illis quatuor personis, quas, ut dictum est, duxeritis assumendas, in prosecutione dicti negotii decedere, vel aliter impediri contigerit, alia ęque idonea, & fidelis, secundum formam pręmissam, auctoritate pręsentium subrogetur. Datum apud Urbem veterem VIII Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Subeant.*) Cum enim ex testamento *Petri Capoccii*, S. R. E. Diaconi Cardinalis, xenodochium *Romæ* juxta *Liberianam* Basilicam construendum foret, *præcepit Pontifex Rectoribus Romanæ fraternitatis*, verba sunt *Fontanæ* Monument. Dominican. Parte I Cap. V pag. 82, *Priori Conventus Prædicatorum, Guardiano Minorum, & Fratrum S. Augustini in* Urbe, *ut pro exequendo ... testamento ... quatuor personas ex seipsis* deligerent, hoc est, unam ex fraternitate, reliquas tres ex dictis Sacris Ordinibus.

2. *Archivo.*) *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXII num. IV* hujusce Diplomatis mentionem faciens citat *Epistolam XII.*

3. *Priori.*) Hanc inscriptionem mutilam esse, vel ex ipso Diplomate liquet, *discretioni vestræ*, inquit Urbanus *per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, filii Rectores, de Discretorum Clericorum unum Clericum, vosque, filii Priores & Guardiane &c.* Sic autem restitui posset ex *Bzovio* mox laudato: *Dilectis filiis Rectoribus Romanæ fraternitatis, Prædicatorum, & Eremitarum S. Augustini Prioribus, ac Guardiano Minorum Fratrum de Urbe, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

4. *O ...*) *Otho, sive Odo de Castro Rodulphi*, de quo *Ciaconius Tomo II ad an. MCCXLIII pag. 117.*

5. *J ...*) *Johannes Cajetanus* Ursinus, ut constat ex Inscriptione quam refert *Ciaconius pag. 127.*

6. *P. ...*) *Petrus Capoccius.*

7. *Ecclesiis.*) Quænam sint disces ex variis monumentis, de quibus *Ciaconius mox laudatus pag. 127.*

8. *Quod.*) Adderem: *Attendentes quod.*

9. *Alexander.*) *IV.*

10. *Ultima vice.*) Ter etenim *Anagniam* petiit *Alexander IV*: Anno scilicet MCCLV, Anno MCCLVI, & Anno MCCLIX, ut ex Bullis superius exscriptis videre est.

11. *Viennen.*) Galli, quorum pietatem in juvandis laborantibus igne sacro Urbs etiamnum celebrat, nec satis unquam miratus est, qui cœpit.

Pro-

Provinciali, ceterisque Provinciæ Lombardiæ Præpositis, ut Fidei Censoribus Fratres postulatos concedant (1).

Anno 1262 Die 26 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXI.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Provinciali, ac ceteris Conventualibus, Prioribus, Supprioribus, eorumque Vicariis, Ordinis Prędicatorum Lombardię, ac Marchię Januensis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NE Catholicę Fidei negotium, dilectis filiis Fratribus vestri Ordinis in Lombardia, & Marchia Januensi, infra designatos eis limites, Sedis Apostolicę auctoritate commissum, & in posterum committendum, ex personarum defectu contingat, quod absit, quomodolibet impediri: Volumus, & pręsentium vobis auctoritate, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus tu, fili Prior Provincialis, singulis ex prędictis Fratribus, singulos socios, Fratres videlicet ipsius Ordinis providos, & discretos, ac eidem negotio congruentes, de quibus hi, quibus assignati fuerint, merito valeant consolari, sublata difficultate qualibet, assignare procures, & nihilominus tam tu, quam vos alii Priores, Suppriores Conventuales, ac Vicarii, quoties ab eisdem Fratribus, quibus dictum est commissum negotium, ac committetur in posterum fueritis requisiti, & dicto negotio fuerit opportunum, de aliis etiam Fratribus ejusdem Ordinis, pręter illos, qui eis in socios deputati fuerint, cum omni promptitudine providere curetis: ita quod pręfatum negotium nullam ex negligentia vestra dilationem capiat, sed potius ex diligentia continuum suscipiat incrementum. Datum apud Urbem Veterem VII Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandatum.

1. *Concedant*. Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex authentico asservato Cremonæ. Legitur etiam apud *Pegnam ad calcem Directorii Inquisitor. pag. 54.*

Fidei Censoribus, ne Præpositis Ordini, negotio S. Officii se immiscentibus, morem gerant (1).

Anno 1262 Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Prędicatorum, & Minorum Ordinum, Inquisitoribus hereticę pravitatis per diversas Italię partes auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CAtholicę Fidei negotium, quod plurimum insidet cordi nostro, in vestris prosperari manibus, ac de bono in melius procedere, cupientes, ac volentes, omne ab eo impedimentum, omneque obstaculum removeri, pręsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus in eodem negotio de Divino, & Apostolico favore confisi, omni humano timore deposito, constanter, ac intrepide procedentes circa extirpandam hereticam pravitatem tam de Lombardia, & Tuscia, quam de omnibus aliis Italię partibus, cum omni vigilantia, omnique studio laboretis, & si forsan Magistri, & Ministri Generales, aliique Priores, & Ministri Provinciales, ac Custodes, seu Guardiani aliquorum locorum vestrorum Ordinum, pretextu quorumcunque privilegiorum, seu indulgentiarum ejusdem Sedis, dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis, vel vestrum alicui, seu aliquibus injunxerint, seu quoquomodo pręceperint, ut ad tempus, vel quoad certos singulos, certasve personas, negotio supersedeatis eidem, Nos vobis universis, & singulis, auctoritate Apostolica districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte, vel intendere quomodolibet pręsumatis. Nos enim privilegia, seu indulgentias hujusmodi, quatenus ad hunc articulum, tenore pręsentium, revocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos, vel vestrum aliquos, hac occasione, ferri contigerit, irritas prorsus decernimus, & inanes. Nam si prędicta Sedes interdum Prelatis aliquibus Ordinum vestrorum per suas literas sub certa forma committat, ut ad exercendum Inquisitionis officium contra hereticam pravitatem aliquos suorum Ordinum Fratres assumere valeant, ipsosque, cum expedire viderint, amovere, ac alios subrogare, non tamen per hoc, quod ipsis ea duntaxat de causa in hac parte committitur, quia de Fratrum suorum Ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam pręsumantur, alia eis super hujusmodi Inquisitionis negotio vobis immediate a prędicta Sede commisso, & committendo, facultas, vel jurisdictio attribuitur, seu potestas. Datum apud Urbem Veterem V Kal. Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Exordium. Inhibitio.

1. *Gerant*.) Consule *Dissertationem I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo, quod tenet Conventus *S. Eustorgii Mediolanen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1262 Die 2 Novembris.

Fidei Censoribus, ut quæ munus S. Officii spectant, ad Cardinalem S. Nicolai in Carcere Tulliano deferant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hereticę pravitatis in Lombardia, & Marchia Jannensi deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandat ut supra.

CUpientes, ut negotium Catholicę fidei, vobis, Sedis Apostolicę auctoritate, commissum, & in posterum committendum, feliciter in vestris manibus prosperetur, volumus, & presentium vobis auctoritate, districte prȩcipiendo, mandamus, quatenus in negotio eodem de Divino, & Apostolico favore confisi, diligenter, juxta formas super eo vobis traditas, procedentes, periculosa, & gravia impedimenta, quę in predicto negotio vobis emerserint, dilecto filio nostro Tit. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, quem eidem prȩfecimus negotio, significare curetis, super aliis vero impedimentis quibuslibet, quę, sive ex defectu sociorum, sive alias ex quacunque causa vobis in ipso negotio emergere forte contigerit, & personaliter, si opus fuerit, ad Cardinalem recurratis eundem, & per literas vestras, seu nuncios secure ipsi Cardinali omnia intimare curetis, ut nos, per eum sufficienter super premissis instructi, contra impedimenta hujusmodi provideamus de remediis opportunis; nostrę namque firmę ac stabilis intentionis existit, ut, quibuslibet obstaculis, & impedimentis omnino submotis, dictum negotium, quod plurimum insidet cordi nostro, felicem habeat, Domino auctore, progressum, ad laudem & gloriam Divini nominis, & Christianę Religionis augmentum. Datum apud Urbem Veterem IV Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Deferant.*) Hunc refert illud *Oldoini* apud *Ciacconium Vit. Pontif. & Cardinal.* Tomo *II* ad an. MCCLXI pag. 155. *Inquisitorum omnium caput, & quasi patronum constituit* (Urbanus IV) *Johannem Cajetanum Ursinum, Cardinalem S. Nicolai in Carcere, ne Inquisitoribus Italiæ, aliarumque Provinciarum, opus esset, gravibus difficultatibus occurrentibus, Summum Pontificem adire, sed per literas Cardinalem consulerent, qui graviora quæque cum Summo Pontifice consultaret.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *S. Eustorgii Mediolanen.* Aliud habes in Cœnobio *Cremonensi.* Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1263 Die 4 Januarii.

Quicquid, novi Cœnobii Tolosæ construendi causa, Tolosanus Episcopus fecerat, ratum habet, & firmat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Tolosan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

PEtitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod bonę memorię Tolosanus Episcopus vos olim pro salute fidelium in Civitate Tolosana voluit mansionem habere, ac tandem infra terminos Parochię Ecclesię S. Marię Deauratę, ad Abbatem, & Conventum Moisiacensis Monasterii Ordinis S. Benedicti, Caturcensis Diȩcesis, pertinentis, quamcitius potuit, collocavit; concedens vobis, ut infra eosdem terminos Ecclesiam construi faceretis, & officinas alias vestris usibus opportunas, ponendo primarium lapidem in eadem. Vos autem in eodem loco, per licentiam, & consensum hujusmodi, Ecclesiam, & officinas easdem construxistis postmodum, & jam in illis fere triginta annis pacifice habitastis. Nos itaque vestris petitionibus, & supplicationibus inclinati, ad instar fel. rec. Alexandri Prędecessoris nostri, quod super his ab eodem Episcopo factum est, ratum habentes, & gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, & prȩsentis scripti patrocinio communimus, defectum in eo forsitan qui extitit, quod ad hoc consensus Capituli sui, ac eorundem Abbatis, & Conventus, seu & Prioris Monachorum, & Rectoris ipsius Ecclesię, non accessit, supplentes de plenitudine potestatis Apostolicę. Nihilominus tenore prȩsentium vobis indulgemus, ut indulgentiis, & privilegiis vobis, & Ordini vestro concessis, necnon & approbatis ipsius Ordinis consuetudinibus ibidem competentibus, uti, & gaudere libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Datum apud Urbem Veterem II Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Confirmatio.

1. *Firmat.*) Vide *Constitutionem CCCI Alexandri IV Datam Laterani Idibus Aprilis, Pontificatus anno VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Tolosæ.* Plumbum sericis filis appenditur. Idem Diploma transcripsit *Percinus Monument. Conventus Tolosani ad an. MCCLXIII pag.* 58.

Privi-

Privilegia, quibus Prædecessores sui Ordinem nostrum donaverant, cuncta confirmat (1).

Anno 1263 Die 9 Februarii.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. pag. 94.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXV.

Cum a nobis petitur quod justum est & honestum, tam vigor ęquitatis, quam, ordo exigit rationis, ut id, per sollicitudinem officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates, & immunitates, a Romanis Pontificibus Prędecessoribus nostris, sive per Privilegia, seu alias indulgentias vobis, aut Ordini vestro concessas, sicut eas juste, & pacifice obtinetis, vobis & per vos (3), eadem auctoritate Apostolica, confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum apud Urbem Veterem V Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo. Confirmatio.

1. *Confirmat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, ex alio *Bononiæ* asservato. Istud *Theodoricus Cerviensis*, *Otto Mindensis*, & *Antonius Soranus* Episcopi comprobarunt die XII exeunte Julio, Indictione I, Anno MCCLXXIII.

3. *Vos.*) Addendum videtur; *Ordini vestro.*

Priori Prædicatorum, Guardiano Minorum Fratrum, ac Officiali Parisien., ut quandam pecuniam solvendam curent (1).

Anno 1263 Die 5 Iunii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 951.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum, ac Officiali Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVI.

Super exigendis certę pecunię summis a personis ecclesiasticis, & secularibus Regni Francię, Alemannię, & aliarum vicinarum partium, in quibus Civibus Senen. indevotis Ecclesię Romanę tenentur, & quadam parte de summis ipsis dilectis filiis Civibus Lucan. multa personarum, & rerum dispendia pro ejusdem Ecclesię devotione perpessis, in vestra pręsentia, & sub vestro testimonio assignanda, & aliis articulis dilecto filio Magistro Miloni Scriptori, & Nuncio nostro, foris Decano Brivacen., sub certa forma, dirigimus scripta nostra, quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus hujusmodi negotio, quoties opus fuerit, vestram pręsentiam commodetis, a quibus debitoribus pecuniam ipsam, & quantam, ac quo tempore contigerit exigi, & qui a solutione absolvantur ipsius, quibus quoque, ac quando eadem conferetur, per patentes litteras vestris, & prędicti Nuncii sigillis signatas, quantocius intimando; attentius provisuri ne aliquem contractum super absolutione alterius pecunię, quam dictarum sex millium marcarum nullatenus sieilletis, non obstantibus aliquibus indulgentiis, Ordinibus vestris, filii Prior, & Guardiane, ab Apostolica Sede concessis, continentibus, quod ipsorum Fratres exequi negotia, quę ipsis a Sede committuntur eadem, minime teneantur, & quacunque indulgentia ipsius Sedis, per quam effectus pręsentium impediri possit, vel quomodolibet retardari. Datum apud Urbem Veterem Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandatum. Clausula derogans.

1. *Curent.*) Cecidisse sub *Manfredi* tyrannidem *Florentinos*, & eadem clade *Lucenses*, qui cum ipsis expugnandarum *Senarum* spe profecti erant, involutos fuisse, testis est *S. Antoninus III Parte Tit. XIX Cap. VII §. III & IV.* Plures ex Lucensibus *strenui milites in Captivorum numerum, qui ad quatuor millia ascenderat, venerant*, verba sunt *Odorici Raynaldi ad annum MCCLXIII num. LXXIII*, in illos *Senenses ultionis appetitu efferati, crudeliores se præbuere, diris enim ipsos carceribus macerarunt, utque graviori ac intolerabili ære se redimerent, compulere.* Ut ergo damnum compenset, pecuniam *Senensium* ad *Lucensium* commodum convertendam, decernit Pontifex.

Priori Fratrum Prædicatorum Franciæ, ut auxilio sit Archiepiscopo Consentino S. Sedis Apostolicæ Legato (1).

Anno 1263 Die 5 Iunii.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 952.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XXXVII.

Cum venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Cusentinum &c. ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum illustrem Francorum Regem pro quibusdam &c. destinemus; discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Archiepiscopo per te, ac Fratres tui Ordinis in eisdem negotiis, cum super illis te requisierit, ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, constanter assistas, ac opportunum ei prębeas consilium, auxilium, & favorem, ita quod idem Archiepiscopus hujusmodi negotia efficacius exequi valeat, Nosque devotionis tuę promptitudinem digne exinde in Domino laudibus merito commendemus. Datum apud Urbem Veterem Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo. Mandat ut supra.

1. *Legato.*) Hujusce Legationis causam sic aperit *Odericus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIII. num. LXXVIII. *Legavit... Urbanus Cusentinum Archiepiscopum ad S. Ludovicum Francorum, & Henricum Anglorum Reges, ad Gallum* qui-

quidem, ut ipsum ad mittendum exercitu valido succinctum fratrem (Carolum) *promoveret; alterum vero ne amulationis studio rem disturbaret, obsisteretque una cum Edmundo filio .. ne Regni illius* (Siciliæ) *jura, qua tueri non poterant, in Carolum Andegavia, & Provincia Comitem, transfunderentur. Graves enim ii querelas effuderant, eripi Anglicana genti post tot profusos sumptus sceptrum Siculum, ut in Gallos traduceretur. Quos Urbanus blande admonuit, jactatas injuria eas querelas, totiusque Siculorum rerum successus seriem exposuit, acceptas conditiones non implevisse: Manfredi vero Tyrannidem adeo augeri, atque opprimi Ecclesiam, ut illa diutius strenuo defensore carere non possit. Atque eu videntur ardua negotia, qua Pontifex Cusentino Archiepiscopo cum Henrico Rege agitunda demandasse, scripsit in iis Literis, quibus Regem ipsum, ex adversa valetudine recreatum, est gratulatus.* De iisdem negotiis agi hoc in Diplomate, nullus dubito, licet ea quæ desunt nondum invenerim.

Anno 1263
Die 25 Iunii.

Callienses ab excommunicatione solvendos, ipsorumque Episcopum (1) ad Episcopalem Sedem reducendum decernit (2).

Ex Ughello in Episcop. Callien. Tomo II Italiæ Sacræ Edit. II pag. 817.

XXXVIII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Petro de Ferentino, dilecto Romano, Capellano nostro, Ducatus Spoletini Rectori, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

ILlum circa filios Sancta Mater Ecclesia servat pietatis affectum, ut ii, qui sub continua filiali reverentia, ut condecet, obsequatur (3), beneficia grandia largiatur, ac illos qui post inobedientiam, & indevotionem, cuius devote mandatis & beneplacitis se committunt, a sua gratia non repellens, propitiationis sinum, ac misericordiæ januam benignius illis pandat. Sane nobilis vir Potestas, Commune, & Consilium Civitatis Calliensis ad gremium ipsius Ecclesiæ, a quo diabolica fraude seducti, damnabiliter recesserunt, sano ducti consilio, revertentes, a nobis devotione humili postulaverunt, ut ipsos ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerant, absolvi, ac interdictum, cui prædicta Civitas, necnon & Calliensis Diœcesis sunt hoc prætextu suppositæ, relaxari de benienitate solita faceremus, dilectis filiis Perusinis, nobis & Ecclesiæ prædictæ fidelibus, suarum precum instantia super hoc apud nos efficaciter insistentibus pro eisdem. Nos igitur, qui ad exemplar illius, qui cum iratus fuerit, misereri non obliviscatur (4), faciles ad veniam, salvo tamen justitiæ moderamine, cupimus inveniri, quique convertentibus se ad salutis semitas, libenter manum adjutricem porrigimus, ipsos ad reconciliationis gratiam clementer admittimus, & hujusmodi eorum petitionibus favorabiliter duximus annuendum: discretioni tuæ, de qua, per familiarem experientiam approbatam, plane confidimus, præsentium auctoritate, præcipiendo, mandamus, quatenus ad Civitatem prædictam, ad quam propter hoc destinandum providimus, accedas personaliter, prædictos Potestatem, Consilium, & Commune, ac universos & singulos de ipso Communi, necnon judicem & tabellionem ipsius Potestatis, & omnes Officiales Potestatis ejusdem, & Clericos, auctoritate nostra ab hujusmodi sententia excommunicationis absolvas, interdictum relaxes, ac insuper venerabilem Fratrem nostrum Calliensem Episcopum, ad Episcopalem Sedem Calliensem reducas, memoratam Civitatem Pontificali gaudere facias dignitate. Volumus autem, ut circa prædictam absolutionem infrascriptam formam absolvas (5); videlicet quod nominati Potestas, Consilium, & Commune, ac eorum quilibet, necnon Judex, Tabellio, Officiales, & Clerici prædicti ante omnia jurent, quod Ecclesiæ mandatis parebunt, eisque mandes, sub debito præstiti juramenti, quod de cetero præfato Manfredo nullum omnino favorem, consilium, vel auxilium, exhibebunt publice, vel occulte; quodque ab ipso nec literas, nec nuncios, nec munera quæcunque recipient, neque sibi mittere attemptent, quandiu ipse Manfredus in excommunicatione lata contra ipsum duxerit persistendum, & nihilominus, a prædictis omnibus, & eorum singulis, nostro & Ecclesiæ prædictæ nomine, fidelitatis debitæ recipias juramentum, salvis aliis mandatis nostris. Tu autem illam in hac parte solicitudinem & diligentiam studeas adhibere, quod te possimus proinde merito commendare. Datum apud Urbem Veterem VII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Calliensium supplex petitio.

Decernit ut supra.

1. *Episcopum.*) Is erat *F. Morandus de Signia*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV, & in alia ad Pontificatum Clementis IV.*

2. *Decernit.*) *Vix enim Morandus suam Ecclesiam administrandam acceperat*, inquit *Ughellus* supra laudatus pag. 806, *cum maxima ortu dissensio, Gibellina factio mirum in modum Calliensem civitatem divexavit, pueresque Manfredi Tarentini Romana Ecclesia perduellis amplexatu, Guelphos exegit, & Urbanum IV Pontificem Maximum ad justam provocavit iram, qui ita incensus, factiosos cives sibi rebelles selo religionis devovit, civitatem ac Diœcesim ecclesiastico supposuit interdicto, eamque Episcopali dignitate privavit: jussit, Episcopum apud Eugubinos exulare, quos per Apostolica scripta tanquam perpetua dignitatis amulos in eam provocaverat. Unus omnino unnus lapsus, antequam Callienses ad cor redirent, tandem Monaldi* (Morandi) *Episcopi monitis flexi, Manfredum abjurarunt, Romana Ecclesia imperium, & Urbanum Pontificem adorarunt, a quo, intercedentibus amicis Perusinis, benigne sunt recepti, pristina dignitati, ac communioni fidelium misericorditer restituti, itaut etiam impetrare potuerint, ut Civitati Episcopalis dignitas, & Sedi Episcopali proprius restitueretur Præsul. Urbanus animi sui affectum planius, & plenius iis gratiosis significavit literis, ad Petrum de Ferentino Ducatus Spoleti Rectorem scribens.*

3. *Ut ii, qui sub continua filiali reverentia, ut condecet, obsequatur.*) Sic librarius. Legendum videtur: *Ut iis, qui sub continua filiali reverentia, ut condecet, obsequuntur.*

4. *Obliviscatur.*) Fortassis: *Obliviscitur.*

5. *Absolvas.*) Nonne melius: *Observes?*

Pro

Provinciali Tusciæ, ut Lucenses a bello deterreat, ipsosque ac Pisanos in pristinam concordiam reducat (1).

Anno 1263 Die 31 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 953.

XXXIX.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum in Tuscia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Dilecti filii Frater Mansuetus (2) Ordinis Minorum, Capellanus, & Pęnitentiarius, ac nobilis Vir Sigerius de Salletta (3) Marescallus nostri, quos nuper ad Civitatem Pisanam transmisimus, sicut nobis, pro negotio pacis inter eandem Pisan., & Lucan. Civitates, auctore Domino, reformando, nobis per tuas (4) literas intimarunt, quod cum ipsi cępissent hujusmodi, commissum eis, tractare negotium, & verba eorum benigne satis a Communi Pisan. recepta, & accepta fuissent, tandem prędictum negotium, quod jam prospectum cęperat habere progressum, ea occasione extitit impeditum, quod Commune Lucan., sicut publica & veridica fama vulgavit, Castrum Aginulphi, Lunen. (5) Dięcesis, quod Pisani possident, dura obsidione, suis undique collectis viribus, vallaverunt. Cum igitur nos impedimentum hujusmodi velimus penitus amoveri, ut, eo submoto, dictum negotium speratum, Deo favente, sortiatur effectum mandamus, quatenus apud Commune, ac Cives Lucan., quibus super hoc specialiter scribimus, per te, ac tuos consanguineos, & amicos, diligenter, & ferventer insistas, ut sublato cujuslibet difficultatis, & dilationis obstaculo, ab ipsius Castri obsidione recedant, & ad propria revertantur; ita quod inchoatus jam super negotio prędicto tractatus, processum laudabilem, & exitum valeat habere felicem; nos enim Communi, & Populo Pisano, qui jam contra Civitatem Lucan. exercitum congregare dicuntur, nostris sub certa forma damus literis in mandatis, ut ab hujusmodi exercitus congregatione omnino desistant, nullamque dictę civitati Lucan. molestiam inferant, vel offensam. Et quia tu conditionum illarum partium notitiam obtines pleniorem, volumus, ut nostras, quas prędicto Communi Lucan. super hoc mittimus literas, eidem Communi presentari facias, si videris expedire. Datum apud Urbem Veterem II Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Reducat.*) Ut bellum, quod *Pisanis* cum *Lucensibus* erat, componeret, pacis Oratores jam legaverat Pontifex, ut videre est ex *Oderico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIII. num. LXXV.*, & ex *Vuaddingo Annal. Minor. Tomo II ad eundem annum pag. 261*, sed Oratorum consiliis impedimento erat obsidio, qua Castrum *Aginulphium* cingebant *Lucenses*; ut igitur isti solvant obsidium, & pacem det, Priorem Provincialem *Tusciæ* delegat *Urbanus*.

2. *Mansuetus.*) Vir doctus & magnis obeundis rebus idoneus, de quo *Vuaddingus* mox laudatus.

3. *Sigerius de Salleta.*) Hunc *Oderici* librarius *Sigerum* a *Saxen* nuncupat, nec distinguit a Prædicatorum Fratrum Priore.

4. *Tuas.*) Forsitan: *suas*.

5. *Lunen.*) *Luna* fuit urbs *Hetruriæ* in *Liguriæ* confinio ad ostia *Macræ* fluvii. Hodie appellatur *Pontremoli*, oppidum parvum quidem, sed opulentum. Ipsi *Sarzana*, quæ nova *Luna* dici potest, ad tria Milliaria in Episcopali dignitate successit.

Priori Prædicatorum, Guardiano Minorum, ac Officiali Parisien., ut quandam pecuniam solvendam, & in custodiam tradendam curent (1).

Anno 1263 Die 23 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 965.

XL.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum, ac Officiali Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Super exigenda summa quatuor millium marcarum sterlingorum (2) a personis Ecclesiasticis, & Secularibus Francię, Anglię, Alemannię, & aliarum vicinarum partium, in quibus civibus Senen. indevotis Ecclesię Romanę tenentur, & duobus millibus marcarum ex ipsis Procuratori dilectorum filiorum hominum de Radicofano (3) nostrorum fidelium, pro satisfactione damnorum, quę iidem Cives intulerunt eisdem, assignandis, necnon super residuis duobus millibus marcarum, deponendis nostro nomine in aliquo tuto loco in vestra pręsentia, & sub vestro testimonio, & aliis articulis, dilecto filio Magistro Miloni Scriptori, & Nuncio nostro in Francię, & Anglię Regnis, sub certa forma, dirigimus scripta nostra. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica Scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus hujusmodi negotio, quoties opus fuerit, vestram pręsentiam commodetis, nobis a quibus debitoribus pecuniam ipsam, & quantam, & quo tempore contigerit exigi, & qui a solutione absolventur ipsius, quibus quoque, & quando conferentur ex ea duo milia, & ubi deponentur residua per patentes literas, vestris, & prędicti Nuncii sigillis signatas, quantocius intimando; attentius provisuri, ne aliquem contractum super absolutione alterius pecunię, quam prędictarum quatuor millium marcarum, aliquatenus sigilletis, non obstantibus aliquibus Indulgentiis Ordinibus vestris, filii Prior, & Guardiane, ab Apostolica Sede concessis, continentibus quod ipsorum Fratres exequi negotia, quę ipsis a Sede committuntur eosdem minime teneantur. & quacunque alia indulgentia Ipsius Sedis, per quam effectus pręsentium impediri possit, & quomodolibet retardari. Datum apud Urbem Veterem X Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Curent.*) Ut supra V Junii.

2. *Sterlingorum.*) Nummorum species sic, etiam nunc, ab *Anglis* vocata.

3. *Radicofano.* In *Tuscia*.

Fratri

Anno 1263 Die 28 Octobris.

Fratri Antonio de Celano, ut inquirat (1) in Nicolaum de Fossa, qui Episcopatum contra leges inierat.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 966.

XLI.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Antonio de Celano Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ne quis Manfredi gratia & auctoritate Beneficia Ecclesiastica adipisceretur, caverat Alexander IV.

OLim fel. record. Alexander Papa Prędecessor noster cunctis personis Ecclesiasticis, Secularibus, & Regularibus duxit generaliter & solemniter inhibendum, ne in Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Ecclesiis, aut Monasteriis Regni Sicilię exemptis, & non exemptis, per Manfre (2) quondam Principem Tarentin., seu per Officiales, aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato, vel favore, sive per electionem, sive per postulationem, aut alias quoquo modo se facerent, aut procurarent, seu paterentur intrudi, nec Ecclesiarum, vel Monasteriorum hujusmodi administrationem ab ipso Manfre, vel ejus Officialibus, seu fautoribus, aut alio quocunque reciperent, sine Apostolicę Sedis mandato, aut licentia speciali; decernens, omnes illos, qui secus agerent, eo ipso excommunicationis, depositionis, & degradationis, quas ex tunc protulit sententias, incurrere, & nihilominus ipsos omnibus Dignitatibus, sive Personatibus, & Beneficiis suis ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura, Apostolica auctoritate privavit, & statuit, ut nullus ipsorum ad Pontificales, vel alias Dignitates quascunque, seu ad Personatus, vel alia Ecclesiastica Beneficia promoveri valerent. concedens illis ad quos sine sui Ordinaria, seu ipsius Prędecessoris speciali, sive Legatorum dictę Sedis auctoritate, Dignitatum, Personatuum, & Beneficiorum ipsorum spectaret collatio, conferendi ea personis idoneis, liberam facultatem; similes quoque sententias, atque pęnas omnes illos incurrere voluit. qui Archiepiscopales, vel Episcopales Ecclesias, aut Monasteria dicti Regni, taliter receperant, & occupata tenebant, nisi illa infra duos menses ex tunc computandos omnino dimitterent, illaque libere resignarent. Nos etiam postquam Summi Sacerdotii Cathedram, divina dispositione, conscendimus, hujusmodi ejusdem Prędecessoris processum ratum habentes, & firmum illum auctoritate Apostolica duximus confirmandum; sed Nicolaus de Fossa, qui pro Episcopo Theatino se gerit, post talem ejusdem Prędecessoris processum, sententiis, & pęnis hujusmodi omnino contemptis, in Ecclesia Theatina per prędictum Manfre, vel per Officiales, aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato, vel favore, prout accepimus, se fecit, aut passus est, seu procuravit intrudi, & ipsius Ecclesię administrationem ab ipso Manfre, vel Officialibus ejus, aut fautores sine speciali prędictę Sedis

Nicolaus de Fossa hujus legis violator.

mandato, & licentia recipere, omni verecundia a se prorsus abjecta, pręsumpsit, & tandem, nulla facta de hoc mentione, ad quorundam instantiam a nobis, sicut dicitur, obtinuit, de se ipsi Ecclesię provideri, ac de mandato nostro sibi munus consecrationis impendi. Verum, quia si nobis de intrusione, ac tali receptione administrationis ejusdem Ecclesię, constitisset, nequaquam de ipso, qui pręmissas sententias, & pęnas incurrerat, Ecclesię providissemus eidem; Nos dignum, & congruum arbitrantes, ut idem Nicolaus, qui circumvenire nos credidit, a se ipso remaneat circumventus, discretioni tuę per Apostolica scripta, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus, si inquisita per te, vel per alium, seu alios ad hoc idoneos, de plano, & absque judicii strepitu veritate, compereris, eundem Nicolaum post hujusmodi ejusdem Prędecessoris processum per pręfatum Manfre, seu per officiales, aut fautores ipsius, seu de ipsorum mandato, vel favore per electionem, vel postulationem, aut alias quomodolibet intrusum in Ecclesia prędicta fuisse, vel ejusdem Ecclesię administrationem ab ipso Manfre, vel ejus offi-

Mandatum.

cialibus, vel fautoribus, seu a quocunque alio, sine speciali prędictę Sedis mandato, & licentia, recepisse, aut dictam Ecclesiam, ejusque administrationem ante processum eundem receptas ab illis, vel eorum aliquo, ultra duos menses post ipsum tenuisse processum, tu, solum Deum habens prę oculis, provisionem de ipso Nicolao factam, & quicquid ex ea secutum est, vel ob ipsam, auctoritate nostra cassare, & irritare, immo potius cassa, & irrita, ac vacare prędictam Ecclesiam denuntiare procures. Contradictores &c. Non obstante indulgentia qua Fratribus tui Ordinis ab Apostolica Sede dicitur esse concessum, quod de negotiis, seu causis, quę ipsis a Sede committuntur eadem inviti cognoscere, seu de illis se intromittere, minime teneantur per literas Apostolicas, in quibus de indulgentia hujusmodi plena,

Clausula derogans.

& expressa mentio non habetur. Volumus autem, ut de hujusmodi processu tuo confici facias publicum Instrumentum, illud ad nos fideliter transmissurus. Datum apud Urbem Veterem V Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Inquirat.*) Consulendus *Ughellus in Episcop. Theatin.*
2. *Manfre.*) *Manfredum* scilicet *Friderici II* filium spurium, contemptorem sacrorum, & Ecclesiæ hostem.

Priori

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Regin. (1), ut in Abbatem Monasterii S. Prosperi inquirant.

Anno 1263 Die 4 Decembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 968.

XLII.

Urbanus, Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Regin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

JUdicium Apostolicę Sedis, opinione fallente, ingratus filius G ... Abbas Monasterii S. Prosperi Regin., plurima illius Beneficia nimia indigne suscepisse convincitur, si sunt vera, quę nobis de ipsius ausu, & ingratitudine referuntur; Ipsa enim Sedes, quę passim omnes admittit ad ubera filiorum, sic faciem prętendentes, dictum G ... benigne ad suam familiaritatem admisit, aggregando ipsum Capellanorum suorum honesto collegio, & inter illos eum nonnullis prosequendo favoribus, & eandem ipsum per multa studia ad regimen prędicti Monasterii promovendo, ipse vero, injuriam pro gratia, & odium pro dilectione respondens, cum stare pro domo Domini una cum Sede prędicta contra pestilentes filios crederetur, in arcum pestilentię, ut dicitur, se convertit, & Nuncios, ac fautores reprobi filii Uberti Pelavicini (2), una cum suis fautoribus per dictam Sedem, exigentibus damnatis suis excessibus, excommunicatione astricti, temere in pręfatum Monasterium intromisit, eis pro illorum favore in suis pravis studiis obtinendo, ausu pręsumptuosę temeritatis, non solum participans, sed & favens. Cum igitur nolimus, sicut etiam nec debemus, tantam ipsius Abbatis insolentiam conniventibus oculis pertransire, cum non sis convenięns relinqui persecutoribus, vel eorum fautoribus, pabulum devotorum, dictaque Sedes omnium fidelium pia mater dulcedinis suę mammas digne subtrahat ab ingratis, discretioni vestrę, in virtute obedientię districte pręcipiendo, mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum, si permissi fueritis, personaliter accedentes, alioquin proposito in Ecclesia Regin. coram populo publicę citationis edicto, pręfatum Abbatem ad vestram pręsentiam evocantes, inquiratis contra ipsum Abbatem, sive veneris, sive non, super eorundem nunciorum, & fautorum receptione, participatione, ac favore prędicta de plano, & sine judiciorum strepitu, veritatem, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, & invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, & quę inveneritis, nobis per vestras literas, tenorem pręsentium continentes, quantocius transmittatis, pręfixo eidem Abbati, juxta prępositum modum termino peremptorio, competenti, quo se Apostolico conspectui personaliter repręsentet, pro meritis recepturus; diem autem pręfixionis hujusmodi nobis per easdem vestras literas intimetis, non obstante indulgentia dictę Sedis, per quam Fratribus Ordinum vestrorum dicitur esse concessum, ut exequi negotia minime teneantur, quę ipsis a Sede committuntur eadem. Datum apud Urbem Veterem II Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Factum narrat.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Regin.*) Civitas est Ducatus ejusdem nominis in Ditione Ducis *Mutinensis* in *Longobardia*.

2. *Pelavicini.*) Vide *Notam I in Diploma datum IX Decembr. MCCLX.*

Nonnullos ab Interdicto generali solvit (1).

Anno 1264 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, ad certitudinem pręsentium, & memoriam futurorum.

DUdum fel. rec. Alexander PP. Prędecessor noster primo, & nos postmodum Civitates, & loca plurima, Manfredo quondam Principi Tarentino, ac Uberto Marchioni Pelavicino, & aliis Ecclesię persecutoribus contra salutem propriam adhęrentia, loca etiam ad quę dictus Manfredus, Ricardus Casertanus, & Thomas Aceratorum Comites, ac Galvanius, & Fredericus Lancea fratres, devenire contingeret, quamdiu ibi forent, districtissimo Ecclesiastico supposuimus Interdicto. Sed quia nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, Abbates, Priores, aliique Pręlati, Religiosi, ac Cleri & alię quamplures personę utriusque sexus a Sede Apostolica, & per literas, & ore tenus sibi postmodum obtinuere concedi, ut, non obstantibus hujusmodi Interdicti sententiis, liceret eis sub certa forma in certis Ecclesiis, sive locis eidem Interdicto suppositis, celebrare, ac audire divina, Nos, ut Interdictum ipsum arctius servaretur in octavis festivitatis B. Martini proxime pręteritę, pręsente tunc fidelium multitudine copiosa, omnes concessiones hujusmodi quocumque modo, & sub quacumque forma factas a Sede prędicta, omnesque literas, indulgentias, cunctaque privilegia, super hoc ab ipsa obtenta, totaliter auctoritate Apostolica duximus revocanda; universisque Christi fidelibus cujuscumque status, ordinis, conditionis, honoris, & dignitatis existerent, eadem auctoritate, sub pęna excommunicationis, districtius inhibentes, ne hujusmodi concessionum, seu alio quocumque prętextu, contra earumdem sententiarum Interdicti tenores in aliquibus Ecclesiis, sive locis, eidem Interdicto subjectis, divina Officia celebrare, vel audire quomodolibet attemptarent: hoc autem ideo fecimus, ut locorum homines eorumdem, tanti saltem consideratione discriminis, ad Ecclesię redirent humiliter unitatem. Verum, quia ipsi malitiis propriis excęcati, & in suis defixi fęcibus, nec ex antidoto medicinali salutem, nec ex vexatione recipiunt intellectum, nos nolentes ulterius ob eorum nequitiam personas Ecclesiasticas, inter reos degentes, divinis Officiis penitus defraudari, de fratrum nostrorum consilio, eisdem personis Ecclesiasticis indulgemus, ut in collegiatis Ecclesiis secularibus, in Civitatibus, & locis hujusmodi constitutis, Clericis Ecclesiarum ipsarum, & in Religiosorum Conventibus Fratribus Religiosis ejusdem, Penitentię, Eucharistię, Extremę quoque unctionis Sa-

Interdicti causam declarat.

Indulget ut supra.

sacramenta recipere, ac voce submissa, clausis januis, non pulsatis campanis, interdictis, & excommunicatis, & personis omnibus aliis cujuscunque conditionis, aut sexus, exclusis, divina Officia liceat divisim vel insimul celebrare; a generalitate tamen excludendorum excipimus tam Religiosas personas, quam Seculares Clericos viatores, quos & in Religiosorum, & in Secularium Clericorum Ecclesiis admitti permittimus ad divina in procinctu itineris constitutos, vel infra diem tertium recessuros. In Monasteriis etiam Monialium, & laicorum Religiosorum tam Humiliatorum (3), quam aliorum, Civitatum, & locorum hujusmodi, Domino famulantium, licebit eisdem Monialibus, & Religiosis, suum, vel alienum ad celebranda divina cum duobus honestis Clericis vocare, vel admittere Sacerdotem. Conversi quoque Monasterii servientes ipsarum, divinis Officiis poterunt interesse cum ipsis. Preterea venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, ad loca hujusmodi declinantes, illius uti volumus privilegio libertatis, quod Episcopis in favorem Pontificalis officii constitutio Concilii Generalis indulsit. Datum apud Urbem Veterem Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Solvit.*) Cum in *Manfredum*, *Ubertum Palavicinum*, & ceteros Ecclesiæ hostes, latas sententias *Urbanus* renovaverat anno MCCLXIII, disces ex *Bzovio Annal. Ecclesiast. ad hunc annum num. XXII & XXIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Humiliatorum.*) De quibus ad *IV Septembr. MCCXXVII.*

Anno 1264 Die 1 Februarii.

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Meten., ut ecclesiasticum beneficium cuidam Jacobo conferant.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 958.

XLIV.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Predicatorum, & Guardiano Minorum Meten. (1), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

CUm, sicut intelleximus, dilectus filius Henricus Archipresbyter Ecclesie de Theonis-Villa (2) Rector Ecclesie de Haeng, Meten. Diecesis, eandem Ecclesiam de Haeng, curam animarum habentem, ex eo precipue resignare proponat, quod idem alligatus ipsi Ecclesie de Theonis Villa, nequeat ipsi Ecclesie de Haeng personaliter, prout convenit, deservire. Nos salubre ipsius in hac parte propositum commendantes, ac volentes dilecto filio Jacobo de Vozelburgh Presbytero, nullum, prout asseritur, beneficium ecclesiasticum assecuto, pro quo dilectus filius nobilis vir Henricus Comes Luozelburgh (3) affectuosis precibus nos rogavit, gratiam facere specialem, discretioni vestre mandamus, quatenus, habentes pre oculis solum Deum, si rem inveneritis ita esse, vos, vel alter vestrum, libera ipsius Ecclesie de Haeng, ac jurium, & pertinentiarum ejus, ab eodem Archipresbytero, resignatione recepta, illam prefato Presbytero, dummodo ad hoc existat idoneus, & velit, ac possit; in ea residentiam facere personalem, alioquin alii persone idonee, parate inibi personaliter residere, auctoritate nostra conferre, & assignare curetis, inducentes eum in corporalem ipsius Ecclesie de Haeng possessionem, & defendentes inductum. Contradictores &c. Non obstante si aliqui super provisione sua in illis partibus generaliter, vel in Civitate Meten., ac prefata Diecesi specialiter Apostolice Sedis, seu Legatorum ejus, literas impetrarunt, quibus eundem (4) Presbyterum in hujusmodi Ecclesia assecutione prefata, sed quoad aliorum Beneficiorum assecutionem prejudicium generari, seu si personis aliquibus ab eadem Sede indultum sit, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, aut quod de beneficiis, ad eorum collationem, vel presentationem spectantibus, nequeat alicui provideri, per literas Sedis ejusdem, plenam, & expressam, aut de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia prefate Sedis indulgentia cujuscunque tenoris existat, per quam presentium effectus impediri valeat, vel differri, & de qua in nostris literis mentio fieri debeat specialis. Ceterum, quod non est verisimile, quod quis Beneficium, unde vite suffragia percipit, sponte sine magna causa relinquit, provideatis omnino, ne aliqua in hac ex parte predictorum Archipresbyteri, & Jacobi, vel alias quomodolibet pravitas intercedat. Datum apud Urbem Veterem Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Clausula derogans.

1. *Meten.*) In *Lotharingia.*

2. *Theonis-Villa.*) Vulgo *Thion-Ville*, de qua sæpius in *Actis S. Ludovici IX.*, Gallorum Regis. Sita est in Ducatu *Luxemburgensi.*

3. *Luozelburgh.*) Seu *Luxemburgen.*

4. *Eundem.*) Turbatus locus: legerem: *Quibus eidem Presbytero in hujusmodi Ecclesia assecutione præfata, seu quoad aliorum Beneficiorum assecutionem præjudicium generari nolumus, seu si personis &c.*

Anno 1264 Die 18 Februarii.

F. Bartholomæum (1) de Benevento ex Aleriensi ad Ameliensem Episcopatum transfert.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 964.

XLV.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bartholomeo de Benevento, de Ordine Fratrum Predicatorum, Episcopo Amelien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Translatio.

DEbitum officii nostri requirit, ut inter alias solicitudines, quibus assidue premimur, specialiter circa Ecclesias solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo precipue, ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium, celeriter nostre diligentie studio, provideatur substitutione Pastorum, per quos valeant salubriter gubernari. Sane Amelien. Ecclesia nuper destituta Pastore, nos vo-

volentes illum ibi ponere, qui gratus Deo, & hominibus esset acceptus, te Episcopum quondam Alerin. de fratrum nostrorum consilio a vinculo, quo tenebaris, Ecclesię primitus absolutum, eidem Amelien. Ecclesię prefecimus in Episcopum, & Pastorem, tibi licentia transeundi ad eandem Amelien. Ecclesiam, & plena ipsius tam in spiritualibus, quam temporalibus administratione concessis. Quocirca fraternitati tuę mandamus, quatenus, habens eandem Amelien. Ecclesiam totis visceribus commendatam, sic fideliter, & prudenter studeas gerere curam ejus, quod tua industria spiritualiter, & temporaliter laudabilibus semper, auctore Domino, proficiat incrementis, & nos, circumspectionis tuę providentiam merito commendantes, te proinde plena favoris nostri gratia prosequamur. Datum apud Urbem Veterem XII Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Bartholomaeum.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV*, & in alia ad praesentem Pontificatum.

Ameliensi Capitulo F. Bartholomaeum de Benevento ex Aleriensi ad Ameliensem Episcopatum translatum significat. — Anno 1264 Die 18 Februarii.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 964.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Amelien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — XLVI.

DEbitum Officii nostri &c. (1). Venerabilem Fratrem nostrum Fratrem Bartholomęum de Benevento, Ordinis Prędicatorum, Episcopum quondam Alerin., virum utique providum, & discretum, & literarum scientia prędītum, vitę munditia, & morum honestate precisrum, de Fratrum nostrorum consilio, a vinculo, quo tenebatur, Ecclesię primitus absolutum, eidem Amelien. Ecclesię prefecimus in Episcopum & Pastorem, Ipsi licentia transeundi ad eandem Amelien. Ecclesiam, & plena ipsius tam in spiritualibus, quam temporalibus administratione concessis. Quocirca universitati vestrę, per Apostolica scripta firmiter precipiendo, mandamus, quatenus eidem Episcopo tanquam patri, & pastori animarum vestrarum, plene & humiliter intendentes, exhibeatis ei obedientiam & reverentiam debitam & devotam, ejus salubria monita & mandata suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando, alioquin sententiam &c. Datum apud Urbem Veterem XII Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

F. Bartholomaei translatio.

Ipsi morem gerendum.

1. *Nostri &c.*) Ut in praecedenti ad haec usque verba. *Esset acceptus.*

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 964.

EOdem modo, & eadem die scribit Pontifex Clero Civitatis, & Dięcesis Amelien. — XLVII.

EOdem modo, & eadem die Populo Civitatis & Dięcesis Amelien. Debitum officii nostri &c. intendentes ejus salubria monita, & mandata suscipiatis devote, & inviolabiliter observetis &c. — XLVIII.

Priori Praedicatorum Vvormacien. (1), ut in collegium Canonicorum S. Germani Spiren. (2) Henricum quendam adsciscendum curet. — Anno 1264 Die 12 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 956.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Prędicatorum Vvormacien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — XLIX.

VOlentes dilectum filium Henricum Rectorem Ecclesię in Cundhenein, Spiren. Dięcesis, Notarium nobilis viri Comitis Gemini, nostri, & Ecclesię Romanę devoti, favore prosequi gratię specialis, discretioni tuę mandamus, quatenus eundem Henricum in Ecclesia S. Germani extra muros Spiren., si est idoneus moribus, scientia, & ętate, aliudque canonicum non obsistat (3), & velit in ea residentiam facere personalem, & nonnisi pro uno, ibidem direximus scripta nostra, per te, vel alium, recipi facias in Canonicum, & in Fratrem, & ei de Prębenda, si quę ibidem vacat ad pręsens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, provideas, vel facias provideri. Non obstante statuto ipsius Ecclesię S Germani de certo Canonicorum numero, virtute confirmationis Sedis Apostolicę, seu quicquid (4) firmitate vallato, vel si Decano, & Capitulo ipsius Ecclesię S. Germani a Sede sit indultum eadem, quod ad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, quodque ad id non possint compelli excommunicationis, suspensionis, vel Interdicti (5), & quod de Beneficiis, ad ipsorum collationem spectantibus, nulli valeat provideri per literas Apostolicas, quę de indulto hujusmodi plenam, & expressam non fecerint mentionem, aut si venerabilis Frater Spiren. Episcopus dari deberet ex indulto Sedis ejusdem in hujusmodi gratia executor, vel suus in hac parte debeat requiri consensus. vel qualibet ipsius Sedis indulgentia. per quam hujusmodi provisionis nostrę gratia impediri valeat, vel differri, seu quod idem Henricus quandam aliam Ecclesiam dignoscitur obtinere, vel si tibi, aut Ordini tuo, a Sede sit indultum eadem, quod non tenearis de causis cognoscere, vel eas exequi, quę tibi a Sede committuntur eadem. Contradictores &c. ita tamen, quod postquam idem Prębendam in prędicta Ecclesia S. Germani fuerit pacifice assecutus, teneatur alterutram Ecclesiarum ipsarum libere resignare. Datum apud Urbem Veterem II Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

Clausula derogans.

 1. *Vvor-*

1. *Vvormacien.*) In *Germania* ad *Rhenum*.
2. *Spiren.*) Alias *Noviomagus*, *Nemeum*, & *Nemetes* nuncupata fuit *Spirensis* civitas, sita in *Rheni Palatinatu*.
3. *Obsistat.*) Supple: *Impedimentum*.
4. *Quicquid.*) Legendum: *Quacunque*.
5. *Interdicti.*) Adde: *Sententiis*.

Anno 1264
Die 7 Julii.

Cum Ludovico IX, Galliarum Rege, prospicit, ut Fratres Prædicatores Ambianen. (1) in locum commodiorem possint se transferre.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 970.

L.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Lodovico (2) illustri Regi Francorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Regis supplex petitio.

PEr tuas nuper, Christianissime Princeps, literas nos rogasti, ut cum dilectus filius Prior & Fratres Prędicatorum Ambianen. propter ineptitudines, & incommoditates plurimas illius loci, in quo nunc habitant, ad quendam alium locum, qui dicitur Coquerel, in Ambianen. Civitate situm, desiderent se transferre, & parati sint, dilecto filio Abbati, & Conventui Monasterii S. Johannis Ambianen., Premonstratensis Ordinis, pro jure ipsorum Parochiali satisfacere competenter, & tam eis, quam eorum Parochiis de indemnitate plenarie pręcavere, provideremus taliter in hac parte, quod dicti Prior, & Fratres nemini nocumentum, vel injuriam inferre, sed omnibus prodesse volentes, & propter lucrum evidens animarum translationem affectantes hujusmodi, libere in eodem loco de Coquerel morari, & divina celebrare secure valeant, & quiete. Petisti etiam, ut aliquibus personis committeremus idoneis, quod facta recompensatione congrua pro hujusmodi jure Parochiali, Abbati, & Conventui supradictis, juxta personarum arbitrium earundem, si qui super hoc contradictores existerent, eos, ut ab hujusmodi contradictione desisterent, auctoritate Apostolica coarctarent. Sane, fili carissime, licet preces tuę maximum in

Prospicit ut supra.

pectore nostro locum obtineant, & favorem, nostrique propositi fuerit, & sit semper illas, cum geramus te inter ceteros Catholicos mundi Reges, & Principes in cordis visceribus pręd lectum, & audire libenter, & quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudire, volentes tamen tuis in hoc satisfacere votis, quod eidem Abbati, & Conventui non faciamus injuriam, nec inferamus eis in ipsorum juribus lęsionem, ecce dilecto filio nostro G. ... (3) Tituli S. Cęcilię Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, per nostras committimus literas (4), ut recompensatione hujusmodi per alium seu alios diligenter inspecta, si ei de ipsius recompensationis congruitate, & idoneitate constiterit, interponat apud eosdem Abbatem, & Con-

Clausula derogans.

ventum efficaciter partes suas, tractando super hoc sollicite cum eisdem, ac eos attentis monitis inducendo, ut eadem recompensatione recepta dictos Priorem, & Fratres libere hujusmodi locum de Coquerel obtinere permittant, nullumque ipsis in illo impedimentum, vel obstaculum interponant, non obstantibus literis Apostolicis, per quas in forma communi hujusmodi negotium venerabili fratri nostro Episcopo. & dilecto filio Archidiacono Laudunen. (5), suadente justitia, duximus committendum; Si vero dicti Abbas, & Conventus recompensationem eandem acceptare forte noluerint, idemque Legatus non confidat, posse super hoc proficere apud ipsos, rescribat nobis causam propter quam iidem Abbas, & Conventus recompensationem eandem recusaverint acceptare, ut, in sua insinuatione sufficienter instructi, opportunum per nos in hac parte remedium, in quantum secundum Deum, & justitiam fieri poterit, apponatur. Quod si dicti Prior, & Fratres sufficientem, & idoneam recompensationem eisdem Abbati, & conventui exhibere noluerint, Legatus ipse, auctoritate nostra, Episcopo, & Archidiacono predictis injungat, ut in eodem negotio procedant efficaciter, juxta prędictarum nostrarum continentiam literarum. Cum igitur

Ludovici IX. encomium.

non deceat Sedis Apostolicę gravitatem, quempiam, & specialiter religiosas personas, ac sacra, & pia loca invita compellere ad alienandum spiritualia, & temporalia iura, nos, qui illam gerimus de regia circumspectione fiduciam, quod quomodolibet non intendat nos per suas preces inducere ad faciendum injuriosum aliquod, vel etiam inhonestum, mansuetudinem tuam rogandam duximus attentius, & hortamur, quatenus cum adeo sis fervidus justitię rectique zelator, quod de te merito dici potest, quod justitia ante te ambulat, & ponit in via tuę rectitudinis gressus suos, omnibus, ut decet, recte prospectis, rationabiliter arbitreris, quod non foret conveniens maturitati Apostolicę Abbatem, & Conventum predictos ad alienandum quomodolibet jura sua contra eorum cogere voluntatem. Datum apud Urbem Veterem Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Ambianen.*) In *Picardia*.
2. *Ludovico.*) Sancto, qui Prædicatores & Minores Fratres effusissime diligebat.
3. *G....*, Ut candide loquar, hic hæreo, nec facile dictu quis iste fuerit *G....* Enim vero *Guido Grossus* S. R. E. Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legatus, missus in *Angliam* tunc quidem in *Picardia* versabatur, sed Episcopus *Sabinensis* jamjam renunciatus erat iste, uti liquet ex Diplomate quod exscripsit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXI pag. 156*, & ex alio *dato Idibus Novembris, Indictione VII, Anno MCCLXIII*, cujus subscriptiones leges apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLXIII num. XL*. Constat etiam ex hac ultima Bulla, *Simonem Mompitium* S. R. E. Cardinalem *Titulo S. Ceciliæ* tunc insignitum fuisse, uti docet *Ciaconius laudatus pag. 161* Videtur ergo legendum *S....*, non vero *G....*, & dicendum Cardinalem istum fuisse *Simonem Mompitium* jam a Mense Maio in *Galliam* Legatum. Consulendum Diploma quod exscripsit *Odoricus ad an. MCCLXIV num. XIII*, ubi S. Ludovicum sic alloquitur Pontifex: *Verum, quia cælestis altitudo consilii liberationem prædictæ Ecclesiæ tibi, tuæque Christianissimæ domui reservavit, & velle videtur, ut jugum oneris ejus & sceptrum exactoris ejus, per tui Regni potentiam superentur, ecce dilectum filium nostrum Simonem tit. S. Ceciliæ Presbyterum Cardinalem, ad christianissimum Regnum tuum pro negotio dicti Regni Siciliæ, a quo utique Regno panditur omne malum, ipsius Ecclesiæ, & tantorum periculorum causa procedit in personam memorati Comitis ... commisso ei plenæ legationis officio, de Fratrum nostrorum consilio, destinamus &c. Datum apud Urbem Veterem V Nonas Maii, Pontificatus Urbani IV anno III.*
4. *Literas.*) Mox exscribendas.
5. *Laudunen.*) In confinio *Picardiæ*.

G... (1) Titul. S. Cæciliæ Cardinali S. S. A. Legato, ut Fratres nostros Ambianen. in locum commodiorem transferendos curet.

Anno 1264 Die 7 Julii.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 972.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio G.... Tituli S. Cęcilię Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LI.

Significantibus nobis olim dilectis filiis Abbate, & Conventu Monasterii S. Johannis Ambianen., Pręmonstratensis Ordinis, quod Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum Ambianen. loco, Ecclesia jam pro magna parte constructa, domibus, & aliis ędificiis, quę habent in Civitate Ambianen., licet eorum Ordini apta existant, & suę habitationi accommoda, non contenti, alium sibi locum in parochiis Ecclesiarum S. Germani, & S. Firmini in Valle Ambianen., in quibus iidem Abbas, & Conventus jus obtinent patronatus, & quarum alteram, videlicet S. Germani in proprios usus se asserunt obtinere, & in qua faciunt per suos Canonicos deserviri, & ex cujus proventibus pro aliqua parte Conventus ipsius Monasterii sustentatur, emptis ibidem quibusdam domibus, eisdem Abbati, & Conventui censualibus, ipsis nullo modo requisitis, non sine gravi eorum pręjudicio duxerant eligendum, quodque cum idem Prior, & Fratres ibidem ędificare cępissent, quidam ex Canonicis dicti Monasterii se super hoc opponentes, eisdem studuerant, id, etiam eis pro novi denuntiatione operis, prohibere, ac, eisdem Abbate, & Conventu instanter petentibus, ut cum prenominati Prior, & Fratres in loco hujusmodi ędificare absque populi scandalo, & gravi Ecclesiarum ipsarum ac dicti Monasterii detrimento, non possent, salubre super hoc remedium apponere curaremus, Nos venerabili Fratri nostro Episcopo, & dilecto filio Archidiacono Laudunen. nostris sub certa forma dedisse dicimur literis in mandatis, ut causam, partibus convocatis, audirent, &, appellatione remota, fine debito terminarent, facientes quod statuerent per censuras ecclesiasticas firmiter observari. Verum quia, sicut ex parte ipsorum Abbatis, & Conventus fuit nuper propositum coram nobis, eisdem Priore, ac Fratribus excipientibus, quod eorum Ordini erat ab Apostolica Sede indultum, quod Fratres ipsius Ordinis conveniri non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, propter quod per literas ipsas, in quibus de Ordine ipso, ac indulto mentio nulla erat, conveniri de jure non poterant, nec debebant, nullus per eosdem Episcopum, & Archidiaconum in causa hujusmodi earundem literarum auctoritate habitus est processus. Nos ad eorundem Abbatis, & Conventus instantiam nolentes occasione hujusmodi ejus (2) in sua deesse justitia, in qua sumus omnibus debitores, eisdem Episcopo, & Archidiacono per alias nostras injunximus literas, ut, si essent (3) in exemptione, ac indulto hujusmodi nequaquam obstantibus. in causa ipsa procedant juxta priorum continentiam literarum. Porro carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Francorum illustris per suas nos literas devote rogavit, ut cum dicti Prior, & Fratres parati sint eisdem Abbati, & Conventui pro jure Parochiali satisfacere competenter, & tam eis, quam eorum parochiis de indemnitate plenarie pręcavere, provideremus taliter in hac parte, quod dicti Prior, & Fratres nemini nocumentum, vel injuriam inferre, sed omnibus prodesse volentes, & propter lucrum evidens animarum translationem affectantes hujusmodi, in eodem secundo loco morari, & divina celebrare secure valeant, & quiete. Petiit quoque idem Rex, ut aliquibus personis committeremus idoneis, quod facta recompensatione congrua, pro jure Parochiali, Abbati, & Conventui supradictis juxta personarum arbitrium earundem, si qui super hoc contradictores existerent, auctoritate Apostolica coarctarent. Nos igitur, licet preces ipsius Regis, utpote devotissimi, & Christianissimi Principis, maximum in pectore nostro locum obtineant, & favorem, nostrique propositi fuerit, & sit semper, illas, cum geramus Regem ipsum inter ceteros Catholicos mundi Reges, & Principes in cordis visceribus prędilectum, & audire libenter, & quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, volentes tamen sic ejus in hoc satisfacere votis, ut eisdem Abbati, & Conventui non faciamus injuriam, nec inferamus eis in ipsorum juribus lęsionem, discretioni tuę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, pręsentium auctoritate committimus, ut recompensatione hujusmodi per te, vel per alium, seu alios, diligenter inspecta, si tibi de ipsius recompensationis congruitate, & idoneitate constiterit, interponas apud eosdem Abbatem, & Conventum efficaciter partes tuas, tractando super hoc solicite cum eisdem, ac eos attentis monitis inducendo, ut recepta recompensatione ipsa dictos Priorem, & Fratres libere hujusmodi secundum locum obtinere permittant, nullumque ipsis super hoc impedimentum, vel obstaculum interponant, non obstantibus prędictis nostris literis directis super hujusmodi negotio ad Episcopum, & Archidiaconum supradictos. Si vero dicti Abbas, & Conventus recompensationem eandem acceptare forte noluerint, tuque non confidas super hoc proficere apud ipsos, rescribas nobis causam propter quam iidem Abbas, & Conventus recompensationem eandem recusaverint acceptare, ut ex insinuatione tua sufficienter instructi, opportunum per nos in hac parte remedium in quantum secundum Deum, & justitiam fieri poterit, apponatur. Quod si dicti Prior, & Fratres sufficientem, & idoneam recompensationem eisdem Abbati, & Conventui exhibere noluerint, tu prędictis Episcopo, & Archidiacono auctoritate nostra injungas, ut in eodem negotio procedant efficaciter juxta prędictarum nostrarum continentiam literarum. Datum apud Urbem Veterem, Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Quid hac de re sanxerat, refert.

Fratres commendantur a Rege Gallorum.

Mandatum.

1. *G...*) Videas præcedens Diploma.
2. *Ejus.*) Legerem: *Eis*.
3. *Si essent.*) Turbatus videtur locus.

Anno 1264
Die 9 Julii.

Priori FF. Prædicatorum in Confluentia, ut ab excommunicatione solvat (1) nonnullos, qui modis indignis ipsummet Urbanum IV exceperant.

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 977.

LII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum in Confluentia, Treveren. (3) Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Caritas & Humilitas Urbani IV. Factum narrat.

GEmma nulla splendidior in Summi Pontificis ornatu geritur, quam sit humilitas, regina virtutum omnium, & corona prefulgida electorum, necnon divinę gratissima majestatis oculis, & perpetuę meritoria claritatis; hanc etenim cęli decus, & terrę decorem cęlestis Agni benignitas ita nobis per suam gratiam amabilem reddidit, & nostris affectibus cum sincerę caritatis insigniis alligavit, quod spinam omnis odii seu rancoris a corde nostro pręcidimus, & dilectionem illorum in ipso firmissime solidamus, qui nostram innocentiam quandoque calumniis, & interdum gravibus afflixere jacturis. Sane tunc temporis, quo felicis record. Innocentius (4) Papa Prędecessor noster Lugduni manebat, nos qui Archidiaconatus Laudii (5) officio eodem tempore fungebamur, de speciali mandato Prędecessoris ejusdem ad partes Alemannię, pro quibusdam Ecclesię Romanę negotiis accedentes, Ermannus de Villensdorp miles, senior, & Ermannus junior, & Conradus ejusdem loci fratres, necnon Eveardus de Bicken laici, cum quibusdam suis complicibus, Treveren. Dięcesis, ausu capi sacrilego, & spoliatos quibusdam equis, ac certa pecunię summa, & quampluribus aliis bonis nostris, detineri fecerunt aliquandiu captivatos, clementissima Regina celorum illam nobiscum misericordiam faciente, quod de captivitate hujusmodi per suę virtutis auxilium fuimus liberati. Nunc autem Ermannus junior, & Conradus, & Eveardus predicti, sicut ipsi nobis significare curarunt, ad cor, Domino inspirante, reversi, de illa prędictorum bonorum parte, quę provenit eisdem, ac etiam de illatis injuriis parati sunt nobis satisfactionem, juxta suę possibilitatis exigentiam impertiri. Quare humiliter petebant a nobis, ut cum ipsi propter inimicitias, quas se incurrisse asserunt capitales, & viarum discrimina graviora, ad pręsentiam nostram venire non possint, dictumque Ermannum Seniorem jamdudum ex quodam pietatis affectu absolvi fecerimus per te ipsum, providere ipsis in hac parte salubriter curaremus. Quia vero illius Officii dignitatem nos, licet immeriti, ex divina provisione suscepimus, in quo, & inimicos diligere & persecutoribus nostris etiam pie teneremur (6) orationis subsidio subvenire, discretioni tuę pręsentium auctoritate committimus, quatenus Ermannum juniorem, Conradum, & Eveardum prędictos, cum super hoc ab ipsis fueris humiliter requisitus, ab excommunicationis sententia, quam propter pręmissa incurrisse noscuntur, vice nostra juxta formam Ecclesię prorsus absolvas, & injungas eis penitentiam salutarem. Ceterum eisdem, postquam absolutionem hujusmodi, secundum pręmissam formam, fuerint assecuti, benigne denunties, quod omnem injuriam & offensam irrogatam nobis ab ipsis, eis remittimus, & emendam, seu restitutionem pecunię, seu bonorum, in qua pro damnis illatis teneri personę nostrę noscuntur, Divinę pietatis intuitu, liberaliter relaxamus; injungens eis nihilominus in virtute prestiti juramenti quod abstineant de cetero ab hujusmodi injuriis, & rapinis. Datum apud Urbem Veterem VII Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Solvat.*) Audiendus *Odoricus Raynaldus* ad an. MCCLXIV num. XXX: *Egregium*, inquit, *Urbanus Christianæ mansuetudinis exemplum in remittendis hostibus injuriis explicuit; Cum enim ad efferendas, tuendasque Vullelmi Regis Romanorum partes, Nuncii Apostolici partes in Germania sustineret, a nonnullis hostibus captus, traditusque vinculis, e quibus non sine miraculo ereptus est, gloriosissime pepercit, cum, adepto Pontificatu, injuriam ulcisci poterat.*

2. *Archivo.*) Idem excripserunt *Odoricus mox laudatus*, & *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXI pag. 154.*

3. *Confluentia, Treveren.*) Seu *Trevirensis* in *Germania* ad *Mosellæ* cum *Rheno* confluentiam, unde nomen accepit.

4. *Innocentius.*) *IV.*

5. *Laudii.*) Seu *Lauduni*, vulgo *Laon* in *Insula Franciæ*, ubi Archidiaconus fuit *Urbanus*, ut ipsemet testatur in Diplomate ad Clerum *Laudunensem*. Ut autem *Ciaconium* & Auctorem *Conatus Chronico-Historici ad Catalogum Pontificum*, hac de re inter se dissidentes concilies; Notandum: Quod *Urbanus IV* primum *Leodii*, & postmodum *Laudii*, seu *Lauduni* Archidiaconatum obtinuit. Hinc *Theodoricus Vallicolor* canit apud *Ciacon. Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXI pag. 152.*

Præsulis hic primo Lauduni Clericus, inde
Parochiæ dictæ Rector in Urbe fuit.
Post hac Canonicus Lauduni factus . . . .
Canonicum post hac suscepit, & Archilevitam
Leodium, tanti noverat acta viri
. . . .
Post hac Lauduni fuit Archidiaconus, inde
Prædictus Papa Pontificavit eum.

6. *Teneremur.*) *Odoricus* apposite scribit: *Tenemur.*

Anno 1264
Die 15 Julii.

Provinciali Hungariæ, ut Agnes Ducissa in prædiorum, quorum donationem firmat, possessione permaneat (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 691.

LIII.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum de Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ducissæ supplex petitio.

EXhibita nobis dilectę in Christo filię nobilis mulieris Agnetis Viduę, Ducissę Galitię (2), de Bosna, & de Mazo (3) Dominę, ac nobilium virorum Michaelis, & Belę natorum ejusdem, petitio continebat, quod carissimus in Christo filius noster Bela (4) Hungarię Rex illustris, pater ipsius Ducissę, quondam Radislao (5) Duci Galatię viro suo, ac ipsi Ducissę, eorumque heredibus in proprium quasdam terras, & possessiones &c. (6). Nos itaque obtentu prefati Regis, & carissimę in Christo filię nostrę M. . . (7) Illustris Reginę Hungarię, matris ipsius Ducissę, qui pro ea, & ipsis filiis, nepotibus suis, predicti Du-

Ducis filiis, & hȩredibus Apostolicam gratiam implorari fecerunt, eorundem Ducissȩ, & filiorum supplicationibus inclinati, quod ab eodem Rege super traditione, & concessione hujusmodi factum est, ratum, & firmum habentes, eisdem Ducissȩ & filiis terras, & possessiones prȩdictas, sicut eas juste, & pacifice possident, auctoritate Apostolica duximus confirmandas. Quocirca mandamus, quatenus prȩfatos Ducissam, & filios non permittas super prȩmissis, contra hujusmodi confirmationis nostrȩ tenorem, ab aliquibus indebite molestari, molestatoresque &c. prȩsentibus post quinquennium minime valituris. Datum apud Urbem Veterem Idibus Julii Pontificatus nostri Anno Tertio. Mandatum.

1. *Permaneat.*) Ejusdem Diplomatis meminit *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIV num. X.* Citat *Epistolam CXC*, & rem paucis sic aperit: *Agneti relictæ ducis Halicia ac Mazovia, filia Regis Hungaria, ac filiis ejusdem Agnetis Michaeli, & Bela omnia bona, qua Ladislao Duci, ejus marito Bela socer concesserat in Hungaria, approbavit* Urbanus IV.

2. *Galitia.*) Legerem: *Halicia, in Russia nigra* ad *Tyram fluvium. Alias Urbs fuit magni nominis, & primaria Regni Haliciensis dicti*, ut notat *Baudrand*; *Postea etiam habuit Duces suos; nunc deficit in dies.*

3. *Mazo.*) *Mazovia*, ut ex *Bzovio* mox audivimus. Habuit *Mazovia* Duces proprios. Nunc est Provincia Regni *Polonia*.

4. *Bela.*) *IV*, germanus frater *S. Elisabeth*, & pater *B. Margarita* Virginis Ord. FF. Prædicatorum. Adeas *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXX num. XVII.* De eodem *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXX num. XII* hæc habet: *Fuit Bela mitis ingenio Princeps, & vita integer, sed in rebus gerendis, bellisque agitandis parum fortunatus. Felix tamen quod sororem habuit S. Elizabetham Lantgraviam Thuringia . . . . .* Habuit quoque *filiam Beatam Margaritam, qua ex voto parentum ab ineunte atate Ordini Sancti Dominici inserta, rejectis Regum Polonia & Bohemia nuptiis, praclaros tulit purissima, atque sanctissima, asperrimaque vita fructus . . . . . Vivens, ac vita functa ingentibus miraculis sanctitatem suam illustravit.* Hæc *Spondanus*. Dicam ad Diplomata ab *Innocentio V* data XIV, & XXV Maii MCCLXXVI, ubi de Miraculis, & virtutibus ejusdem *Beata*, ac de cultu ipsi delato mentio fiet. Addam ex *Sansovino*, & ceteris, quos laudabo, hanc inter *Sanctas*, quibus *Ursinorum* familia decoratur, merito recenseri. *Ferrarius De rebus Hungarica Provincia Ord. Prædicator. Parte II Lib. II Cap. XXXII pag. 342 &c.* exscripsit *Officium in Festo Beata Margarita, die XVI Januarii decantari solitum ab Ordine Prædicatorum in Hungaria.*

5. *Radizlao.*) *Ladislao.*

6. *Possessiones &c.*) In *Libro A.* sic legere est: *Ut in proxima, usque contineri, verbis competenter mutatis.* Quæ quidem verba ex Tabulario Apostolico transcripsisse Amanuensem, nullus dubito, cum nec vola, nec vestigium hujusce Diplomatis in *Libro A.* reperire sit.

7. *M . . .*) *Maria Constantinopolitana*, cui *Deum oranti ut virum* (Belam IV) *ac filium* (Stephanum) IV, dictum V Regem Hungariæ) *ad bellum paratos in mutuam concordiam adduceret*, B. Johannem (Ord. Prædicat.) *Episcopum Bosnensem se videndum objecisse, precesque calo exceptas spopondisse*, ex *Cantipratano* refert *Odoricus Raynaldus ad an. MCCLXIV num. LIV.*

Provinciali Hungariæ, ut ejusdem Regni Episcopos, aliosque nonnullos Præpositos ab excitandis turbis deterreat (1). Anno 1264 Die 16 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 962.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prȩdicatorum de Regno Hungariȩ, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LIV.

IN gravem nostri cordis redundat offensam, si quandoque prȩsumatur, quod a tramite deviet ȩquitatis, vel divinȩ voluntati sit oppositum, aut redundet in jacturam, vel injuriam innocentum personarum. Cum igitur Pontificalis dignitas deposcat officii, ut virtutum splendoribus studeat illustrari, contemnendo vitia, & amando virtutes, seu colendo justitiam, & omnem mali speciem a se penitus relegando, vehementia doloris afficimur, quando Ecclesiarum Prȩlatos de contrario dici notabiles, persentimus. Sane mirantes accepimus, & referimus conturbati, quod nonnulli Episcopi, & Ecclesiarum Prȩlati de Regno Hungariȩ advertere dedignantes, quod ipsi non solum inter quoslibet Christi fideles de Regno ipso unitatis, & pacis conservare vinculum, verumetiam discordes ad concordiam toto posse revocare tenentur, dissensiones, & jurgia in dicto Regno damnabiliter seminant, &, quod gravius est, inter carissimos in Christo filios nostros B . . . (2) Hungariȩ, ac S . . (3) primogenitum ejus, Reges Illustres, procurare odiosa scandala, & dispendiosa dissidia, non formidant, oblivioni tradito, quod Redemptor noster Dominus Jesus Christus, transiens de hoc mundo ad Patrem, suis pacem dedit Discipulis, & reliquit, futuros Ecclesiarum Pontifices per hoc clementer informans, ut sint ad illa sine intermissione soliciti per quȩ a Christi fidelibus pacis gaudia possint jugiter obtineri. Ad hȩc Episcoporum, & Prȩlatorum ipsorum minus provida, ne dicamus nimium inconsulta, voluntas ad illum prorupit excessum, quod ipsi prȩfatum B . . Regem, sicut ipse nobis exposuit per suum Nuncium specialem, contra se provocare non metuunt, dum spreto juramento fidelitatis, quod ab eis regalis Serenitas prȩfata pro regalibus, quȩ ab ipsa tenere noscuntur, exegit, ei tanquam suo Regi pacem, ac honorificentiam debitam exhibere non curant, unde tum propter hoc, tum propter alia supradicta illud inconveniens, proh dolor! dicitur accidisse, quod prȩter damna rerum, & pericula personarum, nimis regiȩ dignitati detrahitur, & fidei catholicȩ in prȩdicto Regno plurimum derogatur, hostium ipsius fidei gloriante nequitia, quod ejusdem Regni fidelibus propter hoc irrogare possunt plurima detrimenta. Quia vero Apostolici cura deposcit Officii salubre super his consilium adhiberi, discretioni tuȩ mandamus, quatenus prȩdictos Episcopos, & Prȩlatos inducas efficaciter, ac diligentius moneas, necnon firmiter injungas eisdem, ut a culpis, & excessibus tam indignis penitus desistentes prȩfato B . . . Regi, prout ex juramento ipso teneri dicuntur, honorem debitum impendere, ac prȩmissȩ fidelitatis plenitudinem circa ipsum studeant observare, ita quod ipsis prȩcedentes excessus per subsequentes actus laudabiles, prout eorum deposcit Officium, redimentibus, nos eos, cum id letantes audiverimus, dignis in Domino laudibus commendemus, alioquin vereri poterunt, quod si de clamore simili nostrum contingat auditum ulterius perturbari, nos eorum prȩsumptionibus taliter, auctore Domino, resistemus, quod erit eis in ruboris multitudinem, non sine Dei, & nostra offensa gravissima, studio Pontificalis abiecto modestiȩ, tam enormiter in prȩdictis excessibus deliquisse. Datum apud Urbem Veterem XVII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium.

De nonnullis Episcopis ac Præpositis Hungariæ conqueritur.

Mandat ut supra.

1. *Dete-*

1. *Deterreat.*) *Admonitus* Urbanus, *quasdam Præsules* (verba sunt *Oderici Raynaldi* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIV num. LII, *intempestivis susurris eorum Principum* (Belæ IV Regis Hungariæ & Stephani ipsius filii) *iras asperare, atque animos abalienare, Priori Provinciali Prædicatorum partes injunxit, ut Apostolica auctoritate ejusmodi perniciosos homines compesceret, atque Archiepiscopum Strigoniensem & Vesprimiensem Episcopum, ut ad perficiendam rem operam collocarent sollicitavit.* Quo rem tanti momenti conficeret, nullum non movit lapidem Provincialis noster, animosque distractos tandem in gratiam reduxit.

2. *B...*) *Belam IV.*

3. *S...*) *Stephanum IV dictum V.*

Anno 1264 Die 30 Julii.

Fratrum Prædicatorum, & S. Michaelis de Bosco Prioribus, ac Guardiano Minorum Bononien., ut ex his, quæ Avenionensis (1) Episcopus legavit, centum libras Tabellioni cuidam dono dent.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 957.

LV. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Fratrum Prędicatorum, & S. Michaelis de Bosco, & Guardiano Fratrum Minorum Bononien, Executoribus testamenti bonę memorię Episcopi Avenionen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXposuit nobis dilectus filius Bona Tabellio, civis Bononien., quod nos totam pecuniam, quam bonę memorię Z.... Avenionensis Episcopus penes Jacobum de Racorgatis, Amadorem Pacocori, Nicolaum Bonigerardi, & eorum socios cives, & mercatores Bononien. nomine depositi, sive mutui, dum viveret, commendarat, venerabili Fratri nostro Episcopo tunc electo Bononien. (2), per nostras mandavimus literas, nostro, & Ecclesię Romanę nomine, signari; dantes nihilominus eidem Episcopo aliis nostris literis in mandatis, ut pecunia ipsa recepta, inde centum librarum Turonen. dicto civi sine dilatione, ac difficultate qualibet summam exhiberet; sed idem civis nihil est, ut asserit, ex directis eidem Episcopo Bononien. prędictis literis commode assecutus. Nos itaque volentes, quod facta eidem civi in hac parte gratia a nobis, sortiatur effectum, discretioni vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus, si ita est, & idem civis sit pauper, & indigens, ita quod alias non habeat unde possit commode sustentari, de pecunia, & aliis bonis, quę dictus Avenionensis Episcopus indistincte nullis personis, vel locis expressis, in pios usus per manus vestras juxta vestrum arbitrium erogari mandavit, prę̨fatas centum libras monetę sine dilatione, ac difficultate qualibet dicto civi exhibere curetis, ita quod exinde vestrę obedientię promptitudo valeat commendari; alioquin, nolentes, quod ad nos verbum nostrum vacuum revertatur, eidem Episcopo Bononien. nostris literis injungimus, ut ipse vos ad id, monitione pręmissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, compellat: non obstante si vobis, vel vestris Ordinibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari per literas Apostolicas, quę de verbo ad verbum de indulgentia hujusmodi plenam & expressam mentionem non fecerint, non possitis, seu quivis aliis indulgentiis dictę Sedis, per quam id impediri valeat, vel differri. Datum apud Urbem Veterem III Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

Clausula derogans.

1. *Avenionensis.*) *Zoenus*, de quo *Sammarthani in Gallia Christiana*.

2. *Bononien.*) Is erat *Octavius Junior*. Consulendus Ughellus *in Episcop. Bononien.*

Anno 1264 Die .. Julii.

Provinciali Hungariæ, ne quis Reginam Hungariæ possessione Castri de Possega depellat (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 959.

LVI. Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum de Hungaria, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

JUsta desideria carissimi in Christo filii nostri Belę &c. (2) juri ejus petitio nobis exhibita continebat, quod cum iidem Rex, & Regina, ac multi Nobiles Regni Hungarię, propter timorem de Tartarica feritate conceptum, ad loca maritima fecissent transitum, dicta Regina jam dictis Nobilibus positis in gravi necessitate compatiens, pro sustentatione ipsorum de suis paraphernalibus bonis non modicam expendit pecunię quantitatem. Demum vero idem Rex hujusmodi pietatis opus clementer attendens, Castrum de Possega (3) ad eum pertinens in Ducatu Sclavonię constitutum, accedente demum ad id consensu carissimi in Christo filii nostri Stephani (4) Regis illustris primogeniti, ac nobilis viri Belę Ducis Sclavonię nati, dictorum Regis, & Reginę, necnon Prę̨latorum, & Baronum supradicti Regni, & Reginę prę̨fatę, regia liberalitate donavit, prout in patentibus literis Regis ejusdem confectis exinde plenius dicitur contineri. Quare pro parte dictorum Regis, & Reginę petebatur a nobis, ut donationem hujusmodi, non obstantibus Constitutionibus contrariis &c., in hoc casu donationem ipsam, sicut alias provide facta est, ratam, & firmam habentes eam, non obstantibus hujusmodi Constitutionibus, auctoritate Apostolica duximus confirmandam. Quocirca discretioni tuę mandamus, quatenus dictam Reginam non permittas super pręmissis contra hujusmodi confirmationis nostrę tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestationes hujusmodi (5) &c.

Factum narrat.

Mandat ut supra.

1. *Depellat.*) De hoc Diplomate loquens *Odoricus Raynaldus* ad an. MCCLXIV num. LI, *obtinuit*, inquit, *a Bela Regina Hungariæ, piissima fœmina, ut arcem munitissimam in montis supercilio excitaret, quo pauperes, ac viduæ, quoties Tartari irrumperent in Hungariam, confugere possent; infestabatur enim hisce temporibus hujusmodi Tartarorum excursionibus* Panno-

Pannonia. *Cujus arcis donationem ab Rege factam Pontifex sua auctoritate communivit*. Citat *Odoricus* Epistolam *CCXXXVI Libri III* Urbani *IV*.

2. *Bela &c.*) Sic in *libro A.*, cujus Amanuensis ex Tabulario Apostolico haec habet: *Ut supra in proxima, usque: juri ejus*: Haec autem proxima hoc in *libro* non legitur.

3. *Possega.*) Seu *Possega*, ut vulgo vocatur, latine *Bosana*.

4. *Stephani.*) De quo in praecedentibus.

5. *Hujusmodi &c.*) Hic etiam proximum Diploma, quod non excripsit, citat Amanuensis noster: *De verbo ad verbo*, inquit, *ut supra in proxima usque in finem*. Ceterum licet dies scripta desideretur, liquet tamen ex *Annotatione I*, hoc anno mense Julio datum esse Diploma.

APPENDIX

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Urbano IV Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Annibaldus de Annibaldis Presbyter Cardinalis Tituli XII Apostolorum. *Stephanus de Salanacho*: *Bernardus Guidonis*. *Ptholomaeus Lucensis Histor. Ecclesiast. Lib. XXII Cap. XXIII*. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II pag 162*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. II pag. 14*. *Cavalerius Tomo II pag. 179 num. II. Echard Tomo I Scriptor. Ord pag 261*, ceterique, qui de Cardinalibus scripsere; sed de anno dissident inter sese. *Ciaconius & Frizonius* anno MCCLXIII, *Oldoinus* vero anno MCCLXII *Annibaldum* Cardinalem creatum esse censent. *Stephanus* noster de *Salanacho* auctor coaetaneus audiendus videtur; en ipsius verba: *F. Annibaldum, Romanum, Magistrum in Theologia assumpsit in Presbyterum Cardinalem Basilicae XII Apostolorum D.* Urbanus *Papa IV anno Domini MCCLXI*. Anno 1261.

ARCHIEPISCOPI.

F. Patritius o Scanlain, Hibernus, ex Episcopo Rapotensi, ut dictum est in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV*, Archiepiscopus Armachanus in Hibernia. *Sovegius Anno Dominicano Mense Junio pag. 9 Praefationis. Cavalerius Tomo I pag. 78 num. CCXLVIII. Echard Tomo I Script. Ord. in Indice Archiep. pag. 27, ex Vvaraeo*. Anno 1261 Die 5 Novembris.

F. Dominicus Senensis, Archiepiscopus Coloniensis in Germania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXVI pag. 66 ex Ughello in Ms., & Ugurgerio. Idem Fontana Monumen. Dominican. ad annum MCCLXII pag. 82 col. II. Cavalerius Tomo I pag. 29 num. LXIX. Minorelli in Chronicis Msf. ad annum MCCLXX*, Anno 1262.

F. Jacobus Archiepiscopus Tranensis in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag. 106, Monumen. Dominican. Parte I Cap. V pag. 87, & de Romana Provincia pag. 316. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXIV num. X. Cavalerius Tomo I pag. 28. num. LXV.* Anno 1264.

EPISCOPI.

F. Nicolaus Fortiguerra, Episcopus Aleriensis, in Insula Corsica, sub Archiepiscopo Pisano. *Ughellus in Episcop. Alerien. Tomo III Ital. Sacrae pag. 502 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXII pag. 120. Cavalerius Tomo I pag. 29 num. LXX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXX pag. 249. Minorelli in Chronicis Ord. Praedicator. Msf. ad an. MCCLXX.* Anno 1263.

F. Jacobus Urbevetanus, Episcopus Valvensis & Sulmonensis, in Aprutio Citeriori in Regno Neapolitano, immediate sub Sancta Sede. *Ughellus in Episcopis Valvensibus Tomo I Italiae Sacrae pag. 1378 Edit. II, ex Regesto Vaticano Epistola LXXXI fol. 76. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVII pag. 301, & Tit. DCXIII pag. 316. Cavalerius Tomo I pag. 36 num. XCV.* Anno 1263 Die 7 Martii.

F. Crescentius de Cava, Episcopus Alatrinus, in Latio, immediate sub Sancta Sede. *Ughellus in Episcop. Alatrin. Tomo I Italiae Sacrae pag 291 Edit. II, ex Regesto Vaticano Epistola CCLXXX fol. 72. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXIV num. X. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XV pag. 117. Cavalerius Tomo I pag. 46 num. CXXXVII.* Anno 1263 Die 5 Julii.

F. Otto de Malis, seu de Vval, ut nuncupatur a *Bernardo Guidonis*, Saxo, Episcopus Mindensis, in Germania, sub Archiepiscopo Colonien. *Bernardus Guidonis in Episcop. Provinciae Teutoniae. Acta Capitulor.* Anno 1263.

Gene-

General. Tomo I fol. 391. Cavalerius Tomo I pag. 30 num. LXXVI. Echard Tomo I Scriptorum Ord. pag. 849 col. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXVIII pag. 236.

Anno 1263. F. Franciscus Episcopus Cæsenatensis, in Italia, sub Archiepiscopo Ravennatensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXII pag. 165 ex Plodio Parte II Libro III. Rovetta in Bibliotheca chronologica illustrium virorum Provinciæ Lombardiæ &c. ad annum MCCLXXVII. Cavalerius Tomo I pag. 29 num. LXXI*, ubi emendat *Johannem Michaelem Plodium*, qui *Franciscum* nostrum ablegat ad annum MCCCCL. Ille ipse est *Franciscus Lampugnani*, de quo multum laborat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 511, & 512*. Ut nodum solvat, suspicatur mendum irrepsisse, nec legendum esse *Cæsenatensis*, sed *Cenetensis*: en ipsius verba. *Quædam mihi suspicio, erratum esse in Episcopatu, & scriptum Cæsenatensis pro Cenetensis: fuit enim revera quidam Franciscus Episcopus Cenetensis a Leandro, & aliis laudatus.* Fuit utique, sed *Cenetensis* iste, cui nomen *Franciscus de Arpo*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Nicolai IV*, alius prorsus est a *Francisco Lampugnano*, cujus hic mentio; *Ego non assentior*, inquit Echard; *cum hujus Episcopi non meminerint Bernardus Guidonis, Leander, Lusitanus, nec Razzius*. Apud istos altum quidem silentium de *Francisco* nostro, id non diffiteor, sed alii de ipso loquuntur. *Ughellum* iudicem appellat Echard, *immo*, inquit, *nullus ei locus est in serie Præsulum Cæsenatensium a MCCLXX ad MCCCX, ut apud Ughellum cuilibet inspicienti patebit, aliusque ad MCCLXXIV annotetur, qui proinde Concilio Lugdunensi affuit, si quis affuit*. Num Concilio *Lugdunensi* adfuerit *Franciscus*, non quæro. Quod *nullus ei locus sit in serie Præsulum Cæsenaten. a MCCLXX ad MCCCX*, minus curo. non enim assentior *Rovettæ*, qui *Franciscum* Episcopum constitutum putat a *Gregorio X*, sed *Cavalerii* sententiæ subscribo, qui datum censet anno MCCLXIII, quo locus ipsi est in serie Præsulum *Cæsenatensium*, ut apud *Ughellum Tomo II Italiæ Sacræ pag. 452 Edit. II*, cuilibet inspicienti patebit.

Anno 1264. F. Gualterus Calaber, Episcopus Gabulensis, vulgo *Narenza*, in Dalmatia. *Bulla* - Cum sit - *Data IX Junii MCCLXVII. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIV num. X. Fontana Theatro Domiaicano Parte I Cap. V Tit. CCLIV pag. 195. Cavalerius Tomo I pag. 26 num. LIX.*

Anno 1264. F. Bartholomæus de Benevento, ex Episcopo Aleriensi. ut videre est in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV*, Episcopus Amerinus, seu Amelien., in Umbria, immediate sub Sancta Sede. *Bullæ* - Debitum - *Datæ XVIII Februar. MCCLXIV. Ughellus in Episcop. Amerinis Tomo I Italiæ Sacræ pag. 299 Edit. II, & in Episcopis Alerien. Tomo III pag. 502, ex Regesto Apostol. Epist. CXIII fol. 33 anni IV Urbani IV. Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXIV num. X. Fontana Theatro Dominicano Parte I Tit. XXVIII pag 123. Cavalerius Tomo I pag. 44 num. 126.*

Circa Annum 1264. F. Ægidius, Episcopus Torcellanus, sub Patriarcha Veneto: *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Episcopor. pag. 23 col. I. Ughellus in Episcopis Torcellanis Tomo V Italiæ Sacræ pag. 1386 Edit. II*, ubi ex variis Instrumentis probat *Ægidium* sedisse *Torcelli* tum anno MCCLXIV, tum MCCLXXXII. Solemni Translationi Corporis *S. P. Dominici* anno MCCLXVII adfuisse *Ægidium Torcellanum* Antistitem, docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXX pag. 255, & 256*. Illum crediderim *Ægidium*, quem *Tolosanæ* Sedi perperam præficiunt vel anno MCCXL, ut censet *Antonius Senensis*, vel anno MCCL, ut opinatur *Plodius*. Utrumque via excidisse demonstrant, quæ ex *Cavalerio* diximus in *Appendice ad Pontificatum Gregorii IX.*

Anno 1264. F. Petrus de Sancto Ylario, Episcopus Laodiciensis, in Syria, sub Archiep. Damasceno. *Bulla* - Commoda varia - *data XXI Septembr. MCCLXV, & tres aliæ incipientes* - Ad honoris - *Datæ eadem die XXI Septembr. MCCLXV*. Nunc Metropolis est hæc *Laodiciensis* Ecclesia.

LEGATI.

Anno 1264. F. . . . . . Prior Provincialis Tusciæ, Romanæ nempe Provinciæ, Legatus ad Lucenses & Pisanos. *Bulla* - Dilecti filii - *Data XXXI Julii MCCLXIII. Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXIII pag. 263 num. XX. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad eundem annum num. LXXV &c. Citat Epistolas CXXIX, CLXXX, CLXXXI, CLXXXII, CLXXXIII Libri II, & Epistolam XXXII Libri III Urbani IV.*

Anno 1264. B. Ambrosius Sansedonius, Prior Urbevetani Cœnobii, ad Genuenses Legatus. *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXIV num. LVII. Bzovius ad eundem annum num. IX. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag. 354 num. VIII. Cavalerius Tomo II in Indice, verbo:* Legati.

CLE-

CLEMENS IV

Antea Guido Grossus vocatus, oriundus e Gallo-Provincia, de Villa Sancti Ægidii, ad Summum Pontificatum provectus est Perusii Die V Mensis Februarii, Anno MCCLXV. Consecratus (a) fuit eodem Anno VIII Kalendas Martii, Die nempe XXII Februarii. Diem clausit (b) extremum III Kalendas Decembres, Die scilicet XXIX Novembris Anno MCCLXVIII. Sedit Annos III, Menses IX, Dies XXV.

(a) Clemens IV Libro 1 Epist. 2. (b) Bernardus Guidonis in Chronicis Summorum Pontificum.

Episcopo, & Priori Prædicatorum Vercellen. (1), ut quæ Magister Gualo Testamento præscripserat, perficienda curent.

Anno 1265 Die 7 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 913.

I.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo, & dilecto filio Priori Prędicatorum Vercellen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



Lim bonę mem: Magister Gualo, Apostolicę Sedis Notarius, in sua ultima voluntate dilectum filium nostrum Sancti Adriani Diaconum Cardinalem (2), & quondam Henricum, Notarii prefati germanum, executores sui constituit testamenti. Cum autem prędictus Henricus viam, ut dicitur, sit universę carnis ingressus, nos nolentes, quod, ex causa aliqua, pia ipsius defuncti fraudetur intentio, vos in locum ipsius Henrici, quoad illa, quę idem Notarius in Lombardia habebat, in executione testamenti hujusmodi duximus subrogandos; vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus eum prefatus Cardinalis non possit in illis partibus executioni hujusmodi personaliter interesse, colligentes, & recipientes ad manus vestras res omnes, quę fuerint Notarii suprsdicti, distribuatis easdem, prout secundum Deum animę saluti ejusdem Notarii videritis expedire, quantum inde, unde, & a quibus receperitis, qualiter ea distribueritis, & quicquid super his feceritis, nobis per vestras patentes literas rescripturi. Datum Perusii Nonis Martii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

1. *Vercellen.*) In *Pedemontio*.

2. *Cardinalem.*) Ottobonum, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCXLIII pag. 129.*

Archidiacono Bergomen. (1), ut, quæ periculo Fidei Bergomates sanxerunt, rescindat.

Anno 1265 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Pergamen. Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

MUltorum detestanda presumptio, se supra seipsam elevans, graviter, quasi rem levem agat, excedere non formidans, contra Deum, & fidem Catholicam prorumpit sępe sępius in offensam, &, nisi suis interdum ausibus resistatur, fit per insolentiam audacior ad peccandum. Propterea gravi, nec mirum, turbatione movemur, quod, sicut nuper implacida relatio nostrum turbavit auditum, Consilium, & Commune Pergamen., cum deberet dilectis filiis Fratribus Prędicatoribus, Inquisitoribus hereticę pravitatis in illis partibus a Sede Apostolica deputatis, circa extirpationem pravitatis hujusmodi de suis finibus, toto posse assistere, tanquam fidei zelatores, ipsi in contrarium molientes, quoddam pręsumptione dampnabili edidere statutum, cujus prętextu negotium fidei, quod per Fratres ipsos salubriter agitur, ut in eo procedi libere nequeat, directe, vel indirecte, graviter impeditur. Hujusmodi autem statutum nephariium inter alia dicitur continere, quod si aliquem de Civitate, vel districtu Pergamen. pro eo citsri, vel excommunicari, aut interdici contingat, quod est hereticus, vel credens, aut fautor hereticorum, seu favorem, & auxilium hereticis, aut credentibus, vel eorum fautoribus prestitisse, aut aliquid contra honorem Ecclesię dixisse, seu fecisse, forsitan diceretur, & idem voluerit, vel paratus fuerit in Civitate Pergamen. coram venerabili Fratre nostro Pereamen. Episcopo, aut illo, per quem citatus, vel excommunicatus, suspensus, aut interdictus fuerit, jurare, se esse de fide Romanę Ecclesię, seque articulos fidei ejusdem Ecclesię velle credere, necnon coram Potestate ipsius Civitatis, nomine, & vice predicti Communis, sub pęna centum solidorum Imperialium, solvendorum eidem quotiens contra premissa venerit, promittere, prestito juramento, non possit, nec debeat ad eundem propter hoc extra Civitatem predictam per aliquam personam aliquo modo compelli, & nichilominus possit esse Officialis & Ambassator (3) Civitatis ejusdem, ac omnem honorem, & quodlibet officium, omnesque actus alios legitimos exercere, nec ullam lęsionem, occasione hujusmodi citationis, vel interdicti, aut excommunicstionis, incurrat. Anciani (4) vero, Commune, ac populus Pergamen., hujusmodi citatum, vel interdictum, aut excommunicatum, manutenere, ac defendere in expensis propriis teneantur; predictum quoque statutum certis pęnis vallasse, ac in statutis prefatę Civitatis non mutandum, aut corrigendum in aliquo, posuisse temeritate detestanda, dicuntur. Quia vero ea, quę redundant in derogationem catholicę fidei, non debent a nobis, vel quibuscunque aliis fidelibus, sustineri, discretioni tuę per Apostolica scripta, in virtute obedientię, & sub pęna excommunicationis firmiter precipiendo, mandamus, quatenus predictum precipue,

Quid periculo Fidei decreverint Bergomates, refert.

Mandatum.

& quęlibet alia statuta, quę a Pergamen. (1), vel quibuslibet aliis ordinata, & facta in Pergamo, ejusque toto districtu, dicuntur, per quę ipsi negotio posset obstaculum provenire, diligenter inquirere, ac etiam invenire, & quęsita, & inventa, de consilio, & assensu dictorum Inquisitorum, vel alicujus eorum, ad tale moderamen reducere, & facere reduci, procures, quod per ipsa dictorum Inquisitorum processus non impediantur in aliquo, vel quomodolibet retardentur: faciens nichilominus, quod supradictum statutum in nullo, nec alia quęlibet, negotio prefato contraria, & per quę posset impedimentum aliquod Inquisitoribus afferri eisdem, quo minus in illo juxta formam sibi traditam a predicta Sede Apostolica libere procedi valeat per eosdem in Civitate ipsa, vel alibi in ejus districtu, aliquatenus observentur; Potestatem, Ancianos, & Consilium Civitatis ejusdem, per excommunicationis in personas eorum, & commune predictum, per interdicti in Civitatem ipsam sententias, ad id, monitione premissa, appellatione postposita, compescendo. Datum Perusii V Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Bergomen.*) In *Italia*. Ex hoc autem Autographo firmantur superius annotata, ubi *Bergomum* alias *Pergamum* fuisse nuncupatum, dictum est.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Ambassator*.) Id est Orator, legatus, Nuncius.
4. *Anciani*.) Primores scilicet civitatis.

Anno 1265 Die 23 Aprilis.

III.

Piis precibus Fratrum quam diligentissime sese commendat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro (2), & Fratribus Ordinis Prędicatorum, apud Montem-Pessulanum (3) convenientibus in Capitulo Generali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ordinem FF. Prædicatorum laudibus celebrat.

SPlendor paternę glorię, de luce lucem proferens, & saluti humani generis clementer intendens, lucernam pedibus hominum, & eorum semitis lumen dedit, dum ipse lux vera, quę omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, Ordinem vestrum, lucernam quippe igne caritatis ardentem, & lumen, doctrinę fulgore prelucidum, in templo Ecclesię universalis accendens, ut omnibus longe, lateque reluceat, super candelabrum eminentis Religionis erexit. Hujus inclyti professores, illum re profitentes, & nomine, circa pedes hominum, non indigne lucernę describuntur officio, & circa ipsorum semitas, non immerito luminis intitulatione censentur. Ipsi namque opere predicantes, & verbo, sic hominum lucent affectibus, ut illos exemplis salutaribus dirigant; sic eorum operum salubribus doctrinis illuminant, ut secundum illas operantes, eluceant, quocumque sub illarum observatione quibusdam quasi gressibus operationis incedant. Hii sunt igitur, quos, juxta Sapientis consilium, precedit ante omnia verbum verax, sermo videlicet predicationis Evangelicę, cum innocentis vitę puritate concordans. Hii sunt, qui ambulantibus in tenebris mundi hujus, ne ad errorum scopulos, quos hostis antiquus insidiose ipsis opponit, periculosius allidantur, lumen catholicę veritatis ostendunt, & per fervidę caritatis viscera facti cęcis oculi, pedes claudis, ex cęcitate ignorantię delinquentes illuminare, predicando, satagunt, ex infirmitate vero peccantes, orando, relevare conantur; tanto procul dubio efficaciores preces fundentes ad Dominum, quanto per sanctitatem vitę, ac conscientię puritatem, gratiores in illius, quem orant, conspectu redduntur. Quarum suffragium eo instantius, eo humilius imploramus, quo illas nobis necessarias amplius ex nostrorum consideratione defectuum, ex instantium periculorum multiplicatione fatemur. Dum enim difficultatem injuncti nobis officii cotidie in libro experientię legimus, dum imminentis nobis oneris eandem molem molestiis assiduis experimur, dum in agrum mundi hujus elaborandum, nobis, prout placuit Domino, creditum, passibus inventę sollicitudinis, & sollicitę intentionis eximus, ipsumque jam non tam albescentem ad messem, quam silvescentem ad vepres, attendimus, insufficientiam pertimescimus propriam, gravi nimirum timore concutimur, nec minus terribili concussione terremur. Oculis siquidem meditationis attente circumquaque porrectis, circumdantium nos tempestatum procellas inspicimus, & intumescentes undique contra Petri naviculam fluctus horremus. Sed dum in his nostram imbecillitatem metuimus, ipsius Apostolorum Principis exemplo monemur, ut a periculis pelagi mundi hujus ad divinum confugiamus auxilium, illum pulsantes precibus, & clamoribus excitantes, cujus imperio extumescunt fluctus continuo, & stat spiritus procellarum. Quia vero ad illius auxilium implorandum de vestra precipue devotione confidimus, de orationum vestrarum specialiter opitulatione speramus, universitatem vestram monemus, rogamus, & obsecramus in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Moysis manus debiles, cujus in populo Domini typum, licet immeriti, gerimus, intercessionum vestrarum suffragiis sustentantes, apud illum, qui suo Sanguine fundavit Ecclesiam, devotis precibus insistatis, ut ipse Nos, & ipsam suam Ecclesiam, in tantis angustiis constitutos, suę potentię dextera protegat, & defendat; Sicque Nos in ipsius regimine dirigat, quod nostris temporibus toti populo christiano pax, & tranquillitas optata, proveniat, & tandem cum uniuscujusque merita libra discussionis extremę libraverit, Nos una cum grege nobis credito, qui judicio preerit, cum benedictionis preconio, ad perceptionem Regni celestis invitans, in dilecta sua tabernacula introducat. Ceterum ut Nos, qui a vobis pensum filialis devotionis exigimus, illud exhibitione paternę ad vos benevolentię compensemus, volumus, vos indubitata fide tenere, quod vos, & predictum vestrum Ordinem specialis favoris singularitate prosequimur, & ea, quę ad prosperum statum vestrum, & ipsius Ordinis utilia fuerint, quantum cum Deo poterimus, favorabiliter exequemur. Datum Perusii VIIII Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Piis precibus Fratrum se commendat.

1. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
2. *Magistro*.) Is erat *F. Johannes de Vercellis* VI Magister Ordinis.
3. *Montem-Pessulanum*.) In *Occitania*, quo convenerunt Fratres Die XXIV Maii.

Ne

Ne quis in Ædibus facris, vel in Cœnobiis noftris vim adhibeat (1).

Anno 1265 Die 9 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Clemens Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiftro, Prioribus, & Fratribus univerfis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoftolicam Benedictiooem.

IN quibufdam locis aliquando, illas, prout accepimus, perfecutiones, & anguftias fuftinetis, ut vix fit vobis poffibile, quod ibidem Conditori omnium valeatis, prout cupitis, devotum impendere famulatum. Hinc eft, quod nos veftrę providere quieti, ac malignorum malitiis obviare volentes, ut nullus de cetero, Ecclefias, aut loca veftra, aufu temerario prefumat infringere, aut in illis violentiam dampnabilem exercere, auctoritate prefentium diftrictius inhibemus. Illi vero, qui divini poftpofito timore nominis, fecus facere prefumpferint, ipfo facto fententiam excommunicationis incurrant, a qua non poffint abfolvi, nifi per Sedem Apoftolicam, vel per confervatores. ab ea vobis, aut eidem Ordini deputatos. Nulli ergo &c. Noftrę Inhibitionis &c. Datum Perufii VII Idus Maii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Cavet ut fupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Adhibeat.*) Confule *Tractatum de Confenfu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum. Idem legitur in *Conftitutionibus Ord. Prædicator. typis editis anno MDV num. LX, in aliis an. MDVII num. LXIV, apud Ufufmarem pag. 55, Caftellanum pag. 45, Confettium pag. 16, Rodericum in nova collectione Privilegiorum Apoftolicor. pag. 31.* Autographum affervatur *Tolofæ*.

Magiftro, Prioribus, ac vices Priorum gerentibus, ut a Cenfuris Ecclefiafticis Fratres folvere poffint (1).

Anno 1265 Die 11 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Clemens Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiftro, & univerfis Prioribus, ac vices Priorum gerentibus, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

LIcet ad hoc Fratrum veftri Ordinis pia defudet intentio, ut ab eis in his, quę faciunt, prudenter, & provide procedatur, per hoc & fuę Religioni proficere, & Dei cupientes Ecclefiam honorare, tamen aliquando ex conditionis humanę fragilitate contingit, quod quidam ex ipfis in cafibus excedunt, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut fufpenfionis incurrunt fententias a jure, vel a judice generaliter promulgatas, & hujufmodi fententiis innodati, aut in locis fuppofitis Ecclefiaftico interdicto, divina officia celebrantes, vel fufcipientes Ordines fic ligati, notam irregularitatis incurrunt, quare a nobis fupplicatione humili poftulaftis, ut cum viri, contemplationi dediti, fint in Religionis favorem a difcurfibus cohibendi, ac propter viarum pericula eifdem Fratribus ad noftram, & Diocefanorum prefentiam impediatur acceffus, providere fuper hoc de benignitate folita curaremus. Nos itaque pie volentes, quod veftra devotio in his, quę digne poffumus, Sedem Apoftolicam reperiffe gaudeat gratiofam. ut finguli veftrum in Provinciis, Conventibus, & locis fibi commiffis, predictis Fratribus, conftitutis ibidem, & aliis Fratribus ejufdem Ordinis interdum ad eos declinantibus undecumque, abfolutione, ac difpenfatione indigentibus, five priufquam Ordinem intraverint, five poftea in cafibus exceflerint memoratis, impertiri valeant abfolutionis beneficium, & difpenfare cum eis, vobis auctoritate prefentium concedimus facultatem, nifi adeo gravis fuerit, & enormis exceffus, quod merito fint ad Sedem Apoftolicam deftinandi. Nulli ergo &c. Datum Perufii V Idus Maii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Conceffio.

Sanctio pœnalis.

1. *Poffint.*) Ut in *Tractatu de Confenfu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Ædes facras Cœnobii noftri Mediolanenfis Die fefto, & per Octavam S. Petri Martyris, vifitantibus Indulgentiam elargitur (1).

Anno 1265 Die 26 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

Clemens Epifcopus, Servus Servorum Dei, univerfis Chrifti fidelibus, prefentes literas infpecturis, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

LIcet is &c. (3). Cupientes igitur, ut Ecclefia dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Predicatorum Mediolanen. congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus, & Confeffis, qui Ecclefiam ipfam in Fefto Beati Petri Martyris, cujus Corpus in ipfa Ecclefia requiefcit, unum annum, & qui ufque ad feptem dies proximo fequentes venerabiliter vifitaverint, annuatim de omnipotentis Dei Mifericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoftolorum ejus auctoritate confifi, centum dies de injuncta fibi penitentia mifericorditer relaxamus. Datum Perufii VII Kalendas Junii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Indulget ut fupra.

1. *Elargitur.*) Confule *Tractatum de Confenfu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Mediolani* affervato in Cœnobio *S. Euftorgii*. Plumbum fericis filis appenditur.

3. *Licet is &c.*) Ut fupra *XXV Martii MCCXXXVI* ad hæc ufque verba: *Gratiæ aptiores.*

Anno 1265
Die 31 Maii.

Canonica portione solvenda Nostrates eximit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exemptio.

Sanctio poenalis.

Pium est, & consonum ęquitati, ut vos, qui abnegantes salubriter vosmetipsos, elegistis in paupertate Christo pauperi famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes, illius intuitu, cujus vicarii sumus in terris, illa prosequamur gratia, per quam cultus ejus ampliari valeat, & paupertas vestra in aliquo relevari. Hinc est, quod nos, necessitatibus vestris paterno compatientes affectu, ut de hiis, quę in ornamentis, vel pro eis, aut libris, seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis, aut victu, ad sustentationem vestram, aut indumentis, vel calceamentis vestris, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquę domus vestri Ordinis obligatę noscuntur, vel de domibus, prędiis, & ortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de hiis, quę pro hujusmodi domibus, prędiis, ortis, & locis emendis, vobis legantur, dummodo pręmissa non convertantur in usus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam justitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere, devotioni vestrę, auctoritate pręsentium indulgemus; districtius inhibentes, ne quis a vobis de pręmissis aliquid exigere, vel extorquere pręsumat, & sententias omnes excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quas in vos, vel in aliquem vestrum, seu executores testamentorum, vel heredes decedentium, seu benefactores vestros communiter, vel divisim, per quoscunque, contra hujusmodi concessionem, & inhibitionem nostram, contigerit promulgari, decernentes irritas & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis, inhibitionis, & constitutionis infringere, vel ei &c. Si quis autem &c. Datum Perusii II Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Eximit.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1265
Die 3 Junii.

Mare Magnum, idest Diploma Privilegia firmans, & augens (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Facultas absolvendi a censuris.

Virtute conspicuos &c. (3). Sive priusquam intraverint in Ordinem, sive post in casibus excesserint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut suspensionis incurrunt sententias, a iure, vel judice generaliter promulgatas, & hujusmodi sententiis innodati, aut in locis suppositis Ecclesiastico interdicto divina Officia celebrantes, vel suscipientes Ordines sic ligati, notam irregularitatis incurrunt. absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impertiri, nisi adeo gravis fuerit, & enormis excessus, quod sint ad eandem Sedem merito destinandi. Fratres etiam vestri, quos pro tempore, vos, Magister, & Priores, tam Provinciales, quam Conventuales, necnon & vices vestras gerentes in proprios habueritis Confessores, absolutionis, & dispensationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri, juxta formam concessionis super absolutione, & dispensatione Fratrum ejusdem Ordinis superius vobis factę. Ad hęc volentibus vestro aggregari collegio, qui suspensionis, aut interdicti, vel excommunicationis sententiis, a jure, vel a judice promulgatis, generaliter sunt ligati, absolutionis beneficium, observata forma canonica, impertiri, ipsosque in Fratres recipere, ac eos, qui post assumptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint, se talibus in seculo fuisse sententiis innodatos, secundum formam ipsam, vos, Magister, & singuli Priores Provinciales, & Conventuales, & vices vestras gerentes, valeatis absolvere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis interdicto suppositis, divina pręsumpserunt Officia celebrare, vel Ordines receperunt, ita tamen, quod si aliqui ex hujusmodi eisdem sententiis propter debitum sunt adstricti satisfaciant, ut tenentur. Volumus autem nichilominus, quod postquam fuerint absoluti hujusmodi volentes aggregari supradicto collegio, nisi mox Ordinem vestrum intraverint, etiam si super hoc eis inducię a Prelatis ejusdem Ordinis concedantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus eos taliter absolvi contigerit, relabantur. Ceterum vestra discretio caute provideat, ut Apostolicę Sedis, Legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus hujusmodi scandalum evitetur &c. (4) Ibique pro vestris usibus construere ędificia, Ecclesias, seu Oratoria, aut in accedentes Fratres, seu construentes hujusmodi, vel receptatores ipsorum excommunicationis sententias ferre pręsumant. Concedimus quoque vobis, ut de hiis, quę in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo, sive aliis ad perpetuum cultum divinum, seu pro pitantiis, aut victu, ad sustentationem vestram, vel indumentis, aut calceamentis vestris, necnon pro annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquę domus obligatę noscuntur, vel de domibus, prędiis, & ortis, aliisque locis vobis secundum instituta vestri Ordinis opportunis, aut de hiis quę pro hujusmodi domibus, prędiis, ortis, & locis emendis, vobis legantur, dummodo pręmissa non convertantur in usus alios, sed in illos dumtaxat, pro quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac concessione, vel indulgentia continentur, nulli Canonicam justitiam, aut portionem aliquam

Portione Canonica solvenda Fratres eximit.

aliquam teneamini exhibere, & ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, seu decedentium heredibus, de premissis aliquid exigere, vel extorquere presumat, districtius inhibemus. Ad hec liceat Fratribus vestri Ordinis, cum de prioribus locis suis ad alia loca se transferunt, tam edificium, seu omnem edificiorum materiam, locorum, que dimittunt, dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis, quam libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre, & edificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, preter Ecclesias, per personas ad hoc a Sede Apostolica deputatas vendere &c. (5). Datum Perusii III Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Translatis Cœnobiis, supellex, cetteraque id genus, etiam transferenda.

1. *Augens.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo,*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Exemplar authenticum habes in Cœnobio *Ragusino.*

3. *Conspicuos &c.*) Ut supra XXVIII Martii MCCLXI ad hæc usque verba: *Sive priusquam intraverint.*

4. *Evitetur &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Ibique pro vestris usibus.*

5. *Vendere &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

O.... (1) S. Adriani Diacono Cardinali, ut quodcunque munus, & onus Fratribus nostris, ceterisque possit injungere.

Anno 1265 Die 3 Junii

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 928.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio O... S. Adriani Diacono Cardinali, Apostolice Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IX.

CUm te ad partes Anglie pro urgentibus, & arduis negotiis destinemus, in desideriis nostris geritur, ut, submotis impedimentis quibuslibet, hujusmodi negotia felicem consequantur effectum, injungendi dilectis filiis Fratribus Predicatorum, & Minorum, & aliorum Ordinum ubilibet constitutis, quecunque prosecutioni officii, vel utilitati negotiorum tibi commissorum, videris expedire, ac contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus aliquibus indulgentiis eis specialiter, aut Fratribus suorum Ordinum generaliter ab Apostolica Sede sub quacunque forma verborum concessis, per quas super hoc in aliquo se tueri valeant, & de quibus oporteret in nostris literis plenam, & expressam fieri mentionem, discretioni tue plenam, & liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Datum Perusii III Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio.

Clausula derogans.

1. O....) *Ottobonus*, qui postea *Adrianus V* dictus est, ipsius vir tutes laudibus celebrat *Clemens IV Epistola XXXVIII Lib. I.* Cur vero legationis gerendæ munus ipsi contulerit, docet *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXIV num. XXXIII*, cujus hæc verba: *Non diu tenuit in Anglia pax, quam Rex Sanctus* (Ludovicus IX) *Ambiani sanxerat; Novarum enim rerum cupidi proceres, cum ex regia auctoritate pristino splendori restituta rescissis legibus, quas per vim, & metum, ab Henrico Oxonii extorserant, suam imminui, ac labefactari interpretarentur, Leycestriæ, & Glovernia Comitibus præcipuis belli facibus, in arma coorti sunt, commissoque prælio, dum Eduardus Londinenses in fugam aversos, maternæ injuriæ ulciscendæ causa, longius persequitur, ex ejus absentia debilitato regio exercitu, cum maxima ejus pars ad diripienda rebellium castra sese effudisset, occasionem aucupati regiae copias perrupere, atque in ardentissimo conflictu Henricus, ac Richardus, in potestatem hostium devenere. Reversus victor Eduardus patrem captivum reperit, illiusque recuperandi cupidus prælium redintegrat, sed a suis, quos favor nimius perculerat, destitutus, cedere prælio coactus est. Hæc erat funesta rerum Anglicarum facies, quæ Pontificis* (Urbani IV) *animum maximo dolore confecit, utque auctoritate Apostolica comprimeret, qui regiam calcaverant, Guidonem Sabinensem Episcopum legationis munere auctum, qui sub Clementis nomine postea Pontificatum gessit, in Angliam ire jusserat, sed perduelles vias undique armatis obsepsere, ne appellere posset*, ut videre est ex Diplomate quod exscripsit idem *Odoricus ad an. MCCLXV num. LXI*; hinc *Clemens* legavit Ottobonum.

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Placentin. (1), ut Guillelmus de Viculo munus Præpositi possit obire.

Anno 1265 Die 8 Junii.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 914.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Predicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum Placentin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. X.

CUm, sicut dilecti filii Capitulum Ecclesie S. Marie duodecim Apostolorum Placentin., ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Augustini, nobis exponere curaverunt, Ecclesia ipsa Preposito vacet ad presens, & per Sedem Apostolicam Capitulis Ecclesiarum, civitatum, & locorum que Uberto Marchioni Pelavicino (2) adherent, sit inhibitum, ne aliquem in Episcopum, Abbatem, Priorem, Prepositum, Canonicum, Clericum, vel Conversum presumant eligere, aut etiam nominare. Nos, ipsius Capituli supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus Fratri Guillelmo de Viculo Canonico ejusdem Ecclesie, viro utique, ut dicitur, provido, & honesto, ac in spiritualibus circumspecto, si in eum vota omnium fratrum dicte Ecclesie inveneritis unanimiter concordare, ac ei vite, & scientie merita suffragantur, & sibi nihil obviet de canonicis institutis, ipseque sit devotus Ecclesie, & traxerit originem de devotis, curam & administrationem prefate Ecclesie in spiritualibus, & temporalibus committere, auctoritate nostra, studeatis. Contradictores &c. Non obstante indulgentia qua vobis, vel Fratribus vestrorum Ordinum a Sede Apostolica dicitur esse concessum, ne executiones negotiorum, sive causarum inuiti suscipere teneamini, que vobis a Sede committuntur eadem. Datum Perusii VI Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandatum.

Clausula derogans.

1. *Placentin.*) In *Longobardia* sub dominio Ducis *Parmæ*.

2. *Pelavicino.*) De quo supra *IX Decembris MCCLX.*

G....

Anno 1265 Die 13 Junii.

G... (1) Tituli S. Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali, S.S. A. Legato, ut Fratrum nostrorum, aliorumque opera, tanquam sua, uti possit.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 915.

XI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio G... Tituli S. Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

Clausula derogans.

CUm de tuę circumspectionis industria &c (2) arbitramur, ut tibi, quam postulas, gratiam faciamus: Hinc est, quod nos, petitioni tuę benignius annuentes, ut tam Fratres Prędicatores, & Minores, quam quoscunque alios Religiosos, ad tuum assumere possis servitium, tibi tanquam suo Prelato in omnibus humiliter pariturος, ipsosque pro commissis tibi negotiis, quo volueris destinare. Contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus quibuscunque statutis eorundem Fratrum & religiosorum Ordinum, seu indulgentiis, eisdem Ordinibus, vel personis ipsorum ab Apostolica Sede concessis, per quas non expressas pręsentibus, vel de verbo ad verbum totaliter non insertas, id quomodolibet impediri valeat, vel differri, devotioni tuę auctoritate pręsentium duximus concedendum. Datum Perusii Idibus Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *G...*) *Guidoni* scilicet in *Daniam* misso. Causam legationis & Legati virtutes disces ex ipsomet *Clemente Libro I Epist.* LXXXIX apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLXV. num. II. &c.*

2. *Industria &c.*) Quæ hic desunt nondum inveni.

Anno 1265 Die 15 Junii.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut quam ab Episcopo tenent, eadem auctoritate, Sede vacante, confessiones excipere, conciones habere &c. possint (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Clemens Episcopus. Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

Sanctio pœnalis.

EXigentibus vestrę devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod licet vobis a nonnullis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, audiendi confessiones subditorum suorum, necnon predicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi, in suis Civitatibus & Diocesibus, licentia sit concessa, quia tamen eisdem Prelatis decedentibus, uti licentia hujusmodi, Ecclesiis sic vacantibus, dubitatis, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujusmodi casu possitis uti tamdiu prędicta libere licentia, donec viduatis Ecclesiis provisum fuerit de Pastore. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis infringere &c. Datum Perusii XVII Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Possint.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum* Tomo ultimo *Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Aliud asservatur *Tolosæ*. Plumbum sericis filis appenditur. Adeas etiam *Castellanum pag. 46*, *Ususmarem pag. 55*, *Confettium pag. 16.*

Anno 1265 Die 15 Junii.

Magistro, & Fratribus, ne quis S. Sedis Apostolicæ Legatus, nisi *de latere*, Fratres nostros excommunicatione devinciat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

Indultum prædictum.

Sanctio pœnalis.

EXigentibus vestrę devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras, quantum cum Deo possumus favorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Apostolicę Sedis Legati, & Delegati, eorumque subdelegati, auctoritate litterarum Sedis ejusdem, in quibus de Ordine vestro specialis mentio non habetur, in aliquos vestrum, vel loca vestra, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias fulminare presumunt, & faciunt ab aliis fulminari, ac mandant, eos excommunicatos publice nuntiari, & tanquam excommunicatos ab omnibus arctius evitari, in vestrum non modicum prejudicium, & scandalum plurimorum. Volentes igitur paci, & tranquillitati vestrę, paterna sollicitudine, precavere, vestris supplicationibus inclinati, ne ab aliquo Legato, nisi de latere Apostolicę Sedis misso, vel delegato, aut subdelegato, auctoritate litterarum Sedis predictę, excommunicari, suspendi, vel interdici possitis, nisi litterę ipsę plenam & expressam de Ordine vestro, & indulto hujusmodi fecerint mentionem, auctoritate vobis pręsentium indulgemus; ac decernimus nihilominus omnes sententias irritas, & inanes, ac nullius existere firmitatis, quas contra tenorem presentis Indulti per quemcunque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Perusii XVII Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. De-

1. *Devinciat.*) Lege *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*

5. *Archivo.*) In quo Autographum, quod etiam reperire est in Cœnobiis *Bononiensi*, *Tolosano*, *Vratislaviensi*, *Viterbiensi*, *Toletano*, *San-Maximinensi*, & *Niciensi*. Plumbum sericis filis appenditur. Idem leges apud *Rodericum in nova collectione Privilegiorum Apostolicor. pag. 31*, *in Constitutionibus Ord. Prædicator. vulgatis anno MDV num. LXII*, *in aliis an. MDVII num. LXVI*. Exemplar authenticum habes in Archivo Ordinis.

Fratres, quibus licet per S. Sedem Apostolicam, vel Legatos, aut Episcopos, administrare possunt, invitis Parochis, Sacramenta (1).

Anno 1265 Die 20 Junii

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XIV.

QUidam temere sentientes, & ad sobrietatem sapere nescientes, imprudenter pręsumunt asserere, quod de licentia, vel commissione, aut concessione Romani Pontificis, seu Legatorum Apostolicę Sedis, vel Ordinariorum locorum, vos, sine Sacerdotum Parochialium licentia, & assensu, non potestis libere prędicare populis, audire confessiones, & absolvere pęnitentes, ac pęnitentias injungere salutares. (Declaratio.) Nos ergo volentes assertionem tam temerariam penitus confutare, & elucidare in talibus veritatem, deliberatione provida, declaramus, quod, si vobis detur licentia, committatur, seu concedatur a Legatis prędictę Sedis, aut Ordinariis locorum, nedum a Romano Pontifice, de quo proculdubio esset erroneum dubitare, an in omnes sine alicujus consensu, immo etiam invitis quibuslibet, hujusmodi possit concedere potestatem, populis, Legatis & Ordinariis subjectis eisdem, libere prędicare potestis, audire confessiones, & absolvere vobis confitentes, ac pęnitentias vobis confitentibus injungere salutares, aliorum inferiorum Pręlatorum, & Rectorum Ecclesiarum Sacerdotum Parochialium assensu nullatenus requisito, (Nota verba.) illis casibus exceptis, qui de jure, consuetudine, seu retentione, ab eis specialiter facta, Sedi, Legatis, & Ordinariis prędictis, specialiter relinquuntur, ad quos non licet vos manus extendere, nisi vobis specialiter committantur; Ideoque auctoritate Apostolica districtius inhibemus ne quisquam super his, vel eorum aliquo, vos, vel aliquem vestrum, aut etiam confitentes vobis, vel ad prędicationes vestras forsitan accedentes, contra pręmissę declarationis formam, aliquatenus molestare pręsumat. Decernentes nichilominus irritum & inane, quicquid a quoquam contra declarationem, & inhibitionem hujusmodi contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę declarationis, inhibitionis, & Constitutionis infringere &c. Datum Perusii XII (3) Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Sacramenta.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud asservatur in Cœnobio *Brixiensi*, cujus exemplar authenticum legitur in *Bullario Brixiensi fol. 19.* Est etiam apud *Castellanum pag. 46*, *Ussmarem pag. 56*, *in Constitutionibus Ord. Prædicator. an. MDV num. LXI*, *in aliis an. MDVII num. LXV.*

3. *XII.*) Apud Auctores mox laudatos, & in *Constitutionibus Ordinis* legitur: *VII Kalendas Julii.*

Libera Sepultura (1) est in Ecclesiis nostris.

Anno 1265 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XV.

CUm a nobis petitur quod justum est, & honestum &c. (3). Nulli ergo &c. Datum Perusii X Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

2. *Sepultura.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

5. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Honestum &c.*) Ut in *Diplomate dato XXX Novembris MCCXXVII.*

Magistro, Prioribus, eorumque vicem gerentibus, ut Fratres, ac in Ordinem adsciscendos, a censuris (1) Ecclesiasticis solvere queant.

Anno 1265 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus universis, ac eorum vicem gerentibus, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XVI.

CÆlestis amor patrię &c. (3) secundum formam ipsam valeatis absolvere, & cum irregularibus dispensare, si forsan talibus innodati sententiis, vel in locis, Ecclesiastico interdicto suppositis, divina pręsumpserunt officia celebrare, vel Ordines receperunt, ita tamen quod si aliqui ex eisdem hujusmodi sententiis, propter debitum, sunt adstricti, satisfaciant ut tenentur. Ceterum vestra discretio caute provideat, ut Apostolicę Sedis, Legatorum ipsius, & Ordinariorum locorum in absolutionibus hujusmodi scandalum evitetur. Nulli ergo &c. Datum Perusii X Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1 Cen-

1. *Censuris.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

3. *Patriæ &c.*) Ut in Diplomate dato XXII Martii MCCXLIV ad hæc usque verba: *Secundum formam istam valeatis absolvere.*

Anno 1265 Die 27 Junii.

Magister, & Provinciales Ordinis super Irregularitate possunt dispensare (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

EXigentibus vestrę devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod contingit interdum, quod aliqui ex Fratribus vestris, excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias. ex quadam incautela proferunt sine scriptis, & postmodum ex quadam simplicitate, plerumque divine officia, contra Constitutionem (3) super hoc editam, celebrant infra mensem; super quo petiitis, eis Apostolicę Sedis providentia subveniri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, pręsentium vobis auctoritate concedimus, ut singuli vestrum, in propriis Conventibus, & locis vobis commissis, cum Fratribus constitutis ibidem, super Irregularitate hujusmodi dispensetis, imposita eis super hoc pęnitentia competenti, & quod de cetero in similibus non excedant. Quod si aliqui vestrum in hujusmodi casu excesserint, confessoribus, quos pro tempore vos habere contigerit, dispensandi modo prędicto vobiscum, libera sit, de nostra concessione, facultas. Nulli ergo &c. Datum Perusii V Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Dispensare.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Titulo IV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Aliud habes in Cœnobiis *Tolosano*, *Salmanticensi*, & *Niciensi*. Istius exemplar authenticum asservatur in Archivo Ordinis. Plumbum sericis filis appenditur. Legitur etiam apud *Castellanum pag. 46*, *Ujujmarem pag. 55*, *Consettium pag. 15*, *Rodericum pag. 32*, *in Bullario Benonien. fol. 12*, *in Constitutionibus Ord. Prædicatorum vulgatis an MDV num. LXIII*, *in aliis an. MDVII num. LXVII.*

3. *Constitutionem.*) Datam ab *Innocentio IV.* Extat *Sexto Decretal. Lib. V Tit. XI de Sententia excommunicationis Cap. I.* Cum medicinalis.

Anno 1265 Die 21 Septembris.

Fratri Petro (1) de Sancto Ylario, ut Ecclesiæ Laodiciensis (2) curam suscipiat.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 909.

XVIII.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro de Sancto Ylario, Ordinis Prędicatorum, Episcopo Laodicien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

COmmoda varia, quę spiritualiter & temporaliter vacantes Ecclesię, de sua consequuntur provisione salubri, rectę considerationis oculis attendentes, quę circa talem provisionem pie cępta fore conspicimus, fructuosis congruo tempore promovere favoribus delectamur. Sane Laodicien. Ecclesia Pastoris olim solatio destituta, felicis recordationis Urbanus (3) Papa Prędecessor noster detrimentis, quę ipsa Ecclesia ex vacatione diutina in spiritualibus, & temporalibus sentire poterat, diligentia intendens occurrere opportuna, te, de cujus circumspectione provida, & providentia circumspecta plenam in Domino fiduciam obtinebat, eidem Laodicien. Ecclesię auctoritate pręfecit Apostolica in Episcopum, & Pastorem, ac Prędecessore ipso naturę interim debitum persolvente, Nos, quos, licet immeritos, Divinę dispositionis providentia Prędecessori eidem in Apostolatus officio succedere, dignanter voluit, quod Prędecessor prędictus de ordinatione ipsius Ecclesię in hac parte inchoaverat, approbantes, idque favorabiliter prosequentes, tibi, apud Sedem Apostolicam constituto, per venerabilem Fratrem nostrum Bethleemitan. (4) Episcopum fecimus postmodum consecrationis munus impendi, spem gerentes in illo, qui dat gratias, & pręmia elargitur, quod eadem Ecclesia sub vigili diligentię tuę custodia pręservari debeat a noxiis, ac optatis felicibus, auctore Domino, proficere incrementis. Quocirca mandamus, quatenus onus humeris tuis impositum, & debita humilitate susceptum, in patientię benignitate portans solicite, ac in dilectione Dei pascendum suscipiens gregem ejus, ad commissam tuę solicitudini Ecclesiam, cum plenitudine gratię nostrę, ac benedictionis, accedas, sicque laudabiliter ac efficaciter illius curam & regimen gerere studeas, quod tibi per vitę meritum, ac aliis proficias per exemplum, Nosque, personam tuam exinde pręcipui favoris gratia prosequi, non immerito delectemur. Datum Perusii XI Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

F. Petrus Laodiciensis Episcopus constitutus.

Mandat ut supra.

1. *Petro.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani IV.*

2. *Laodiciensis.*) In *Syria ad Orontem* fluvium sita est *Laodicea*. A nonnullis *Cabiosa* vocatur, ab aliis *Laudicha* dicitur.

3. *Urbanus.*) *IV.*

4. *Bethleemitan.*) *F. Thomam Agni de Lentino*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV. &c.*

Laodicienſi (1) Capitulo Fratrem Petrum de Sancto Ylario Laodicienſem Epiſcopum eſſe denuntiat. Anno 1265 Die 21 Septembris.

Ex Arch. Ordinis lib. A. fol. 910.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Laodicien. Eccleſię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIX.

AD honoris veſtri augmentum pertinet, ac ſalutis, ſi velut devotionis filii ſpiritualem Patrem veſtrum honore debito pertractetis, ejuſque ſalutaribus beneplacitis efficaciter pareatis. Sane, Laodicien. Eccleſia Paſtoris olim ſolatio deſtituta, felicis recordationis Urbanus Papa Prędeceſſor noſter diſpendiis, quę ipſa Eccleſia ſpiritualiter & temporaliter ex vacatione diutina incurrere poterat, diligentia cupiens occurrere opportuna, dilectum filium Fratrem Petrum de Sancto Ylario, Ordinis Prędicatorum, Laodicien. Epiſcopum, virum utique literarum religione conſpicuum, ac in ſpiritualibus & temporalibus circumſpectum, Eccleſię prędictę auctoritate pręfecit Apoſtolica in Epiſcopum & Paſtorem, & Prędeceſſore ipſo interim rebus humanis exempto, Nos, qui, licet immeriti, eidem in Apoſtolatus officio ſucceſſimus, ſalubrem proviſionem hujuſmodi Prędeceſſoris prędicti favorabiliter proſequentes, dicto Epiſcopo tunc electo, & apud Sedem Apoſtolicam conſtituto, per venerabilem Fratrem noſtrum Bethleemitanum Epiſcopum munus fecimus conſecrationis impendi, ſperantes in illo, qui juſtas dirigit, & promovet actiones, quod eadem Eccleſia per ipſius Epiſcopi Laodicien. ſolicitudinem, ac induſtriam, grata in ſpiritualibus & temporalibus, pręſtante Domino, ſuſcipiet incrementa. Quocirca univerſitati veſtrę mandamus, quatenus eundem Laodicien. Epiſcopum, ad commiſſam ſibi prędictam Eccleſiam cum gratię noſtrę plenitudine accedentem, tanquam Patrem & Paſtorem animarum veſtrarum ſuſcipiatis devote, ſibique obedientiam & reverentiam debitam impendatis, ejus ſalubribus monitis & mandatis intendendo humiliter, alioquin ſententiam, quam idem &c. Datum Peruſii XI Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium.

Ut F. Petro morem gerant.

1. *Laodicien.*) Conſulendum præcedens Diploma.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 911.

EOdem modo Clero Civitatis, & Dięceſis Laodicien. ſcribit Pontifex. XX.

Laodicienſi Populo Fratrem Petrum de Sancto Ylario Laodicienſem Epiſcopum conſtitutum ſignificat. Anno 1265 Die 21 Septembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 911.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis, & Dięceſis Laodicien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXI.

AD honoris veſtri &c. (1) animarum veſtrarum devote ſuſcipientes, ejus monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendatis. Datum Peruſii XI Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Veſtri &c.*) Ut in penultimo Diplomate ad hæc uſque verba: *Patrem & Paſtorem*.

Ædes Sacras Ordinis noſtri die Dedicationis earum, ejuſdemque Anniverſario, & per Octavam, necnon Feſtis B. Mariæ Virginis, SS. Dominici, & Petri Martyris, ac Sancti, cui Altare præcipuum dicatur, viſitantibus Indulgentiam concedit (1). Anno 1265 Die 27 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, ac Prioribus, & univerſis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXII.

LOca Sanctorum omnium pia, & prompta, devotione ſunt a Chriſti fidelibus veneranda, ut dum Dei honoramus amicos, ipſi nos amicabiles Deo reddant, & illorum nobis vendicantes quodammodo patrocinium, apud Chriſtum quod merita noſtra non obtinent, eorum mereamur interceſſionibus obtinere. Cupientes igitur, ut Eccleſię locorum veſtrorum, congruis honoribus frequententur, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias ipſas in Dedicationibus ipſarum, & Anniverſario Dedicationum earum die, ac uſque ad octo dies ſequentes, necnon in Beatę Marię Virginis, Sanctorum Dominici Confeſſoris, & Petri Martyris, ac etiam aliorum Sanctorum, in quorum honore Altaria majora in Eccleſiis ipſis ſunt conſtructa, feſtivitatibus, cauſa devotionis venerabiliter viſitaverint, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Centum dies de injunctis ſibi pę-

Concedit ut ſupra.

penitentiis annis singulis misericorditer relaxamus. Datum Perusii V Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Concedit.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar.* *Tomo ultimo Tit. 1.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Aliud tenet Conventus *Tolosanus*. Plumbum sericis filis appenditur. Idem exscripsit *Ususmaris pag. 56.*

Anno 1265 Die 30 Septembris.

Abbati, & Conventui de Melros, ut nonnullos Fratres Ordini Prædicatorum restituant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati, & Conventui Monasterii de Melros, Cisterciensis Ordinis, Glasquensis (3) Diecesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Fratrum supplex petitio.

A Vestra solicite vitari debet industria quod injustum, & indecens esse dignoscitur, & in offensam Dei, aut injuriam proximorum, & Religiosorum precipue, redundare videtur. Lecta siquidem Nobis dilectorum filiorum Magistri, & Fratrum Ordinis Predicatorum, petitio continebat, quod vos, quosdam Fratres ipsius Ordinis, post professionem ab eis in ipso emissam, cum libris, & quibusdam bonis aliis de eodem Ordine asportatis, absque suorum Prelatorum literis in vestro Monasterio recepistis, quos detinere cum libris, & bonis hujusmodi presumpsistis, pretendentes certam super hoc indulgentiam a Sede Apostolica vos habere, sicque preter detrimentum, quod Ordini prefato exinde imminere dignoscitur, materia inter vos & illos gravis scandali suscitatur. Quia vero pro parte dictorum Magistri, & Fratrum super hoc ad Nos habitus est recursus, universitatem vestram attente rogandam duximus, & monendam, per Apostolica vobis scripta, firmiter precipiendo, mandamus, quatenus libros, & bona hujusmodi eisdem Fratribus, sine diminutione reddentes, Fratres ipsius Ordinis recipere de cetero minime presumatis.

Mandatum.

Quia vero indulgentiam, quam super hoc dicitis vos habere, non credimus a Sede Apostolica emanasse, vobis precipimus, quatenus eandem Nobis examinandam infra tres menses a receptione presentium mittere procuretis, quod si non habetis eandem, prefatos Fratres Ordini restituatis eidem; ita quod propter hoc, inter vos & illos nulla contentio exoriri possit ulterius, sed caritatis interne sinceritas potius augeatur; alioquin predicto Magistro, & singulis Prioribus, & eorundem vices gerentibus supradicti Ordinis, per Literas (4) nostras concedimus, ut tanquam contra Fratres ipsius Ordinis, qui, ut premissum est, jam sunt in Monasterio ipso recepti, vel qui modo simili recipientur ibidem, procedere, ac illos excommunicare valeant, prout eis competit ex indulto (5) Apostolico, quod super hoc obtinere noscuntur. Datum Perusii II Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Restituant.*) Videas *Tractatum de Consensu Bullar.* *Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar cujus Autographum est in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*
3. *Glasquensis.*) In *Scotia* sita est Diœcesis ejusdem nominis vulgo *Glascovu*. Verum quia Cœnobium *de Melros* erat in *Anglia*, uti monet eruditus *Cisterciensis* Ordinis alumnus, dicendum videtur, Diploma loqui de *Glasconiensi* Diœcesi, *Avalonia*, olim nuncupata.
4. *Literas.*) Desiderantur.
5. *Indulto.*) De quo sæpius supra, & in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*

Anno 1265 Die 5 Octobris.

F. Antonio (1) Ordinis Prædicatorum, Episcopo Ariminensi, ut ejusdem Ecclesiæ curam suscipiat.

Ex Archivo Ordinis lib. A. fol. 908.

XXIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri A.... Episcopo Ariminen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

IN nostra solicite mente versatur, precipue illis Ecclesiis fructuose provisionis adhibere consilium, quas, Ecclesie Romane proximas, carere perspicimus regimine Prelatorum. Presentatis siquidem olim nobis duabus electionibus in Ariminen. Ecclesia, tunc Pastore vacante, in discordia celebratis, ac eis, quas invenimus minus canonicas, rite cassatis, tandem volentes obviare discrimini, quo dicta posset Ecclesia ex vacatione diutina pregravari, te tunc Priorem Ordinis Fratrum Predicatorum Urbevetan. eidem Ecclesie, Fratrum nostrorum communicato consilio, prefecimus in Pastorem, ac tibi tandem per venerabilem Fratrem nostrum Ostien. Episcopum munus fecimus consecrationis impendi, ducti secura fiducia, quod cum sis vir probate conversationis & vite, ac in spiritualibus providus, & temporalibus circumspectus, dicta Ecclesia per tuum ministerium honoris, & commodi, Deo propitio, consequetur augmentum.

Mandatum.

Rogamus itaque Fraternitatem tuam, & hortamur attente, mandantes, quatenus ad eandem Ecclesiam, cujus tibi plenam administrationem in spiritualibus, & temporalibus duximus committendam, de Apostolice Sedis, & nostro favore confisus accedas, teque in ejus honoribus, & profectibus ampliandis, sic reddas sine intermissione solicitum, ut apud remotos, & proximos tua fama clareat per effectum, & in delectationem nobis veniat, te condigna opportuno tempore gratia prosequi, ac tuis justis desideriis favorem benevolum impertiri. Datum Perusii III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Antonio.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

Ariminensi Capitulo, Fratrem Antonium, Ordinis Prædicatorum, Episcopum Ariminensem constitutum esse significat.

Anno 1265 Die 5 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 908.

XXV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Ariminen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN nostra solicite mente &c. (1) venerabilem Fratrem nostrum A... Episcopum Ariminen., tunc Priorem Fratrum Prędicatorum Urbevetan., eidem Ecclesię, Fratrum nostrorum communicato consilio, prefecimus in Pastorem, ac ipsi tandem per venerabilem Fratrem nostrum Ostien. Episcopum munus fecimus consecrationis impendi, ducti secura fiducia, quod cum sit vir probatę conversationis, & vitę, ac in spiritualibus providus, & temporalibus circumspectus, dicta Ecclesia per ipsius ministerium honoris & commodi, Deo propitio, consequetur augmentum. Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur attente, per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandantes, quatenus eundem A... Episcopum, cui plenam ipsius Ecclesię in spiritualibus & temporalibus administrationem duximus committendam, eum ad vos pervenerit, admittentes hilariter, & devote, ac sibi tanquam Pastori vestro debitam obedientiam & reverentiam impendentes, eius salubribus mandatis, & monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios invenisse gaudeat, & vos consequenter in eo fructum paternę benevolentię semper gratulemini reperisse. Alioquin sententiam, quam idem propter hoc rite tulerit in rebelles &c. Datum Perusii III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Mente &c.*) Ut in praecedenti Diplomate ad hæc usque verba: *Diutina pragravari*

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 909.

EOdem modo Clero Civitatis, & Diœcesis Ariminen.

XXVI.

Ariminensibus Potestati, Ancianis, & Consilio Fratrem Antonium, Ordinis Prædicatorum, Ariminensem Episcopum creatum declarat.

Anno 1265 Die 5 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 909.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis nobilibus viris Potestati, Ancianis, & Consilio Ariminen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXVII.

LAudis humanę preconium, & premium gratię Divinę acquiritur, si condigna reverentia spiritualibus Patribus a devotis filiis promptis affectibus impendatur; presentatis siquidem olim nobis duabus electionibus in Ariminen. Ecclesia, tunc Pastore vacante, in discordia celebratis, ac eis, quas invenimus minus canonicas, rite cassatis, tandem volentes obviare discrimini, quo dicta posset Ecclesia ex vacatione diutina pregravari, venerabilem Fratrem nostrum A.... Episcopum Ariminen. &c. (1) quatenus personam ipsius Episcopi, cum ad vos pervenerit, tanquam patris & pastoris animarum vestrarum debito prosequentes honore, ipsius salubribus mandatis & monitis efficaciter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios invenisse gaudeat, & nos propter hoc devotionem vestram merito commendare possimus. Datum Perusii III Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Ariminen. &c.*) Ut in penultimo Diplomate ad hæc usque verba: *Pracipiendo mandamus.*

Magistro Gaufrido de Bellomonte, ut Fratres Prædicatores, ac Minores negotiis, a Sancta Sede sibi commissis, præficere possit.

Anno 1265 Die 15 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. pag. 930.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Gaufrido de Bellomonte, Capellano nostro, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XXVIII.

UT ea, quę tibi commisimus, quo plurium ministerio uti poteris, eo melius exequaris, presentium tibi auctoritate concedimus, ut Predicatorum, & Minorum, ac aliorum Ordinum personas ad tuam convocare presentiam, eisque committere nunc his, nunc illis valeas, quę utilitati, & promotioni negotiorum tibi commissorum videris expedire. Non obstante contraria eorundem Ordinum consuetudine, seu statuto, confirmatione Sedis Apostolicę, & quacunque firmitate alia roboratis, & quavis ipsius Sedis indulgentia generali, vel speciali cujuscunque tenoris existat, per quam id impediri, vel differri valeat, & de qua, cuiusque toto tenore plenam, & expressam fieri oporteat in presentibus mentionem. Contradictores &c. Datum Perusii Idibus Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo. Clausula derogans,

Anno 1265 Die 18 Octobris.

Provinciali Lombardiæ, ut octo ex Fratribus Inquisitores (1) creet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIcet ex omnibus mundi &c. (3). Datum Perusii XV Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Inquisitores.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Mundi &c.*) Ut in *Diplomate dato XXIII Martii MCCLXII.*

Anno 1265 Die 1 Novembris.

Leges, a Friderico in hæreticos latas, observandas (1) decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis (3), Ancianis (4), Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Decernit ut supra.

Idem sancitum ab Innocentio IV, & Alexandro IV.

CUm adversus hereticam pravitatem quondam Fredericus olim Romanorum Imperator, tunc in Ecclesię Romanę devotione persistens, promulgaverit Padue quasdam leges, per quas, ne pervagetur, compesci poterit pestis illa, Nos illas, quas felicis recordationis Innocentius (5) PP. IV, & Alexander IV. Romani Pontifices predecessores nostri voluerunt ad robur Fidei, ac salutem fidelium observari, prout in ipsius Alexandri PP. literis (6) perspeximus contineri, volentes in vestris Capitularibus annotari, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenorea vobis mittimus inferius presentibus, in vestris conscribi Capitularibus singuli faciatis, nullis inde temporibus abolendas; Civitates, vel loca, quibus preestis, districtus quoque, seu terras vestrę jurisdictioni subiectas, secundum eas ab heretica feditate folicite purgaturi. Tenores, autem legum ipsarum hi sunt. Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator &c. (7). Datum Perusii Kalendis Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Observandas.*) De his in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In *Manuscripto*, cui Titulus: *De S. Inquisitionis officio.* Idem legitur apud *Pegnam ad calcem Directorii Inquisitorum pag. 56.*
3. *Capitaneis.*) Ducibus nempe.
4. *Ancianis.*) Idest Primoribus, vulgo *Anziani.*
5. *Innocentius.*) *Bulla data XXXI Octobris MCCXLIII.*
6. *Literis.*) Superius exscriptis *anno MCCLVI.*
7. *Imperator &c.*) Ut in *Diplomate data XXXI Octobris MCCXLIII.*

Anno 1265 Die 2 Novembr.

Provinciali Franciæ, aliisque nonnullis, ut Bellum in Manfredum suscipiendum Populis suadeant (1).

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXV pag. 277.

XXXI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Bituricen., Narbonen., Senonen., & Rotomagen. Archiepiscopis, & dilectis filiis, Priori Prędicatorum, & Ministro Minorum Fratrum Provincialibus Francię, & Decano Remen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Manfredus intolerandus tyrannus.

DE venenoso genere, velut de radice colubri, virulenta progenies Manfredus, quondam Princeps Tarentinus, egressus, ab ineunte ętate, paternis se conformans nequitiis, nisus est quantum potuit, paternam sęvitiam superare: qui sicut impius in pessimis rebus exultans, gloriatus est, esse, ac dici Ecclesię persecutor, ad depressionem orthodoxę fidei, enervationem juris ecclesiastici, & jugem turbationem Italię, prout patet per opera, damnabili progenitoris (2) imitatione suspirans: in qua voluntate perfida non solum perseverans sed crescens, quantum in eo est. profanavit sacra, religiosa fędavit, destruxit Ecclesias, afflixit viros ecclesiasticos, & alios tam nobiles, quam populares, & pupillis, & viduis non pepercit, alias molitus totis viribus acceptum virus effundere, ac iniquitatem tam innatam, quam a Patre propagatam, in matrem Ecclesiam parturire. Et ut ad suę intentionis perfidiam posset pervenire facilius, Saracenis, & aliis inimicis Ecclesię in Christianorum dispendium speciali se amicitia copulavit. Idem quoque Regnum Sicilię, ad Romanam Ecclesiam pertinens, ut de aliis taceamus, invadens, ac Regnicolus perfidia inhumana contractans, quantum ex ipsius Regni opibus lędat Ecclesiam, turbet Italiam, & alias etiam remotas partes concutiat, non solum vicinis est notum, sed ad extremos orbis angulos jam pervenit, & licet Ecclesia tanquam pia mater longo tempore dissimulaverit ista, credens, quod ille, ad cor rediens, pęnitentiam ageret de commissis. quia tamen de die in diem fiebat deterior, & pejora prioribus cumulabat, quadam inevitabili necessitate oportuit nos pro Ecclesię defensione athletam assumere, ipsumque erigere ad illius proterviam retundendam. Cujus rei causa carissimum in Christo filium nostrum Carolum (3) Regem Sicilię illustrem, quem more progenitorum suorum Apostolica Sedes semper invenit ad beneplacita sua paratum, vocavimus ad hujusmodi negotium, eique predictum Regnum, de fratrum nostrorum consilio, duximus conferendum (4), firma spe, fiduciaque, tenentes, quod per ipsius strenuitatem,

Carolus Rex auxilio Ecclesiæ vocatus.

fideli-

fidelitatem, & potentiam, idem Regnum optata pace fruetur, gaudebit Italia, a bellis, ac turbationibus intestinis quiescens, Imperii Romanię (5) status reformabitur, & Terrę Sanctę in manu valida succurretur. Cum igitur idem Rex pro fidei catholicę incremento, Ecclesię honore, bono statu totius Italię, ac optata quiete fidelium, zelo fidei, & devotionis accensus, assumpto Crucis signaculo, contra prędictum Manfredum, & Saracenos Lucerię (6) accingat se (7) viriliter ac potenter, Nos, attendentes, quod Christiani populi, & maxime Italię, interest, ut tam salubre negotium, a cujus successu dependet plurimum, quam credatur, tranquillitas, in manu forti, & robusta procedat, Italicos, & alios fideles ad hoc salutare Jesu Christi exercitus tirocinium non solum piis exhortationibus, sed etiam superabundantibus gratiis invitamus. Et, ut universi, & singuli ad id eo libentius, & animosius intendant, quo exinde dona spiritualia, quę temporalibus pręferenda sunt, perceperint potiora; Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, & illa, quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi, contulit potestatem, omnibus, qui assumpto Crucis signaculo, ad eundem Regem ituri, cum eo contra Manfredum, & Saracenos prędictos, in propriis personis, & expensis accesserint, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus, & in retributione illorum (8) salutis ęternę pollicemur augmentum. Eis (9) autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis, juxta facultatem & quantitatem suam, viros idoneos destinaverint. & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus, esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Regni de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum, & bona, ex quo Crucem susceperunt, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus; necnon ut eadem sub Archiepiscoporum, Episcoporum, & omnium Prelatorum Ecclesię Dei defensione consistant, statuimus, ut, donec de ipsorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & secura consistant. Porro Ecclesiarum Prelati, qui in exhibenda justitia Crucesignatis, & eorum familiis negligentes extiterint, sciant, se graviter puniendos. Quod si quisquam contraire pręsumpserit, per Ecclesiarum Prelatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras, juramento tenentur astricti, creditores eorum per Ecclesiarum Prelatos, ut remittant eis prestitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem cogerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione, mandamus. Judeos vero ad remittendas ipsis usuras per secularem compelli precipimus potestatem: Et donec illis remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iis vero, qui Judeis debita solvere nequeunt in presenti, sic Principes seculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu, vel reditu certissime cognoscatur, usurarum non incurrant incommoda, compulsis judeis, proventus pignorum, quos interim perceperunt, in sortem, expensis necessariis deductis, computare; cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quia solutionem sic prorogat, quod debita non absorbet. Ut autem Regni ipsius subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes, & singulos per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum solum, verum, ęternum Deum, postulantes vice Christi, pro Christo, ab Archiepiscopis, & Episcopis, Abbatibus & Prioribus, & tam Cathedralium, quam aliarum conventualium Ecclesiarum Capitulis, & Clericis universis, necnon civitatibus, villis, & oppidis competentem numerum bellatorum cum expensis necessariis, secundum proprias facultates, in succursum prędicti Regni alacriter destinate. Et, si ad hoc unum quodlibet non sufficiat, plura conjungantur in unum; quia pro certo speramus, quod personę non deerunt, si expensę non defuerint. Ceterum vos, & illi, quibus verbum hujusmodi commiseritis prędicandum, Rectores Ecclesiarum illarum partium, & prędictarum Civitatum, & Dięcesum moneatis diligenter, & efficaciter inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellendo, ut ipsi cum parochianis suis ad audiendum verbum Crucis devote, ac reverenter accedant, & in ipsis prędicationibus vestris, ubi expedire videritis, harum literarum tenorem legatis, & faciatis legi cum debita reverentia, & exponi. Ceterum, quia, sicut accepimus, Prędicationis officium, quod pro jam dicto negotio imponimus vobis, & aliis, per quęstuarios impeditur, ne ipsi negotio impedimentum, vel obstaculum aliquod ingeratur, quęstuariis universis, si qui pręsentes fuerint, proponendi aliquid populo, dum a vobis proponitur verbum Crucis, licentiam penitus interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra pręsumpserint per Censuram eandem, appellatione postposita, compescendo. Ad hęc volumus, & districte pręcipimus, ut tam vos, quam illi, quibus hujusmodi officium commiseritis, ita sitis universi, & singuli in pręmissis exequendis soliciti, quod sine dilatione absque alio mandato, nec expectet unus alium, exequamini ea fideliter, & prudenter. Ita tamen, quod in executione hujusmodi alter alterum non impediat, nec perturbet. Non obstantibus, si aliquibus quod excommunicari, suspendi, vel interdici non valeant. a Sede Apostolica sit indultum, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seu literis ab eadem Sede obtentis, vel obtinendis, per quę prędicta impediri, vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in pręsentibus fieri mentionem. Datum Perusii IV Non. Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Mandat ut supra.

Clausula derogans.

1. *Suadeant.*) Consulendus *Vvaddingus*, qui totam rei seriem paucis exponit loco supra laudato. *Carolum*, inquit, *Andegavensem Urbani mors ab Italico revocabat itinere, nisi Clementis, ejusdem studiosissimi, electio consilia confirmaret. Missis namque Nunciis iterum vocatus, stabilitis conditionibus Regni suscipiendi, accepto ære, & conscripto milite multo, terrestri itinere præmisso exercitu, cum triginta triremibus Massilia solvens, Tiberi amne subvectus, Romam ingressus, tandiu Senatoris munus mandato Pontificis obivit, quoad supervenere Cardinales a Pontifice missi, qui hominem in Lateranensi Basilica Jerusalem & Siciliæ Regem declararunt: hac præcipue conditione, ut Carolus sacramento adactus, quot annis feudi nomine quadraginta millia nummum aureorum Ecclesiæ Romanæ persolveret; neve Imperium Romanum etiam ultro oblatum acciperet. Alias multas conditiones apposuit Clemens in sua Bulla aurea .... Pro augendis copiis, & numeroso scribendo milite, qui Manfredi potentiæ securius possit occurrere, multis in locis, præcipue in Galliæ Regno, Crucem prædicari jussit, ad præcipuos Ecclesiarum Prælatos, & Provinciales Prædicatorum & Minorum datis his literis.*

2. *Progenitoris.*) *Friderici II.*

3. *Carolum.*) Ducem *Andegavensem*, Comitem *Provinciæ*, filium

filium *Ludovici VIII*, germanum fratrem *S. Ludovici*, natum anno MCCXX.

4. *Conferendum.*) Licet enim *Carolus* Rex *Sicilię* inauguratus sit anno MCCLXVI die VI Januarii, uti videre est ex Instrumento, quod exscripsit *Odoricus Raynaldus* ad hunc annum num. 11, *investitura* tamen, ut vocant, Jure scilicet Regni possidendi, jussu *Clementis IV*, jamjam donatus fuerat *Romę* anno MCCLXV, ut liquet ex *Bulla data Perusii per manum Magistri Michaelis de Tolosa S. R. E. Vicecancellarii, II Nonas Novembris, Indictione IX, Incarnationis Dominicę anno MCCXLV.*

5. *Romanię.*) Seu *Constantinopolitani.*

6. *Luceria.*) Vulgo *Luceria*, *Nuceria*, & *Nocera*. Urbs est *Apulię Daunię*, Episcopalis sub *Beneventana* Metropoli. *Luceria Saracenorum* nuncupata est ad discrimen *Campanię*, *Umbrię*, & *Gallię Cispadanę Nuceriarum*. Fuisse tunc *Luceriam* Saracenorum *validissimam arcem* .... *prędonum speluncam, sentinamque omnium vitiorum, a Friderico conditam* (dixissem restauratam, *Luceria* siquidem antiquissima fertur, ipsiusque meminere *Strabo*, *Livius*, *Cicero* &c.) *& ornatam, a Manfredo postea auctam, ut suę improbitati apud mortalium impiissimos asylum haberent*, docet *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXVI num. XVII.* Verum *B. Augustinus*, Ordinis Prędicatorum, *Lucerinus* Episcopus constitutus *novę sponsę suę maculas a Saracenorum labe expurgaturus .... orationis fervore, prędicationis efficacia, morum sanctitate, universum ovile suum catholicum videre* meruit, ut constat ex *Lectione VI*, quę die festo ejusdem Beati VI Idus Augusti a Fratribus Prędicatoribus recitatur.

7. *Accingat se.*) *Luceriam* anno MCCLXVI ad deditionem a *Carolo* redactam fuisse, docet *Odoricus* ad eundem annum *numero XVII*, ubi partim exscribit *Epistolam CCXXI Libri II Clementis IV*, qua Summus Pontifex immensis laudibus *Carolum* cumulat.

8. *Istorum.*) Legerem: *Ipsorum.*

9. *Eis.*) Quę sequuntur ad hęc usque verba: *Ceterum vos, & illi*: ex *Vvaddingo Tomo I Annal. Minor. ad annum MCCXXXV num. XXVII* restituta sunt.

Anno 1265 Die 3 Novembris.

Leges in hæreticos, eorumque conscios, latæ (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Ancianis, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum, per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD extirpanda de medio populi christiani hereticę pravitatis zizania, quę abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius (3) his diebus homine inimico, tanto studiosius, juxta commissam a Deo (4) solicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus, eadem in necem catholici seminis pervagari. Ut autem adversus hujusmodi nequitię operarios consurgant, iientque firmiter Ecclesię filii, ac orthodoxę fidei zelatores, Constitutiones quasdam felic. recordat. Innocentius PP. IV, Prędecessor noster, ad extirpationem hereticę pestis edidit, & in Capitularibus vestris, tam ipse, quam felicis memorię Alexander Papa Prędecessor noster, conscribi, ac a vobis exacta diligentia observari, mandarunt, quę seriatim inferius continentur. Ideoque universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli Constitutiones easdem cum quibusdam adjectionibus, modificationibus, & declarationibus per dictum Alexandrum Prędecessorem nostrum, & etiam per nos factis (5), conscribi in vestris Capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas, contra omnem heresim, se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine omissione aliqua procedatis, alioquin dilectis filiis Prędicatorum & Minorum Ordinum Fratribus, Inquisitoribus hereticę pravitatis, & eorum singulis per Italiam deputatis auctoritate Sedis Apostolicę, & in posterum deputandis, damus nostris literis in mandatis, ut infra designatos eis limites, singulos vestrum ad id, per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Constitutiones autem sunt hę.

Rectores Civitatum jurent servare leges in hæreticos latas.

Statuimus, ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, seu Consules, seu quivis alii, qui civitati pręsunt, vel loco alii ad pręsens, aut pro tempore pręfuerint in futurum in Italia, jurent pręcise, ac sine tenore aliquo, attendere inviolabiliter, & servare, & facere, ab omnibus observari toto tempore sui regiminis, tam in loco, vel civitate sui regiminis, quam in terris suę jurisdictioni subjectis, omnes & singulas infrascriptas Constitutiones, & super his pręcise servandis recipiet a quibuslibet sibi in Potestaria, vel regimine succedentibus juramenta; quę, qui pręstare noluerit, pro Potestate, Capitaneo, seu Consule, vel Rectore nullatenus habeatur, & quę ut Potestas, Capitaneus, Consul, vel Rector fecerit, nullam penitus habeant firmitatem; Nec ullus teneatur, aut debeat sequi eos, etiamsi de sequela pręstanda eis exhibuerit juramentum. Quod si Potestas, Capitaneus, vel aliquis prędictorum Constitutiones ipsas, & singula in eis contenta servare noluerit, vel neglexerit, pręter notam perjurii, & perpetuę jacturam infamię, ducentarum marcarum pęnam incurrat, quę irremissibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem communis, cui pręest, integre convertantur; & nihilominus, ut perjurus, & infamis, & tanquam hereticorum fautor, de fide suspectus, officio & honore sui regiminis spolietur. Nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul, seu Rector habeatur in aliquo, aut de cetero ad aliquam dignitatem, vel officium publicum, nullatenus assumatur.

Pœna in Hæreticos constituta.

Iidem quoque Potestas Capitaneus, Consules, Rector, vel quivis alii ad Regimen cujuslibet civitatis, vel loci assumpti, in principio sui regiminis in publica concione more solito congregata, banno civitatis, vel loci supponant, tanquam pro maleficio, omnes hereticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & teneantur bannum hujusmodi a suis Prędecessoribus positum confirmare. Pręcipiant autem, quod nullus hereticus, vel heretica de cetero habitet, vel moretur, aut subsistat in Civitate, seu in aliquo jurisdictionis suę loco, aut districtu ejusdem.

Ubique capiendi.

Et quicunque ipsum, vel ipsam invenerit, libere capiat, & capere possit impune, & omnes res mobiles ipsius, vel ipsorum, penes eos inventas, eis licenter auferre, quę sint auferentium pleno jure, nisi auferentes hujusmodi sint ad hoc officium specialiter deputati. Iidem Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel quivis alii hujusmodi infra octo dies, post introitum regiminis sui, quindecim (6) viros probos, & catholicos, ac duos Notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneantur, quos Diœcesanus, si pręsens extiterit, & interesse voluerit, & duo Fratres Prędicatorum, & duo Minorum Ordinum, ad hoc a suis Prioribus, & Guardianis, si Conventus ibi fuerint eorundem Ordinum, deputati, seu Inquisitores (7) hereticę pravitatis, duxerint eligendos.

Quo ducendi sint.

Instituti autem hujusmodi, & electi, possint, & debeant hereticos, & hereticas capere, & eo-

& eorum bona eis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hęc tam in Civitate, vel alio loco, quam in tota jurisdictione ejus, atque districtu plenarie adimpleri, & eos ducere, vel duci facere (8) in potestatem Diœcesani, vel ejus Vicarii, seu Inquisitoris (9). Teneantur autem Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alii ad hujusmodi regimen deputati, quilibet in expensis Communis, cui pręest, facere duci eosdem hereticos ita captos quocunque Diœcesanus, vel ejus Vicarius, seu Inquisitores, vel Inquisitor predicti, in jurisdictione, vel districtu Diœcesani Episcopi, seu civitatis, vel loci, voluerint illos duci.

Fides habenda Ministris S. Officii.

Officialibus vero prędictis plena fides de his omnibus adhibeatur, quę ad officium eorum pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter prestito juramento, probatione aliqua in contrarium non admissa (10), ubi duo, vel tres, seu plures presentes fuerint ex eisdem. Porro cum Officiales hujusmodi eliguntur, jurent, hęc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus in his, quę ad officium eorum pertinent, plenius pareatur. Et tam dicti duodecim (11), quam servitores, & notarii prętaxati, simul, vel divisim plenariam pręcipiendi sub penis, & bannis taxatis, & expressis in constitutionibus infrascriptis, quę ad officium suum pertinent, habeant potestatem.

Eorum potestas qualis.

Possint autem officiales prędicti, Communitati, Castro, Burgo, vel villę prçcipere sub pena, & banno, usque ad ducentas marcas argenti, & ultra, ad arbitrium Potestatis, seu Rectoris civitatis, vel loci, in cujus districtu, vel jurisdictione fuerint, quod Potestati, seu Rectori, vel Diœcesano, seu ejus Vicario, seu Inquisitoribus, aut Inquisitori hereticorum presentent, infra prefigendum eis terminum competentem, omnes hęreticos, & hęreticas, quos, & quas sibi dicti officiales duxerint assignandos; & Potestas, seu Rector a non servantibus preceptum, penam, vel bannum hujusmodi exigere teneatur. Potestas autem, vel Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alii hujusmodi, quocunque vocabulo censeantur, teneantur, habere firma, & rata omnia pręcepta, quę occasione officii sui fecerint duo ex ipsis, seu plures, & pęnas exigere non servantium.

Serventur indemnes.

Quod si dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis, vel rebus, pro suis officiis exequendis, a Communi civitatis, vel loci, per restitutionem plenariam, serventur indemnes. Nec ipsi officiales, vel heredes eorum, possint aliquo tempore conveniri de his, quę fecerunt, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eisdem Diœcesano, & Inquisitoribus, vel Inquisitori videbitur expedire.

Ipsorum munus sex Mensibus expletur.

Ipsorum autem officium, duret tantummodo per sex menses, quibus completis Potestas, vel quicunque ipsius civitatis, vel loci, regimini prefuerint, teneatur totidem subrogare Officiales, secundum formam prescriptam, qui prędictum officium, secundum formam eandem, In aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

Unde petenda sit eorum merces.

Sane ipsis officialibus dentur de Camera communis prędicti, quando exiverint civitatem, aut locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro qualibet die duo solidi Provenien. (12) senatus, vel imperialium, in pecunia numerata. Quos Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, vel alius hujusmodi, teneantur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium, postquam redierint ad eandem Civitatem, vel locum. Et insuper habeant tertiam partem bonorum hereticorum, & receptatorum, quę occupaverint, & mulctarum, ad quas fuerint condemnati secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti.

Ab omni alio officio solvendi.

Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit ullo modo, officium, vel exercitium compellantur. Nullum etiam statutum conditum, vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

Quomodo sint amovendi.

Si quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, seu occupationem aliquam, vel excessum, Diœcesano, & Fratribus supradictis visus fuerit amovendus, ad mandatum, vel dictum eorum teneatur, eum amovere Potestas, Capitaneus, vel quivis alius hujusmodi prędictorum, & alium secundum formam prescriptam substituere loco ejus. Quod si quis eorum contra fidem, & sinceritatem officii sui, in favorem heresis deprehensus fuerit excessisse, preter notam infamię perpetuę, quam tanquam fautor hereticorum incurrat, per Potestatem, Capitaneum, Consules, vel Rectorem, seu alium similem, ad Diœcesani, & dictorum Fratrum, vel Inquisitorum, seu Inquisitoris arbitrium, puniatur.

Manus auxiliaris ipsis praebenda.

Potestas vero suum, vel alium Assessorem, si Diœcesanus, vel ejus Vicarius, aut Inquisitores, vel Inquisitor auctoritate Sedis Apostolicę deputati, seu dicti officiales petierint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam, si presens in ter[illegible] vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate, quam in jurisdictione, & districtu quolibet, dare ipsis officialibus, & eorum sociis, consilium, & juvamen, quando voluerint hereticum, vel hereticam capere, vel spoliare, aut inquirere, seu domum, vel locum, aut aditum aliquem intrare pro hereticis capiendis sub librarum viginti quinque Provenien., vel Imperialium pena, vel banno. Universitas autem Castri, vel Burgi sub pena, & banno librarum quinquaginta, Villę vero viginti quinque Provenien., vel Imperialium pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata.

Pœna in prohibentes ne capiantur haeretici.

Quicunque autem hereticum, vel hereticam captum, vel captam auferre de manibus capientium, vel capientis, ausus fuerit, vel defendere, ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel curtem (13), seu locum aliquem, ne capiatur, & inquiratur ibidem, juxta Legem (14) Padue promulgatam per quondam Federicum olim Romanorum Imperatorem, publicatis bonis omnibus, in perpetuum relegetur, & domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reędificandi, funditus destruatur, nisi forte Diœcesano, vel, in ejus absentia, ipsius Vicario, una cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hereticorum, vel soli ipsi Diœcesano, quando Inquisitorum, vel Inquisitoris presentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit, prefatę domus dominum in hoc casu penitus innocentem, & prorsus inculpabilem extitisse, ac etiam eum non esse credentem (15), vel receptatorem, aut defensorem, sive fautorem hereticorum, seu de heretica labe suspectum, & bona, quę ibi fuerint reperta, fiant capientium, vel inquirentium, ac si heretici fuissent ibidem inventi, nisi forte prędictis, ut dictum est, legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quam domini domus ejusdem; & tunc propter hanc prohibitionem, vel impeditionem specialem, Burgus, vel Castrum componat Communi, in cujus districtu est, libras ducentas, & villa libras centum, & vicinia tam Burgi, quam castri, & civitatis libras quinquaginta Provenien., sive Imperialium in pecunia numerata, nisi infra quintum diem ipsos defensores, vel defensorem hereticorum Potestati, vel Rectori captos duxerint, personaliter presentandos: vel nisi forte per legitimas probationes Diœcesano, vel in ejus absentia ipsius Vicario, una cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hereticorum, vel soli ipsi Diœcesano, quando

Inqui-

Inquisitorum, aut Inquisitoris pręsentia haberi non poterit, plene, ac evidenter constiterit, quod ipsum, vel ipsos, capere nullatenus potuissent, & eos ad captionem, & pręsentationem hujusmodi faciendas sufficientem, & congruam adhibuisse sollicitudinem, & cautelam. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alii hujusmodi, omnes hęreticos, & hęreticas, qui capti amodo fuerint, custodiri facere sub expensis Communis civitatis, vel loci, cui pręsunt, per viros catholicos, ad hoc electos a Dięcesano, si pręsens fuerit, & Fratribus supradictis, vel ab Inquisitoribus, seu Inquisitore, in aliquo speciali carcere tuto, & securo, in quo ipsi soli teneantur seorsum a latronibus, & bannitis, donec de ipsis fuerit diffinitum (16). Si quando aliqui, vel aliquę non hęretici pro captis hęreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsitan assignaverint, prędicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & hęretici nihilominus reddi, & assignari cogantur. Et qui hunc dolum fecerint, juxta legem prędictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, seu quivis alii hujusmodi cum bono, & securo comitatu, omnes hęreticos, quocunque nomine censeantur, infra dies quindecim, postquam capti fuerint, Dięcesano, vel ejus speciali Vicario, seu hęreticorum Inquisitoribus, vel Inquisitori pręsentare pro examinatione de ipsis, & eorum hęresi facienda. Damnatos vero de hęresi per Dięcesanum, vel ejus Vicarium, seu Inquisitores, vel Inquisitorem prędictos, Potestas, Capitaneus, vel alii eorum supradicti, vel ejus, seu eorum Nuncius specialis animadversione debita puniendos sibi relictos, statim recipere teneantur. Teneantur pręterea Potestas, Capitaneus, Consules, & Rector, vel alii hujusmodi omnes hęreticos, quos captos habuerint cogere, citra membri diminutionem, & mortis periculum, tanquam vere latrones, & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei, & Fidei Christianę, errores suos expresse fateri, & accusare alios hęreticos, quos sciverint, & bona eorum; & credentes, & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures, & latrones rerum temporalium, accusare suos complices, & fateri maleficia, quę fecerunt. Domus autem, in qua repertus fuerit hęreticus, vel hęretica, sine ulla spe reędificandi, funditus destruatur, nisi Dominus domus, eos ibidem procuraverit reperiri; Et si Dominus illius domus, habuerit cum ea alias Domos appendices, cum una, eademque domus, interdum diversis, & cohęrentibus mansionibus distinguatur, omnes illę domus appendices, sive in domo illa, sive in ejus appendicibus, hęreticus, vel hęretica deprehensus fuerit, similiter destruantur: Et bona, quę fuerint, in domo illa inventa, ipsiusque appendicibus, nisi forte legitime per testes fide dignos, & omni exceptione majores, ipsa bona aliarum esse personarum, quam domini domuum earundem constiterit, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in hujusmodi officio constituti. Et insuper dominus domus illius, pręter notam infamię perpetuę, quam incurrat, componat Communi civitatis, vel loci quinquaginta libras Provenien., vel Imperialium in pecunia numerata; Quam si non solverit, in perpetuo carcere detrudatur. Quę autem de domorum, & appendicium destructione, bonorum publicatione, ac pęnarum impositione facienda dominis domuum earundem, pręmissa sunt, volumus observari, nisi forte Dięcesano, vel, in ejus absentia, ipsius Vicario, una cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hęreticorum, vel soli ipsi Dięcesano, quando Inquisitorum, vel Inquisitoris pręsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione majores, pręfatarum domorum dominos in hoc casu penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse, ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, sive fautores hęreticorum, vel de hęretica labe suspectos, quos nec in domibus, vel appendicibus, nec in bonis eisdem, seu quovis modo, puniri volumus, si, ut dictum est, apparuerint innocentes. Burgus autem ille, seu Castrum, in quo hęretici capti fuerint, vel inventi, componat communi Civitatis, vel loci, in cujus districtu est, centum libras, & Villa quinquaginta, vicinia tam Burgi, quam Castri, & Civitatis libras vigintiquinque Provenien., vel Imperialium in pecunia numerata, nisi infra quintum diem receptatores ipsorum captos pręsentaverint Potestati, sive cuivis alii Pręsidenti ejusdem regimini Civitatis, nisi forsan per legitimas probationes Dięcesano, vel, in ejus absentia, ejus Vicario una cum Inquisitoribus, seu Inquisitore hęreticorum, vel soli ipsi Dięcesano, quando Inquisitorum, vel Inquisitoris pręsentia de facili haberi non poterit, plene, ac evidenter constiterit, quod ipsos capere nullatenus potuissent, & eos ad captionem, & pręsentationem hujusmodi faciendas sufficientem, & congruam adhibuisse sollicitudinem, & cautelam. Quicunque vero deprehensus fuerit, dare alicui hęretico consilium, vel auxilium, seu favorem, pręter aliam pęnam, superius, & inferius pretaxatam, ex tunc, ipso jure, in perpetuum sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendos alios ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hęreditatis successionem accedat. Nullus pręterea ei super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causę aliquę ad ejus audientiam perferantur; si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, Instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hęreticorum, tanquam hęretici puniantur; Testamenta eorum, qui hęretici decesserunt, nullius volumus esse momenti. Teneantur insuper Potestas, sive Capitaneus, Consules, sive Rector, vel quivis alius Pręsidens regimini civitatis, vel loci, nomina virorum omnium qui de hęresi fuerint infamati, vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere annotari, quorum unum Commune Civitatis, vel loci habeat, & alium Dięcesanus, & tertium Fratres Prędicatores, & quartum Fratres Minores, & ipsorum nomina ter in anno in concione publica solemniter faciat recitari. Teneantur quoque Potestas, seu Rector, vel quicunque Regimini supradicto pręfuerit, filios, & nepotes hęreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum eorum, diligenter investigare, eosque ad aliquod officium publicum, seu consilium nullatenus admittere in futurum. Teneantur pręterea Potestas, seu Rector, vel quivis alius hujusmodi regimini pręsidens, unum de assessoribus suis, quem elegerit Dięcesanus, si fuerit pręsens, & Inquisitores, seu Inquisitor prędicti, Sedis Apostolicę auctoritate deputati, mittere cum eis, quandocunque voluerint, in jurisdictione Civitatis, vel loci, ac ejus districtu, qui assessor secundum quod prędictis Inquisitoribus, seu Inquisitori visum fuerit, ibi tres, aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compellat, quod si quos ibidem hęreticos sciverint, vel bona eorum, vel alios occulta conventicula celebrantes, seu a com-

De carcere hæreticorum. · *Infra XV dies Inquisitorum conspectum subeant.* · *Damnati plectantur.* · *Erroris conscios indicent.* · *Domus destruenda.* · *Hæreticorum fautores puniendi.* · *Assessor unus Inquisitoribus sit auxilio.*

a communi conversatione fidelium vita, & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hereticorum, eos dictis Inquisitoribus, sive Inquisitori studeant indicare. Ipsi autem Potestas, Consules, seu Rector, seu quivis alii regimini Pręsidentes, purgare teneantur ab heretica feditate civitatem, locumque, cui pręfuerint, totamque terram, vel districtum suę jurisdictionis, secundum leges per quondam Fredericum, olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Ecclesię Romanę, persistentem, Padue promulgatas contra hereticam pravitatem, & earum tenores facere annotari in suis capitularibus, nullis inde temporibus abolendas. Teneatur insuper Potestas, seu quivis Rector civitatis, vel loci, quocunque vocabulo nuncupetur, in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis, vel occupatis consignandis, & dividendis, de quibus superius dicitur, infra viginti dies, postquam accusatio, sive denuntiatio facta fuerit, hęc omnia exequi cum effectu, & condemnationes omnes in pecunia numerata, infra tres menses exigere, & dividere illas, sicut inferius continetur, & eos, qui solvere non poterint, banno maleficii supponere, & donec solvant, in carcere detinere, alioquin pro his omnibus, & singulis syndicetur, sicut inferius continetur. Insuper teneatur unus de assessoribus suis, quemcunque Dięcesanus, vel ejus Vicarius, & dicti Inquisitores, seu Inquisitor hereticorum, voluerit, ad hęc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum. Omnes autem condemnationes, vel pęnę, quę, occasione heresis, factę fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem Populi, nllo modo, aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari. Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consul, seu quivis alius Rector omnia bona hereticorum, & receptatorum eorum, quę per dictos officiales fuerint occupata, seu inventa, & condemnationes pro his exactas, necnon, & lignamine, lapides, & tegulas domorum, & turrium, quę, occasione heresis, destruentur, & bona, tam mobilia, quam immobilia, quę eadem occasione confiscabuntur, dividere tali modo. Una pars remaneat in commune civitatis, seu loci. Secunda pars in favorem, & expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertia pars ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis Dięcesano, & Inquisitoribus, vel Inquisitori videbitur reservanda, & expendenda per consilium eorundem in favorem fidei, & ad hereticos extirpandos, non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo condito, vel condendo. Teneatur pręterea Potestas, vel Rector civitatis, seu loci alterius, vendere bona fide cum consilio, & assensu Inquisitorum, vel Inquisitoris, bona, quę confiscantur occasione hereticę pravitatis, infra tres menses post confiscationem hujusmodi, quod si non fecerit, pręmissas pęnas eo ipso incurrat, & nihilominus Inquisitores, vel Inquisitor, libere illa vendere valeat, requisito consilio Dięcesani, vel ejus Vicarii, si pręsens non fuerit, & duorum Fratrum Pręicatorum, & totidem Minorum, Ordinum, quos Prior, & Guardianus, si Conventus ibidem fuerint eorundem Ordinum, ad hoc duxerint eligendos. Et emptores bonorum hujusmodi illa libere ac licite habeant, & possideant, & verum ipsorum bonorum dominium per emptionem hujusmodi transferatur ad ipsos. Si quis autem de cetero aliquod istorum Statutorum, seu Constitutionum attentaverit delere, minuere, vel mutare sine auctoritate Sedis Apostolicę speciali, Potestas, Capitaneus, seu Consul, vel alius quivis Rector, qui pro tempore fuerit in illa Civitate, vel loco, teneatur, eum tanquam defensorem hereticorum publicum, & fautorem, secundum formam pręscriptam, perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta provenientium, vel imperialium in pecunia numerata, quam si exigere non poterit, eum maleficii banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi solverit duplam dictę pecunię quantitatem. Teneatur sane Potestas, Capitaneus, sive Consul, seu quivis Rector infra duodecim dies sui regiminis syndicare pręcedentem proxime Potestatem, Capitaneum, Consulem, vel Rectorem, & ejus etiam Assessores per tres viros catholicos, & fideles, quos, infra tres dies regiminis, supradicti eligant, una cum Dięcesano, Fratres Pręicatores, & Minores, a suis Priore, & Guardiano pariter assignati, seu Inquisitores, vel Inquisitor hereticę pravitatis, de omnibus his, quę in Statutis istis, seu Constitutionibus, & Legibus antedictis contra hereticos, & eorum complices editis continentur: & punire ipsos, si excesserint, in omnibus, & singulis, quę omiserint, & cogere restituere, de propria facultate, non obstante, si per aliquam licentiam consilii, vel alterius cujuslibet a syndicatione fuerint absoluti. Jurabunt autem pręicti tres ministri, bona fide syndicare pręfatos de omnibus supradictis. Ceterum teneatur Potestas, seu Capitaneus, Consul, aut quivis Rector cujuslibet Civitatis, delere, seu abradere penitus de Statutis, & Capitularibus Communis quodcunque Statutum conditum, vel condendum, inveniatur contradicere istis Constitutionibus, seu Statutis, & legibus memoratis sive quomodolibet obviare. Et in principio, & in medio sui regiminis hęc Statuta, seu Constitutiones, & leges ipsas in publica concione solemniter facere recitare, & etiam in aliis locis extra civitatem suam, seu locum, sicut Dięcesano, seu Inquisitoribus, sive Inquisitori videbitur expedire. Porro hęc omnia Statuta, seu Constitutiones, & Leges pręfatę, &, si quę alię contra hereticos, & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicę conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri, quorum unum sit in Statuto Communis cujuslibet Civitatis, vel loci, secundum apud Dięcesanum, tertium apud Fratres Pręicatores, quartum apud Fratres Minores, cum omni sinceritate serventur: ne possint per falsarios in aliquo violari. Datum Perusii III Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Ne statuta rescindantur cavet.

Quid de Bonis hæreticorum.

De statutis istis servandis providet.

Antiquat statuta istis contraria.

1. *Lata.*) Easdem leges ab *Innocentio IV* latas habes superius *XV Maii MCCLII*, quia tamen quædam vel mutata, vel aliis verbis sancita voluit *Clemens IV* hocce Diplomate, hac de causa illud exscripsi.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem reperies apud *Pegnam* ad calcem *Director. Inquisitor. pag.* 60, & in *Bullar. Romano Constitutione XIII.*
3. *Licentius.*) *Pegna* legit: *Libentius.*
4. *A Deo.*) Pegna, & Cherubinus: *Commissam nobis.*
5. *Factis.*) Librarius *Pegnæ* scripsit: *Factos.*
6. *Quindecim.*) *Pegna* & *Cherubinus* legunt: *Duodecim.*
7. *Inquisitores.*) Addunt iidem: *vel Inquisitor.*
8. *Ducere vel duci facere.*) Ex iisdem: *Et duci facere.*
9. *Inquisitoris.*) Iidem: *Inquisitorum, vel Inquisitoris.*
10. *Probatione aliqua in contrarium non admissa.*) Hæc non noverunt Auctores citati.
11. *Duodecim.*) Hinc superius, ut in *Annotatione VI* ex *Pegna* & *Cherubino* dictum est, legendum videtur *Duodecim*, non vero *Quindecim.*
12. *Provenien.*) Nummi species, quæ etiam *Solidus Provisinus* vocatur.
13. *Curtem.*) Seu *Cobortem*, vulgo *Cortile*, Gallice *Basse court*, quæ per Syncopen *Cors* & *Curs* vocatur.
14. *Legem.*) Consulendum *Diploma XXXI Octobr. MCCXLIII.*

15. *Credentem.*) Qui fuerint hæreticorum *Credentes*, ibidem dixi.

16. *Diffinitum.*) Seu *Definitum*, ut habet *Cherubinus*.

Anno 1265 Die 14 Novembris.

Fidei Censoribus agenda præscribit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia, & Marchia Januensi, deputatis Auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Licet ex omnibus mundi partibus &c. (3). Datum Perusii XVIII Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Præscribit.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Libro cui Titulus: *De S. Inquisitionis Officio*. Autographum habes *Mediolani* in Cœnobio *S. Eustorgii*. Datum fertur *Perusii VI Kalendas Octobris Pontificatus Clementis IV Anno I.*

3. *Partibus &c.*) Ut in *Diplomate dato XX Martii MCCLXII.*

Anno 1265 Die 20 Novembris.

Magistro, Prioribus, & Fratribus Prædicatoribus, ut cujuslibet Ordinis in paupertate fundati Cœnobia, Monasteria &c. Trecentis cannis distent (1) ab Ædibus sacris Ordinis nostri.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, Prioribus, & universis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis. Ad consequendam gloriam cęlestis patrię sic divina pietas humilitatem vestram per suam gratiam cernitur allexisse, quod semper ad hoc intenti estis, & vigiles, ut illam vobis, & proximis, per innocentis vitę studium acquiratis; Hęc enim, & alia sancta pauperrimę Religionis vestrę merita nos inducunt, quod sumus ex intimo cordis affectu solliciti, ut in omnibus, quę ad Dei laudem, & tranquillum statum devotionis vestrę cupitis, habeamus providentię studium efficacis. Sane non sine quadam turbatione animi frequenter audivimus, quod inter vos, & Religiosos aliquos, illa de causa ęmulationis, & dissensionis materia oriretur, quia ipsi domos, & Ecclesias regulares juxta loca vestra, non sine vestro gravi prędudicio, & dispendio manifesto, quandoque construere prędumebant. Cum itaque ad Apostolici spectet officii dignitatem, de Regno militantis Ecclesię cujuslibet scandali materiam abolere, nos, digne volentes, quod hujusmodi ęmulationis, & dissensionis occasio per diligentię vestrę studium amputetur, auctoritate prędentium ordinamus, & districtius inhibemus, quod nulli liceat amodo de Minorum pęnitentię Jesu Christi, Beatę Marię de Monte Carmeli, Heremitarum S. Augustini, S. Clarę, aliisque Ordinibus, in paupertate fundatis, nullique mulierum de prędictis, seu quibuslibet aliis Ordinibus, aliquod Monasterium, Ecclesiam, vel Oratorium ędificare, seu construere, nulli quoque Seculari, vel Religioso, cujuscumque professionis, Ecclesiam, vel Monasterium, seu oratorium, jam ędificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra spatium Trecentarum Cannarum a vestris Ecclesiis mensurandarum per aerem etiam, ubi alias recte mensurari loci dispositio non permittit. Pręterea statuimus, ut quicquid contra hujusmodi ordinationis & inhibitionis nostrę tenorem ex nunc in antea ędificatum fuerit, diruatur, & ne de notitia Ordinum, & quantitate cannarum hujusmodi aliqua possit dubitatio exoriri, illos Ordines intelligi volumus in paupertate fundatos, qui ex Regula, vel Constitutionibus suis extra septa Ecclesiarum, Monasteriorum suorum, vel officinarum eorum, & clausuram ipsorum, nullas debent possessiones habere.

Decretum de distantia prædicta.

Unaquæque canna quot palmos habeat. Quod si aliquis de Ordinibus ipsis possessiones in aliquibus membris suis habere, in aliis vero non habere noscatur, eum quoad ordinationem, inhibitionem, & statutum hujusmodi prędictis Ordinibus in paupertate fundatis annumerari volumus; & quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere.

Clausula derogans. Non obstantibus varia locorum consuetudine, sive privilegiis, indulgentiis, seu litteris quibuscunque tam supradictis Ordinibus, quam mulieribus, vel eorum alicui ab Apostolica Sede, sub quacunque forma, concessis, seu etiam concedendis, quę de prędentibus specialem & expressam non fecerint mentionem.

Sanctio pœnalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę ordinationis, inhibitionis, & Constitutionis infringere &c. Datum Perusii XII Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Distent.*) Legesis *Tractatum de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Exemplar authenticum habes *Bononiæ*. Vide *Bullarium Bononien. fol.13*, *Castellanum pag.47*, *Rodericum in Nova Collectione Privilegiorum Apostolicorum pag.32.*

Abbati

Abbati S. Ruffini, & Priori Prædicatorum Mantuan. (1), ut in Abbatem quendam inquirant.

Anno 1265 Die 30 Decembris.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 912.

XXXV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Sancti Ruffini, & Priori Fratrum Prędicatorum Mantuan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

COmmissi nobis cura exposcit reeiminis, ut ad singulas Orbis Ecclesias intentę considerationis aciem extendentes, ad dirigendum prospere statum ipsarum, reformandum quoque in eis honestatem morum, quę in illis dehonestatur interdum, vigili solicitudine intendamus. quod in Religiosis locis, & illis pręsertim, quę ad Apostolicam Sedem nullo pertinent medio, eo nos convenit studiosius adimplere, quo magis loca eadem Apostolici favoris suffragio indigere noscuntur, quove ferventius humani generis inimicus personas in illis degentes, divinis specialiter deputatas obsequiis, conatur seducere, ut illas indignas perenni reddat gloria, quam ipsum non est dubium perdidisse. Ad audientiam siquidem nostram pervenit, quod Gerardus Abbas Monasterii S. Benedicti de Padoliron (2). ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti. Mantuan. Dięcesis, suę famę prodigus, & salutis, cum deberet in eodem Monasterio personaliter residere, & solicite gerere curam eius. & personarum ipsius Monasterii suo regimini commissarum, ipsasque personas ex officii sui debito, exemplo vitę in bono instruere, & a malo etiam revocare, non attendens, quod non solum offensa propria, sed suorum etiam subditorum, qui per eum deberent bonis actibus informari, est de suis manibus requirenda. Monasterio prędicto relicto, se ad partes transtulit alienas, nobili viro Marchioni Uberto Pelavicino (3) Dei, & Ecclesię inimico, una cum suis, quibus, eiusdem Pelavicini obsequiis damnabiliter insistentibus, tam equos, quam etiam pecuniam in favorem dicti Marchionis, de bonis ipsius Monasterii, & membrorum eius, exhiberi fecit, publice adhęrendo. Alia autem bona dicti Monasterii, & membrorum ejus. dilapidavit enormiter, & consumpsit. Nos igitur volentes descendere, & videre, utrum clamor, qui venit ad nos, opere compleatur, discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus per vos, vel per alium, ad memoratum Monasterium personaliter accedentes, & habentes pre oculis solum Deum, si prefatum Gerardum super premissis inveneritis publice diffamatum, super iis, & aliis, super quibus famam eius lęsam fore noveritis, inquiratis diligentius veritatem, ac prefigatis ipsi Gerardo terminum peremptorium competentem, quo personaliter Apostolico se conspectui repręsentet juxta suorum meritorum exigentiam recepturus; eidem interim omni bonorum ipsorum Monasterii, & membrorum, alienatione penitus interdicta. Contradictores &c. Quę autem super prędictis per vos inventa fuerint, in scriptis redacta, necnon & diem prefixionis hujusmodi, & quicquid inde feceritis, nobis sub sigillis vestris fideliter intimare curetis. Non obstante Indulgentia, qua Fratribus tui Ordinis, fili Prior, a Sede Apostolica dicitur esse concessum, ut de negotiis, quę eis a Sede committuntur eadem, inviti cognoscere minime teneantur. Datum Perusii III Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Quid Criminationis fit in Abbatem declarat.

Mandatum.

Clausula derogans.

1. *Mantuan.*) In *Longobardia*.
2. *De Padoliron.*) Vulgo *Poliron* ad *Padum* fluvium, in Ditione *Mantuana*. Consulendus celeberrimus Abbas D. *Benedictus Bacchini* in Libro cui titulus: *Istoria del Monastero di S. Benedetto di Polirone nello stato di Mantova*.
3. *Pelavicino.*) De quo in *Annotatione I ad Bullam datam IX Decembr. MCCLX.*

Priori Provinciali Prædicatorum, & Ministris Fratrum Minorum Galliæ, sacrum bellum in Babylonios prædicandum committit (1).

Anno 1265 Die....

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccles. ad An. MCCLXV num. XLIII.

XXXVI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali Prędicatorum, & Ministris Fratrum Minorum Ordinum, per Regnum Francię constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXpansis in Cruce manibus clamat assidue in auribus fidelium Crucifixus, clamant livores, & vulnera, clamant spinę, clavi, & lancea, clamant sputa, clamant opprobria, non tam articulatę vocis exaltatione, quam evidenti ostentatione passionis, Christi afflictiones immensas, & diversa teliantia genera tormentorum. Iis quippe nostrę Redemptionis insigniis, idem Redemptor omnium magnitudinis immensa beneficia humano impensa generi exprobans, suo redemptos Sanguine ingratitudinis arguit, si pro tot, quę impendit eisdem, ipsi, saltem necessitatis tempore, aliquid non rependant, si adversus nominis sui blasphemos, tam dirę passionis injurias iniquis labiis, & detestandis operibus quotidie renovantes, & hęreditatis Dominicę invasores, eidem in auxilio non assurgunt; nunc precipue dum detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cum jam non tam verbis, quam rebus ipsis, & factis, Christiania insultetur ab infidelibus, & dicatur: Ubi est Deus eorum? Dum funiculus hęreditatis Domini, Terra Sancta, per nefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, sic vastatur intrepide, sic in partibus illis Christianus populus unanimiter trucidatur, quasi non sit illius adjutor, nec sit qui misereri possit eorum. Sicut enim nuper rumoribus infaustis accepimus, sicut missi de partibus illis Nuncii lacrymabiliter nobis exposuerunt, & literę, pusillus grex fidelium transmarinus, qui, divina illum protegente gratia, olim Tartarici gladii furorem evaserat (2), & Babylonis hactenus impetus superarat, nunc Babylonicę persecutionis dolis involvitur, ejus opprimitur fraudibus, illius succumbit intuitibus, & viribus conculcatur. Egredia est

Fideles hortatur ut subsidio sint Terræ Sanctæ.

Terræ Sanctæ strages.

est enim cruenta & horribilis bestia ex Ægypto, nefandissimus ille Soldanus Babylonię, hostis christianitatis infestus, populo christiano, velut ursus, insidians, & quasi leonis impetu desęviens in eundem, ut illum, vel decipiat fraudis insidiis, vel fortitudine perimat, & violentia pugnatorum extinguat; quorum gravi multitudine congregata, in partes Syrię insidiosus, ac violentus his diebus insiliit, & in Cęsaream, nobilem christianorum Metropolim Palestinę, demandatis eidem Nunciis, verba pacifica locutus, in dolo subito irruens, eam, fugatis exinde incolis, & profligatis męnibus, detinet miserabiliter occupatam. Ex quo in suo superbię spiritu spem ad alia occupanda protendens, Peregni (3), & Cayphę (4) castrum violenter invasit, ac eodem castro Cayphę omnino destructo, reliquum vexavit incendiis, & diversis impugnationibus fatigavit: & tandem spe de illius occupatione concepta, sola illius, qui bella conterit, virtute frustratus, Cęsaream rediit, & a conceptę iniquitatis proposito non desistens, conatus est Aconensem (5) Civitatem, pręparato etiam ad hoc navali exercitu, obsidere: illamque jam, sicut ex his, quę iidem Nuncii & literę asseverabant, verisimilius credimus, & proculdubio timemus, obsedit, ut ipsa, quę in iisdem partibus singulare quasi robur christianitatis existit, exterminata, pro libito cetera christianorum loca partium earundem facile deleat, & inibi christianę Religionis cultus totaliter deleatur. Sic ille ursus esuriens, sic idem leo rugiens, & damnati generis bestia, ira plena, iracunde sęvit in prędictum Domini populum, satagens illius omnino memoriam abolere. Sic ille impius, suique satellites, Dominum irritantes, non solum corde cogitant, sed ex opere prędicant, quod abominationes non requiret eorum, dum aperte indicant, se non vereri aliquatenus quod requiret. Sic ipsum habentes ostentui, rursus illum sibimetipsis eo acerbius crucifigunt, quo gravius delinquitur in eum nunc regnantem in cęlis, quam dudum mortalem in terris. O si hęc mundi Principes & magnates, ceterique fidei christianę cultores, qua decet, attentione considerent! O si diligenter attendant, quibus pęnis humanę leges eos afficiant, quos reos inflictę cędis testatori inveniunt, vel in ferendo auxilium dominis, aggressuram patientibus, desides deprehendunt! Profecto ad cędem Domini vindicandam, ad resistendum aggredientibus ipsum, & occupantibus heredi-

Gallos hortatur, & laudat.

tatem ipsius promptius exsurgentes, supremi judicii pęnas prudenter effugient, & dispendium hęreditatis ęternę consultius evitabunt. Exsurgant igitur viri ad bella doctissimi, strenui Regni Francię bellatores, accingantur viri fortes, nec sub torporis ignominia mala videant gentis suę. Prodeant in publicum eorum signa victricia, quorum potentiam specialiter expectat, & expetit terra illa. Eis debetur hujus belli victoria, eis hęc proponitur ad gloriam, eis ad meritum reservatur. Non desit Domino virtus strenuitatis ipsorum, inter ceteras nationes eis specialius ab ipso concessa. Non patiantur ęquanimiter ęterni Regis injurias, qui culvis eorum Domioo injuriam vel levem inferri proculdubio nequaquam cum patientia sustinerent. Et quidem non paterentur sibi vel vile aliquid diripi; & tot christianos fratres suos numquid patientur occidi? Non patientur sine infidelitatis nota temporalis eorum domini vel vicum aliquem occupari, & occupatores totius hęreditatis Dominicę non sine quasi extremę confusionis opprobrio patientur? Absit, in hoc casu solvatur militię cingulum Regni ejusdem, milites gloriosi. Absit, ut in bello Domini per desidiam reddantur inglorii, qui per virtutis exercitium solent in bellis ceteris gloriosiores haberi. Ceterum licet verisimiliter possit, nec indigne sperari, si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis lacessita molestiis, & diuturnis vexationibus lassata perpenditur, compassionis debitę convertant affectum, discriminaque considerent, quę per hoc fidei orthodoxę non est dubium imminere, ad reprimendum eorundem Infidelium conatus adversos se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonitionis alicujus suffragio expectabunt; quorum tamen necessitas exigit, quę cordi nobis est in tanta periculorum instantia, instanter accelerare remedia, quia nil satis sitienti animo festinatur, sed ei moram ipsa celeritas repręsentat, Nos de omnipotentia sperantes illius, qui potens est de lapidibus Abrahę filios suscitare,

Fratrum encomium.

qui vocem virtutis tribuit voci suę, verbum Crucis in terrę memoratę succursum fidelibus Regni prędicti decernimus proponendum. Ad quod quis personas vestras, de quarum zelo ad ea, quę Dei sunt, fidei puritate, virtutis constantia, vestrę religionis & famę claritas plenissime nos informat, duximus eligendos,

Commissio.

vobisque prędicationis officium in dicto Regno pręsentium auctoritate committimus &c. (6).

1. *Commisiis.*) *Asiatici* siquidem, ut inquit *Odoricus* ad annum MCCLXV num. XXXVII, *in Oriente Christi fideles Terra Sancta adorti insidiis, funesto armorum successu luctuosissimis cladibus obruerunt. Sultanus enim Egyptius capta dolo superiori anno Cæsarea, versaque in Arsuf belli mole, eam arcem hoc anno gravissima obsidione expugnavit: ex quo, cum manifeste christianorum res labare cœpissent, datum imminentis exitii præsagium narrat Sanutus* (lib. III p. XII Cap. VII).... *Ferociens ea victoria Bendocdar, Egypti & Babylonia Sultanus, latius ferrum flammamque circumtulit: pluribusque expugnatis christianorum arcibus, Ptolemaidi extremi excidii terrorem incussit.* Hinc scribit S. Pontifex, ut Terræ Sanctæ suppetias ferant Christi fideles.

2. *Evaserat.*) Anno MCCLX, ut liquet ex Diplomate dato *Olaoni Regi Tartarorum*. Extat apud *Odericum Raynaldum ad hunc annum num.* XXIX.

3. *Peregni.*) Legendum *Peregrini*, notat *Odoricus*. Urbs erat *Phœnices*.

4. *Cayphæ.*) Sedes Episcopalis, ad *Carmeli* montis radices sita, sub Archiepiscopo *Tyrio* fuit *Cayphe*, seu *Caifa*, quæ latine *Porphyreum* vocatur.

5. *Aconensem.*) *Ptolemaidem* scilicet, vulgo *Acre*, *Acri*, *Aca*, & *Acon* nuncupatam. Episcopalis fuit sub Archiepiscopo *Tyrio*. Diu a christianis propugnata, tandem a *Saracenis* destructa est *Ptolemais* anno MCCXCI.

6. *Committimus &c.*) Multa hic desunt quibus, *Odorico* teste numero XLVI, *ad illiciendos fideles ad augustum Crucis signum capessendum, eorum criminum condonationem pollicetur quorum labes aliqua post suscepta exhomologeseos sacra conscientia hæserit; quibus præmiis potituri sint, tam qui suis sumptibus milites sustentarent in ea expeditione obeunda, quam qui se periculis objecerint, tum ipsos, eorumque res, ex quo sacræ militia se devoverint, B. Petri clientelæ commendatum iri, usuras ipsis relaxandas spondet; ac Judæos ad eas remittendas compellendos decernit. Præcipit etiam iisdem Religiosis viris, ut lustrent oppida & pagos, atque ad ipsorum conciones confluentibus certa Indulgentiarum præmia effundere possint, concedit.*

Ne

Ne quis Inquisitores censuris (1) ecclesiasticis devinciat, immo ut mutuo sese illis solvere possint.

Anno 1266 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus, hęreticę pravitatis in Lombardia, & Marchia Januen. auctoritate Apostolica deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cavet ut supra.

NE inquisitionis negotium contra dampnatam hęresim, prudentię vestrę commissum, & in posterum committendum, impediri, quod absit, per aliquorum astutiam, vel etiam retardari contingat; vobis auctoritate pręsentium indulgemus, ut nullus Sedis Apostolicę delegatus, vel subdelegatus ab eo, conservator, aut etiam executor a Sede deputatus eadem, seu etiam deputandus, in eos, & octo Notarios, sive scriptores vestros, super his vobis fideliter obsequentes; quamdiu in prosecutione hujusmodi negotii vos, & ipsi fueritis, possit excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti sententiam promulgare, absque speciali mandato prędictę Sedis, faciente plenam & expressam de hac indulgentia mentionem; decernentes irritum & inane, si secus a quoquam fuerit attemptatum: Et si vos, & Fratres vestri Ordinis Socios vestros excommunicationis sententiam, & irregularitatem incurrere, aliquibus casibus, ex humana fragilitate contingat, vel recolatis etiam incurrisse, quia propter vobis injunctum officium ad Priores vestros de levi super hoc recurrere non potestis, mutuo vos super his absolvere juxta formam Ecclesię, ac vobiscum, auctoritate nostra dispensare possitis in illis casibus, in quibus est id, ut dicitur, eisdem Prioribus ab Apostolica Sede concessum. Nulli ergo &c. Datum Perusii Idibus Januarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Indultum.

Sanctio pœnalis.

1. *Censuris.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Fidei Censoribus, ut leges (1) in hæreticos latas observandas curent.

Anno 1266 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatorum, & Minorum, Ordinum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis, per Italiam auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

AD extirpanda de medio populi Christiani hęreticę pravitatis zizania; quę abundantius solito succreverunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius, juxta commissam nobis solicitudinem, insudare proponimus, quanto perniciosius negligeremus, eadem in necem Catholici seminis pervagari: Ut autem adversus hujusmodi nequitię operarios consurgant, itemque firmiter Ecclesię filii, ac Orthodoxę fidei zelatores, Constitutiones quasdam fel. rec. Innocentius PP. IV Prędecessor noster ad extirpationem hęreticę pestis edidit, & tam ipse, quam felicis memorię Alexander IP. Prędecessor noster, dilectis filiis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Ancianis, Consiliis, & Communitatibus Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, per Italiam constitutis, mandarunt, ut Constitutiones ipsas in suis conscribi Capitularibus facerent, & exacta diligentia observarent. Unde prędictis Potestatibus, sive Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Ancianis, Consiliis, & Communitatibus, damus nostris literis in mandatis, ut ipsi, & singuli eorum, Constitutiones easdem, cum quibusdam adjectionibus, modificationibus, & declarationibus, per dictum Alexandrum Prędecessorem nostrum, & etiam per Nos factis, conscribi in suis Capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas, contra omnem hęresim se adversus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant. Quo circa si dicti Potestates, sive Rectores, Consules, Capitanei, Anciani, Consilia, & Communitates mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos, & singuli vestrum, illos, & singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras eorum, monitione pręmissa, appellatione remota, cogatis. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod personę excommunicari, ac civitates, castra, terrę, & loca ipsorum interdici non possint, sive qualibet alia indulgentia Sedis ejusdem, per quam effectus pręsentium impediri valeat, vel differri, & de qua, cujusque toto tenore de verbo ad verbum, specialem, & expressam in nostris literis oporteat fieri mentionem, & Constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datum Perusii XV Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Quid Innocentius IV, Alexander IV, & ipse Clemens hac de re sanxerint.

Mandatum.

Clausula derogans.

1. *Leges.*) De quibus in *Dissertatione I Tomo ultimo.* Videas etiam *Diploma datum III Novembris MCCLXV.* ad calcem *Directorii Inquisitor.* pag. 55. In *Bullario Romano* est VI.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem transcripsit *Pegna*

Jure

Anno 1266 Die 12 Februarii.

Jure hæreditario bona Fratribus nostris obvenire posse, declarat (1):

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 929.

XXXIX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem (3).

Exordium. OBtentu divini Nominis, cujus cultui sub sacrę vestrę Religionis observantia studetis, mente devotissima, deservire, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras in his, quę digne deposcitis, fovorabiliter exaudimus. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Prelati, clerici, & laici, in diversis mundi partibus constituti, asserentes, vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos occasione hujusmodi a quibuslibet successionibus excludere moliuntur. Quare pro parte vestra fuit a nobis humiliter postulatum (4), ut, ne contingat, vos propter hujusmodi presumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum; congruum super hoc (5) remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus (6) benignius annuentes (7), auctoritate Apostolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis in quibus succederetis in seculo existentes, licite potestis (8) succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere libere bona ipsa, eorumque pretium in utilitatem vestram convertere, prout vobis melius videbitur expedire. Universas autem interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, quas contra presentis declarationis tenorem per quemcunque fieri contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo nostrę declarationis, & Constitutionis &c. Datum Perusii II Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Supplex Fratrum petitio.

Declaratio.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) Habes ibidem aliud Exemplar authenticum *Libro B. fol.* 190, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *Tudensi*, vulgo *Tuy*, in *Gallecia* ad *Minium* fluvium. Extat etiam apud *Castellanum pag.* 45, *Ususmarem pag.* 54, *Rodericum in Nova Collectione Privilegiorum Apostolicorum pag.* 31, *in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum impressis anno MDV, numero LVI, in aliis editis anno MDVII, num. LXIII.* Ejusdem Diplomatis Exemplar authenticum inventum est in Cœnobio *Vratislaviensi*.

3. *Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*) Hæc inscriptio, nulla de Fratribus Minoribus mentione facta, sic legitur in Authographis, in Exemplaribus authenticis, in Constitutionibus, ceterisque mox laudatis *Annotatione II.* Sed in *Autographo* quod penes se habet Reverendissimus Pater *Cajetanus Lamberti*, Minorum Conventualium Procurator Generalis, *in Bullario Romano Constitut. I, in Monumentis Ord. Minorum pag.* 147, *apud Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regesto Clementis IV pag.* 100, *apud Confettium pag.* 25, *in Archivo Ordinis nostri Libro E. fol.* 22, *& in alio Exemplari authentico ibidem asservato*, sic legere est: *Dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, necnon Magistro Generali Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.*

4. *Fuit a Nobis humiliter postulatum.*) Ex Autographo, Auctoribus, Exemplaribusque citatis *Annotatione III* dicendum: *Fuit nobis humiliter supplicatum.*

5. *Super hoc.*) Desideratur apud eosdem.

6. *Supplicationibus.*) Iidem scribunt: *Petitionibus.*

7. *Annuentes.*) Apud eosdem legitur: *Attendentes.*

8. *Potestis.*) Ex iisdem: *Possitis.*

Anno 1266 Die 23 Februarii.

Archiepiscopo Bracaren., Episcopis, Archidiaconis, ceterisque Regni Portugalliæ, ne quis Fratres nostros molestiis afficiat (1):

Ex Archivo (2) Ordinis.

XL.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Bracarensi, & Episcopis, ac dilectis filiis Archidiaconis, Decanis, & aliis Ecclesiarum Prelatis, ac Rectoribus Regni Portugallię, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AB omnibus Christi fidelibus, sed iis pręcipue vos decet inveniri benevolos, quos religiosa vita constituit laudabiles, & Apostolica Sedes habere dignoscitur in filios speciales. Sane dilecti filii Priores, & Fratres Ordinis Prędicatorum in Regno Portugallię gravem ad nos transmisere querelam, quod nonnulli vestrum ad eos, propter Deum, cujus frequenter assistunt obsequiis, affectionem debitam non habentes, ipsos affligunt gravibus molestiis, & pressuris, non permittentes, eos uti libere libertatibus, & indulgentiis sibi, & Ordini predicto, ab Apostolica Sede concessis. Cum autem ipsi, quos prędicta Sedes sub sua protectione recepit, ad Apostolicum presidium propter hoc duxerint humiliter recurrendum, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta pręcipiendo, mandantes, quatenus circa dictos Priores, & Fratres pro Divina, & nostra reverentia sincerę gerentes caritatis affectum, a quibuslibet eorum molestiis, pressuris, seu injuriis penitus desistatis: ita ipsos libertatibus, & indulgentiis hujusmodi uti libere permittendo, quod super hoc non aliud adhibere consilium, sed teneamur vobis ad actiones uberes gratiarum. Datum Perusii VII Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Supplex Fratrum petitio.

Cavet ut supra.

1. *Afficiat.*) Quam gravibus procellis per id tempus jactatus fit Ordo Prædicatorum in *Lusitania*, quot telis fuerit appetitus, undenam conflata sit in Fratres invidia, docent Auctores mox laudandi. Id etiam paucis perstrinxit *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad annum MCCLXVI pag.* 90 his verbis: *Cum Prælati Ecclesiarum Portugalliæ ad Curatorum instantiam Prædicatores ac Minores impedirent, ne privilegiis sibi ab Apostolica Sede concessis libere fruerentur, nunciatis his Clementi Pontifici, præcepit iste Episcopis cunctis in Portugalliæ Regno constitutis, quatenus a molestiis hujusmodi in Fratres Prædicatores abstinerent, liberèque illos suis privilegiis perfrui sinerent, ni Apostolicam ultionem experiri mallent.* Verum Summi Pontificis erga Fratres Prædicatores voluntate, ex hoc Diplomate cognita, lux affulsit rebus perturbatissimis, Præsules enim alias infensissimi, tunc amorem paternum certatim in Fratres demonstrarunt.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Adeas *Cacegam Histor. Protugal. Parte I pag.* 205, *Medranum Histor. Provincia Hispan. Parte I Lib. VI pag.* 520 *&c.*

Defini-

Definitoribus Capituli (1) Generalis, ut de quibusdam Articulis, hoc in Diplomate subjectis deliberent (2).

Anno 1266 Die 24 Februarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XLI.

Exordium.

Circa curam gregis Dominici, vestri videlicet Ordinis, multiplicem decet sollicitudinem adhiberi, ne quicquam in eo reperiatur incongruum, seu cujusvis indecentię nota respersum, sed in omnibus circa ipsum splendor honestatis ita eluceat, quod in sui nitore delectetur Altissimus, & Ecclesia generalis exultet. Interest itaque nostra, super iis, juxta commissum nobis ministerium, solicite providere, sicque solertis diligentię studium impertiri, ut ad Dei laudem, & gloriam, & ad felicem statum ipsius Ordinis salubriter dirigantur. Cum igitur nobis nuper fuerint quidam articuli recitati, in plerisque dictum Ordinem contingentes, illos fecimus presentibus annotari, ut eis diligenter inspectis, quid honestius, quid utilius, quidve salubrius sit in illis agendum, plenius, & maturius discernere valeatis. Dicti autem articuli tales sunt: quod Fratres ejusdem Ordinis, quos necessario deputari contigerit ad morandum in domibus Prędatorum, seu quorumcunque magnatum, sint maturitate prędíti, discretione preclari, moribus, & vita probati, quorum conversatio laudabilia ędificet per exempla virtutum; &, si qui sint in hujusmodi domibus positi, de quorum vita, seu conversatione merito dubitetur, vel eis (4) contrarium forsan appareat, revocentur ad Claustrum, & eorum loco magis idonei deputentur. Fratres quoque sine Magistri licentia, & urgentissima necessitate, seu evidentissima causa, & utili, ad Sedem Apostolicam non accedant, nec se notabiliter ingerant curiis Prędatorum. Adiicitur etiam, quod Fratres, cum teneantur in humilitatis spiritu se cunctis exhibere pacificos, Ecclesiarum Prędatos, in quorum civitatibus, seu diœcesibus commorantur, nullatenus scandalizent, sed potius circa eos se habeant diligenter. Prędterea discreti Fratres, atque periti deputentur ad audiendas Confessiones, & prędicationis officium exercendum, & a talibus ministeriis minus idonei retrahantur. Studium insuper in Ordine vigeat, maxime Parisiis, Bononię, ac in locis aliis, ubi vigere consuevit Studium generale: ibique de Doctoribus, & Magistris, qui fuerint magis sufficientes, & idonei, debeat provideri. Inter Fratres cujuslibet Provincię servetur honestas, sanctimonia, zelus animarum, correctionis disciplina, observantiarum norma regularium, & concordia unitatis. Ceterum circa recipiendos ad Habitum regularem cautela diligens habeatur, ne insufficientes scientia, vel moribus, admittantur, ex quorum receptionibus Ordo venire valeat in contemptum. Adhuc discursus inutiles, & familiaritates notabiles, ex quibus eidem Ordini succrescere nota possit infamię, penitus evitentur. Ideoque discretionem vestram monemus & hortamur in Domino, vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus super iisdem articulis existentes circumspecti, diligentes, & providi, circa eos consulta deliberatione provide statuatis, quod ad salubrem ejusdem Ordinis statum videritis pertinere, ita quod sit vobis ad commendationem, & prędmium, si digni fructus ex solicitudine vestra proveniant, quam in hac parte paternis inducti monitis duxeritis adhibendam. Datum Perusii VI Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Articulos subjicit.

Ut aliquis Romam petat, requiritur Magistri Generalis licentia.

Mandatum.

1. *Capituli.*) *Treviris* in *Teutonia* celebrandi *die XVI Maii MCCLXVI.*

2. *Deliberent.*) Legesis Acta ejusdem Capituli Generalis loco mox laudando *foliis* 290, 291, & 292.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulor, General. fol.* 292.

4. *Eis.*) Legerem: *In eis.*

Ordinem FF. Prædicatorum illustri laude celebrat;

Anno 1266 Die 24 Februarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro (2), & Capitulo (3) Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

XLII.

Ordo Prædicatorum custos veritatis.

Innuit sacrę lectionis eloquium, quod Ordo vester verisimiliter urbem fortitudinis reprędsentat, quam justa gens, apertis portis, ingreditur, custodiens veritatem; vobis enim justitię zona prędcinctis, janua cęlestis (4) vitę aperitur ad gratiam, dum summę veritatis, quę Christus est, mandata servatis, & eorum observantiam summopere custoditis. Eundem Ordinem, velut tabernaculum suum, sanctificavit Altissimus, & in eo sibi habitaculum prędparavit, constituens lucem, in populis viam salutis, & gratię ostensuram (5), qui, quasi sol in Dei templo refulgens, & quasi cupressus in altitudinem se extollens, respicientium ad eum mentes illuminat, & quietis umbraculum tribuit sub mundanę miserię sarcina fatigatis. Hic est ager dominicus, superioris benedictionis rore perfusus, requirens cultores industrios, pudicitię ultores preclaros, argumentosę probitatis munerę prędítos, nullius inquinamenti labe respersos, ut militantes in terris, triumphare mereantur in cęlis, & currentes in solis stadio, beatitudinis ęternę bravium comprehendant. Hic est profecto fertilitatis ager, fructus uberes proferens, nam semina in ipso sparsa non pereunt, flores editi non arescunt, & tamen ex multiplicatis manipulis grana glorię colliguntur. Propterea Ordinem ipsum, quem sic in Domino prędlucere conspicimus, tenerrime diligimus, & corde tenemus, paterna circa eum solicitudine vigilantes, ut protegatur a noxiis, salubria semper suscipiat incrementa, & caritativę pacis affluat ubertate: Licet autem erga cultum Divini nominis constituti, quid saluti animarum expediat, quid honori debeatur Ecclesię, quidve prędfati Ordinis felix status exposcat, juxta vobis datam divinitus gratiam, ex propriis intelligentiis colligatis, debito tamen pastoralis officii inducimur, filiales affe-

affectus circa pręmissa paternis monitis excitare, ut quo devotius ęterni Patris, & ejusdem Ecclesię beneplacitis vestra se in his studia coaptant, in eo promptioribus ad ea prosequenda studiis consurgentes, ad promissiones illius, in ejus humilitatis obsequio securius percurratis. Ideoque universitatem vestram rogamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus Verbum Domini, quod non est gerendum labiis alligatum, ex cujus operatione corda fidelium expurgentur vitiis, & virtutibus muniantur, prout desursum industrię vestrę promittitur (6), in gentibus effundatis. Ceterum cum Ecclesiam in diversis partibus variis vexatam contumeliis, dirisque flagellis, suorum persecutorum immanitate percussam, devotorum intercessionibus deceat adjuvari, sui Sponsi misericordiam suppliciter imploretis, ut tempestuoso procellarum turbine quiescente, ad tranquilla tempora felicis serenitatis perveniat, & ab hostium formidine, Deo propitio, liberata, respiret. Inter cetera vero convenit vestris insidere pręcordiis, ut caritatis, & unitatis vestrę funiculus sic alimento verę pacis, & inviolabilis concordię foveatur, quod nullam sui partem, eujusvis debilitate adversitatis, seu commotionis, amittat, quin potius illęsus, & stabilis, nullius corruptionis maculam habiturus, perpetuo conservetur. Super quo sint vobis in speculum, & exemplar illius almi merita Confessoris, qui prędictum Ordinem instituit, institutum coluit, & cultum claritate beatitudinis illustravit. Profecto quę vobis scribimus, ex intimi affectus caritate procedunt: ut quanto laudabiliores, & utiliores in domo Domini fructus feceritis, sub assumpto ministerio servitutis, tanto magis Matrem Ecclesiam, quę multipliciter in vobis exultat, devotio vestra lętificet, & plenius apud Divinam Clementiam vestris meritis pręsentatis, quod promissum est benedictionis filiis, vobis ad perennem gloriam pręparetur. Datum Perusii VI Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulorum Generalium fol.* 293. Legitur etiam apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad an. MCCLXVI pag.* 91.
2. *Magistro.*) Johanni de Vercellis.
3. *Capitulo.*) De quo in praecedenti Diplomate.
4. *Calestis.*) *Fontana* sic legit: *Janua misericordia ceteris aperitur.*
5. *Ostensuram.*) Addit Fontana: *Fidelibus ostensuram.*
6. *Promittitur.*) Ex eodem: *Prasumitur.* Leviora, quibus exemplar *Fontana* scatet, menda non annoto.

Anno 1266 Die 26 Februarii.

Priori FF. Prædicatorum Parisien., ut quatuor Fidei censores in Regno Franciæ constituat, ipsosque possit ab hoc munere dimovere (1),

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum Parisien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

PRę cunctis nostrę mentis desiderabilibus catholicę incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus, aliquos, vel sentimus, ad illius depressionem qualicumque malignitate satagere, vel dampnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut derractionibus ei abrogabilibus derogando, seu commentis eandem mendacibus pervertendo; Ad quorum iniqua consternenda molimina, eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos agnoscimus conspirare. Sane licet ubilibet Sedis Apostolicę diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusius hujusmodi serpat morbus, remedium libenter adhibeat oportunum, in Christianissimo tamen Regno Francorum, in quo pręcipue fides Catholica vigere dignoscitur, cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius convalescat, vigilare ad hoc per nos, & alios, eo studemus attentius, quo charissimum, in Christo filium nostrum L..., (3), illustrem Francorum Regem, ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Providimus igitur, ibidem ad pręsens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari, quarum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsarum ministerio pręfatum Regnum immune ab hujusmodi contagiis pręservetur. Verum, quia de prudentię tuę industria firmam in Domino fiduciam obtinemus, discretioni tuę, per Apostolica scripta firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus, de consilio aliquorum discretorum Fratrum tui Ordinis, eligas quatuor de Fratribus ejusdem Ordinis tuę Provincię, idoneos, ad hujusmodi opus dominicum exequendum, eisque in virtute obedientię districte Apostolica pręcipere auctoritate procures, ut Inquisitionis officium in ipso Regno, Comitatibus, & terris charissimi in Christo filii nostri K... (4) Regis Sicilię illustris, Provincię, ac dilecti filii nobilis viri A... (5), Tholosan. Comitum dumtaxat exceptis, contra hereticos, fautores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis nostris litteris expressam, quas Fratribus prędicti Ordinis, Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in eodem Regno deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, non expressis aliquorum nominibus, super exequendo dicto Inquisitionis officio destinamus, studeant exequi diligenter. Nos enim prędictos quatuor Fratres, quos ad hoc elegeris, & quemlibet ipsorum, pręfatum officium exequi juxta formam in litteris ipsis expressam, ac ipsos illam potestatem & auctoritatem plenarie habere, volumus, quę in eisdem litteris continetur. Si vero aliquem Inquisitorum hujusmodi ex aliqua forte causa nonnunquam fore videris amovendum, ipsum amoveas, & substituas loco ejus alium, quem similem potestatem, & auctoritatem habere, volumus, quotiens tibi, deliberatione cum aliquibus discretis Fratribus dicti Ordinis vestri habita, hoc fore videbitur faciendum, &, si aliquem, vel aliquos Inquisitorum ipsorum decedere forte contigerit, Nos substituendi, de consilio aliquorum discretorum Fratrum ejusdem Ordinis, alium, vel alios, loco illius, vel illorum, qui decesserint, ita quod hujusmodi substituti eisdem omnino auctoritate & potestate fungantur, tibi plenam & liberam concedimus, tenore pręsentium, facultatem. Datum Perusii IV Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Dimovere.*) Dicetur *in Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *L...*) *Ludovicum IX* Cælitibus ascriptum.
4. *K...*) *Karoli*, seu *Caroli I* Comitis *Provincia*, de quo in *Annotatione III in Diploma datum II Novembr. MCCLXV.*
5. *A...*) *Alfonsi* Comitis *Pictaviensis* & *Tolosani*, Fratris *S. Ludovici*, & *Caroli I.*

Vim

Vim Cœnobiis nostris adhibentes excommunicatione devincit (1). — Anno 1266 Die 9 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis..... Magistro, Prioribus, & Fratribus universis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN quibusdam locis &c. (3). Datum Perusii VII Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Devincit.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato *Tolosæ*.

3. *Locis &c.*) Ut in *Diplomate dato IX Maii MCCLXV*.

Seculari jurisdictione, & nonnullis oneribus, Fratres Ordinis (1) Militiæ S. Mariæ Virginis gloriosæ eximit. — Anno 1266 Die 13 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Majori, & Fratribus Ordinis Militię S. Marię Virginis gloriosę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEsideriis vestris in his affectu benevolo debemus annuere, quę vos, & Ordinem vestrum, dignę possint a dispendiis pręservare. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis pręsentium indulgemus, ut vos, vel aliqui de Ordine vestro, coram seculari judice contra sanctiones canonicas conveniri minime valeatis, & quibuscunque angariis, & pangariis, quarumcunque secularium personarum exempti sitis penitus, & immunes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis &c. Datum Perusii III Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo. — Concessio.

1. *Ordinis.*) Cujus parens, & fundator, fuit noster ille vir venerabilis Frater *Bartholomæus Vicentinus*, ex nobili *Breganziorum* prosapia ortus, cujus mentio supra in *Appendicibus ad Pontificatum Innocentii IV, & Alexandri IV*. Hic Ordo jam florebat anno MCCXXXIII, uti docet *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad hunc annum num. VII*. Hoc enim anno MCCXXXIII, inquit Spondanus, *cum plurimæ sacra laicorum Sodalitates ad Divinas laudes celebrandas instituta, tum ad pacificandas Civitates novus Militum Ordo, qui Sancta Maria Gloriosa vocati sunt, factus, auctore Fratre Bartholomæo itidem Vicentino Prædicatorii Ordinis. Illorum Militum præcipue leges erant, ut Tunicam albam, & subcinericiam togam induti, Crucem purpuream in Campo albo duabus suprapositis stellis præferrent, ut viduarum ac pupillorum tutelam suscipérent, ut paci & concordiæ inter homines componendæ servirent. Quoniam autem suis quisque in ædibus cum uxoribus & filiis vitam egerunt, propterea vulgo Fratres Gaudentes vocati sunt*. Hæc *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXI num. XII* ex *Carolo Sigonio de Episcop. Bononien. Lib. III*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.

Archiepiscopo Bracaren., & Episcopis Regni Portugalliæ, ut dies Festos SS. Dominici, & Petri celebrent (1). — Anno 1266 Die 20 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLVI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis Bracharen., & Episcopis per Regnum Portugalię constitutis, ad quos litterę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DE meritorum excellentia, quibus Beati Dominicus Confessor, & Petrus Martyr Ordinis Prędicatorum, claruerunt in hujusmodi mundi tenebris, sub vitę studio innocentis, processisse, dignoscitur, quod eos Sedes Apostolica post felicem ipsorum obitum adscripsit catalogo Beatorum, festa Confessoris, & Martyris eorundem celebrando solemniter, ad illius gloriam & honorem qui utrique ipsorum, diversis illustrato miraculis, contulit pręmia perpetuę claritatis; sicut ad generalem notitiam cunctorum Christi fidelium a multis annis pręteritis pervenisse credimus multis modis, & pręcipue per supradictum Ordinem, quem pręfatus Confessor, illectus amore cęlestium, cum despectione omnimoda terrenorum, per inspirationia divinę gratiam adinvenit; quemque memoratus Martyr, tanquam vir in divinę legis meditatione sedulus, & in operibus bonis assidue studiosus, diligenter, & constanter observans, tandem pro defensione catholicę Fidei, Martyrii palmam meruit adipisci. Cum itaque res tam solemnis, & celebris, vobis & ceteris fidelibus regni Portugalię non inculta, vel incognita, sed modis omnibus esse debeat reverenda, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta, firmiter pręcipiendo, mandantes, ac in remissionem peccaminum injungentes; quatenus Festum Confessoris ejusdem Nonis Augusti, ac solemnitatem pręfati Martyris tertio Kalend. Maii, diebus, videlicet, quibus iidem Sancti, absoluti mortis vinculis, ad perennis vitę delicias pervenerunt, celebretis annis singulis, & ab universis vestris subditis pręfati Regni celebrari cum debita reverentia faciatis ipsorum festa; in vestris, & illorum Calendariis conscribi nichilominus procurantes, ut id vobis de thesauris cęlestibus, eorum pia intercessione, proveniat, quod uterque ipsorum, pręstante Dei filio, percepisse, dignoscitur, & possidere perpetuo, gloriatur. Datum Perusii XIII Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Exordium ab encomio SS. Dominici, & Petri.

Mandatum.

1. *Celebrent.*) Consulenda *Diplomata data III Iul. MCCXXXIV, & XXV Martii MCCLIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis canabinis appenditur.

Anno 1266 Die 19 Aprilis.

XLVII.

Num aliquo discrimine Fratres Prædicatores & Minores habeat quærenti respondet.

Ex Vuaddingo (1) *Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXVI pag.* 288.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio N.. (2) militi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Rospondet ut supra.

In quo sibi mutuo videantur præstare Ordines Prædicatorum & Minorum.

Nota verba.

QUeris a Nobis consilium, quod apud te rectius poteris invenire; Si enim tibi Dominus inspiravit, relicto seculo, vitę frugem appetere melioris, Dei Spiritum sicut nec possumus, sic nec volumus prohibere, pręsertim cum filium habeas bene disciplinatum, ut credimus, qui tuę domui sciet providere. Quod si proposito non mutato sciscitaris ulterius, quem tibi ex Fratrum Pędicatorum, & Minorum Ordinibus pręeligendum credimus, id pręcipue conscientię tuę relinquimus. Magis enim tu scire poteris utriusque Ordinis observantias, quę non sunt pares in omnibus, sed in diversis articulis excedentibus, & excessę. Alterius quidem illorum Ordinum lectus est durior, nuditas gravior, &, ut nonnulli judicant, paupertas profundior: Et alterius cibus parcior, longiora jejunia, &, ut quamplures autumant, sanctior disciplina. Neutrum ergo neutri pręferimus (3), sed in una, & arctissima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, Salutem, scilicet, animarum. Et ideo sive hunc, sive illum elegeris, arctam viam (4) aggredieris, & per portam intrabis angustam ad terram mellifluam, & pręceteris spatiosam. Unde apud te hoc pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quemque speres melius portaturum. Et sic uni conversatione adhęreas, ut amore ab altero non recedas. Frater enim Pędicator, qui Minores non diligit, est execrabilis: Frater Minor, qui vel odit Pędicatorum Ordinem, vel contemnit, est execrabilis, & damnandus. Datum Perusii XIII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Vuaddingo.*) Idem exscripsit *Diago Histor. Provincia Aragon. Lib. I Cap. XVII pag.* 35. Alii etiam, *Rodulphus scilicet fol.* 215, *Marian. Cap. XXVI, S. Antoninus Tit. XX Cap. I* hac de re laudantur a *Vuaddingo*.

2. *N...*) *Diago* ipsum nuncupat *Armenzandum*.

3. *Præferimus.*) Alias: *Præficimus*.

4. *Viam.*) Alias: *Vitam*.

Anno 1266 Die 11 Junii

XLVIII.

Archiepiscopo Aquensi, ut litem (1) Fratres inter Prædicatores, & Minores exortam componat.

Ex Vuaddingo (2) *Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXVI pag.* 291.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Aquen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Prædicatorum, & Minorum Fratrum encomium.

Arctissima necessitudo inter ipsos servanda.

PAupertatis altissimę professoribus, & divinę pręconibus voluntatis, eo parat subtiliores insidias humani generis inimicus, quo eosdem conspicit ceteris animosius spiritualis ingredi campum certaminis, a rerum temporalium sarcinis expeditos, scuto protectos fidei, & evangelicę gladio pędicationis accinctos, & non suę tantummodo prosequentes salutis negotium, quin etiam molas iniqui conterere, & de faucibus ejus pędam eripere, satagentes. Hoc autem studium sibi elegisse noscuntur dilecti filii Minorum, & Pędicatorum Ordinum Fratres, quos licet ab invicem discernant habitus, & distinguat professio regularis, voto tamen consimili, pari cursu, finem istum sibi pęstituunt, ut tam clerum, quam populum verbis ędificent, & exemplis, & evulsis in agro Domini urticę sentibus pravitatis, pro tam pię servitutis obsequio grande fęnus in pęmium pęstolantes, carnis demum solutis vinculis, onereque deposito, justum, & ęquum judicem, & propitium sibi sentiant, & inveniant liberalem. Quantam sane concordiam, quantam pacem, quam fundatę, quam solidę vinculum caritatis esse deceat inter ipsos, & perfectio status indicat, & salubris propositi sancta conceptio, ejus denique sedula prosecutio, labor insuper, & finis operis manifestant, quo fit, ut inter eos, seminante discordiam hoste publico, colubro tortuoso, miserabili se committant discrimini, qui proculdubio, dęmonum adjutores, accensum ignem eorum studio tanquam lignia nutrientes injectis, inter eos exorta scandala verbo, vel facto consolidant. Illi vero pęcipue, qui ex altero dictorum Ordinum, vel utroque, quod extinguere deberent incendium, fovere temere non verentur. Hinc est quod dolentes accepimus in Provincię partibus &c. (3). Datum Viterbii III Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Litem.*) *Monet Rodulphus*, inquit *Vuaddingus* mox laudandus, *in his Comitiis* (Ordinis Minorum hoc anno celebratis Lutetiæ Parisiorum) *maxime enituisse S. Bonaventura prudentiam in sedandis discordiis exortis inter Minorum & Prædicatorum Ordines, & præcipue inter Inquisitores hæretica pravitatis ex eisdem designatos. Non inaniter judicarim propter has lites mature dirimendas ante consuetum tempus Pentecostes indictum hunc generalem conventum, atque in eo appositam omnem curam, ut religiosa pax inter gravissima sodalitia firmaretur.*

2. *Vuaddingo.*) Idem habet in Archivo Ordinis *Libro A. fol.* 980.

3. *Partibus &c.*) Hic *relato totius rei processu*, verba sunt Vuaddingi, *jubet* Pontifex, *ne Fratres Prædicatores contra Minores, vel e contra ex commisso, vel in posterum committendo Inquisitionis officio, quantumcunque scirent, aut existimarent reos aliqua ratione audeant procedere, sed eorundem Superioribus denuntient, vel ad Sedem Apostolicam referant, si maluerint, vel viderint expediet.*

Ca-

Cavet, ne Prædicatores in Minores, vel Minores in Prædicatores Fratres inquirant, & in illos, qui defecerant, ac in Officialem Massiliensis Diœcesis, quæstionem instituendam decernit (1).

Anno 1266 Die 12Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Avinionen., & Carpentoracen. Episcopis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XLIX.

Exordium.

PAupertatis altissimę professoribus, & divinę pręconibus voluntatis, eo parat subtiliores insidias &c. (3). Labor insuper, & finis operis manifestant, quo fit, ut, inter eos seminante discordiam hoste pubuco, colubro tortuoso, miserabili se committant discrimini, qui procul dubio, dęmonum adjutores, accensum ignem eorum studio, tanquam lignis nutrientes injectis, inter eos exorta scandala verbo, vel facto solidant, illi pręcipue qui ex altero dictorum Ordinum, vel utroque, quod extinguere deberent, accendunt, & magis incendere temere non verentur. Hinc est, quod dolentes accepimus, in Provincię partibus dictos Ordines ad id devenisse dissidium, ut se lacessitis injuriis invicem mordere, invicem se diffamare pręsumant, eo usque prolapsa tantę dissensionis insamia, ut duo Fratres alterius Ordinis, Supprior scilicet Domus Pręedicatorum Massilię, & F. Johannes Gardonis de Conventu ejusdem, contra Fratrem Maurinum de Ordine Minorum, Inquisitorem in illis partibus pravitatis hęreticę, tunc apud Sedem Apostolicam constitutum, coram non suo judice apud Massiliam, &, quod est durius, coram laico, testes duos, iniquos presbyteros recipi procurarunt, qui deponere pręsumpserunt aliqua contra eum super turbatione communi Civitatis ejusdem, immo potius aversione ipsorum a fide debita carissimo filio Carolo Regi Sicilię Illustri, & conversione damnabili apud persecutorem Ecclesię Manfredum, olim Principem Tarentinum, ab eodem Inquisitore, pręedictis Civibus persuasis; quę si forent veritate subnixa, dictus Fr. Maurinus non excommunicatus duntaxat, sed etiam Dei, & nostri proditor merito censeretur. Ad hęc vero dilectus filius F. Guillelmus Bertrandi, ejusdem Minorum Ordinis, & Conquisitor F. Maurini pręedicti, ex fraterna, ut dicitur, provocatus injuria dictos cepit Presbyteros, qui publice sunt confessi, se falsa testimonia protulisse, a dictis Fratribus invitatos, & ideo Fratres ipsos, qui testes hujusmodi recipi procuraverant, sui reputans perturbatores officii, & ad pręsentiam suam evocatos, ac juramento de veritate dicenda, prout credidit justum, astringens, super pręedictis requisivit eosdem, & cum ad quasdam interrogationes, ipsum negotium suo judicio contingentes, interrogati sępius ab eodem, nullum vellent dare responsum, eas dicentes esse impertinentes ad dictum Officium, sicut de peritorum consilio se habuisse dicebant; ipse Fr. Guillelmus Bertrandi ex hoc eos judicans esse contumaces, excommunicationis sententiam in eos protulit, sapientium communicatis consiliis, prout asserit, & eandem fecit Massilię publicari, quam iidem Fratres Pręedicatores, ut asserunt, appellatione pręvenerunt legitima, propter quod ad Sedem Apostolicam venire compulsi sunt, sibique a Nobis provideri instanter, & humiliter petierunt. Nos igitur attendentes, quod licet dicti Fratres Supprior, & Johannes Gardonis graviter excessissent, appellationi tamen eorum, si legitima extiterit, idem F. G. Bertrandi deferre debuit, suadente justitia, etiam si non fuerit legitima, & contra Fratres dicti Ordinis non tam cito procedere, sed nos potius, aut dilectum filium nostrum Johannem tituli Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem consulere debuisset; dictos ergo Fratres Suppriorem, & Johannem ad cautelam absolvi fecimus. Porro tot malorum materiam a radice pręscindere penitus cupientes, fraternitati vestrę per Apostolica scripta pręcipiendo, mandamus, quod ad Civitatem Massilię personaliter accedentes, Clero, & Fratribus dictorum Ordinum inibi commorantibus, convocatis, coram omnibus auctoritate nostra decernere, omnibusque denuntiare curetis, receptionem dictorum testium iniquorum contra Fratrem Maurinum, non sine notabili pariter, & damnabili temeritate pręsumptam, nullius penitus extitisse momenti, sed & sequenti depositioni testium eorundem contra dictos Fratres Pręedicatores, vel alios, quos sui sceleris asserunt conscios, vel auctores, quorum dicta non decuit publicari, nullam penitus fidem adhibendam, cum appareat, eos esse perjuros, qui suam turpitudinem propalantes, duo prorsus opposita deposuere jurati, sed quoad se, in hoc ipsis iniquis testibus volumus nocere, quod fatentur, ut beneficiis, si quę habent, privatos, & ad habenda prorsus redditos inhabiles, perpetuo sacrorum Ordinum ab omni executione suspensos, in aliquo Monasterio acturos pęnitentiam detrudatis: vel, si melius visum fuerit, suo Ordinario tradatis, qui eisdem pęnam carceris decernat, eam, nisi cum eis per Sedem Apostolicam misericorditer actum fuerit, portaturos. Dictos autem Fratres, Suppriorem scilicet, & Johannem, quibus pro suarum qualitate culparum injungi pęnitentiam salutarem fecimus, faciatis nihilominus vobis pręsentibus, & aliis, quos vocandos duxeritis, in Capitulo Fratrum Minorum Massilię ad pedes eorundem Inquisitorum, vel alterius, qui pręsens fuerit, vel eisdem absentibus, Guardiani, seu locum tenentis ipsius, cum humilitate prosterni, & veniam petere de excessu. Ceterum ne similia pręsumantur in posterum, & scissura pręedictorum Ordinum augeatur. Prohibemus omnino, ne Frater Pręedicator contra Fratrem Minorem, vel Fr. Minor contra Fratrem Pręedicatorem, ex commisso, vel committendo in posterum Inquisitionis officio hujusmodi, quantumcunque sciat, aut ęstimet eum reum, aliqua ratione procedat, sed vel eundem superiori denuntiet, quando crediderit corrigendum, vel ad Sedem Apostolicam referat, si maluerit, & viderit expedire. Et si secus fuerit attentatum, processum hujusmodi declaramus, & decernimus non tenere. Ne tamen ex hoc malis detur audacia, clam, vel palam officium Inquisitionis perturbandi, omnes Fratres utriusque Ordinis, qui scienter hoc fecerint, ab omni Sacrorum Ordinum executione suspendimus, & immediatus Pręlatus eorum similiter, si hoc sciens punire neglexerit, vel si affectaverit ignorantiam, pęna simili teneatur: quam suspensionem durare volumus, donec is, qui in ipsam inciderit, Apostolicę Sedis gratiam mereatur, aut Inqui-

Factum enarratur.

Cavet, ut dictum est.

Inquisitori, cujus officium impediverit, contendens eam, ab eo obtinuerit relaxari, cui relaxandi eandem, tenore presentium, plenam concedimus auctoritatem: Quod si alter, vel ambo dicti Fratres, vobis parere contempserint in predictis, eum, vel eos statim excommunicationis gladio percellatis: Quibus sic rite peractis utriusque Ordinis Fratribus constitutis ibidem, in suorum remissionem peccatorum, suadere, & iniungere procuretis, quod ad solitam redeant unitatem, & tam ibi, quam alibi suis viribus restaurationem ejusdem prebeant Inquisitionis, scituri, quod, si, quod absit, ad nos pervenerit iterato querela, ferent, qui rei fuerint, onus sententię gravioris: Sed nec id relinqui volumus impunitum, si tamen dicto veritas suffragetur, quod scilicet Officialis venerabilis Fratris nostri Massiliensis Episcopi receptionem testium predictorum per laicos contra sepe dictum Fratrem Maurinum dicitur commisisse, quod ex modo inquirentis officio verum inveneritis, suspensum ab Officio, & Beneficio, si quod habet, ab Officialatu per eundem Episcopum jubeatis amoveri protinus: quod si Episcopus noluerit facere requisitus, vos auctoritate nostra Officialem amoveatis eundem, prefixo ei termino temporis peremptorio competenti, quo se nostro conspectui, recepturus penitentiam pro meritis, representet. Quicquid autem feceritis super his, nobis rescribere non tardetis: quod si ambo his exequendis non poteritis interesse, alter vestrum exequatur nihilominus. Datum Viterbii II Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Decernit ut supra.

1. *Decernit.*) Consulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) Inter *Acta Capitulor. Generalium fol.* 65 & *Tomo I eorundem Actorum fol.* 297.
3. *Insidias &c.*) Ut in præcedenti.

Anno 1266 Die 24 Junii.

In Prædicatores & Minores Fratres, de se mutuo detrahentes, animadvertendum decernit (1).

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 987.

L. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Priori, & Lectori Fratrum Predicatorum, Guardiano, & Lectori Fratrum Minorum in Monte Pessulano (2), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujusce Diplomatis causa.

ÆGre ferimus, & amaro merentium animo vobis admodum recensemus, quod a multis nuper accepimus, quosdam scilicet ex vestris Fratribus in tam illicitam prorupisse licentiam, ut invicem se occulte mordere, &, quod est gravius, etiam in sermonibus ad clerum habitis, vel ad plebem, verba effundere presumpserint detractoria in alterutrius vestrorum Ordinum non levem infamiam, & certarum nihilominus personarum. Ut igitur extinguatur in posterum seminarium tanti scandali, & inter vos fraterna caritas, prout decet, conservetur, & maneat illibata, devotioni vestre per Apostolica scripta, firmiter precipiendo, mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus si quos ex utroque, vel altero vestrorum Ordinum Fratres in Carcassonen. (3), & Bellicardii (4) Senescaliis, vel Provincie (5), & Folcalquerii (6) Comitatibus, Arelaten., & Avinionen. Civitatibus, & alibi in Arelaten. Provincia, reos esse noveritis in predictis, eos ad satisfaciendum personis, & Ordini, quos verbo scandalizarunt, vel facto, eo modo, quem honestiorem esse videritis, efficaciter inducatis; & si quis ex eis ordinationi vestre pertinaciter opposuerit, exercendi in eos censuram ecclesiasticam, ipsorum Ordinum, vel alterius ipsorum privilegiis non obstantibus, tenore presentium vobis concedimus facultatem. Datum Viterbii VIII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Decretum.

1. *Decernit.*) Consulenda præcedentia Diplomata.
2. *Monte-Pessulano.*) In *Occitania.*
3. *Carcassonen.*) In eadem Provincia.
4. *Bellicardii.*) Vulgo *Beaucaire*, ibidem ad *Rhodanum fluvium.*
5. *Provincia.*) *Provence*, nunc *Gallo-Provincia* nuncupata, quia Regis *Galliæ* juris est.
6. *Folcalquerii.*) *Forcalquier*, a nonnullis *Forum Neronis* dictum, in *Gallo-Provincia* cis *Druentiam* fluvium.

Anno 1266 Die 26 Julii.

Confirmat donationem (1) soli, in quo Cœnobium Tolosanum constructum est.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis ... Priori & Fratribus Ordinis Predicatorum Tolosan., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

PEtitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod bone memorie Tolosan. Episcopus vos olim pro salute fidelium in Civitate Tolosan. voluit mansionem habere, ac tandem in ea infra terminos Parochie Ecclesie S. Marie, que Deaurata dicitur, ad ..... Abbatem & Conventum Monasterii Moisacen., Ordinis Cluniacen., Caturcen. Diecesis, pertinentis, quam citius potuit, collocavit; concedens vobis, ut infra eosdem terminos Ecclesiam construi faceretis, & officinas alias vestris usibus opportunas, ponendo primarium lapidem in eadem. Vos autem in eodem loco per licentiam, & assensum hujusmodi, Ecclesiam, & officinas easdem construxistis, postmodum etiam in illis fere triginta annis pacifice habitastis. Nos itaque

Confirmatio.

vestris supplicationibus inclinati, quod super iis ab eodem Episcopo factum est, ad instar felicis recordationis Alexandri PP. Predecessoris nostri, ratum habentes, & gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Defectum, qui ex eo in iis forsitan extitit, quod ad hec consensus Capituli sui, ac eorundem Abbatis, & Conventus, seu Prioris Monachorum, & Rectoris ipsius Ecclesie, non accessit, supplentes de plenitudine potestatis. Nihilominus etiam vobis tenore presentium indul-

indulgemus, ut indulgentiis, & privilegiis, vobis, & Ordini vestro concessis, necnon & approbatis ipsius Ordinis consuetudinibus, vobis ibidem competentibus, uti, & gaudere, libere valeatis. Nos vero, adiicientes, decernimus, ut ex eo, quod in literis Predecessoris ipsius super hujusmodi confirmatione, suppletione, & concessione, confectis, de Cluniacensi Ordine mentio non habetur, in nullo eorum effectui derogari valeat, vel vobis aliquod obstaculum interponi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis, suppletionis, concessionis, & constitutionis infringere &c. Datum Viterbii VII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Donationem.*) Legenda *Diplomata data XXXI April. MCCLXI, & IV Ianuar, MCCLXIII.*

2. *Archivo,*) In quo Exemplar ex Autographo *Tolosano*.

Provinciali Romanæ Provinciæ, & Priori FF. Prædicatorum Florentiæ, ut nonnullos ab excommunicationis sententia solvant.

Anno 1266 Die 18 Octobris.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 988.

LII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Fratribus A.... (1) Priori Provincię Romanę, & Priori Fratrum Prędicatorum Florentię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Commissio.

CUm Cives Florentini post juramenta de nostris mandatis implendis prę stita, fidem primam irritam facientes, contra nostrum mandatum expressum, per dilectum filium Magistrum S.... (2) Capellanum nostrum inibi promulgatum P... Bernardini Civem Urbevetanum in Capitaneum nuper receperint, ob quam causam excommunicationis sententiam incurrerunt, discretioni vestrę committimus, quatenus vos, vel alter vestrum, omnes illos, qui suo juramento firmaverunt, se Capitanei receptionem ejusdem minime procurasse, nunc (3) eam procurantibus omnino voluntarie consensisse, a dicta excommunicationis sententia secundum formam Ecclesię absolvatis, (4) illos autem non omnino voluntarios intelligimus, qui, timore potentię vicinorum, receperunt eundem, eum alias, si resistere potuissent, minime recepturi, eorum vero nomina, quos absolveritis, in scripturam fideliter redigatis, & remittatis eandem. Datum Viterbii XV Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *A....*) Præerat tunc *Romanæ* Provinciæ vir venerabilis *F. Aldobrandinus de Cavalcantibus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii X.*

2. *S....*) *Simonem*.

3. *Nunc.*) Legerem: *Nec*.

4. *Absolvatis.*) Ut enim ex *Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXVI num. XXII* videre est, *nec Sicilia modo victoriis Caroli abrepta jam ad Ecclesiæ obsequia redierat, verum plures etiam alii Italiæ populi, qui se eidem Ecclesiæ, cum Manfredus viveret, subduxerant, non levi concepto metu, ne Clemens e Sicilia victorem in ipsos incitaret, certatim ejus gratiam flagitarunt. Florentini omnium primi aspiravere ad libertatem, exturbato Guidone Novello, ejusque Germanis, cum ob subitam rerum conversionem stupore defixi hærerent; missisque oratoribus censuris exolvi flagitarunt. Qua de re Pontifex Octavianum Ubaldinum S. Mariæ in Via-lata Diaconum Cardinalem certiorem fecit* ..... Ingenti, *inquit Pontifex*, jubilo exultamus, quod misericors & miserator Dominus, qui nihil eorum, quæ fecit, odit, nolens mortem peccatorum, sed ut magis convertantur, & vivant, civitatem & populum Florentinum, qui quasi cum morte fœdus pepigerant, diuque a devotione Romanæ Ecclesiæ damnabiliter de via recta (*deviarant*) quondam Manfredo, olim Principi Tarentino, persecutori ejusdem Ecclesiæ manifesto, contra eam induratis animis pertinaciter adhærendo, & adhærentes ejusdem Ecclesiæ totis viribus impugnando, de suæ abundantia pietatis ad pœnitentiam conterens, ipsos ad devotionem nostram, & dictæ Ecclesiæ per tuæ probitatis industriam misericorditer revocavit &c. *Subdit, ut Florentinus Prætor, aliique Magistratus Oratores ad Sedem Apostolicam miserint, qui supplices deprecarentur censuris pontificiis ob secutas Manfredi partes, & Lucam contra imperia apostolica oppugnatam, contractis exsolvi, nuncupatoque sacramento, Ecclesiæ imperiis obsequentes futuros; utque Gotifredo S. Georgii ad velum aureum, & Uberto S. Eustachii, Diaconis Cardinalibus demandata sit provincia, ut eos liberarent anathemate, atque in sacrorum Communionem admitterent.* Ex his ultimis *Odorici* verbis liquet non solum Fratribus nostris, sed etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus demandatam fuisse provinciam, *Florentinos* a censuris solvendi.

Guillelmum a Sancto-Amore de nonnullis monet (1).

Anno 1266 Die 18 Octobris.

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 987.

LIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto (3) filio Magistro Guillelmo de Sancto-Amore, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Paterne monet.

SI circa veritatis indaginem elaboras, si cautelas Ecclesię colligis ex scripturis, dum tamen sobrius inquisitor existas, & activum evites scandalum, non te credimus arguendum; sed cavendum est tibi, ne vel preteritorum tuorum tuo hereat animo nimis tenax memoria, & sub doctrinę specie detractionis colores insidias, vel illam objurgationem merearis audire, qua Paulum tetigit Festus dicens: Te multę literę faciunt insanire. Sane libellum novum evolvere cępimus, quem misisti, qui licet interdum alias auras circinet, veterem tamen multum sapit, & cum excussus, & discussus, licet colorationem in aliquo videatur habere, totum primi substantiam comprobatur retinere. Verum dum totum non legimus, nihil tibi possumus respondere, nisi quod provida diligentia cor tuum munias, ne sub boni specie ille te seducat, qui se, ut lateat, in lucis angelum transfigurat. Nos autem cum legerimus hoc opusculum, & aliis amatoribus veritatis, & eandem intelligentibus communicaverimus (4), tunc quod Nobis videtur, tibi dabimus intimare. Sed quia res forsitan abibit in longum, propter negotiorum instantiam, quę de mundi diversis partibus nos solito acrius inquietant, dilectum filium Magistrum Thomam, supradicti pręsentatorem operis, ultra nolumus detinere. Datum Viterbii XV Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Mo-*

1. *Monet.*) Audiendus *Echard T. I Scriptor. Ord. ad An. MCCLXXIV pag. 335 col. II*, cujus hæc verba: *Conticuit Sanctamoranus toto Pontificatu Alexandri IV, & Urbani IV, sed interea librum* De Periculis &c. *innovavit, & sub novo titulo, scilicet*: Collectio Catholicæ, & Canonicæ Scripturæ ad defensionem Ecclesiasticæ hierarchiæ contra Pseudo-Prædicatores &c. *Clementi IV misit anno MCCLXVI, Pontifex autem eidem respondit, Epistola XV Kalendas Novembris anno II, Christi MCCLXVI, eo libro sub nova facie ipsum veterem vultum retinere, & dum alias oras decurrere vult videri, antiquum adversus Religiosos Mendicantes odium ubique sapere. At simul Pontifex eundem novum librum Johanni de Vercellis Magistro Ordinis sexto dedit in manus, & hic Thomæ de Aquino, ut si quid novarum difficultatum inesset, eidem responderet.*

2. *Archivo.*) Legitur etiam apud *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXVI pag. 292*; idem ex *Ms. Victorino* transcripsit *Boulans Histor. Universitat. Parisien. Tomo III pag. 382*.

3. *Dilecto.*) Hinc tandem aliquando *Guillelmum de Sancto-amore* sese ad meliorem frugem recepisse, certo certius est; nunquam enim hoc titulo *Dilecti filii* filios rebelles donat mater Ecclesia.

4. *Communicaverimus.*) Editores Operum *S. Thomæ*, exceptis *Parisiensibus Tomo XX pag. 534*, huc referunt *Opusculum XXXIV*, alias *XIX*, quod edidit Doctor Angelicus *Contra impugnantes Dei cultum & Religionem*.

Anno 1266 Die 16 Decembris.

Provinciali, ceterisque Provinciæ Lombardiæ Præpositis, ut Inquisitoribus Fratres postulatos concedant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LIV. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Provinciali, ac ceteris Conventualibus Prioribus, & Supprioribus. eorumque Vicariis, Ordinis Prędicatorum, Lombardię, & Marchię Januen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NE catholicę Fidei &c. (3). Datum Viterbii XVII Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Concedant.*) Ut in *Dissertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Fidei &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVI Octobris MCCLXII*.

Anno 1266 Die...

Jacobo Regi Aragonum, ut Saracenos (1) omnes ex Hispaniis fuget, Judæumque puniat, qui disputando ad incitas a Fratre Paulo (2) Ordinis Prædicatorum redactus (3), librum mendaciis, erroribusque scatentem vulgavit.

Ex Bzovio (4) Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXVI num. X.

LV. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Regi Aragonum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Regis Aragonum.

AGit, nec immerito, mater Ecclesia, dum lętanter sua (5) magnifica gesta commemorat, dies festos jucunditatis, & letitię cantica replicat, tui zeli fervorem, & strenuitatis merita, tam cari. & (6) devoti filii, quasi recenter quotidie delectabiliter recensendo. Exultat, & jubilat in tuorum felicium commemoratione (7) successuum, per quos contra Saracenos, nominis sui blasphemos, & catholicę fidei persecutores infestos, salutem populi Christiani dextera Domini virtuose in tuis manibus, & data tibi ab ipso virtute, direxit. Apud bonorum omnium largitorem preces devote multiplicat, ut in hac zeli rectitudine, in hac fidei puritate, te in tempora longiora conservet, quod nos eo postulamus avidius, eo instantius petimus (8), quo tibi vinculo (9) caritatis solidioris astringimur, ad honorem tuum solidiate sincerioris dilectionis afficimur, & salutem tuam sincerius affectamus. Hęc quidem nos movent efficaciter, & inducunt, ut Serenitatem tuam paternis adeamus commonitionibus, & attentis exhortationibus excitemus adversus ea, quę grandia pericula temporaliter etiam tibi, & posteris tuis, ingerere, tui nominis claritatem inficere, ac Creatorem tuum contra te possent graviter provocare. Considera igitur, fili, considera: cum te tam experientia cogat advertere, quam familiaria etiam exempla ignorare non sinant, quam gravibus sit res plena periculis, Saracenorum in terra tua retentio; qui licet ad tempus occultent iniquitatis suę, necessitate cogente, propositum, illud tamen quam avide, quam ardenter, immo etiam quam inique, captata occasione (10), revelant. Profecto nec discreti consilii est, nec tutum, tam perfidos, tam plenos nequitia inimicos habere domesticos, vel tenere vicinos, non magis quam nutrire serpentem in gremio, vel ignem in sinu. Quod si te forsan ad hujusmodi retentionem ipsorum, aliqua ex illis proveniens inducit, immo, ut verius dicamus (11), seducit utilitas, tanto prępondere in tuę magnitudinis (12) judicio, & recto libramine rationis acerba tui contumelia Creatoris, quam assidue patitur, Saracenis iisdem (13) inter Christicolas diebus singulis, clamore publico (14) certis horis, nomen extollentibus Mahometi, quanto procul dubio ferres, & revera ferre deberes, acerbius illatas inter tuos subditos Celsitudini tuę injurias, quam inter eos, qui tuę non essent ditioni subjecti. O quam debet esse detestabile, quam amarum, tibi pręcipue, qui ab annis teneris illius cultores, & cultum infra fines ipsorum totis viribus persequendo, ad eorum exterminium laborasti, nunc ipsum in Regnis tuis pati per culturam hujusmodi taliter exaltari! Nonne consideras, quod per hoc detrectatorum (15) linguis exponeris? Qui quasi verisimiliter asserent (16), quod in omnibus tuis laboribus, quos nullis vitatis periculis in ipsorum persecutione ab adolescentię tuę initiis pertulisti, non exaltationem fidei, sed tua venabaris commoda, tuis solummodo utilitatibus intendebas? Porro etiam amicorum forte alternabuntur (17) judi-

Ut Saracenos fuget hortatur.

judicia, si propter utilitatem pecuniarum (18), sic tuis laudabilibus actibus detrahi, tantum superni Regis opprobrium, tantam christianitatis infectionem, quam ex eorundem Saracenorum cohabitatione horribili, detestandis horroribus, & horrendis spurcitiis non est dubium provenire, amplius patiaris. Et quidem (19) vel hujusmodi obloquentium detrectationi (20) consentiens, vel ipse tibi contrarius videreris, si Saracenos eosdem in suis partibus persequens, in tuis ipsos sustines patienter. Hęc si discussa debite meditationis examine in rationis consistorium introducas, ipsos nec dubium, prout excellentiam tuam decet, prorsus abiiciens, (21) & profugans (22), extra tuę ditionis terminos effugabis, ad quod magnificentiam regiam, ut tuę saluti provideas, ut tuę famę consulas, ut consultius periculis, quę tibi, & ipsis posteris, ut premittitur, per eos imminere possunt, occurras, & paterno affectu, & omni, quo possumus, studio invitamus, presertim ut reddas Altissimo votum tuum, quo ad id publice diceris obligatus: sicque oppilentur ora contra te inique loquentium: tuque, prout es, & fidei zelator pręcipuus, & ad ipsius exaltationem labores (23) dirigere censearis: ad quam, cum ferventer intendas, regalem prudentiam oportet attendere: quod Ecclesię status, & fidei, earumque negotia, ea sunt indivisibili unione conjuncta, ut altera, reliqua in honore non habita, honorari non possit. Nec enim potest fidei derogari, quin nimis Ecclesię detrahatur, nec ipsius Ecclesię honori ac libertati detrahi, quin & fidei, quantum in detrahente fuerit, derogetur. Nec (24) igitur tu, qui ejusdem fidei vacasti semper, & adhuc vacas semper (25) negotio eidem, si Ecclesię injuriosus fueris, existas injurius. Decet &c (26). Ut autem, Princeps inclyte, zelus tuus erga defensionem ejusdem orthodoxę fidei, quam tanquam christianissimus indefesse prosequeris, undique contra ipsius hostes, & ęmulos aperte reluceat; in ipsis auxilium contra Judęos, qui pręceteris eandem fidem persequentibus, & nomen blasphemantibus christianum, & illud blasphemant amarius, & illam nequissime persequuntur, favor tuus apertissime invalescat: ut Judęos de cetero ad aliqua officia non admittens, ipsos in aliquo non extollas, sed inquantum concessa eis a Sede Apostolica privilegia patiuntur, ipsorum refrenando malitiam, deprimas, & conculces, nec pretereas illorum blasphemias incorrectas, sed illius pręcipue castiges audaciam, qui de disputatione, quam in tua presentia cum dilecto filio Religioso viro Fratre Paulo de Ordine Prędicatorum habuerat, multis confictis, abiectisque mendaciis, librum composuisse dicitur, quem ad sui delationem erroris, in varia exempla multiplicans, per regiones varias destinavit, cujus ausum temerarium sic debite censura justitię, absque tamen mortis periculo, & membrorum mutilatione castigetur, ut quod excessus meruerit, districtionis severitas manifestet, & ipsius exemplo aliorum audacia compescatur. Super his igitur serenitatem regiam monemus (27).

In Judæum quendam animadvertendum decernit.

1. *Saracenos.*) Hujus Diplomatis argumentum exponit *Odoricus Raynaldus* his verbis: *Instruxit aliis literis Pontifex eundem Regem* (Jacobum) *saluberrimis monitis, ut Numinis cultum amplificaret, Saracenos omnes e sua ditione excinderet, qui in gravissima exitia Regnum possent conjicere, ne funestum Mahometi nomen extolli ab iis pateretur: tenues Valentiae Ecclesia opes augeret, Judaeos submoveret dignitatibus, ac sceleratum illum justa pœna afficeret, qui post habitam coram ipso de Religione concertationem, ut trophaeum errori erigeret, librum composuerat, ac plura illius exemplaria in varia loca transmiserat: ita enim Dei gratiam, ac partos in terris triumphos Celestibus cumulaturum.* Hæc Odoricus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXVI num. XXIX. *Quod Saracenos attinet*, inquit *Bzovius* ad eundem annum num. XII, *paruit Jacobus Pontifici monenti, belloque contra eos suscepto, feliciter profligavit, & in signum victoriae, vexillum de eis receptum ad Sedem Apostolicam misit, quod Ebbolo ad sepulcrum D. Petri suspenderetur. Summas gratias Deo Clemens una cum Cardinalibus habebat pro ea victoria, atque secundo Regem monebat, ne arma contra eos sumpta deponeret, sed Domini praelia indefessa manu praeliaretur.* Citat *Epistolam CCXV Lib. II Clementis IV, datam Viterbii III Nonas Julii.*

2. *Paulo.*) Natione *Catalanus*, doctrina celebris, pietate summus, salutis Judæorum sitientissimus fuit *F. Paulus Christiani*, quem Jacobus hocce Regio Diplomate commendat. *Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Majoricarum, & Valentiae, Comes Barchinonae, & Urgelli, ac Dominus Montis-Pessulani, fidelibus suis universis & singulis Judaeis in toto districtu nostro ubique morantibus, ad quos praesentes pervenerint, salutem & gratiam. Mandamus, & districte praecipimus vobis, quatenus cum dilectus noster Frater Paulus Christiani, de Ordine Fratrum Praedicatorum, quem ad vos pro via salutis ostendenda mittimus, venerit ad vos, ad synagogas, vel domos vestras, vel cetera loca, causa praedicandi verbum Dei, vel disputandi, vel conferendi vobiscum de Scripturis sanctis in publico, vel in privato, vel familiari collocutione, simul, vel separatim, ad eum teneamini venire, & mansuete, & favorabiliter auscultare, suisque interrogationibus de Fide & Scripturis sacris, secundum quod sciveritis, humiliter & reverenter, & absque calumnia & subterfugio respondere. Et libros vestros, quibus ipse indiguerit ad veritatem vobis ostendendam, eidem exhibere, & expensas, quibus indiguerit dictus Frater circa libros suos asportandos de loco ad locum, quos propter veritatem ostendendam vobis deferri fecerit, & Fratres sui Ordinis ex Constitutione sua habent, quod expensas non deferant, vos easdem expensas solvere teneamini, nobis illas imputantes, de tributo, quod nobis facere tenemini, deducentes. Mandamus insuper & districte praecipimus omnibus Bajulis, Vicariis, & aliis Officialibus nostris universis, ut praedictos Judaeos, si praedicta gratis facere noluerint, auctoritate nostra compellant, si de nostra gratia confidunt, vel amore. Datum Barchinonae IV Kalendas Septembris Anno Domini MCCLXIII.* Legitur apud *Diago Histor. Provin. Aragon. Lib. I Cap. X. pag. 32 ex Regesto Regio Barchinone asservato signato litera T fol. 106*, apud *Medranum Histor. Provinciae Hispan. Tomo II Parte I Libro VI Cap. XVIII pag. 493, & apud Bzovium Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLXIII num. XVI.*

3. *Redactus.*) Judæus iste, cui nomen *Moyses*, patria *Gerundensis* erat. Anno MCCLXIII die XX Julii, astantibus Rege, aliisque ex omni Ordine præstantissimis viris *Barchinone* habita est concertatio illa, de qua legendi *Diago & Medranus laudati, Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano I Parte Septembris Chronologiae Missionum pag. 81, Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. V pag. 84, Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXV pag* 246.

4. *Bzovio.*) Illud idem partim exscripsit *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXVI num. XXIX.*

5. *Sua.*) Odoricus apposite legit: *Tua.*

6. *Et.*) Ex Odorico: *Quam.*

7. *Commemoratione.*) Idem: *Connumeratione.*

8. *Petimus.*) Ex eodem: *Imploramus.*

9. *Vinculo.*) Odoricus: *Vinculis.*

10. *Occasione.*) Apud eundem: *Opportunitate.*

11. *Immo, ut verius dicamus.*) Ex eodem: *Ne dicamus.*

12. *Magnitudinis.*) Idem: *Magnanimitatis.*

13. *Iisdem.*) Odoricus: *Eosdem.*

14. *Publico.*) Apud eundem: *Privato.*

15. *Detrectatorum.*) Idem: *Detractorum.*

16. *Afferent.*) Ex eodem: *Afferenti.*

17. *Alternabuntur.*) Odorici librarius scripsit: *Alternabantur.*

18. *Pecuniarum.*) Odoricus: *Pecuniariam.*

19. *Et quidem.*) Idem addit: *Tu.*

20. *Detrectationi.*) Odoricus: *Detractioni.*

21. *Abiiciens.*) Idem: *Abiicies.*

22. *Profugans.*) Ex eodem: *Profugos.*

23. *Labores.*) Idem adjicit: *Tuos.*

24. *Nec.*) Ex Odorico: *Ne.*

25. *Vacas semper.*) Apud eundem: *Vacas studiose.*

26. *Decet &c.*) Quæ hic desunt sic ex *Odorico* partim restituenda: *Et nos excellentiam tuam, quo possumus affectu rogamus, ut ab injuriis Ecclesiarum abstineas, quibus in partibus tuis injuriari diceris supra modum tam in bovaticis, quam albergis, quam in aliis exactionibus omnino indebitis, & in eo potissime, quod ab illis eorum, quae annorum quadraginta spatio, & interdum a tempore, cujus non exstitit memoria, possederunt,*

derunt, titulum suæ provisionis, contra rationem, & legitimas sanctiones exquiris, quem nisi probaverint, possessiones occupat, juris ordine non servato. Quæsumus itaque, fili carissime, ac tuæ salutis, & honoris obtentu, pietatem regiam instantius deprecamur, ut ab earundem Ecclesiarum injuriis omnino desistens, eas, personas Ecclesiasticas, jura, & libertates earum manuteneas, protegas, & defendas, ipsasque favorabiliter prosequaris. Circa Ecclesiam vero Valentinam, donum tibi a Deo tam gratiose concessum, ut concedentis, & concessionis gratiam gratam, ut decet, videaris habere, ipsiusque mensuram de donantis magnitudine metiaris abunde: tuus favor exuberet, & in ipsam ita liberalitas regiæ pietatis abundet, ut eam, cum sit novella plantatio, noviter divina potentia per te de gentium perfidarum manibus eruta, in paupertate arescere non permittas &c.

17. *Monemus.*) Quædam hic desiderantur tum apud *Bzovium*, tum apud *Odoricum*. Uterque tamen adscribit Annum *MCCLXVI*, de Die autem, qua datum est *Diploma*, apud ipsos altum silentium.

Anno 1267 Die 9 Januarii.

Provinciali Prædicatorum, & Ministro Minorum Fratrum, Regni Castellæ, ut Ecclesia Castri de Sorio nomine Cathedralis insigniatur, & hunc honorem cum Oxomensi ex æquo partiatur (1).

Ex Vvaddingo (2) Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXVI pag. 294.

LVI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali Prędicatorum in Hispania, & Ministro Minorum Fratrum in Regno Castellę, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CAstrum de Soria Oxomensis Diœcesis, prout accepimus, sicut ager, cui benedixit Dominus, famosum inter alia loca illarum partium, & fęcundum in populis, tales producit alumnos tam clericos, quam laicos, per quos non solum Regalis Curia, verum etiam tam propinquę, quam remotę partes Hispanię honorantur. Proinde siquidem carissimus filius noster illustris Rex Castellę, & Legionis, ac venerabilis Frater noster Episcopus Oxomen., necnon Prior, & Conventus Ecclesię Sancti Petri, ac universitas hominum ipsius Castri, nobis humiliter supplicarunt, ut prędictum Castrum Civitatis vocabulo insignire, ita quod nomen, & omen civitatis gerat, & ipsam Ecclesiam Ordinis Sancti Augustini in Cathedralem erigere, ac eam Ecclesię Oxomen. ejusdem Ordinis counire, ita quod de cetero sit unus Episcopus utriusque, Mandatum. paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque ipsorum desideria in hac parte prosequi favore benevolo intendentes, discretioni vestrę, de qua plenam fiduciam in Domino obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si consideratis diligenter circumstantiis universis, videritis expedire eisdem Ecclesiis, Clausula derogans. unionem hujusmodi, auctoritate Apostolica, faciatis. Non obstante indulgentia Sedis Apostolicę, qua Fratribus vestrorum Ordinum dicitur esse concessum, quod non teneantur se intromittere inviti de quibuscumque negotiis quę ipsis per literas Apostolicas committuntur, nisi in eis de indulto hujusmodi, & Ordine vestro plena, & expressa mentio habeatur. Datum Viterbii V Idus Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Partiatur.*) *In Hispaniis*, inquit *Bzovius* Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLXVI num. XV, *Alfonsus Rex Castellæ, benedicente Domino, adeoque impellente Summo Pontifice, contra Mauros Granatenses feliciter exercitum duxit . . . cum autem Alfonsus tanta potitus sine sanguine victoria, gratitudinis causa cultum Divinum amplificaret, atque ideo Castrum Sorianum Oxomensis in Civitatem erexisset, eam Ecclesiam in Cathedralem elevari, eique Episcopum præfici, a Sede Apostolica postularet, Clemens Papa Provinciali Hispaniæ Ordinis Prædicatorum, & Ministro Minorum in Regno Castellæ commisit, ut postulatis Alfonsi auctoritate Apostolica satisfacerent, Civitatis titulum Castro donarent, Ecclesiam Parochialem in Episcopalem erigerent, Episcopum illi præponerent, cum Oxomensi tamen Ecclesia illam counirent, quoadusque meritis & opibus augeretur.*

2. *Vvaddingo.*) Ejusdem meminere *Bzovius mox laudatus, Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad An. MCCLXVI num. XXXIV*, ubi citant *Epistolam CLXIII Lib. II Clementis IV, & Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad An. MCCLXVI pag. 90.*

Anno 1267 Die 28 Januarii.

Provinciali Hispaniæ, ut Fidei Censores creare, & a munere dimovere possit (1).

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 550.

LVII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio ... Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Hispania, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PRę cunctis nostrę mentis desiderabilibus &c. (3). Datum Viterbii V Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Possit.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum asservatur in Cœnobio *S. Catharinæ Barchinonen.*

3. *Desiderabilibus &c.*) Ut in *Diplomate dato I Augusti MCCLXII.*

F. Ambro-

Anno 1267 Die 3 Februarii.

F. Ambrosio Sansedonio (1), ut nonnullos a Censuris Ecclesiasticis solvat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LVIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Ambrosio de Ordine Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid actum sit, narrat.

OLim dilecto filio Magistro Bernardo Langufelli Archidiacono Lautaren. (3) in Ecclesia Tolosana, Capellano nostro, sub certa forma nostris literis in mandatis ...... (4) a Potestate, consilio, & communitate Sancti Geminiani, Vulterranę Dięcesis, de parendo nostris, & Ecclesię Romanę mandatis, tam super reformatione, & conservatione pacis, ac restituendis captivis, si quos habeant, quam super eo, quod quondam Manfredo, dudum (5) Principi Tarentino, contra prędictam Ecclesiam adhęserunt, per syndicum eorum, ad hęc specialiter constitutum, juramento recepto, faceret sibi super hoc ab eis idoneos fidejussores de Civitate Senensi, si haberi possent, alioquin ex se ipsis quot, & quales expedire cognosceret, exhiberi, eos ad id spiritualiter, & temporaliter, prout expedire videret, appellatione postposita, compellendo, hujusmodi autem juramento, & fidejussoribus habitis, & receptis, eosdem Potestatem, consilium, & Communitatem ab excommunicationum sententiis, quibus occasione dicti Manfredi tenebantur astricti, per se, vel per alium, sive alios, absolvere, ac interdictum, cui ob id dictum Castrum, & loca sui districtus subjacebant, auctoritate nostra relaxare curaret. Verum licet idem Potestas, consilium, & communitas mandata nostra, & ejusdem Ecclesię in manibus dicti Capellani, tunc existentis apud Civitatem Senensem, per syndicos ad hoc specialiter constitutos super prędictis omnibus, & singulis precise juraslent, tamen quia fidejussores hujusmodi non dederunt, non fuerunt a prędictis sententiis absoluti: nec idem interdictum extitit relaxatum. Nos autem benigne cum ipsis agentes, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus ab eisdem Potestate, Consilio, & Communitate de parendo super premissis, nostris, & Ecclesię prefatę mandatis, triginta fidejussores idoneos de se ipsis, cum de Senensibus aliquos, sicut asserunt, habere non possint, tibi nostro, & ejusdem Ecclesię nomine facias exhiberi, quibus receptis, & habitis, ac, super his confectis publicis instrumentis, ad absolutionem eorum, & ad relaxationem interdicti prefati procedas per te, vel per alium, juxta prędictarum continentiam literarum; rescripturus nobis quicquid exinde duxeris faciendum. Datum Viterbii III Nonas Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Sansedonio*.) Beato scilicet, quem *Clemens VIII* Martyrologio *Romano* ascripsit. Die XXII Martii festum ipsius celebrat Ordo Prædicatorum. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad An. MCCLXXXVI pag.* 401., & eruditos Editores *Actorum Sanctorum Tomo VIII ad XX Martii pag.* 189. Consulendus etiam *Bzovius ad annum MCCLXVI num. XIX.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Legitur apud *Julium Sansedonium in vita B. Ambrosii Sansedonii pag.* 53.

3. *Lautaren.*) Legerem: *Lexaten.*

4. *Mandatis* ...) Quæ desunt sic restituerem: *Nostris literis in mandatis dedimus, ut a Potestate.*

5. *Dudum*.) Jamjam enim perierat hostis ille Ecclesiæ, *Manfredus*, dequo sæpius dixi.

Anno 1267 Die 6 Februarii.

Magistro, & Provincialibus Ordinis, ut Sororum ac Monasteriorum curam suscipiant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Quid hac de re sancitum a prædecessoribus.

Decernit ut supra.

Conventus Monasterii pro suo jure eligit Priorissam.

AFfectu sincero sic vestri Ordinis decus & decorem diligimus, quod super omnibus spectantibus ad ipsius honestatem, ac vestrarum pacem mentium, nos benignos, & benivolos exhibemus. Sane quamvis nonnulli pię mem. Romani Pontifices Prędecessores nostri, per suas litteras & mandata vobis, seu quibusdam vestrum, diversa Monialium, seu Sororum, Monasteria Ordinis S. Augustini perpetuo regenda commisisse dicantur., Nos tamen, ita illarum utilitatibus volentes per vestrum ministerium providere, quod cursus prędicationis, quam ex injuncto vobis officio diligentius exercetis, animarum curandis langoribus fructuosus, concursu occupationum multiplici nequeat retardari, prȩsentium auctoritate statuimus, ut Moniales, seu Sorores hujusmodi, vobis, aut illis vestrum, quibus sunt per eosdem Prędecessores, ut prędictum est, commissę, vel quę per te, fili Magister, seu prędecessores tuos, qui fuerunt pro tempore, aut per Capitula generalia prędicti Ordinis, sub vestra, seu aliquorum ex vobis cura sine cujusquam prejudicio sunt receptę, hoc a vobis ex hujusmodi commissionis, vel receptionis beneficio consequantur, videlicet, quod ipsę sub vestro magisterio, & doctrina, vestrorumque successorum, qui pro tempore fuerint, in perpetuum debeant permanere. Ipsas quoque, ac earum Monasteria, vobis & eisdem Ordini, ac Successoribus, auctoritate Apostolica de novo committimus ad cautelam, ut animarum ipsarum sollicitudinem gerentes, & curam, eisque de Constitutionibus vestri Ordinis, quę ipsis competunt exhibentes, eadem Monasteria, seu Moniales, & Sorores prędictas, per vos, vel alios ipsius Ordinis vestri Fratres, quos ad hoc idoneos esse noveritis, quoties expedierit, visitetis, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio videritis indigere. Instituatis autem nichilominus, & destituatis Monasteriorum hujusmodi Priorissas, ac circa easdem Priorissas, & Moniales, seu Sorores, ac Monasteria prędicta, Conversos, & familiares, in ipsis Monasteriis continue degentes, mutetis, & ordinetis, prout secundum Deum videritis expedire. Electio tamen Priorissarum dictarum libere ad Conventus Monasteriorum pertineat prędictorum, quarum

A Generali, vel Provinciali firmatur electio.

confirmatio ad te, fili Magister, ubique, & ad singulos vestrum, filii Priores, in sua Provincia, vel ad eos, quibus id commiseritis, precipue pertinebit, confessiones vero per vos, vel Fratres easdem audiatis illarum, & ministretis eis ecclesiastica Sacramenta. Verum, ne pro eo, quod in aliquibus ex eisdem Monasteriis, Fratres vestri Ordinis residere continuo non tenentur, pro defectu Sacerdotis possit eisdem Monialibus, seu Sororibus detrimentum in spiritualibus imminere, ad confessiones earum, in necessitatis articulo audiendas, & Sacramenta hujusmodi ministranda, deputetis aliquos discretos, & providos capellanos, quos vobis deputare, ac mutare liceat, prout vobis videbitur expedire. Non obstante aliqua contraria Constitutione predicti Ordinis vestri, & quacumque Apostolice Sedis indulgentia concessa, vel in posterum concedenda, de qua in nostris litteris fieri debeat mentio specialis, vel quibusdam litteris fel. rec. Innocentii PP. Predecessoris nostri, per quas vos ab illarum cura dicitur absolvisse, seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis, sive litteris Apostolicis, vobis, aut Ordini vestro, seu Monialibus, & Sororibus supradictis, sub quacumque verborum forma, in contrarium forte obtentis, de quibus oporteat in presentibus plenam, & expressam, seu de verbo ad verbum fieri mentionem. Nos enim nichilominus universas, interdicti, suspensionis, & excommunicationum, sententias, quas in vos, vel vestrum aliquem, seu ipsius Ordinis vestri Fratres, & loca, vel Moniales, aut Sorores easdem, seu ipsarum Monasteria, Conversos prefatos, occasione premissorum, vel alicujus eorum, per quemcumque, aut quoscumque, Apostolica, vel quavis auctoritate alia, promulgari contigerit, irritas decernimus & inanes, ac in aliquo penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre Constitutionis, & concessionis infringere, &c. Datum Viterbii VIII Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Sororibus Fratres, Sacramenta administrent.

Clausula derogans.

Sanctio poenalis.

2. *Suscipiant.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem exscripsit *Ujusmaris pag. 59.*

Anno 1267 Die 8 Februarii.

Magistro Ordinis, ut Fratres ab errore Tartaros, Æthiopes, Indos &c. evulsuros, mittat (1).

Ex Arch. (2) Ordinis lib. B. fol. 455.

LX

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Humberto (3) Magistro Ordinis Fratrum Predicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Ordinis encomium.

Mandat ut supra.

DEi sapientiam, & virtutem notam facere in populis est precipuum, & continuum in nostro proposito voluntatis, presertim cum in hoc vita perennis consistat, quod Deum Patrem, & quem misit suum filium Jesum Christum, mente vigili studeat humanum genus agnoscere, ac laudum devotarum preconiis sue gloriam attollere majestatis. Attendentes itaque, quod inter alios propugnatores fidei Christiane Fratres tui Ordinis juxta professe religionis officium, zelus comedit animarum; quare ipsorum ministerium censetur non modicum opportunum, in reducendis ad rectitudinis semitam subtractionis filiis, qui sacrosancte Romane Ecclesie non obediunt, ac lucrifaciendis gentibus, qui Redemptorem nostrum, filium, videlicet, gloriose Virginis, non cognoscunt; discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus aliquos de ipsis Fratribus, tibi commissis, quos potentes videris in opere & sermone, necnon fidei ampliande zelo ferventes, ad terras Tartarorum (4), Æthiopum, Indorum, Nubianorum, ac Saracenorum, de Orientalibus, ac Meridionalibus partibus, ac quascunque nationes, seu regiones Infidelium, transmittas, annuntiaturos illis in virtute Dei evangelicam veritatem, quos tibi amovere liceat, aliosque substituere, cum videris expedire; Quibus, & vice nostra, in peccatorum suorum omnium remissionem injungas, ut seminaturi super aquas multas, in illo tantum, qui se dixit mundum vicisse, confisi, ad illuminationem cece multitudinis, & exterminium heretice falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confirmandos in luce sermonis, & rectitudine operis, propositum sibi iter, sine qualibet offensione percurrant, potestate illa functuri, que continetur in Apostolicis literis, directis Fratribus predicti tui Ordinis, propter hoc proficiscentibus ad hujusmodi barbaras nationes. Ceterum, quia dilectus filius Fr. Vasinpace (5) predicti Ordinis, qui pluries olim ad nationes missus easdem, inter eas, quarum, ut accepimus, mores jam novit, laudabiliter extitit conversatus, ad illas redire desiderat pro fide Catholica, dante Domino, amplianda, cum inter hujusmodi Fratres, quos ad nationes ipsas miseris, dummodo tibi videatur utile, ac fidei negotio expedire, transmittas. Datum Viterbii VI Idus Februarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Mittat.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Ejusdem Diplomatis mentio apud *Simonem Okolski* in *Russia florida pag. 14*, & *Carolum a Sancto Vincentio* in *Anno Dominicano I Parte Septembr.* in *Præfatione pag. 50.*

3. *Humberto.*) Ab Amanuensi hæc lectio, quam sperne: *Humbertus* enim ab anno MCCLXIII in Capitulo Generali *Londini* celebrato sese Magistri Generalis munere sponte abdicarat, & *Parisiis* anno MCCLXIV die VII Junii *F. Johannes Vercellensis* successor *Humberti* renunciatus fuerat. Nec ex hoc in suspicionem vocandum Diploma, sed reprehendendus Amanuensis, qui temere vocem illam obtrusit, ut expleret lacunam. Hanc siquidem, ut in aliis passim, sic in hujus Diplomatis Autographo reperiri crediderim: *Dilecto filio . . . , Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum.*

4. *Tartarorum.*) De *Tartaris*, aliisque, lege *Diploma Datum XXIII Julii MCCLIII.*

5. *Vasinpace.*) Adeas *P. Carolum a Sancto Vincentio* mox laudatum.

Priori

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum, Bisuntin. (1), ut Abbatis Luxovien. cessionem accipiant. — Anno 1267 Die 14 Martii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 930.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Bisuntin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — LXI.

EX parte dilecti filii Raynerii Abbatis Monasterii Luxovien., ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Bisuntin. Diœcesis, fuit propositum coram nobis, quod ipse, prout regimini ipsius Monasterii Abbatię convenit, non est in spiritualibus, & temporalibus circumspectus, & nimia corporis infirmitate, ac debilitate gravatur, ita quod propter hoc, & propter malitiam subditorum, Monasterium ipsum per eum non potest salubriter gubernari, sicque dictus Abbas, dubitans, ne sub umbra nominis sui dictum Monasterium incurrat irreparabile detrimentum, intendit, sicut asserit, cedere Abbatię Monasterii supradicti, nobis per suas litteras humiliter supplicans, ut cessionem ipsius admittere curaremus. Nos itaque, ipsius supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus, si vobis constiterit ita esse, ac sibi, & dicto Monasterio videritis expedire, ab eodem Raynerio accipiatis cessionem hujusmodi vice nostra. Datum Viterbii II Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio. — Mandatum.

1. *Bisuntino.*) *Bisontino*, vel *Visuntino*, in Gallia *Lugdunensi*.

Ædes sacras Cœnobii nostri Bononien. die Translationis Corporis S P. Dominici, per Octavam, & Anniversaria die ejusdem visitantibus Indulgentiam impertitur (1). — Anno 1267 Die 15 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. — LXII.

MEritorum multitudo clarissima, quibus Beatus Dominicus Confessor Domini gloriosus olim sub nostrę mortalitatis habitu in conspectu fidelium resplenduit nationum, dudum Sedi Apostolicę causam dignissimam noscitur tribuisse, quod ipsa Confessorem eundem post ipsius felicem obitum ascripsit catalogo Beatorum ad Divinę majestatis honorem, quę prędicto Confessori, multis illustrato miraculis, contulit gloriam perpetuę claritatis. Hac enim de causa vos, benedictionis filii, devotis cordibus attendentes, quod idem Confessor, Regis ęterni præco inclytus, vestri sacri Ordinis Institutor fuerit virtuosus, pio, sicut dudum accepimus, considerastis affectu, quod, cum tanti Patris, & Doctoris vestri, sepulcrum infra Ecclesiam vestram de Bononia in loco magis demisso, & humili, quam tam famoso thesauro conveniat, habeatur, reverenter, & salubriter decrevistis, ut pretiosum Corpus Confessoris ejusdem in altiorem, & digniorem locum ipsius Ecclesię transferatur (3), itaquod fidelium concurrentium multitudo Confessorem ipsum eo majori prosequatur honore, quo ipsius sepulcrum in eminenti loco positum sibi facilius, & liberius, occurrerit intuendum. Cum itaque opus tam celebre, tam solemne, prędictis fidelibus deceat esse publicum, & plenissime venerandum, nos, digne volentes, quod prędicta Ecclesia vestra tunc pręcipue ab eisdem fidelibus congruis honoribus visitetur, ac eis per consequens retributio desiderabilis ex divinę provenias gratia pietatis, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui ad eandem Ecclesiam in die Translationis hujusmodi, causa devotionis, accesserint, duos annos, accedentibus vero illuc septem diebus immediate sequentibus, hac vice centum Dies, in Anniversario vero ipsius Translationis annuatim totidem dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Datum Viterbii Idibus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio. — Exordium ab encomio S. P. Dominici. — Concessio.

1. *Impertitur.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononiensi* fol. 13, ex Autographo *Bononiæ* asservato.

3. *Transferatur.*) Prioris Translationis Corporis S. P. *Dominici*, cujus festum celebratur die XXIV Maii, historiam accurate perscripsit Venerabilis Pater *Jordanus* in *Epistola*, quæ legitur apud *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad an. MCCXXXIII num. V, Malvendam Annal. Ordinis ad eandem annum Cap. IX, In Actis Capitulorum Generalium Tomo I fol.* 112. In hoc autem Diplomate de secunda Translatione Corporis ejusdem *S. P. Dominici* loquitur *Clemens*. Quo tempore facta sit, docent *Annales Bononienses* apud *Michaelem Piodium in opere cui Titulus*. *De gli huomini illustri &c. Parte I Libro I num. LXXXIV pag.* 119, his verbis: *Anno Domini MCCLXVII Corpus B. Dominici translatum est de Sepulcro lapideo non celato ad marmoreum celatum. In hac Translatione fuit magna multitudo Fratrum Prædicatorum, qui ad Generale Capitulum, Bononiæ celebratum, venerant. Eorum Magister Generalis erat quidam venerabilis Pater Frater Johannes de Vercellis, vir, ut dicebatur, excellentis doctrinæ, & sanctitatis. Fuerunt multi Ecclesiarum Prælati præsentes dictæ Translationi, videlicet Philippus Archiepiscopus Ravennas, D. Octavianus de Ubaldinis Episcopus Bononien., D. Thomas de Ubaldinis Episcopus Imolensis, & multi alii Episcopi cum ipsis; D. autem Bartholomæus Episcopus Vicentinus Ordinis Prædicatorum, vir magnæ sapientiæ, & eloquentiæ singularis, extra Ecclesiam B. Dominici super pulpitum lapideum situm in angulo dictæ Ecclesiæ ascendens, mirabilem sermonem ad omnem Clerum & populum devotissime habuit. Caput & reliqua ossa Beati Dominici antequam in novum tumulum transferrentur, manifeste cunctis ostendit. Affuere autem Prætor Bononiensis, cum multitudine populi.* Legesis hac de re Diploma quod transcripsit *Piodius* loco laudato *pag.* 118, aliaque, de quibus ibidem lato calamo differit.

Anno 1267 Die 6 Aprilis.

Domum quandam vendendi potestatem facit Fratribus Ragusinis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum Ragusin., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

EX parte vestra fuit nobis expositum, quod quondam Jacobiza, filia Viti Capitefeldi de Ragusio, tunc vidua, quandam domum suam in Ragusio sub domo Johannis Corriazii ad se spectantem, cum omnibus pertinentiis, & utensilibus suis, vobis habendam, possidendam perpetuo, & tenendam, ea conditione adjecta in ultima voluntate, legavit, ut si casu aliquo vos contingeret de Civitate discedere Ragusina, domus ipsa deberet ad Ecclesię Sanctę Marię Majoris Ragusin. Canonicos, nullis ab ipsis alienanda temporibus, devenire. Cum igitur, ut asseritis, deliberatione habita firmaveritis nunquam dictam deserere Civitatem, ac domum ipsam, quam habetis, tenere, statutis vestri Ordinis obviantibus, non possitis, supplicastis humiliter, ut vendendi eam, & pretium percipiendum ex ipsa in utilitatem loci vestri totaliter convertendi, conditione non obstante prędicta, licentiam vobis concedere curaremus.

Concessio.

Nos itaque vestris precibus inclinati, devotioni vestrę auctoritate pręsentium licentiam concedimus postulatam; ita tamen quod de exhibendo sibi pretio hujusmodi, si de ipsa Civitate recedere vos contingat, ad cautelam, pręlictis sufficientem pręfatis Canonicis cautionem. Datum Viterbii VIII Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Ragusinis.*) In Dalmatia.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Ragusii asservato.

Anno 1267 Die 27 Maii.

Magistro, & Fratribus in Capitulo Generali Bononiæ congregandis (1), ut gerenda conspirante consensu præscribant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Bononię convenientibus in Capitulo generali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

ILle summus, & mirabilis opifex, cujus mira, & procul dubio admiranda sunt opera, qui suam ędificavit Ecclesiam supra petram, &, ne unquam fides ejus deficeret, exoravit, illam solida firmitate stabiliens, eam non solum ad ornatus decentiam, sed ad exigentiam, inexpugnabilis firmitatis, Ordinum, & Religionum diversitate munivit, ut sit varietate circumdata, &, sicut turris David, cum propugnaculis ędificata firmissimis, ex qua mille clypei pendeant, omnis fortium armatura. Horum eadem Ecclesia fulta suffragiis quasi bellatorum stipata cuneis, & velut castrorum acies ordinata terribilis, secura cum hoste congreditur, & non solum ad confutandas spirituum malignorum insidias, & repellendos insultus, sed ad apertos ascendentium ex adverso impetus superandos, imperterrita, & immota consistit. Sane quo magis inter ceteros belli spiritualis belligeros, sacri vestri Ordinis Professores, ab Ordinis ipsius exordio, exercitio congressus hujusmodi vacaverunt instantius, & efficacius institerunt, & quanto ipsorum suffragia imbecillitati nostrę desideramus, & confidimus utilius suffragari, tanto adhęsit eidem Ordini anima nostra ferventius, & ad conservandum integritatem vestram monemus, & rogamus, & hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in hoc salubri Congregationis vestrę Capitulo illis vacetis unanimiter & concorditer intendatis, per quę saluti animarum vestrarum, & aliorum, possitis vacare salubrius; & illibatam famam vestram, & ejusdem Ordinis conservare. Ceterum, licet speremus indubie, quod vos, caritatis igne in ara cordium vestrorum ardente, succensi, paternum affectum, quem ad vos, & eundem Ordinem gerimus, attendentes, Parri gratam filialis devotionis vicissitudinem rependatis, vestrarum orationum nos frequenti opitulatione juvantes, nihilominus tamen, ne tam caram gratiam negligere videamur, earum pro nobis frequentiam humiliter imploramus, instanter petimus, ut sic nos assiduis suę caritatis pręsidiis, velut Abisac Sunamitis adolescentula Virgo, vestra immaculata Religio foveat, quod in nobis, qui nec seminis David vires attingimus, debitus pro exequendi suscepti servor officii nullo unquam tempore refrigescat. Datum Viterbii VI Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ordinis encomium, & dilectio.

Mandat ut sperent.

Tenerrime commendat se piis precibus Fratrum.

1. *Congregandis.*) Celebratum fuit hocce Generale Capitulum die V Mensis Junii MCCLVII. Generalium fol. 301. Legitur etiam apud Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VI fol. 94.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Tomo I Actorum Capitulor.

F. Tho-

F. Thomæ (1) de Aquino, ut Gabulensi (2) Episcopo duos ex Fratribus socios assignet.

Anno 1267 Die 9 Junii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 991.

LXV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Thomę de Aquino, Ordinis Fratrum Pręquicatorum, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

CUm sit bonum penitus, & iucundum habitare Fratres in unum, & omne animal sibi simile diligit, nos venerabilis fratris nostri Episcopi Gabulen. conceptum, quo ad tui Ordinis Fratres afficitur, quorum cupit consortio recreari, favore benevolo prosequentes, discretioni tuę per Apostolica scripta pręcipiendo, mandamus, quatenus duos Fratres tui Ordinis, unum scilicet Clericum, & alterum laicum eidem assignes, qui eundem associent, salva majorum suorum in Ordine obedientia, eidem obediant, & intendant. Datum Viterbii V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Thoma.*) Doctori scilicet Angelico, *Sancto Thoma Aquinati.* Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXIV pag.* 271. De eodem Diplomate loquens *Bzovius Annal. Eccle-siast. ad an. MCCLXVIII num. VI* laudat *Epistolam CCCL*, quam datam dicit II Idus Junii.

2. *Gabulensi.*) Vulgo *Narenza* in *Dalmatia*, urbs olim Episcopalis, nunc oppidum. *F. Gualterus* Calaber, Ordinis alumnus, de quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani IV* sedebat tunc *Gabula*.

Generali Magistro Ordinis Prædicatorum, ut ad se mittat tres ex Fratribus in Græciam delegandos (1).

Anno 1267 Die 9 Junii.

Ex Arch. (2) *Ordinis lib. A. fol.* 989.

LXVI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

QUantum, & quotiens, quot etiam ministerio sapientum Romana Ecclesia laboraverit ad Grecorum indomita colla domanda, scissamque ab eisdem Domini tunicam inconsutilem reparandam, nec te ipsum, nec Fratres Ordinis tui latuit, quorum aliqui non sine laboribus personalibus, non sine vitę proprię discrimine, injunctam sibi per Sedem Apostolicam in opere tam laudabili sollicitudinem executi, licet propositum juxta votum assecuti non fuerint, nihil tamen de contingentibus, prout creditur, omiserunt. Licet autem multo labore sudatum fuerit circa ipsos (4), nec, quod dolentes referimus, sit eorum rubigo consumpta, quia tamen ex quibusdam indiciis, quę per literas, & Legatos (5) insinuant, ad salubrem videntur reditum anhelare, nos probare, si ex Deo sint Spiritus, cupientes, suę professione fidei, quam miserunt, accepta, quam in multis erroneam, & in multis invenimus minutam, nuper eis in scriptis misimus (6) quę cum tota Latina Ecclesia firmiter credimus, & simpliciter confitemur, promittentes eisdem, quod temporis opportunitate captata, Apocrisarios nostros mittemus (7) eisdem, de ea, quę in nobis est fide, & spe, juxta verbum Apostolorum Principis paratos reddere rationem. Verum, cum sit cordi nobis, ad hoc mittere homines, qui Testamenti scientia polleant utriusque, & ingenio nihilominus predlti naturali, nec sint in gressibus incompositi, nec in responsione pręcipites, sed exacta potius gravitate laudandi sciant in tempore proferre sermonem, & eorum jacturam (8), quorum scientia multum est tenuis, ęquanimiter tolerare; discretioni tuę per Apostolica scripta pręcipiendo mandamus, quatenus tres ex Fratribus tui Ordinis, quos ad hoc magis idoneos, juxta dictas circumstantias, esse noveris, ad nos mittere sine morę dispendio non omittas, quibus hujusmodi prosecutionem (9) negotii committere valeamus, ut, si Deo placuerit, per eorum industriam Greci, dudum per invium aberrantes, viam modo veritatis agnoscant, & profitentes agnitam, ad Sedis Apostolicę redeant unitatem, vel, eorum detectis fraudibus, & mendaciis, manus nostras servemus innoxias, ne a nobis nunc, vel in posterum eorundem sanguis a Domino requiratur, & demum ne credas ex iis, quę tibi scribimus, quandam necessitatem tibi indici, discutiendi per totum Ordinem Fratrum merita, & ex universis tres eligendi ad hujusmodi ministerium potiores, sed scire te volumus, nobis sufficere, si de illis, quos tecum habes, vel intra fines Italię ad hoc credis idoneos, illos elegeris. Non enim Greci ad disputationem se offerunt, sed paratos se dicunt ostensam sibi recipere veritatem, suntque apud nos rationes eorum, quibus suum errorem fulciunt, baculis arundineis innitentes. Datum Viterbii V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Concedit ut superiora.

1. *Delegandos.*) Apocrisarios, seu responsales Legatos *Constantinopolim* brevi mittendos spoponderat *Clemens* scribens *Palæologo* Imperatori Græcorum, *provida*, inquit in Diplomate dato *Viterbii* IV Nonas Martii Pontificatus anno III, Christi MCCLXVII, *provida deliberatione concepimus, Apocrisarios aliquos in lege Dei peritos, ad tuam præsentiam destinare, cum quibus tu, ac prædicti Clerus, & populus, super præmissis conferre poteritis, &, sicut speramus, ipsi vobis sufficienter, Divina eis id donante clementia, respondebunt.* Ut ergo fidem liberet Pontifex, tres ex Fratribus Ord. Prædicatorum, ad id munus paratos, seligendos decernit hocce Diplomate. Non dubitandum, inquit *Echard* mox laudandus, *quin ad Pontificis gustum, viros huic gerendo negotio expeditos selegerit Magister Ordinis. Qui autem illi fuerint Romanorum Sodalium diligentia est, ex Actis Vaticanis investigare.* Dicetur in *Appendice ad ipsum Pontificatum.*

2. *Archivo.*) Illud idem ex *Ms. Codice Colbertino* transcripsit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXIV pag.* 211. Hujusce Diplomatis particulas refert *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXVII numeris LXXII, & LXXXI.*

3. *Magistro.*) Is erat F. *Johannes de Vercellis*, *vir magna prudentia & experientia, fama & opinione præclarus.* Ex *Bernardo Guidonis in serie Magistrorum Ordinis.*

4. *Ipsos.*) *Echard* legit: *Episcopos.*

5. *Legatos.*) Hoc anno MCCLXVII missos fuisse docet *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II pag.* 296 *num. I.*

6. *Misimus.*) Hæc fidei *Professio* legitur apud *Vvaddingum* loco citato *num. II*, & apud *Odoricum* supra laudatum *num. LXXII*

LXXII &c. Sic incipit: *Magnitudinis tuæ*. Datum fuit *Viterbii IV Nonas Martii* Pontificatus *Clementis IV Anno III*. Hinc emendandus *Vvaddingi* librarius scribens; *Anno IV*.

7. *Mittemus*.) Ex Echard: *Mitteremus*.

8. *Jacturam*.) Ex eodem, & Odorico: *Jactantiam*.

9. *Prosecutionem*.) Echard legit: *Persecutionem negotii tute committere*.

Anno 1267 Die 30 Junii.

Magistro, & Fratribus, ut, cum de privilegiis Religiosorum derogatur, tempore generalis Interdicti Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac Extremæ Unctionis suscipere possimus (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Meritis vestrę Religionis inducimur, ut petitionibus vestris in his, quę animarum salutem continent, favorabiliter annuamus. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod contingit interdum, Civitates & alia loca in quibus habitatis, supponi ecclesiastico interdicto, non obstantibus aliquibus privilegiis, seu indulgentiis, quibuscumque Religiosis ab Apostolica Sede concessis, exceptis Baptismate parvulorum, & Pęnitentiis morientium, omnia in eis Sacramenta prohiberi, propter quod non sine conscientiarum vestrarum dispendio vestra confiteri peccata, & ab ipsis absolvi, interdicto durante hujusmodi, non potestis, nec etiam Eucaristię, ac Unctionis extremę in mortis articulo recipere Sacramenta. Super quo petivistis humiliter, vobis salubri remedio provideri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ut tempore talis interdicti vestra peccata confiteri, & ab ipsis absolvi, ac temporibus consuetis juxta morem vestri Ordinis Sacrę Communionis, nec non Unctionis extremę Sacramenta recipere valeatis, vobis auctoritate prȩsentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Viterbii II Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Supplex Fratrum petitio.

Indultum.

Sanctio pœnalis.

1. *Possimus*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. R.*

2. *Archivo*.) In quo Autographum. Aliud asservatur in Cœnobio *Tolosano*. Plumbum sericis filis appenditur. Ibidem habes Exemplar authenticum, *Parisiensis* Officialis auctoritate comprobatum *anno MCCLXIX die Mercurii post Trinitatem*. Legitur etiam *libro B. fol. 395*, ex Autographo *Toletani* Cœnobii; apud *Castellanum pag. 48*, *in Constitutionibus Ord. Prædicator. impressis an. MDV num. LXVII*, in *aliis an. MDVII num. LXX*. Extat insuper *Libro A. fol. 933*, ubi *datum fertur Kalendis Julii Pontificatus Clementis IV Anno Tertio*.

Anno 1267 Die 7 Julii.

Ordo, quo diurnas preces, seu Officium divinum, Magister Humbertus disposuerat, quemque tria Capitula Generalia approbarant, confirmatur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis. Consurgit in nobis spiritualis multitudo lętitię, quando personas deditas divino cultui concordi qualitate virtutum cernimus fęderari, & hoc in votis habere potissimum, ut ad divini honorem nominis, in eis ita vigeat sanctę studium unitatis, quod status earum sit firma pace, & devotione tranquilla prȩditus, & super hiis, quę regularis requirit honestas, semper appareat salubriter ordinatus; occurrente hinc inde gratulandi materia, dum in personis hujusmodi sic una splendet fides mentium, & pietas actionum, ut hoc de ipsarum Religione famosa possit assumi prȩconium, quod in se decus habeat perfectę pulchritudinis, & prorsus ab omni macula sit immunis: jocundo siquidem spiritu petitionis vestrę seriem audivimus continentem, quod cum prȩclarus Ordo vester a mari usque ad mare jam per Christi gratiam suos palmites extendisset, propter varias diversarum Provinciarum consuetudines, contingebat divinum Officium in Ordine ipso uniformiter non servari: Quapropter, vos tanquam ministri Dei, mites, & humiles, ac saluberrimę unitatis sincerissimi amatores, laudabiliter meditando, quod hujus prȩtextu differentię aliquid affectibus sanctis oppositum, vel forte scandali gravis occasio, in Ordine ipso poterat evenire, dilecto filio Fratri Umberto, quondam (a) Magistro ejusdem Ordinis, concorditer commisistis, ut ipse prȩdictum Officium ad illam uniformitatem reduceret, quam universitas Fratrum ipsius Ordinis per orbis terrę latitudinem reverenter, & humiliter, observaret. Verum, cum tandem prȩdictus Frater Officium ipsum, juxta commissionem hujusmodi, prudenter ordinaverit & decenter, vos in tribus Capitulis Generalibus prȩdicti Ordinis, ex tunc immediate sequentibus, diligenti deliberatione prȩhabita, statuistis, ut ordinatio hujusmodi, per universas partes ipsius Ordinis debeat observari. Quare humiliter petebatis a nobis, ut super hoc Apostolici muniminis firmitatem adiicere dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, ordinationem eandem, sicut provide facta est, ratam, & firmam habentes, eam, quam in domibus vestris propriis dumtaxat observari statuimus, auctoritate Apostolica confirmamus, & prȩsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne aliquis sine licentia Sedis Apostolicę, circa prȩdictum Officium contra confirmationis, & Constitutionis nostrę, ac ordinationis prȩdictę tenorem, aliquid immutare prȩsumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis, constitutionis, & inhibitionis infringere &c. Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Magister Humbertus diurnas preces ordine disponit.

Tribus Capitulis Generalibus ordo ille probatur.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Confirmatur*.) *Sciendum enim majoribus nostris curæ maximæ fuisse, ut ritus ubique per Ordinem ecclesiasticus uniformis*

formis haberetur, pluraque in hunc finem fuisse in prioribus Ordinis Comitiis ordinata. Bononiae anno MCCXLIV sic praeceptum fuerat: Item volumus & monemus, ut Diffinitores proximi Capituli Generalis sequentis pro concordando Officio portent secum ad dictum Capitulum omnes rubricas, & notulas Breviarii nocturni & Diurni, & Gradualis, & Missalis. *In sequenti vero Colonia MCCXLV concordantia illa quatuor sodalibus diversarum Provinciarum demandata fuit.* Item committimus quatuor Fratribus Franciae, Angliae, Lombardiae, Teutoniae, quod flantes in domo Officium Diurnum & Nocturnum tam in litera, quam in cantu, & rubricis, corrigant, & concordent, ac defectus suppleant, cum quanto possint dispendio minori, & quilibet eorum praedictorum quatuor afferat tam diurnum, quam nocturnum officium secum de Provincia sua, & hoc Provinciales procurent, & sint in festo Remigii, & si qui non venerint, alii procedant. *In sequenti vero Parisiis MCCXLVI sic legitur.* Item inchoamus hanc (*Constitutionem*). Tote Ordinatio Ecclesiastici Officii facta a quatuor Fratribus quatuor Provinciarum, vel facienda usque ad annum, communiter per totum Ordinem observetur: & si in aliquo discordaverint, sententia Magistri teneatur. Item hanc, ut liber lectionum tam de tempore, quam de festis, quem committimus Provinciali Franciae (*is erat Humbertus*) ordinandum, universaliter per totum Ordinem recipiatur. *Quae inchoatio approbata est in Monte-Pessulano MCCXLVII, & confirmata Parisiis MCCXLVIII. Quae cum rursus statuta fuisset Metis MCCLI, & Bononiae MCCLII, & demum Budae MCCLIV, ubi electus Humbertus Magister Ordinis, decretum fuit:* Committimus Magistro Ordinis totam ordinationem Ecclesiastici Officii tam diurni, quam nocturni, & eorum, quae ad hoc pertinent, & correctionem librorum Ecclesiasticorum, & quod corrigat literam Regulae. *Simulque haec Constitutio inchoata:* Totum Officium tam Diurnum quam Nocturnum secundum ordinationem & exemplar Venerabilis F. Humberti Magistri Ordinis confirmamus: *Quae renovata in sequentibus Mediolani MCCLV, & Parisiis MCCLVI, vim deinceps legis obtinuit ad hunc diem. Exemplum Originale ad quod alia exscripta, extat Parisiis in domo Sanjacobea. Ex Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLIV pag. 143.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum fericis filis appenditur. Est etiam *libro A. fol. 531, libro E. fol. 22, in Actis Capitulor. Generalium Tomo I fol. 220, & apud Usasmarem pag. 58.* Ejusdem meminit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXVII num. LXXXII.* Citat *Epistolam LV Libri III Clementis IV.* Aliud hac de re Diploma *Datum VIII Idus Julii* ex Ughello laudat *Fontana Monum. Dominican. Parte I Cap. VI pag. 93 col. I.*

3. *Quondam.*) Cave, ne hinc tibi probetur error, qui contra rationem temporum irrepsit in *Chronica*, quae leguntur ad calcem quarundam Constitutionum Ordinis, ubi obitus *Humberti* revocatur ad annum MCCLXXIV. Enim vero vita tunc fruebatur *Humbertus*, & obiit hoc anno MCCLXXVII pridie Idus Julii, uti liquet ex Actis Capituli Generalis *Mediolanensis* anni MCCLXXVIII, cujus haec verba: *Item volumus & mandamus quod nomina venerabilium Patrum, videlicet F. Raymundi de Pennafort, F. Humberti de Romanis, & aliorum Magistrorum Ordinis, in diebus obitus eorum in Martyrologio reponantur, & in eodem die in Kalendario recitentur. Venerabilis autem Pater F. Humbertus de Romanis obiit pridie Idus Julii Anno Domini MCCLXXVII.* Idem constat ex ejusdem venerabilis epitaphio, quod legere est *Valentiae in Delphinatu* ad gradus Arae praecipuae Templi Fratrum Praedicatorum, ubi jacet corpus *Humberti*. In hoc ergo Diplomate *Humbertus* dicitur *Quondam Magister*, quia nempe Magisterio totius Ordinis sponte cesserat anno MCCLXIII, ut videre est ex Actis Capituli Generalis *Londiae* celebrati hoc eodem anno MCCLXIII.

Anno 1267
Die 15 Julii.

Aragonum Regi, ut ArchiepiscopoTarraconensi, & ipsius suffraganeis, libros Talmud, ceterosque, a Fratribus Praedicatoribus, ac Minoribus recognoscendos, Judaei permittant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri Regi (3) Aragonum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

De Judaeorum caecitate conqueritur.

DAmpnabili perfidia judęorum propter ingratitudinis suę vitium olim merito reprobata, & Synagogę, dato libello repudii, suę visitationis tempus agnoscere contempnenti, cęcus ille populus, qui peccatum peccavit, juxta Jeremię vaticinium, instabilis est effectus; immo vagus & profugus super terram, velut fratricida Cayn, qui ejectus fuit a facie Domini, quasi major esset ejus iniquitas, quam ut posset veniam promereri. Hujusmodi namque miserabilis populus Patris Æterni Filium Dominum Jesum Christum, qui secundum carnem factus est ex semine David, prout ante in Scripturis sanctis promiserat per Prophetas, frater ipsorum erat, & ad participium hereditatis ęternę illos vocare venerat, tanquam ad oves, quę perierant domus Israel, non solum nequiter negaverunt, dicentes in sua desipientia, non est Deus, verum etiam cęsum, flagellatum, & crucifixum impie occiderunt, ejus sanguinem super se, ac filios suos, detestabiliter imprecantes. Verum, cum dispersiones judęorum ipsorum adhuc nolint intelligere, ut bene faciant, cum ipsis satis humaniter agitur, quod inter fideles absque gravibus contumeliis vivere permittuntur. Sed ecce prava ista generatio, dum cohabitationem ejus sustinet pietas christiana, dum ipsam ex quadam benignitate receptat, se ingratam inde constituit, & nocivam, reddens pro gratia contumeliam, pro familiaritate contemptum, & pro beneficiis illa stipendia, quę mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis hospitibus, juxta vulgare proverbium, largiuntur. Dolentes quidem audivimus, & narramus, quod judęi de Regno Aragonię, lege veteri pretermissa, quam per Moysen servum suum contulit majestas omnium Conditoris, quandam legem aliam, seu traditionem, quam Talamud vocant, falso Dominum tradidisse confingunt, in cujus amplo volumine per orbis latitudinem destinato, quod textum novi & veteris Testamenti excedere dicitur, abusiones fere innumerabiles, ac detestabiles blasphemię contra eundem Dominum Jesum Christum, & Genitricem ejus Beatissimam, continentur, quorum relatio, vel auditus sine interventu pudoris, & horroris gravissimi vix potest ab aliquo sustineri. Maledictiones quoque gravissimę, ac imprecationes horribiles, quę ab eisdem judęis ingratis & perfidis contra Christianos committuntur quotidie, in dicta lege, seu traditione damnabili, sunt adscriptę. Quid plura? hujusmodi, & alia detestanda, quę in dicta lege, vel traditione prophana, sunt dampnabiliter annotata, precipua esse censentur, & causa, propter quę predictus fatuus & infidelis populus diu in sua stetit perfidia obstinatus. Quia vero hiis, & aliis eorum abusionibus, quę, ut accepimus, nimis excrescunt, non sine detrimento catholicę fidei, quosque fideles, sed nos precipue, qui constituti sumus in specula, ut resistamus ascendentibus ex adverso, decet tam congruis, quam festinis remediis refragari: Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Terraconen., & suffraganeis ejus, nostris in virtute obedientię damus litteris (4) in mandatis, quod adversus predictos judeos super premissis prudenter, & viriliter insurgentes, te carissimum in Christo filium nostrum, & omnes Barones, Nobiles, & Baiivos Regni, & terrarum tuarum moneant, & inducant attente, Barones, Nobiles, & Bali-

Mandat ut supra.

& Balivos eosdem ad hoc per censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit, appellatione postposita, compellendo, ut a judeis, tibi, & eis subditis, totum Talamud cum suis additionibus & expositionibus, & omnes eorum libros ipsis faciatis liberaliter exhiberi, quibus exhibitis, illos ex eis, qui de textu Biblię fuerint, & alios, de quibus nulla sit dubitatio, quod blasphemias, vel errores contineant, seu etiam falsitatem, judeis restituant supradictis. Ceteros vero sigillis eorum, ut expedit, consignatos, in aliquibus tutis locis, in quibus ipsis videbitur, deponant custodiendos fideliter, donec, super hiis consulta Sedes Apostolica, ordinet in posterum quid de ipsis sit fieri opportunum. Volumus autem, quod tam examinationem librorum, quam hujusmodi restitutionem, consignationem, & depositionem ceterorum, in presentia, & de consilio Fratrum Predicatorum, & Minorum, aliarumque personarum faciant, quę providę sint, & jam litteratę; Proviso attentius, ut condicto consilio tecum, & cum aliis personis idoneis, prout fuerit opportunum, commissum eis tam pium, & salubre negotium taliter ordinent, ac ita prudenter & caute procedant in ipso, quod id, ubicumque contingat fieri, simul, & eodem tempore fiat, ne judęorum ipsorum fallacia dictos libros quomodolibet valeat occultare, sed nostrum potius in hac parte mandatum executionis votivę plenitudinem consequatur. Ad hoc autem dilectus filius Frater Paulus (5), dictus Christianus, de Ordine Fratrum Predicatorum, lator presentium, creditur non modicum profuturus, tum quia ex judęis trahens originem, & inter eos litteris hebraicis competenter instructus, linguam novit, & legem antiquam, ac illorum errores, tum etiam quia de sacro fonte renatus zelum habet fidei Catholicę, ac eruditus occurrit laudabiliter in Theologica facultate. Licet igitur super hiis, quę faciunt ad gloriam divini nominis, serenitatem tuam non credamus indigere precaminum lenimentis, eam tamen pro hujusmodi negotio, menti nostrę firmiter alligato, ex intimo cordis affectu rogamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus totum predictum Talamud, cum additionibus, & expositionibus ejus, ac omnes libros judęorum ipsorum ubique per tuum Regnum, & Dominium capias, & capi facias, ac eisdem Archiepiscopo, & suffraganeis exhiberi, alias in hiis, quę ipsis circa judęorum presumptiones committimus, impendendo eis necessarium auxilium, consilium, & favorem: ita quod ipsi, tua fulti potentia, commissum sibi ministerium, ad Divine Majestatis honorem, exequi valeant, juxta votum, ac tibi exinde felicitatis ęternę premia, laudisque humanę preconium & favoris Apostolici proveniat incrementum. Datum Viterbii Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

F. Paulus lator præsentium laudibus celebratur.

1. *Permittant.*) Idem a *Gregorio IX* sancitum vidimus IX Junii MCCXXXIX.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Regi.*) *Jacobo I.*
4. *Litteris.*) Sequentibus.
5. *Paulus.*) *Vir hebraice, Rabbinicęque, ut ita loquar*, verba sunt *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXV pag. 246, *imprimis peritus, qui Judæorum salutis sitientissimus, his ad Fidem Christianam adducendis omnem operam impendit*, ut dictum est ad *Constitutionem LV.*

Anno 1267 Die 15 Julii.

Archiepiscopo Tarraconensi, & ipsius suffraganeis, ut libros Talmud, ceterosque Judæorum, a FF. Prædicatoribus, & Minoribus penitus cognoscendos, teneant, & dent sequestri (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Terraconen., & suffraganeis ejus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

DAmpnabili perfidia Judęorum &c. (3) decet tam congruis, quam festinis remediis refragari. Fraternitati vestrę per Apostolica scripta in virtute obedientię firmiter precipiendo mandamus, quatinus adversus predictos judęos super premissis prudenter, & viriliter insurgentes carissimum in Christo filium nostrum.... Aragonum Regem illustrem, & omnes Barones, Nobiles, & Balivos Regni, & terrarum ipsius, moneatis, & inducatis attente, Barones, Nobiles, & Balivos, eosdem ad hoc per censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit, appellatione postposita, compellendo, ut a judęis sibi subditis totum Talamud cum suis additionibus, & expositionibus, & omnes eorum libros vobis faciant exhiberi, quibus exhibitis, illos ex eis, qui de textu Biblię fuerint, & alios, de quibus nulla sit dubitatio quod blasphemias, vel errores contineant, seu etiam falsitatem, judęis restituatis eisdem: ceteros vero sigillis vestris, ut expedit, consignatos, in aliquibus tutis locis, in quibus vobis videbitur, deponatis custodiendos fideliter, donec super his consulta, Sedes Apostolica ordinet in posterum, quid de ipsis sit fieri opportunum. Volumus autem, quod tam examinationem librorum, quam hujusmodi restitutionem, consignationem, & depositionem ceterorum, in presentia, & de consilio Fratrum Predicatorum, & Minorum, aliarumque personarum, quę litteratę sint, & providę, faciatis; Proviso attentius, ut condicto consilio cum predicto Rege, & cum aliis personis idoneis, prout fuerit opportunum, commissum vobis tam pium, & salubre negotium, taliter ordinetis, ac ita prudenter, & caute procedatis in ipso, quod id, ubicumque contingat fieri, simul, & eodem tempore fiat, ne judęorum ipsorum fallacia dictos libros quomodolibet valeat occultare, sed nostrum potius in hac parte mandatum executionis votivę plenitudinem consequatur. Ad hoc autem &c. (4) eruditus occurrit laudabiliter in Theologica facultate. Preceptum igitur nostrum in hac parte implere taliter studeatis, ut exinde digna laudibus, & favoris augmento, vestra sinceritas habeatur. Datum Viterbii Idibus Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Sequestri.*) Consulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Judæorum &c.*) Ut in præcedenti ad hæc usque verba: *Ascendentibus ex adverso.*
4. *Autem &c.*) Ut in eodem ad hæc usque: *Zelum habet Fidei Catholicæ, ac.*

Trio-

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Beluacensium (1), ut ab excommunicationis sententia solvant Episcopum Beluacensem electum.

Anno 1267 Die 20 Julii.

Ex Arch. Ord. lib. A. fol. 991.

LXXI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Fratrum Minorum, Beluacen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm Ecclesię Beluacen. dilectum filium R.. (2) Decanum ejusdem juxta votum Capituli concessimus in Episcopum, & Pastorem, quem, prout nobis aliqui postea nunciarunt, quidam Conservatores Reverendissimi in Christo filii nostri C... (3) Regis Illustris Sicilię, & suorum, qui sępe suo abutuntur officio, sicut dicitur, vel excommunicaverunt, vel in nostram incidisse sententiam publicaverunt; Nos, nolentes eidem Clerico ex hoc aliquod impedimentum afferri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum eundem Clericum tam a nostra, si, quod non credimus, in causam incidit, quam ab illorum, ad cautelam, absolvatis sententia. Nos autem si quod Electioni de ipso factę, vel confirmationi nostrę, seu provisioni secutę ex hac causa parabatur obstaculum, illud tollimus, & penitus abolemus, de nostrę plenitudine potestatis. Datum Viterbii XIII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandat ut supra.

1. *Beluacensium.*) Seu *Bellovacensium*, in Provincia *Insulæ Franciæ* ad *Tharam* amnem.
2. *R...*) *Reginaldum de Nantueil*, de quo *Sammartha*nı in *Episcopis Bellovacensibus*.
3. *C....*) *Caroli I.*

Accersit Fr. Guillelmum de Tonnens, ut cum ipso res maximi momenti conferat.

Anno 1267 Die 20 Julii.

Ex. Arch. Ord. lib. A. folio 993.

LXXII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Guillelmo de Toneux (1) Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN virtute obedientię, per Apostolica scripta tibi pręcipiendo, mandamus, quatenus post receptionem pręsentium, si hora hęc patitur, ipsa die, alioquin immediate sequenti, iter ad nos veniendi arripias, & continuatis dietis tuam nobis exhibere pręsentiam non postponas, cavens sub ordinis tui periculo, ne quid novi facias fieri, nec consentias circa Florentię statum, aut regimen Civitatis, donec ore ad os nobis locutus fueris, & ad plenum nobis narraveris quę pro bono statu Civitatis ejusdem sentias facienda, & sic a nobis instructus regredi valeas, ad ea, quę utilia fuerint exequenda. Datum Viterbii XIII Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Toneux.*) Sic corrupte ab Amanuensi vocatur *Guillelmus* noster *de Tonnens* nuncupatus ab ejusdem nominis oppido *Galliæ Aquitanicæ*, in Diœcesi *Agennensi*. *Vir gravis fuit* Guillelmus, *multum in sermone facundus, & multis dotibus & gratiis a Deo dotatus*, ut testatur *Bernardus Guidonis* apud *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCXCIX pag. 463*; Jam antea Legatus in *Hetruriam*, ut *Caroli F.* quem pacis publicæ servatorem *Clemens* constituerat, imperium detrectantes censuris ecclesiasticis deterreret, *Viterbium* hocce Diplomate vocatus fuit mandatis Pontificiis instruendus. Emendandus autem librarius *Odorici Raynaldi Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXVII num. IV*, qui Fratrem istum *Guillelmum e Thuringo* nominat.

Fidei Censoribus, ut Christiani, sectantes judaicos Ritus, velut hæretici puniantur (1).

Anno 1267 Die 27 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatorum, & Minorum Ordinum, Inquisitoribus hereticę pravitatis, auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, aut imposterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TUrbato corde audivimus, & narramus, quod quamplurimi reprobi Christiani, veritatem catholicę fidei abnegantes, se ad ritum judaicum dampnabiliter transtulerunt; quod tanto magis reprobum fore dinoscitur, quanto ex hoc nomen Christi sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur. Cum autem huic pesti dampnabili, quę, sicut accepimus, non sine subversione predictę Fidei nimis excrescit, congruis, & festinis deceat remediis obviari; universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos, vobis ad inquirendum contra hęreticos auctoritate Sedis Apostolicę designatos, super premissis tam per christianos, quam etiam per judęos inquisita diligenter, & sollicite veritate, contra christianos, quos talia inveneritis commisisse, tanquam contra hęreticos procedatis; judęos autem, qui christianos utriusque sexus ad eorum ritum execrabilem hactenus induxerunt, aut inveneritis de cetero inducentes, pęna debita puniatis: Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Viterbii VI Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Puniantur.*) Adeas Emericum *Director. Inquisitor. Parte II Quæstione XLIV pag.571.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Legitur etiam in *Bullario Romano Constitut. XIV.* Ejusdem meminit *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXVII num. XII.*

Anno 1267 Die 2 Augusti.

Episcopo Albanensi, S. S. A. Legato, ut F. Reginaldum Leontinum (1) Ordinis Prædicatorum, Episcopum creet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Albanensi, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

FRatrem Reginaldum Leontinum, Ordinis Prędicatorum, venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi (3) Cusentin. germanum, Episcopali Dignitate decorare volentes, fraternitati tuę mandamus, quatenus ipsum alicui Episcopali Ecclesię tuę Legationis preficias in Episcopum, & ei consecrationis munus impendas. Datum Viterbii IV Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Leontinum.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Archiepiscopi.*) F. *Thomæ de Leontino*, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

Anno 1267 Die 4 Decembris.

Archiepiscopo Tranen., ut irrita faciat quæ damno nostro sanxerunt Parochi (1).

Ex Arch. Ord. lib. B. fol. 459.

LXXV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Tranen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

PErtulerunt ad audientiam nostram dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum de Trano (2), quod licet ipsi ex concessione Sedis Apostolicę liberam habeant sepulturam, Electi tamen majoris Ecclesię Tranen ad dictos Priorem, & Fratres &c. (3). Datum Viterbii II Nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Parochi.*) Dicitur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Trano.*) In *Apulia.*
3. *Fratres &c.*) Ut in *Diplomate Dato XX Januar. MCCLIX* ad finem usque, hoc uno verbo *Discretioni* mutato in istud *Fraternitati.*

Anno 1267 Die 20 Decembris.

Magistro, & Fratribus, ut, licet de privilegiis Religiosorum derogetur, tempore generalis Interdicti sacra celebrare possimus (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. MEritis vestrę Religionis inducimur, ut petitionibus vestris, in his, quę ad consolationis, & salutis augmentum proficiunt favorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, Supplex Fratrum petitio. quod contingit interdum in civitates, & loca, in quibus degitis, ferri sententias strictissimi Interdicti, & quod non obstantibus aliquibus privilegiis seu indulgentiis quibuscumque Religiosis ab Apostolica Sede concessis, nullum ibidem fiat officium publice, vel privatim, districtius inhiberi, propter quod vobis, qui divinis officiis assidue intendere cupitis, non modica prębetur desolationis occasio, & devotionis fervor, qui vigere debet in vobis continue, subtractis divini Sacramenti misteriis, minoratur: Super quo Concessio. petivistis humiliter, vobis salubri remedio provideri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, ut tempore talis interdicti, in vestris dumtaxat domibus, exclusis omnibus, qui non sunt de Ordine vestro, clausis ianuis, & non pulsatis campanis, cotidie unam missam, legendo, in communi audire possitis, seu quod quilibet Sacerdos ejusdem Ordinis cum duobus aut tribus tantum ministris, modo simili unam Missam celebrare valeat, auctoritate prę sentium indulgemus, dummodo in eisdem interdicti Sententia, de Sanctio pœnalis. Ordine vestro, & de hac indulgentia non fiat mentio specialis. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XIII Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Possimus.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum, Extat etiam *Tolosæ*, Plumbum sericis filis appenditur. Habes ibidem Exemplar authenticum Officialis Parisiensis auctoritate firmatum anno MCCLXIX *Die Mercurii post Trinitatem*. Legitur etiam *Libro A. fol. 933*, apud *Castellanum pag. 48*, apud *Ususmarem pag. 52*, in *Constitutionibus vulgatis anno MDV num. LXVI*, in *aliis an. MDVII num. LIX.*

Mi-

Ministro, & Fratribus Minoribus, ne nostros in Ordinem suum ascribant (1).

Anno 1267 Die 22 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Ministro, & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUo vos in Christo sinceriori caritate diligimus, eo plenius, ut in cunctis providi sitis, & vigiles, affectamus, turbationis non modicę spiritum assumentes, si de vobis quandoque contrarium ad nos relatu perveniat aliquorum. Sane admirantes accepimus, quod vos non absque offensa rectitudinis, quę in vestris debet actibus haberi continue specialis, Fratres Prędicatores, & eorum Ordini obligatos, frequenter ad vestrum recipitis, unitatem spiritus in pacis vinculo non servantes; Verum cum ex hoc scissurę possit & scandali oriri materia, quę solatium pacis ęternę quęrentibus debet omnimodis existere peregrina: universitati vestrę per Apostolica scripta, in virtute obedientię firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus tam Fratres eosdem, quam eorum Ordini voto, vel juramento etiam obligatos, nullatenus de cetero, prętextu indulgentię alicujus, seu aliquarum litterarum obtentarum a Sede Apostolica, vel etiam obtinendarum in posterum, quę de pręsentibus expressam non fecerint mentionem, nisi prius Prioris sui petita fuerit & obtenta licentia, recipere pręsumatis; alioquin decernentes irritum, & inane quicquid per vos in hac parte contra pręceptum nostrum contigerit attemptari, pręsentium auctoritate statuimus, ut hujusmodi pręsumptores incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nunquam absolvi valeant, nisi se apud Sedem Apostolicam personaliter repręsentent, ab ea, sicut sibi visum fuerit, absolvendi. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XI Kal. Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

Sanctio pœnalis.

1. *Ascribant.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullarum Tomo ultimo* Tit. XII.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Illud idem habes *Tolosa*. Plumbum sericis filis appenditur. Aliud ejusdem tenoris asservatur *Viterbii* in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus*.

Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ne Minores Fratres in Ordinem suum adsciscant (1).

Anno 1268 Die 3 Januarii.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 110.

LXXVIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUo vos In Christo &c. (2). Datum Viterbii III Nonas Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Adsciscant.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo* Tit. XII.

2. *Christo &c.*) Ut in præcedenti ad finem usque, mutato tamen nomine.

Priori FF. Prædicatorum S. Mariæ Novellæ Florentin., ut Podii Bonitii Incolas a Censuris Ecclesiasticis solvat (1).

Anno 1268 Die 3 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio .... Priori Fratrum Prędicatorum Florentię, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

OLim in universitatem Castri Podii Bonitii & districtum ipsius, interdicti, & in homines Castri, & districtus eorundem, excommunicationis, pro eo quod, spretis nostris inhibitionibus, fautores, & nuncios Conradini nepotis quondam Federici, olim Romanorum Imperatoris, receperunt, & ex aliis variis causis, tam per Nos, quam auctoritate nostra per alios diversę fuerunt sententię promulgatę. Cum autem universitas, & Castrum prędicta, cum districtu eodem, ad nostra, & carissimi in Christo filii C...... (3) Sicilię Regis illustris, quem ad partes Tuscię pro pacifico statu Provincię, de fratrum nostrorum consilio, duximus destinandum, humiliter mandata redierint, & quasi omnes de Castro prędicto singulariter Ecclesię, nostra, & ipsius Regis mandata juraverint. Nos considerantes afflictiones, & pericula quę noviter universitas, & homines prędicti in personis, & rebus etiam sunt perpessi, interdicti hujusmodi sententias relaxandas, & personas omnes, & singulas, quę taliter juraverunt, ab excommunicationibus, quibus, ut pręmittitur, tenebantur astricti, duximus absolvendas: Ideoqoe discretioni tuę pręsentium tenore, mandamus, quatenus prędictas interdicti sententias relaxatas, & personas, ut prędicitur, absolutas denuntians, si quos mares, vel fęminas, clericos, vel laicos forte in Castro, & districtu prędictis, inveneris, nondum juramenta hujusmodi pręstitisse, postquam ea pręstiterint, eis juxta formam Ecclesię beneficium absolutionis impendas; nihil, hujusmodi occasione, mandaturus ipsis; cum in hac parte agi velimus misericorditer cum eisdem: cum Clericis quoque super irregularitate, si quam, hujusmodi ligati sententiis se immiscendo divinis, forsitan contraxerunt, auctoritate nostra dispenses. Datum Viterbii III Nonas Januarii, Pontificatut nostri Anno Tertio.

Carolus Siciliæ Rex Pacificator Tusciæ.

Mandatum.

1. *Solvat.*) Anno siquidem MCCLXVII *Conradinus*, *Friderici II* ex *Conrado* ejusdem *Friderici* filio nepos, *Italiam* ingressus, ut in partes suas *Hetruriam* traheret, omnem moverat lapidem, *De radice colubri*, inquit *Clemens* in *Bulla data IV Idus April. Pontificat. anno III*, apud *Odoricum Raynaldum* Annal. Ecclesiast, ad an. MCCLXVII num. II, *De radice colubri venenosi egressus regulus suis jam inficit flatibus partes Tusciæ, viperarum genimina, viros utique pestilentes, & tam vestros, quam vacantis Imperii, necnon & carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ inclyti proditores, suo concordes proposito, suæ voluntati conformes, ad diversas destinat Civitates, ad viros nobiles, ad villas, & castra transmittit, & per exquisita mendacia fimbrias suas magnificans, quosdam precibus, quosdam pretio, a via nititur incessanter avertere veritatis. Hic est, quem tangimus, quem notamus, adolescens improvidus Conradinus, Frederici nepos, quondam Principis Romanorum, tam a Deo, quam ab ejus Vicario justo judicio reprobati; cujus organa sunt grandiloqua viri reprobi Guido Novellus, Conradus Trincia, & Conradus de Capocia cum multis aliis, qui nefandum idolum in Tuscia moliuntur erigere: nec cessans, ut dicitur, clam & palam stipendiare Teutonicos, inire fœdera, conjurationes, & pacta cum illis, qui pari scelere sunt polluti &c.* Hostes igitur illos Ecclesiæ fugaturus, jussu *Clementis IV*, *Carolus I* Hetruriam petierat eodemmet anno MCCLXVII, uti liquet ex Instrumentis, quæ laudat *Odoricus citatus num. IV &c.* *Caroli* morem gesserant *Florentini*, *Lucani*, *Pistorienses*, ac ceteri passim. Verum *Senenses*, *Pisanos*, & oppidanos *Podii Bonitii* rebellasse, referunt *Monachus Paduanus in Chronicis Lib. III*, & *Ricord. Histor. Florentina cap. CLXXXV*. Ad *Elsam* fluvium situm est *Podium Bonitii*, ibi per id tempus arx munitissima. Sed hanc brevi subegerat *Carolus* Rex. Hinc legem a victore accipientes, parati ad omnia descendebant *Bonitienses*; ut igitur a Censuris absolverentur, scripsit Pontifex.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservatur *Florentiæ* in Cœnobio *S. Mariæ Novellæ*.

3. *G...*) *Caroli I.*

Anno 1268 Die 23 Januarii.

Magistro, & Fratribus, ne quis ex nostris ad alios Ordines, quibus Fratres Prædicatores interdicuntur, transeat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXX.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Multę sunt vię humani generis inimico, quibus pręcipue viros Religiosos conatur seducere, quas pro salute animarum, & vestri Ordinis honestate pręcludere in quantum possumus affectamus. Exposita quidem nobis petitio vestra continebat, quod nonnulli post professionem in Ordine vestro emissam, per Apostolicę Sedis, vel suorum Pręlatorum literas, ad aliquem de approbatis Ordinibus obtenta licentia transeundi, postquam in Ordine ipso, ad quem sic transitum fecerint, professi fuerint, seu per annum moram contraxerint in eodem, tunc ad alios Ordines sibi ex privilegiis Sedis Apostolicę interdictos, vel illos, ad quos transferendi se licentiam prius ab eisdem Prioribus obtinere minime potuissent, se transferre pręsumunt, & sic, non absque salutis suę dispendio, per modum hujusmodi obtinent quod prius nequiverant impetrare. Volentes itaque super hoc eorum malitiis obviare, id de cetero fieri districtius inhibemus, decernentes irritum, si contra prohibitionem hujusmodi quicquam fuerit attentatum. Nulli ergo &c. Datum Viterbii X Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

(Margin: Supplex Fratrum petitio. — Injungit ut supra. — Sanctio poenalis.)

1. *Transeat.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Legitur etiam *Libro A. fol. 934.* Autographum asservatur in Cœnobio *Tolosano*.

Anno 1268 Die 8 Martii.

Priori Fratrum Prædicatorum Parmen. (1), ut F. Guillelmum Monachum Monasterii Canusin. Procuratorem Cœnobii S. Prosperi Ordinis S. Benedicti constituat.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 936.

LXXXI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Prędicatorum Parmen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Olim dilecto filio nostro O... (2) Sancti Adriani Diacono Cardinali, Apostolicę Sedis Legato, dedimus nostris literis in mandatis, ut Monasterio S. Prosperi Regin., ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, Ordinis Sancti Benedicti, regimine destituto pastoris, personam aliquam idoneam auctoritate nostra pręficeret in Abbatem. Postmodum autem intellecto, nondum fore dicto Monasterio de hujusmodi persona provisum, ac de illius pręficiendo regimini dilecto filio Fratre Guillelmo Monacho Monasterii Canusin. ejusdem Ordinis, Regin. Diecesis, intervenisse tractatum, tibi scripta nostra direximus (3), ut de scientia, fama, & ętate dicti Monachi diligentius inquireres, & quicquid super his inveneris, nobis per tuas literas fideliter intimares. Tu vero mandati nostri diligens executor super his inquirete, ac nobis quod invenili per inquisitionem hujusmodi rescribere, studuisti. Profecto gratum haberemus quamplurimum, & acceptum si eidem Monasterio S. Prosperi Pastor pręficeretur idoneus, per cujus industriam, Monasterium ipsum relevaretur a noxiis, ac alias spiritualiter, & temporaliter salubria susciperet incrementa; Verum licet dictus Guillelmus nondum ad illam scientiam, vel ętatem pervenisse dicatur, quę digne requiritur in Pręlato, quia tamen ipse, prout missę nobis tuę literę continebant, vir existit famę laudabilis, ac bonę vitę, circaque observantias regulares instructus esse dicitur, & dignum sibi testimonium perhibetur, nos sperantes, quod per eum pręfatum Monasterium donec, super hoc providerimus aliter, poterit salubriter gubernari, cum nondum persona secundum cor nostrum nobis occurrat, quam ibidem pręficere valeamus; volumus, & discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Guillelmum Procuratorem Monasterii pręfati constituens, sibi auctoritate nostra concedas, quod ibidem in spiritualibus, & temporalibus administret, faciens sibi super his obediri, & plenarie responderi. Contradictores &c. com-

(Margin: Mandatum.)

compescendo; exhortaturus eundem, quod sic se habeat in hujusmodi procuratione, ac administratione prudenter, ut ad promovendum illatum ejus processu temporis ex sui meritis inducamur. Datum Viterbii VIII Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Parmen.*) In *Longobardia*.
2. *O. . .*) Seu *Ottoboni*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif.* & *Cardinal.* Tomo II *ad annum MCCXLIII pag.* 129.
3. *Direximus.*) Desiderantur hæc Diplomata.

Ne quis, nisi permissu Generalis, aut Provincialis, Episcopatum accipiat (1).

Anno 1268 Die 30 Maii

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXII.

PEtitio tua, nobis exhibita, continebat quod cum aliqui Fratres tui Ordinis in aliquibus Ecclesiis eliguntur in Episcopos, vel etiam postulantur: iidem Fratres, licet proprium velle non habeant, aut nolle, pro eo quod renunciaverunt mundo, & proprię voluntati, & per se nequeant consentire, tamen irrequisitis Prioribus suis Provincialibus, quorum licentia, & testimonium essent in talibus requirenda; interdum electionibus, sive postulationibus de se factis, temere consentiunt, & locorum Archiepiscopi Fratres ipsos in Episcopos assumere, ac ordinare presumunt, propter quod plerumque in eodem Ordine scandalum generatur: super quo provideri per Sedem Apostolicam humiliter postulasti. Cum autem prędictum Ordinem, cum sit rectę vitę speculum & salutiferę conversationis exemplum, velimus semper de bono in melius Deo propitio prosperari, ad instar fel. rec. Innocentii (3) PP. Prędecessoris nostri auctoritate pręsentium, de speciali gratia, districtius inhibemus, ut nulli prefati Ordinis Fratres, si eos in Episcopos eligi, aut postulari, forte contigerit, electioni, sive postulationi de se factę audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius Prelatus, vel etiam Legatus Sedis ipsius, dictos Fratres, nisi de tua, vel ipsorum Priorum Provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia, & consensu, aut Sedis ejusdem speciali mandato, ad Episcopatus, vel alias dignitates, extra dictum Ordinem assumere, vel ordinare pręsumat. Nos enim decernimus irritum, & inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi a quibuscumque contigerit attemptari, auctoritate Sedis Apostolicę semper salva. Nulli ergo &c. Datum Viterbii III Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Encomium Ordinis.

Inhibet ut supra.

Sanctio pœnalis.

1. *Accipiat.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar.* Tomo *ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur. Idem transcripsit *Usufmaris pag.* 59.
3. *Innocentii.*) *IV*, uti videre est *Diplomate dato XV Julii MCCLII.*

Ne ea bona, quibus utuntur in Ordine, sibi arrogent Fratres, ad Episcopi, ceterasve dignitates elati (1).

Anno 1268 Die 9 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. LXXXIII.

PRovidentia laudabilis & salubris in cunctis vestris haberi decet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei & hominum habeatis. Cum itaque, sicut asseritis, contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de Ordine vestro ad Archiepiscopatus, & Episcopatus, & alias Prelaturas Ecclesiasticas assumuntur, non considerantes, quod ex professione in ipso emissa Ordine, nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros, & alia, quę apud eos hujusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare, secumque reportare presumant, in proprię salutis dispendium, & dicti Ordinis non modicum detrimentum, Nos, presumptioni hujusmodi volentes salubriter refragari, universis Fratribus dicti Ordinis, ad hujusmodi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Prelaturas de cetero assumendis, auctoritate presentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquo modo recipiant, antequam libros, & bona, contingentia Ordinem memoratum, quę apud eos tempore suę promotionis habere contigerit, Prioribus, & Conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem Priores de consensu ipsorum Conventuum, usum illorum ad certum tempus, eis duxerint concedendum (3). Alioquin eo ipso ab executione Pontificalis ministerii noverint se suspensos; inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi, quaternnios & illas cartulas, vel membranas, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia, cum aliquibus privatis Sermonibus collegerunt. Nulli ergo &c. Datum Viterbii V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Exordium.

Supplex Fratrum petitio.

Inhibitio.

Sanctio pœnalis.

1. *Elati.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum* Tomo *ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Aliud asservatur *Faventiæ* in Cœnobio nostro *S. Andreæ*. Legitur etiam *Libro E fol.* 69, *Libro B. fol.* 330, *apud Usufmarem pag.* 59, *Consettium pag.* 27, *Badericum pag.* 31, *Vvaddingum Annal. Minor.* Tomo II *in Regesto Clementis IV pag.* 112. In *Bullario Romano est* XI.
3. *Concedendum.*) Ne id fiat, *Benedictus XIII* feliciter regnans, inhibet *Constitutione* quæ incipit: *Postulat humilitati nostræ*. Data est *Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXIV Nonis Martii*, *Pontificatus anno Primo.*

F. Al-

Anno 1268
Die 18 Junii.

F. Alberto (1) Ratisponensi Episcopo, ut ab impedimento matrimonii quosdam solvat.

Ex Arch. Ord. lib. A. folio 937.

LXXXIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Alberto, quondam (2) Ratisponen. Episcopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex petitio.

Mandat ut supra.

ATtenta Sedis Apostolicę circumspectio congrue temporum vices pensans, quibusdam interdum concedit aliqua ex plenitudine potestatis, quę alias ipsis minime indulgeret, & quędam aliquando denegat, quę aliis forsitan temporibus largiretur, dispensans opportune juxta necessitatem temporis suarum munera gratiarum. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Conradi de Novilech, & dilectę in Christo filię nobilis mulieris Bertildis uxoris ejus, Herbipolin. Diœcesis, nobis exhibita continebat, quod ipsi adinvicem, ignari, quod quondam Cunigundis uxor ipsius Conradi eidem Bertildi quarto consanguinitatis gradu, dum viveret, attineret, matrimonium contraxerunt, carnali copula subsecuta. Quare pro parte dictorum nobilium fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ex ipsorum divortio grave possit in illis partibus scandalum generari, providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac volentes tuam super hoc conscientiam onerare, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, cum eisdem nobilibus auctoritate nostra dispenses, quod, impedimento hujusmodi non obstante, possint in contracto inter se matrimonio licite remanere. Ceterum predictum Conradum prius moneas, & inducas, ut assumpto Crucis Signaculo proficiscatur in subsidium Terrę Sanctę. Quod si ad hoc induci nequiverit, juxta facultates proprias in ejusdem Terrę succursum numerum, de quo tibi expedire videbitur, destinet bellatorum, alioquin ad dispensationem hujusmodi non procedas. Datum Viterbii XIV Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Alberto.*) Beato, de quo in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV.*
2. *Quondam.*) Beatus enim *Albertus magnus* ab anno circiter MCCLXIII nuncium remiserat Episcopatus oneri. Consulendus hac de re *Echard Tomo I. Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXII pag. 162 &c.*

Anno 1268
Die 21 Junii.

Episcopo Albanensi, S. S. A. L., ut qui ad Episcopi, ceterasve dignitates, sine Generalis, vel Provincialis permissu promoti sunt, Fratres illos a munere submoveat (1), & ad se mittat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Albanensi, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quid hac de re jam jam sancitum sit, declarat.

Mandatum.

SIgnificavit nobis dilectus filius Magister Ordinis Fratrum Predicatorum, quod licet per litteras (3) Sedis Apostolicę sit inhibitum, ut nulli Fratres ipsius Ordinis, si eos in Episcopos eligi, aut postulari forte contingeret, electioni, seu postulationi de se factę audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius Prelatus, vel etiam Legatus Sedis ipsius, dictos Fratres, nisi de Magistri ejusdem, vel Priorum Provincialium, qui pro tempore fuerint, licentia, & consensu, aut speciali mandato Sedis ejusdem, ad Episcopatos, vel alias quaslibet dignitates, extra dictum Ordinem assumere, vel ordinare presumant: per easdem quoque litteras sit decretum irritum, & inane quicquid contra inhibitionem hujusmodi a quibuscumque contigerit attemptari, auctoritate Apostolica semper salva; Nonnulli tamen Fratres Ordinis memorati, infra Legationis tuę terminos existentes, provisionibus, seu electionibus de se ad Episcopatus diversos Legationis ejusdem factis, contra inhibitionem & decretum hujusmodi consentire temere presumpserunt. Quare dictus Magister fecit, a nobis cum instantia postulari, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Ne itaque dicti Fratres de tanto ambitionis excessu valeant gloriari, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita super hiis diligentius veritate, predictos Fratres, si taliter promotos inveneris ad hujusmodi, seu quaslibet alias dignitates, ab officio, beneficioque auctoritate nostra suspendas, etiamsi ad consecrationem processum fuerit per quoscumque, eosdemque sic suspensos ad nos mittas, infra competentem terminum, quem eis duxeris peremptorie prefigendum, pro meritis recepturos: Quicquid autem super hiis feceris, & inveneris, ac diem hujusmodi prefixionis, & formam, nobis per tuas litteras, tenorem presentium continentes, exponere fideliter non omittas. Datum Viterbii XI Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Submoveat.*) Consulendus *Tractatus de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Litteras.*) *Datas XV Julii MCCLII, & XXX Maii MCCLXVIII.*

Limitea

Limites alias constitutos coarctans, ut cujuslibet Ordinis Cœnobia &c. centum & quadraginta Cannis (1) ab Ædibus Sacris Ordinis nostri distent, decernit.

Anno 1268 Die 28 Junii.

Ex Bullario Castellani (2) pag. 47.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & universis Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXXXVI.

QUia plerumque in futurorum (3) eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod utile conjectura verisimilis, immo & attenta interdum consideratio pollicetur, non solum inutile, sed dannosum reperiri contingat, nonnunquam quod consulte statuitur, postmodum consultius irritatur. Hoc quippe necessitas pręsentis provisionis evidenter ostendit. Dudum siquidem, ut inter Religiosos, potissime per nostrę diligentię studium, ęmulationis, & dissensionis tolleretur occasio, & caritatis integritas servaretur, per nostras sub certa forma literas (4) ordinandum duximus, & districtius inhibendum, quod nulli liceret ex tunc de Fratrum Minorum Pęnitentię Jesu Christi, B. Marię de Monte Carmeli, Eremitarum S. Augustini, S. Clarę, aliisque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prędictis, seu quibuscunque aliis Ordinibus, aliquod Monasterium, Ecclesiam, vel Oratorium ędificare, seu construere, nulli quoque seculari, vel Religioso cujuscunque Professionis, Ecclesiam, Monasterium, sive Oratorium jam ędificatum, in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra spatium trecentarum cannarum, a vestris Ecclesiis mensurandarum per aera etiam, ubi alias recte non permitteret loci dispositio mensurari, statuentes, ut quicquid contra hujusmodi ordinationis, & inhibitionis nostrę tenorem ex tunc ędificatum existeret, dirueretur omnino. Verum, quia quod ad pacem vestram, & prędictorum Fratrum, & Ordinum provisum fuerat, non solum vobis, sed & multis aliis, qui propter prędictum diffusum cannarum spatium, in hujusmodi ordinatione, ac inhibitione contentum, quasi ab omnibus, solemnibus etiam, Civitatibus inveniebantur exclusi, ad scandalum cessisse comperimus, diversis propterea materiis suscitatis, nos super his cum fratribus nostris deliberatione pręhabita, hujusmodi spatium, de ipsorum fratrum consilio, restringentes, ipsum ad centum quadraginta cannas duximus reducendum, omnibus aliis, quę in pręmissis literis continentur, in suo robore duraturis. Nulli ergo &c. Datum Viterbii IV Kal. Julii, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Limites alias constituti.

Decernit ut supra.

1. *Cannis.*) Ut in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Castellani.*) Idem habes apud *Confettium pag.* 14, & in *Monumentis Ord. Minor. pag.* 31.
3. *Futurorum.*) *Confettius* legit; *Futurum*.
4. *Literas.*) *Datas XX Novembris MCCLXV.*

Quæ de ascribendis Ordini nostro, vel Minorum Fratrum Alexander IV, decrevit, confirmat, & declarat (1).

Anno 1268 Die 6 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LXXXVII.

LEcta Nobis, vestra petitio continebat, quod fel. rec. Alexander PP. Prędecessor noster, vobis, & dilectis filiis Generali Ministro, & aliis Fratribus Ordinis Minorum, olim in virtute obedientię per suas litteras (3) pręcepit, ut vos eorum Ordini, vel ipsi vestro, voto, vel iuramento obligatos nullatenus prętextu indulgentię alicujus, seu aliquarum litterarum obtentarum a Sede Apostolica, vel etiam obtinendarum in posterum, quę de illis expressam non facerent mentionem, pręsumeretis recipere, nisi prius Ministri, vel Prioris sui petita foret licentia, & obtenta. Decrevit etiam irritum, & inane quicquid per vos, vel ipsos in hac parte contra pręceptum suum contingeret attemptari; statuens, ut hujusmodi pręsumptores incurrerent excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequaquam absolvi possent, nisi se apud Sedem Apostolicam, ab ea, sicut visum foret, absolvendi, personaliter pręsentarent. Postmodum vero per quasdam alias litteras (4) vobis, & eisdem Fratribus duxit districtius inhibendum, ne ante Probationis annum elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanę regulariter institutus, quemquam ad Professionem vestrorum Ordinum pręsumeretis recipere, seu ad renunciationem seculi faciendam, nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quominus infra eundem annum Probationis ad aliam regulam, quam mallet, transiret, sicut de sua procederet libera voluntate: Non obstantibus statuto contrario, si quod a vobis, vel ipsis esset editum, quod ipse decrevit irritum, & inane, vel aliquibus litteris, a Sede Apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quę de pręmissis expressam non facerent mentionem; & si forte contra hujusmodi suam inhibitionem, quemquam vos, vel dicti Fratres reciperetis, qui taliter receptus existeret, nullatenus esset vestro, vel eorundem Fratrum Ordini obligatus; vosque, ac ipsi a receptione quorumlibet, ad professionem dictorum Ordinum essetis ipso facto suspensi, & insuper pęnę deberetis subici (5), quę Fratribus ipsorum Ordinum pro culpis infligi gravioribus consuevit. Nos igitur ipsius Prędecessoris, qui super hoc certum edidit Declarationis oraculum, vestigia inhęrentes, quod ipse de obligatis Ordinibus prędictis, in pręmissis suis litteris dixerat, ne ipsi, vel vos, recipere pręsumeretis eosdem, statuendo, ut hujusmodi pręsumptores ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, de illis tantum intelligi volumus, quos post prędictum annum Probationis elapsum, eisdem esse constiterit Ordinibus obligatos. Ceterum nolumus, quod per aliquam inhibitionem, seu

Refert, quæ hac de re fanxit Alexander IV.

Confirmatio.

Declaratio.

Decretum irritum faciens.

ſeu Conſtitutionem noſtram, ſi qua poſtmodum a Nobis forſitan emanavit, quę huic declarationi videatur contraria, prę̨judicium aliquod declarationi generetur eidem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Declarationis &c. Datum Viterbii II Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Declarat.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud aſſervatur *Toloſæ*. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur etiam ibidem *Libro A. fol. 936, & inter Monumenta Cœnobii S. Romani Lucen.*; apud *Vvaddingum Annal. Minor.* Tomo *II in Reg. pag.* 213, in *Monumentis Ord. Minor. pag.* 31.

3. *Litteras.*) *Datas XXIII Junii anno MCCLV.*

4. *Litteras.*) Deſiderantur.

5. *Subici.*) Seu *Subiici*.

Anno 1268 Die 7 Julii.

Ne quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus &c. Privilegia noſtra, & Minorum Fratrum interpretetur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXVIII. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, & Generali Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ORdinis veſtri ſacra religio, ſub qua virtutum Domino in humilitate ſpiritus laudabiliter deſervitis, promeretur, ut vos, ipſumque Ordinem (3) ſincera diligentes in Domino caritate, illa vobis libenti animo concedamus, per quę, materiis ſubmota gravaminis, ſtatus veſtri tranquillitas procuretur. Sane transmiſſa nobis conqueſtione monſtraſtis, quod nonnulli Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & alii Eccleſiarum Prę̨lati, veſtris libertatibus derogantes, indulgentias, ſeu privilegia vobis ab Apoſtolica Sede conceſſa, interpretari, & ad ſuum intellectum trahere moliuntur: quanquam intellectum ipſum, verba indulgentiarum, Supplex Fratrum petitio. & privilegiorum hujuſmodi exprimere videantur, ac vos juxta ipſorum interpretationem privilegia ipſa ſervare compellunt, in veſtrum non modicum prę̨judicium, & gravamen. Quia vero ſuper hoc Apoſtolicę proviſionis remedium imploraſtis, nos, veſtris ſupplicationibus annuentes, ne prę̨fati Archiepiſcopi, Inhibitio. Epiſcopi, & Prę̨lati alii prędicta privilegia, & indulgentias, ſive clara, quę interpretatione non indigent, ſive dubia vel obſcura contineant, de cetero interpretari prę̨ſumant, auctoritate prę̨ſentium diſtrictius inhibemus, volentes, ut cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, interpretatio ſuper hujuſmodi dubiis, & obſcuris, dictę Sedis judicio requiratur. Sanctio poenalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Declarationis, ac Conſtitutionis &c. Datum Viterbii Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Interpretetur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato *Faventiæ* in Cœnobio noſtro *S. Andreæ*. Legitur etiam apud *Caſtillanum pag.* 47, *Confettium pag.* 12, *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtolicor. pag.* 14, *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II in Regeſto Clementis IV pag.* 114, in *Monumentis Ord. Minor. pag.* 31, in *Conſtitutionibus Ord. Prædicator. impreſſis an. MDV num. LXIV*, in *aliis an. MDVII num. LXVIII*. In *Bullario Romano eſt XII.*

3. *Ut vos, ipſumque Ordinem.*) In mox laudatis legitur: *Ut nos Ipſumque Ordinem*.

Anno 1268 Die 30 Julii.

Prioribus Prædicatorum, & Guardianis Minorum Portugallen. &c. ut quædam legata colligant, & in ſubſidium Terræ Sanctæ apud Regem Portugalliæ deponant (1).

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 114 Regeſti.

LXXXIX. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Portugallen., & Caſtelli, Scarannen. (2), Ulixbonen., Diœceſ., Prędicatorum Prioribus, & Eiboren., ac in Gardia, Egitanien. Diœc., Minorum Ordinum Guardianis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ADliberationem Terrę Sanctę toto cordis deſiderio anhelantes, ad hoc ſtudioſe intendimus, & quantum ex alto conceditur, circa ea damus opem, & operam efficacem, per que id, Deo propitio, valeat provenire. Cum itaque cariſſimus in Chriſto filius noſter illuſtris Rex Portugallię, ſicut ex parte ipſius fuit propoſitum coram nobis, zelo fidei, ac devotionis accenſus, ſigno vivificę Crucis aſſumpto, proponat cum decenti bellatorum comitiva in Terrę Sanctę ſubſidium proficiſci; Nos, ipſius Regis ſupplicationibus inclinati, ſibi auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum, ut legata in pios uſus indiſtincte relicta, ſeu relinquenda, non expreſſis aliquibus perſonis, vel locis, dummodo non fuerint arbitrio certę perſonę commiſſa, in Regno, & aliis terris ſuis, per triennium poſſit percipere in ſubſidium hujuſmodi Mandatum. convertenda. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut quilibet veſtrum, per vos, vel per alium, aut alios, legata hujuſmodi, juxta prędictę conceſſionis noſtrę tenorem, per idem triennium in Regno, & terris ipſis fideliter colligere, & in aliquo tuto loco deponere, Clauſula derogans. ac ea dicto Regi, vel ejus certo nuncio aſſignare curetis. Non obſtante ſi eſt aliquibus ab Apoſtolica Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Viterbii III Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Deponant.*) Rem totam paucis ſic exponit *Vvaddingus* Tomo *II Annal. Minor. ad annum MCCLXVIII num. I pag.* 307, his verbis: *Ad extremum malorum ventum erat in Syria, Regnumque majorum virtute conſtitutum, hujus avi Principum partim ignavia, partim diſcordia collapſum erat . . . . . Nova nunc ſe occaſio melioris fortunæ oſtentabat, quæ uno fere tempore Hiſpaniam, Angliam, & Galliam ad arma repetenda excivit. Alfonſus hujus nominis Tertius Luſitaniæ Rex, non tam rogatus, quam ſponte huic bello ſacro ſe parat, in cujus ſubſidium petiit a Clemente, ultra omnes Jeroſolymorum ſtudioſo, ut legata*

legata in pios usus indistincte relicta, seu relinquenda, non expressis aliquibus personis, vel locis, dummodo non essent arbitrio certæ personæ commissa, in Regno & aliis terris suis per triennium posset percipere in hanc expeditionem convertenda. Similiter ei concederentur bona per usuras, rapinas, aliosque modos illicitos acquisita, si personæ ipsa bona hujusmodi tenentes ea sponte elargiri vellent, ac illi quibus restitutio fieri debens, edictis publice propositis in locis competentibus, omnino inveniri, aut sciri non possent. Ut conferrentur eidem redemptiones votorum crucesignatorum, & signandorum, obventiones, & legata ex quacunque causa provenientia ejusdem Terræ Sanctæ subsidio deputata. Ut absolverentur qui Cruce signari vellent, & cum Rege proficisci, a quibusvis Censuris ob delicta, quantumvis gravia, contractis. Ut per prædicatores excitarentur ad hanc expeditionem, & sacram Crucis tesseram suscipiendam Lusitani, quorum ope & comitatu magni sumptus & immensi laboris facinus posset adoriri. Per quinque Diplomata auctoritatem ad hæc omnia Regi concedenda commisit Pontifex Prioribus duobus Ordinis Prædicatorum Portugallensi, & Santarenensi, seu Scalabitano, necnon Guardianis duobus Ordinis Minorum Elborensi, & Gardianensi, Egitanensi Diœcesis,

2. *Scarannen.*) Legendum *Santarenen.*, ut mox ex *Vvaddingo* dictum est; sic vulgo vocatur *Scalabitana* Diœcesis in *Lusitania*.

Prioribus Prædicatorum & Guardianis Minorum Fratrum Portugalliæ &c., ut subsidio Terræ Sanctæ Catholicos mittant (1).

Anno 1268
Die 30 Julii

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 115 Regesti.

XC.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Portugallen. & Castelli, Scarannen., Ulixbonen. Diœcesi., Prædicatorum Prioribus, & Elboren., ac in Gardia, Egitanien. Diœcesi., Minorum Ordinum Guardianis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD liberationem Terræ Sanctæ &c. (2). Nos volentes, ut idem Rex in hoc effectum sui desiderii consequatur discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus prædictis Verbum Crucis per vos, vel alios viros idoneos tam regulares, quam seculares per Portugalliæ Regnum, & alias Terras Regis ejusdem, & illam volentes recipere largiamini, concessa illis, qui in personis propriis, & expensis, & eis etiam, qui personaliter, sed in alienis expensis cum Rege proficiscentur, illis quoque qui in expensis propriis illuc mittent idoneos bellatores, ac eis, qui de bonis suis aliqua mittent in subsidium dictæ Terræ juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, illa suorum venia peccatorum, de quibus veraciter corde contriti, & ore confessi fuerint, quæ succurrentibus dictæ Terræ in generali Concilio (3) est concessa. Datum Viterbii III Kal. Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Mittant.*) Consule præcedens Diploma.
2. *Sancta &c.*) Ut in eodem ad hæc usque verba: *Subsidium proficisci.*
3. *Concilio.*) *Lugdunen. I cap. XVII.*

Prioribus Prædicatorum, & Guardianis Minorum Fratrum Portugalliæ &c., ut quibus ignoti fraudati sunt, ea impendant in subsidium Terræ Sanctæ.

Anno 1268
Die 30 Julii

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 115 Regesti.

XCI.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Portugal. & Castelli, Scarannen., Ulixbonen. Diœcesi., Prædicatorum Prioribus, & Elboren., ac in Gardia, Egitanien. Diœcesi., Minorum Ordinum Guardianis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD liberationem Terræ Sanctæ (1). Nos volentes, ut idem Rex, Apostolicæ Sedis fultus auxilio, suum in hac parte propositum magnificentius ducere valeat ad effectum, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, & specialem, præsentium auctoritate committimus, quatenus a quibuslibet personis Regni, & Terrarum Regis ejusdem bona, quæ acquisiverunt per usurariam pravitatem, rapinas, aliosque modos illicitos, si personæ ipsæ bona hujusmodi sponte ad hoc elargiri voluerint, ac illi, quibus eorum restitutio fieri debeat, edictis publice propositis in locis competentibus, omnino inveneri, & sciri non possint, usque ad triennium, vos, vel duo, sive quilibet vestrum, per vos, vel alium, aut alios ad manus vestras recipere valeatis, deponenda fideliter in aliquo tuto loco, & tandem dicto Regi, cum se ad transfretandum accinxerit, integre assignanda. Ita tamen quod si aliquid de hujusmodi bonis dimiseritis, vel restitueritis, aut dederitis illis, a quibus eas (2) receperitis, hujusmodi dimissum, restitutum, vel datum, nihil ad liberationem eorum prosit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absolvi (3). Datum Viterbii III Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Terra Sancta &c.*) Ut in *Constitutione LXXXIX* ad hæc usque verba: *Subsidium proficisci.*
2. *Eas.*) Supple: *Restitutiones.*
3. *Absolvi.*) Legerem: *Absoluti.*

Anno 1268 Die 30 Julii.

Prioribus Prædicatorum, & Guardianis Minorum Fratrum Portugalliæ &c., ut a Censuris Ecclesiasticis nonnullos solvant.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 115 Regesti.

XCII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Portugallię & Castelli, Scarannen., Ulixbonen. Dięcef., Prędicatorum Prioribus, & Elboren., ac in Guardia, Egitanien. Dięcef., Minorum Ordinum Guardianis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Concessio.

CUm carissimus in Christo filius noster Rex Portugallię Illustris &c. (1). Nos, ipsius Regis supplicationibus inclinati, absolvendi juxta formam Ecclesię per vos, vel per alium, seu alios, Crucesignatos, & Crucesignandos, qui cum dicto Rege proficiscentur in dictę Terrę succursu (2), ab excommunicationis sententia, si quam pro violenta injectione manuum in clericos, & personas ecclesiasticas incurrerunt, dummodo passis injuriam satisfecerint competenter, & illorum non fuerit adeo gravis, & enormis excessus, quod propter hoc ad Sedem Apostolicam sint merito destinandi, plenam vobis concedimus auctoritate pręsentium facultatem. Datum Viterbii III Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Illustris &c.*) Ut in *Constitutione LXXXIX* ad hæc usque verba: *Subsidium proficisci*.

2. *Succursu.*) Legendum videtur: *Succursum*.

Anno 1268 Die 30 Julii.

Prioribus Prædicatorum, & Guardianis Minorum Fratrum Portugalliæ &c., ut legata, ceteraque id genus, subsidio Terræ Sanctæ consecrata, Rex Portugalliæ per triennium percipere possit.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 114 Regesti.

XCIII.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Portugalien., & Castelli, Scarannen., Ulixbonen. Dięcef., Prędicatorum Prioribus, & Elboren., ac in Guardia, Egitanien. Dięcef, Minorum Ordinum Guardianis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

AD liberationem Terrę Sanctę &c. (1) ut redemptiones votorum Crucesignatorum, & Crucesignandorum. obventiones, & legata, ex quacunque causa provenientia, ejusdem Terrę subsidio deputata, & etiam deputanda, in regno, & aliis terris suis possit per triennium percipere, in subsidium hujusmodi convertenda. Quocirca mandamus &c. (2) Datum Viterbii III Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Terra Sancta &c.*) Ut in *Constitutione LXXXIX* ad hæc usque verba: *Duximus indulgendum*.

2. *Mandamus &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Anno 1268 Die 24 Septembris.

Episcopo Astensi (1), ne quis Fratres nostros molestiis afficiat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIV.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Asten., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cavet ut supra.

INundans malitia perversorum viris sanctę Religioni deditis, adeo frequenter exhibet se molestam, quod ipsi divino cultui, ut deberent, vacare non possunt, dum illorum malitiis agitantur. Cum itaque dilecti filii Prior Provincialis Lombardię, & Fratres sui Prioratus Ordinis Prędicatorum, sicut iidem nobis significare curarunt, a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, graves patiantur molestias, & pressuras. Nos eorum providere quieti, & malignantium malitiis obviare volentes, fraternitati tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eosdem Priores & Fratres pro divina & nostra reverentia favoris opportuni pręsidio prosequens, non permittas, eos contra Indulta privilegiorum Sedis Apostolicę ab aliquo indebite molestari, molestatores hujusmodi per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, attentius provisurus, ne de his quę causę cognitionem exigunt, vel quę in Iulta hujusmodi non continguut, te aliquatenus intromittas. Nos enim, si secus pręsumpsetis, tam pręsentes literas, quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter, & fideliter exequaris, ut eius fines quomodolibet non excedas. Pręsentibus post quinquennium minime valituris. Datum Viterbii VIII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Astensi,*) In *Pedemontio*. Adeas *Ughellum* in Episcopis *Astensibus*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Ganda-

Anno.... Die 17 April.

XCV.

Gandavensis (1), & Burgensis (2) Cœnobiorum e Provincia Teutoniæ ad Provinciam Franciæ translationem confirmat.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Francię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a pastorali solicitudine.

CIrca ea debemus esse vigiles, & attenti, per quę animarum salus in domibus vestri Ordinis valeat procurari. Sane, sicut audivimus, in eodem Ordine laudabiliter est statutum, ut in ipso nullatenus aliquid statuatur, nisi esset id primo per duo Capitula Generalia ejusdem Ordinis, alterum videlicet alteri nullo medio proximum, approbatum, & in tertio Capitulo, dicta duo immediate sequente, confirmatum existat, nullaque domus prędicti Ordinis secundum Constitutiones ipsius de Provincia transferri ad Provinciam valeat, nisi hoc esset per totidem Capitula hujusmodi approbatum. Licet igitur Gandaven., & Burgen. Domus prędicti Ordinis, Tornacen. (4) Diocesis, de Provincia Theutonię (5) tunc dicerentur existere, quia tamen dignoscebantur ad Regnum Francię pertinere, necnon per Priorem, & Fratres memorati Ordinis Provincię Francię in eisdem domibus animarum salus utilius, & commodius poterat procurari, quondam Magister (6), & Priores Provinciales ipsius Ordinis, tunc in Capitulo Generali apud Valencen. Juxta morem Pręfati Ordinis congregati (7), ad hoc respectum habentes, super translatione domorum ipsarum Constitutionem facere inceperunt (8), sicque fel. rec. Alexander (9) Papa Prędecessor noster votis eorum in hac parte concurrere cupiens bo. me. H... (10) tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali suis dedit litteris in mandatis, ut, consideratis diligenter circumstantiis universis, quę circa translationem eandem essent attendendę, si secundum Deum, animarum saluti, & utilitati prędicti Ordinis, ac domorum ipsarum expedire videret, easdem domos auctoritate Prędecessoris ipsius per se, vel per alium ad dictant Provinciam transferre curaret, Prioribus & Fratribus domorum ipsarum eadem auctoritate demandans, ut Priori Provinciali Francię, sicut ceteri Priores, ac Fratres ipsius Ordinis suę Provincię intendere, ac obedire curarent. Non obstantibus supradictis, aut quibuslibet aliis statutis, vel consuetudinibus contrariis ejusdem Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicę, seu quacumque firmitate vallatis; contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Sane idem Cardinalis, consideratis diligenter circumstantiis universis, quę circa translationem prędictam fuerunt attendendę, prędictas domos Gandaven. & Burgen. juxta prędictarum litterarum tenorem, ad eandem Provinciam Francię transtulit, mandans Prioribus & Fratribus domorum ipsarum, ut Priori Provinciali Francię, sicut ceteri Priores, & Fratres ipsius Ordinis suę Provincię obedire, ac intendere procurarent, prout in litteris inde confectis sigillatis sigillo ipsius Cardinalis plenius continetur. Nos itaque, volentes, ut quod super hoc per eundem Cardinalem auctoritate ipsius Prędecessoris factum extitit, robur obtineat firmitatis, ac id ratum & firmum habentes, illud, non obstante quod in Generali Capitulo prędicti Ordinis nuper Londoniis (11) celebrato dicitur esse statutum, ut domus dicti Ordinis, quę translatę erant de Provincia ad Provinciam, & non per eundem Ordinem, ad primam Provinciam revertantur, auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem litterarum ipsarum prędicti Cardinalis de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes, qui talis est. Frater Hugo miseratione divina tit. S. Sabinę Presbyter Cardinalis, viro Religioso, in Christo dilecto, Magistro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & cum sincera in Domino caritate paratam ad beneplacita voluntatem. Intelleximus, quod nuper diffinitores Capituli generalis, Priores videlicet Provinciales Ordinis, una vobiscum congregati Valencen. in Generali Capitulo ibidem celebrato quandam Constitutionem in suis diffinitionibus inchoarunt, quod videlicet domus Gandaven., & Burgen. Fratrum Ordinis memorati de cetero ad Provinciam Francię pertinerent, quę videlicet continuo secundum modum, & consuetudines, & Constitutiones ejusdem Ordinis vigorem non habet, nisi per duo Capitula Generalia immediate sequentia approbata fuerit, & etiam confirmata. Nos igitur non obstantibus consuetudinibus, & constitutionibus supra dictis, id quod jam est utiliter super hoc inchoatum volentes immobile permanere, cum ab antiquo noverimus plenius, quod ad honorem Dei, & multiplicationem Ordinis, ac salutem animarum cedere debeat, si dictę domus ad dictam Provinciam transferantur, auctoritate Domini PP. nobis specialiter in hac parte commissa, ad dictam Provinciam ex nunc transferimus, & sub regimine, & cura Prioris Provincialis Francię ponimus, & constituimus, dictas domos cum terminis earundem, & Priores, ac Fratres, qui in domibus, seu Conventibus resident supradictis. Eadem auctoritate vobis districte mandantes, & in remissionem peccatorum firmiter injungentes, quatinus dictis Prioribus, & Fratribus dictarum domorum districte mandetis, quod dicto Priori Provinciali Francię tanquam prelato suo per omnia obediant, & intendant, & dicto Priori Provinciali curam injungatis eorum, prędicta nullatenus omittentes. Nos enim nichilominus pręsentium testimonio litterarum dicto Priori Provinciali, necnon & dictis de Gandavo, & de Brugis, Prioribus, & Fratribus Conventuum eorundem, districte injungimus supradicta. Vobis etiam, Magister, injungimus, quatinus Fratribus Ordinis quibuscumque, tam Prioribus, quam aliis Diffinitoribus Capituli Generalis, si contra prędicta causam, vel litem movere voluerint, vel contra ea aliquid attemptare, silentium perpetuum imponatis, eos animadversione debita compescentes. Datum Anagnię anno Domini MCCLIX festi B. Marię Magdalenę die crastina. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis &c. Datum Perusii XV Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno .... (12).

Causa hujusce confirmationis.

Gandavense & Burgense Cœnobia Cardinalis Hugo de una ad aliam Provinciam transfert.

Confirmatio.

Tenor Diplomatis ab Hugone editi.

Sanctio pœnalis.

1. *Gandavensis.*) In *Flandria*.
2. *Burgensis.*) Seu *Brugensis*, vulgo *Bruges*, in eodem Comitatu.
3. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum fericis filis appenditur.
4. *Tornacen.*) Vulgo *Tournais* in *Flandria*. Nune utraque civitas *Gandavensis*, & *Brugensis* Episcopalis est, sub Archiepiscopo *Mechliniensi*.

5. *Thentonia.*) Utrumque Cœnobium *Gandavense*, & *Brugense* juris est Provincialis *Inferioris Germaniæ*.
6. *Magister.*) *Humbertus de Romanis*.
7. *Congregati.*) Anno *MCCLIX*.
8. *Inceperunt.*) *Ordinatione V.*
9. *Alexander.*) *IV.*
10. *H...*) *Hugoni* nostro.

11. *Londoniis.*) Seu *Londini* in *Anglia*. Celebratum fuit istud Capitulum anno *MCCLXIII*.
12. *Anno...*) Expunctus est annus inscriptus. Cum autem *Perusii* datum sit Diploma, hinc vel anno Primo Pontificatus *Clementis IV*, seu *MCCLXV*, vel anno Secundo, id est *MCCLXVI*, concessum fuit.

Anno..... Die.....

Inquisitoribus, ne Ordinis Præpositis, negotio Sancti Officii se immiscentibus, morem gerant.

Ex Director. Inquisitor. parte II pag. 145.

XCVI. Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus tam Prędicatorum, quam Minorum Ordinum, Inquisitoribus hereticę pravitatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CAtholicę Fidei negotium &c. (1). Nulli ergo omnino hominum &c. (2).

1. *Negotium &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVIII Octobr. MCCLXII* ad finem usque.

2. *Hominum &c.*) Dies ascripta desideratur apud *Eymericum*.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Clemente IV Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1267 Die 18 Aprilis. F. Thomas Agri de Leontino, ex Episcopo Bethleemitano, ut in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV* videre est, Archiepiscopus Consentinus, in Calabria. *Auctores laudati in Appendice mox citata. Ughellus in Archiep. Consentinis Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 216 Edit. II, ex Regesto vaticano fol. 137 Epistola XVII, data XIV Kalend. Maii, Pontificatus Clementis IV Anno III*, Christi MCCLXVII, non vero MCCLXVIII, ut ex incuria typographi legere est apud *Ughellum*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXVI pag. 71.*

Anno 1267. F. Laurentius Archiepiscopus Acheruntinus & Materanus, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Acheruntin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 43 Edit. II ex Regesto Vaticano fol. 135 Epistola X, data Viterbii Nonis Aprilis, Pontificat. Clementis IV Anno III, Christi MCCLXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. I pag. 50. Cavalerius Tomo I pag. 35 num. XC.*

F. Johannes e Sancto Messano, Archiepiscopus Tyrius, in Syria. *Echard in addendis ad Tomum I Tomo II Scriptor. Ordinis pag. 30 Præfationis, ex antiquo Ms. seculi XIII*, cujus hæc verba: *En cel an meisme... (MCCLXXII) morut Frere Jehan de saint Messan de l'Ordre des Prescheors Arcevesque de Sur.* Id est: *Hoc eodem anno...., obiit Frater Johannes de Sancto Messano Ordinis Prædicatorum Archiepiscopus Syriæ.*

EPISCOPI.

Anno 1265 Die 25 Junii. F. Paparonus de Paparonis, Romanus, ex Procuratore Generali Ordinis Episcopus Fulginatensis, in Umbria, Immediate sub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romanæ Provinciæ. Ughellus in Episcop. Fulginaten. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 699 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLI pag. 194. Cavalerius Tomo I pag. 47 num. CXXXVIII. Echard Tomo I ad an. MCCXC pag. 421.* Episcopus *Spoletanus* fuit *Paparonus*, ut dicitur in *Appendice ad Pontificatum Honorii IV.*

Anno 1265. F. Surleo, Serlus, Serulus, Servolus, vel Serlonus, patria Genuensis, Episcopus Brugnatensis, seu Aprumatensis, in Liguria, sub Archiepiscopo Genuensi. *Bernardus Guidonis in Episcop. Marchiæ Januen. Ughellus in Episcop. Brugnaten. Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 986 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V*

Cap.V Tit.CVII pag.146. Cavalerius Tomo I pag.40 num.CVI.Echard Tomo I Scriptor.Ord.ad annum MCCLXXX *pag.384.*

F. Paschasius Ventacordius, Episcopus Lamecensis, vulgo *Lamego*, in Lusitania, sub Archiepiscopo Bracarensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCXI pag.209, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.27 num. LXIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcopor. pag.*21 recenset *Paschasium* inter Episcopos *Innocentii VI*, constitutum anno MCCCLXV, & in *Campania* mortuum anno MCCCLXVIII. Id affirmat ex *Badio in Acad. Florent.* Sed cum nullum allud opinionis suæ momentum præter *Badii* auctoritatem subiiciat *Echard*, Scriptores domestici hac de re *Badio* præferendi videntur. Emendandus tamen *Johannes Michael Plodius*, qui ex typographi incuria *Paschasium* quodam Episcopatu *Lacacense*, vel *Lucrese* donat. Legendum *Lamacense*, seu *Lamecen.* Anno 1265.

F. Morandus de Signia, Florentini Cœnobii S. Mariæ Novellæ alumnus, ex Episcopo Callien., ut in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV* dictum est, Episcopus Fanensis, in Umbria, immediate sub Sancta Sede: *Ughellus in Episcop. Fanen. Tomo I Italia Sacra pag.666 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLI pag. 191. Cavalerius Tomo I pag.34 num. LXXXVIII. Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCLXXVI pag 355.* Anno 1265 Die 4 Octobris.

F. Ambrosius Florentinus, Episcopus Ariminensis, in Romandiola, sub Archiepiscopo Ravennatensi. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romaniolæ. Ughellus in Episcop. Ariminen. Tomo II Italia Sacra pag.424 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit LII pag.131 ex Plodio, & Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.30 num.LXXII. Miaorelli in Chronicis Mss. ad annum MCCLXX.* Anno 1265 Die 7 Octobris.

F. Gaufridus, seu Godifredus, Roneioni, Pisanus, Episcopus Agrigentinus. In Siciliæ Regno, sub Archiepiscopo Panormitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XII pag. 115, ex Tacgio, & Pirro. Cavalerius Tomo I pag.30 num.LXXIII.* Anno 1265.

F. Nicolaus Salmanticensis, Episcopus Salmanticensis, in Hispania, sub Archiepiscopo Compostellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag.282, ex Fernandez, Plodio, & Ægidio Gonzalez d'Avila in Theatro Ecclesiæ Salmantiecn. Cavalerius Tomo I pag.30 num. LXXIV.* Circa Annum 1265.

F. Theodoricus de Borgognonibus de Luca, Episcopus Cerviensis, in Romandiola, sub Archiepiscopo Ravennatensi. *Leander Albertus de viris illustribus. Ughellus in Episcop. Cervien. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 473 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXI pag.165. Cavalerius Tomo I pag. 53 num. CLX. Echard Tomo I ad annum MCCLXXVI pag.354.* A *Johanne Michaele Plodio*, & *Altamura* ad XV seculum remittitur *Theodoricus* noster, sed errant, ut ex ipsius Epitaphio, quod *Bononiæ* legitur, patet. Illud excripsit *Ughellus* mox laudatus. Anno 1266.

F. Thomas Cantipratanus, Episcopus titularis Lusentinus, Coadjutor Cameracen., in Belgio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.CCCLII pag.221, ex Lusitano. Cavalerius Tomo I pag.33 num. LXXXVI.* In eandem sententiam ierunt domestici fere omnes, & extranei, ut *Heuschenius in Actis Sanctorum*, aliique passim, quibus favet ipsemet *Thomas* tum in Libro *de Apibus*, tum alibi. Sed restragatur *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXX pag.* 250 ductus argumento negativo, quo nihil levius. Anno 1266.

F. .... Episcopus in Hibernia. *Bernardus Guidonis in Episcop. Hiberniæ. Leander Albertus de viris illustribus. Cavalerius Tomo I pag 32. num. LXXXIII.* Anno 1267.

F. Reginaldus, vel Raynaldus de Leontino, seu Lentino, Siculus, Episcopus Marsicensis, in Principatu citeriori in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano. *Ughellus in Episcop. Marsicen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 506 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVII pag.225. Cavalerius pag.45 num. CXXX.* Archiepiscopus *Messanensis* fuit *Reginaldus*, ut ex *Appendice ad Pontificatum Gregorii X* videre est. Anno 1268

F. Anianus, hujus nominis secundus, Episcopus Asaphensis, Assaven., vel Eluven., vulgo *S. Asaph*, in Anglia, sub Archiepiscopo Cantuariensi. *Godwinus de Præsulibus Angliæ in Episcop. Asaphen pag.658 num.VIII.Cavalerius Tomo I pag.79 num.CCLI.Echard Tomo I de Scriptoribus Ord.pag.431 ad annum MCCXCII.* Anno 1268.

F. Johannes, ex Priore Sigtoniensis Cœnobii, Episcopus Finlandensis, sub Archiepiscopo Upsalensi. *Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Daciæ. Cavalerius Tomo I pag.84 num.VI. Dominicus Frydrychowicz* Circa Annum 1268.

In

in Libro cui Titulus S. Hyacinthus &c. Regni Poloniæ Patronus &c. pag. 215. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCI pag.* 427. Ipse est *Johannes* qui *Basileensis* a Plodio & Marietta, *Visiliensis* a Lusitano, *Fiilanden.* a Leandro Alberto, ceterisque passim nuncupatur. Nunc in Regno *Suecico* est *Finlandia*, seu *Finnonia*, & *Finnia*, quæ alias Reges habuit proprios. *Aboam* Episcoparum *Finlanden.* translatum esse a successore *Johannis* nostri, auctor est *Echard pag.* 428 *col. I.* Archiepiscopus *Upsalensis* fuit *Johannes*, ut dicetur in *Appendice ad Pontificatum Nicolai IV.*

Anno 1268. F. Simon de Leontino, vel Lentino, ex Priore Messanensis Cœnobii, Episcopus Syracusanus, in Regno Siciliæ, sub Archiepiscopo Montis Regalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCCLXX pag.* 302. *ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 49 *num. CXLVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCII pag* 431.

Anno 1268. F. Bartholomæus Lusitanus, Episcopus Sylvensis, in Algarbia, sub Eborensi Archiepiscopo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXIX* pag. 302, *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 29 *num. LXVIII.*

Circa Annum 1268. F. Johannes de Rotomago Episcopus Caphen., dein Archiepiscopus Taurisien., vulgo *Tauris*, in Persia. *Cavalerius Tomo I pag.* 28 *num. LXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Episcopor. pag.* 26 *col. II.*

Anno 1268. F. Godefridus, Episcopus Sancti Abraham. *Echard in addendis ad Tomum I Tomo II pag.* 30 *Præfationis ex antiquo Ms. XIII seculi*, cujus hæc verba: *A mois de Mars MCCLXVIII a XXV jors de mois morut Pape Clement le quart, & fu fait Eveque de saint Abraham Frere Giefroy de l'Ordre des Prescheors &c.* Idest: *Mense Martio MCCLVIII die XXV Mensis obiit Papa Clemens IV*, (errat, Clemens enim diem clausit extremum die XXIX Novembris) *& factus fuit F. Godefridus Ord. Prædicator. Episcopus S. Abraham.*

LEGATI.

Anno 1265. F. Annibaldus de Annibaldis, S. R. E. Cardinalis, ut videre est in *Appendice ad Pontificatum Urbani IV.* Legatus a Latere Romam missus. *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXV num. XIII &c. Ciaconius Tomo I vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXI pag.* 162. *Bzovius ad annum MCCLXV num. IV. Echard Tomo I Scriptor. Ord ad annum MCCLXXII pag* 261. *Cavalerius Tomo II pag.* 180 *num. II.* Hallucinatur vero *Fontana*, *qui Theatro Dominicano Parte I Cap. II num II pag.* 14. *& Parte II Cap. II Tit. II pag.* 344 Annibaldum in *Siciliam* legat. Enim vero, licet ad *Carolum I* utriusque *Siciliæ* Regem electum, ut in ejusdem Regni possessionem ipsum mitteret, legatus fuerit *Annibaldus* noster, *Romæ* tamen, non in *Sicilia* id agendum erat, ut liquet ex Instrumento quod excripsit *Odoricus Raynaldus* loco laudato, ad cujus calcem sic legitur. *Actum apud Lateranum in Basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana ante sacratissimum Altare ipsius Basilicæ IV Kalendas Junii* (Echard ex Ms. Colbertino scripsit Julii) *Anno Domini MCCLXV, Pontificatus D. Clementis Papæ IV Anno Primo.*

Anno 1267. F. Guillelmus de Tonnens Legatus in Tusciam. *Bulla* - In virtute - *Data XX Jul. MCCLXVII. Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. IV. Bzovius ad eundem annum num. X. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 93 *col. I.*

Anno 1267. Tres Fratres Ordinis Prædicatorum Legati ad Palæologum. *Bulla* - Quantum & quoties - *Data IX Junii MCCLXVII.*



GREGORIUS X

Italus, Patria Placentinus, absens electus (*a*) fuit Viterbii Die I Mensis Septembris, Anno MCCLXXI. Coronatus (*b*) est Romæ Die XXVII Martii, Anno MCCLXXII. Cælos petiit (*c*) Die X Januarii MCCLXXVI. Sedit a Die Electionis Annos IV, Menses IV, Dies X: A Die suscepti Apostolatus, qua scilicet assensum Electioni præbuit, Annos IV, Menses II, Dies XIV: A Die vero Consecrationis Annos III, Menses IX, Dies XIV.

(*a*) Decretum Electionis. (*b*) Gregorius X Libro I Epistola I. (*c*) Ptholomæus Lucensis in Gregorio X.

F. Gaufrido (1) de Belloloco, ut Ludovici IX Vitæ genus ad se perscribat.

Anno 1272 Die 4 Martii.

Ex Petro (2) *Maria Campi Histor. Placentin. Tomo II pag.* 410.

I.

Gregorius Electus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Gaufrido de Belloloco Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



Larę memorię Ludovici Regis Francorum pręcelsa merita recolentes de beatitudine vitę suę, quę ceteris Principibus orthodoxis beate vivendi pręberat exemplum, tanto majoris adhuc percipimus suavitatis odorem, quanto ipsum, quem vivum pura mente dileximus, revocatum ad Patriam in (3) recentiori memoria retinemus. Verum licet de vitę modo, quem sui Redemptoris beneplacita prosequendo servabat, habuerimus in parte notitiam, cupientes tamen, quod modus hujusmodi Nobis plenius innotescat, in iis potissime, quę secretius agebantur, devotionem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, satisfaciens devota solicitudine votis nostris, prędictum vivendi modum in omnibus, & singulis actibus, & observantiis suis, nil ultra, quam fuerit, addito, sed veritatis purę servata substantia, scriptum nobis, & secreto sub tuo sigillo, quamcitius poteris, per certum Nuncium, scribere non postponas. Volumus autem, quod apud te verbum remaneat, nemini referendum. Nec (4) mireris, quod Bulla non exprimens nomen nostrum, est appensa pręsentibus, quę ante consecrationis, & benedictionis nostrę solemnia transmittuntur; quia ii qui fuerunt hactenus in Romanos Electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante suę consecrationis munus modum hujusmodi observare. Datum Viterbii IV Nonas Martii, suscepti a Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.

Mandatum Pontificis.

1. *Gaufrido.*) Is erat Natione *Gallus*, vir præstantissimæ virtutis, qui, teste *Guillelmo Carnotensi*, totius religionis speculum fuit. De eo consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXIII pag.* 270. Sancto *Ludovico* Regi *Galliarum* annis viginti & amplius ab intimis, arcanisque consiliis, ac Confessionibus fuisse *Guillelmum*, certa res est. Hinc ejusdem *Sancti* vitæ conscribendæ provinciæ ipsi imposita. *Cum vero augeretur in dies D. Ludovici Sanctitatis gloria, quam nova miraculorum luce Deus collustrabat*, inquit *Odericus Raynaldus* Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXII num. LIX. *Gregorius Gaufrido e Bello loco, qui . . . Sancto Regi a Confessionibus fuerat, ac plura ejus gesta hauserat oculis, provinciam imposuit, ut ejus vitam conscriberet, ne eximia tantarum virtutum exempla oblivione obscurarentur. Quæ utinam Reges omnes, Principesque altissimo pectore defigerent, atque exararent.* Hæc *Odoricus*. Et num. LX, *Obsecutus est*, inquit, *jussis Pontificiis Gaufridus, ac libellum de vita Sancti Ludovici, qui omnium manibus circumfertur, conscripsit, e quo lectiora in Annales suo loco contuli. Decerpsit etiam plura ex eo Naugius.* Vita S. *Ludovici*, quam edidit *Gaufridus*, typis prodiit *Parisiis* anno MDCXVII. Extat etiam apud *Duchesnium Tomo V Scriptorum Francicorum*.

2. *Petro.*) Idem excripsit *Odoricus* supra laudatus. Hujusce Diplomatis meminerunt *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXII. num.* 1, *Fontana Monum. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 101, *Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano I. Parte Septembr. in præfat. pag.* 85.

3. *In.*) Desideratur Apud *Odoricum Raynaldum*.

4. *Nec.*) Quæ sequuntur silentio prætermittit idem *Odoricus*. De his in *Præfatione* disserui.

Patriarcham (1) Jerosolymitanum, ipsiusque suffraganeos de sua electione certiores facit.

Anno 1272 Die 29 Martii.

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXII num. IX.*

II.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchę Jerosolymitano, ejusque suffraganeis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis gloriosę Nativitatis Dominicę latens licet mysterium, patens tamen late pręconium cęlestis pręco humano nunciaturus generi, pręmisso accommodo verborum schemate (3), Deo in altissimis, gloriam retulit, pacem in terra bonę voluntatis hominibus nunciavit. Hęc est nunciatio profecto dignissime veneranda: hęc attentione dignissima quam vere venerabilem reddit nuncium mittentis sublimitas, extollit nunciantis auctoritas, & nunciationis ipsius veritas manifesta commendat. Hęc vera & justa, sed eam non servantibus proculdubio tremenda partitio, qua ore angelico soli Deo attribuitur honor, & gloria, quam solus ipse meretur, qui facit mirabilia magna solus, qua dum bonę voluntatis hominibus pax in terra promittitur, interdicitur impiis, malevolis denegatur. Nulla est enim pax impiis, nulla contemnentibus, sed multa diligentibus nomen Dei. Eorum siquidem, qui mandata ipsius audiunt, pax ut flumen, impii vero, ut mare fervens, quiescere nequeunt, pacis commoda nesciunt, sed discerpentibus vitiis in seipsis dissident, & turbantur,

Exordium.

& re-

& redundantibus ipsorum fluctibus, & in conculcationem diaboli, lutumque peccati, dum per peccatum avertuntur ab eo, qui est pax nostra, quę exsuperat omnem sensum, a pace redduntur per consequens alieni, non immerito, sed ob sua demerita pectoris & temporis pace frustrati. Deus etenim ultionum, exercituum Dominus agens libere, ut retributionem reddat suę, quantum in eis est, detrahentibus glorię superbiendo per peccatorum insolentias, contra ipsos terram commovens, & conturbans, eisque justo judicio pacem tollens, ostendit populo suo dura, propter injustitias suas ipsum humilians, super ipsum inducens terrorem, & rectorem interdum spiritum Principum auferendo subducens, ut non sit qui congreget ab ovili Domini peccatorum aversionibus fugientes, non sit qui errata corrigat, sed, qui est in sordibus, plus sordescat. Hinc itaque, hinc procuidubio provenire creduntur Imperiorum fluctuationes, collisionesque Regnorum, & cuncta guerrarum dissidia, quę animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus, & destructiones inducunt. Hinc cetera non facile numeranda discrimina, & in partibus variis graviter deploranda contritio, & gravis admodum, pudendaque confusio populi christiani. Hinc

Gregorii X electio. diutinę vacationis Sedis Apostolicę dispendium, post felicem sanctę recordationis Clementis Papę, patris, et Prędecessoris nostri, de hoc mundo transitum (4), & corpus ipsius cum debita exequiarum solemnitate reconditum, tanto tempore prorogatum (5), donec Dominus, populi ejusdem peccata dissimulans, & misericorditer ipsius miserias miseratus, dignatus est ipse, qui concordiam in sublimibus operatur, Fratribus nostris sic unanimitatem ad procedendum in provisione Sedis ejusdem facienda concedere, quod miro Dei, & nobis nimirum stupendo consilio, ad imbecillitatem nostram oculos dirigentes, Nos, qui tunc in minori constituti officio, pro salutis nostrę remedio peregrinabamur in partibus transmarinis, ad conscendendam Apostolicę preeminentię Cathedram, & suscipiendum importabile Nobis, non solum ex humanę infirmitatis, sed etiam ex humilitatis nostrę defectu, onus universalis regiminis Orbis terrę, concorditer elegerunt (6), ad inducendum Nos ad id variis ad nostram prędentiam Nunciis (7), & lite-

Ejusdem humilitas. ris (8) destinatis. Nos vero in considerationis examine onus ipsum per hoc nostris imponendum humeris, & opus nostra prosequendum sollicitudine attendentes, nostrarumque metientes virium quantitatem, dispungendo insufficientes virtutum sumptus, & meritorum insufficientiam comparando, eligendum sano consilio putabamus, ut humeri subducerentur ab onere, manus ab opere arcerentur. Verum, ne post ejusdem vacationis tam diffusa, & dispendiosa tempora, obstinata contradictionis reluctatio profusionis dispendii occasionem induceret, Nos non de Nobis, sed de illo solo concepta fiducia, qui dat lapso virtutem, qui solus potest, cum omnis sufficientia sit ab eo, nostram insufficientiam abundantia virtutis suę supplere, in humilitatis spiritu tanti oneris sarcinę imbecilles exposuimus humeros, debiles misimus manus ad fortia, & humiliter colla submisimus jugo Apostolicę servitutis, suppliciter implorantes, ut ipse, qui per hujusmodi vacationem in maris mundi hujus altitudinem nos deduxit, non patiatur ab ipsius tempestate demergi, sed illam Nobis suę potentię dexteram porrigat, quę Apostolorum Principem ambulantem & hesitantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapostolum ejus Paulum, nocte, ac die in profundo maris positum, liberavit. Accedit etiam ad grande nostrę fiducię fulcimentum vestrę conside-

Exhortatio ad Ecclesiarum Pastores. ratio probitatis: speramus namque, ac summopere affectamus, quod, cum sitis in partem tantę sollicitudinis. Nobis singulariter indictę, vocati, sic, auxiliante Domino, commissum vobis ministerium impleatis, ut populum vestrę custodię creditum reddatis Domino acceptabilem, bonorum operum sectatorem. Ad quod universitatem vestram affectuose monemus, & qua possumus instantia exhortantes, humiliter petimus, & rogamus instanter, quatenus vestris orationibus devotis & seduliis nostras manus debiles confortetis, pias preces fundentes ad Dominum, ut in beneplacito Filii sui dirigens actus nostros, Nobis, & vobis, ac ceteris Ecclesiarum Pastoribus sua pietate concedat, sic circa gregem Dominicum cura pervigili noctis observare vigilias, quod in eo mansuetudo superveniat, & correctio subsequatur, reddatur Domino populus christianus voluntatis acceptę, pacis ex hoc procuidubio commodis potiturus. Scimus enim, quod si fecerit ei placidas vias suas, ipse inimicos ejus convertet ad pacem, nec erit qui eum exterreat, sed perfidę gentis terroribus de ipsius finibus profligatis, confidenter in tabernaculis fiducię habitabit, & fiducialiter in requie opulenta quiescet. Nos sane vobis affectum caritativę benignitatis expandimus, & signum caritatis solidę aperimus, proponentes, quantum cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra, & Ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad Nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentię promovere. Datum Laterani IV Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Patriarcham.*) *F. Thomam Agni de Lentino*, Ordinis Prædicatorum alumnum, de quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*. Adeas *Vvaddingum*, mox laudatum.

2. *Odorico.*) Idem exscripsit *Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXXII. num. II pag. 349.*

3. *Schemate,*) *Vvaddingus* scribit: *Stemmate*.

4. *Transitum*. Obiit *Clemens IV* die XXIX Novembris MCCLXVIII.

5. *Prorogatum.*) A XXIX Novembris MCCLXVIII ad diem I Septembris MCCLXXI.

6. *Elegerunt.*) Electionis Decreta leguntur apud *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXI num. VIII, IX, ac X, & Tomo XI Concilior. Labbei ad an. MCCLXXI pag. 923. &c.* Consulendus etiam hac de re *Oldoinus* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXI pag. 184. &c.*

7. *Nunciis.*) Fratribus nempe Prædicatoribus, & Minoribus, a sacro Cardinalium Collegio delegatis ad *Gregorium X*, ut de sua electione certior fieret. Id ex *Parisii Continuatione* docet *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXI. num. V.*

8. *Literis.*) Quibus Fratrum nostrorum, & Minorum (latorum scilicet earundem literarum) laudes celebrant Eminentissimi Cardinales. Hinc exscribantur expedit. Hujus sunt tenoris. *Sanctissimo patri & Domino reverendo, Domino Thealdo, Archidiacono in Ecclesia Leodiensi, Divina providentia in Romanum, & Summum electo Pontificem, miseratione Divina Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, pedum oscula beatorum. Sempiterno splendens lumine ac ineffabili præditus majestate Patris æterni Filius, Dominus Jesus Christus, qui cuncta disponit virtute mirabili, prout sua placet sanctissima majestati, circa sanctam Romanam, & universalem Ecclesiam ita sua continuat benignitatis affectum, & roborat protectionis auxilium, quod nullo unquam turbine vexationis evertitur, nec propter alicujus persecutionis, vel adversitatis instantiam naufragatur. Quinimmo gloriosa incrementa suscipit, & tanquam stella matutina per mundi climata refulgescit, prout multis liquet indiciis, & patet clarissimis argumentis. Nam licet jam dicta Ecclesia post habitum a superno Rege de morte triumphum, & ipsius regressum ad gloriam cælestis patriæ, sui fulgore luminis perenniter illustratæ, fuerit pro diversitate temporum personarum illarum destituta præsidiis, quas ad ejus regimen celsitudo providerat omnium Conditoris, ipsa tamen Ecclesia per successivam substitutionem Romanorum Pontificum, favente supernæ virtutis*

auxilio

auxilio, feliciter habuit perseverantiæ firmamentum. Et quidem diebus istis circa dictam Ecclesiam hoc ipsum virtuti Altissimi dignanter placuit operari, quia pia recordationis Domino Clemente Papa IV dudum de hac luce finibili ad infinibilem evocato, sicut de Redemptoris nostri confidimus pietate, ac ipsius corpore tumulato, nos Missarum solemniis, sicut moris est, ad honorem Sancti Spiritus devotissime celebratis, in unum convenimus ad habendum de Summi Pontificis substitutione tractatum. Quo frequenter habito, & circa tanti profunditatem negotii, cui simile in humanis actibus non cernitur inveniri, diffusi temporis spatio interjecto, ac desideriis eligentium, permittente Domino, in diversa divisis, tandem, Divina propitiante clementia, vota nostra in venerabilem personam vestram unanimiter & concorditer dirigentes, vos per Compromissi viam elegimus in Romanum Summum Pontificem, consueto laudis Divinæ cantico, fidelium astante multitudine, decantato: ducti credulitate firmissima, quod cum in vobis ab annis teneris laudabilis conversationis & vitæ refulserint ornamenta, & odor famæ vestræ gratissimus hinc inde per loca plurima sit diffusus, ille benedictus in secula, qui vos dignanter in suum assumpsit Vicarium, & in christiani populi patrem & dominum gratiosum, de vestris Sanctis dabit provenire meritis, quod, en statum prosperam & jucundum resurgat Ecclesia generalis, ac etiam quod fidei catholicæ gloria, ubique votiva suscipiet incrementa, necnon quod Terræ Sanctæ negotium facilem sortietur effectum, maxime cum sit verisimile, quod Redemptoris nostri benignitas vos ad Terram ipsam voluit illa de causa personaliter pervenire, ut oculata fide visis ejus angustiis, & tribulationibus intellectis, de illo sibi procuretis provideri subsidio ex quo proveniat acquisitionis perfectæ gaudium, a longis retroactis temporibus laudabiliter expectatum. Quid ad ista vir virtutis eximiæ? Vir in oculis Dei & hominum gloriose? Venerabiles, ac providos, & discretos viros latores præsentium, nostros quidem speciales Nuncios cum Decreto electionis canonicæ de vobis concorditer celebratæ ad præsentiam vestram duximus destinandos, supplici precum petentes instantia, & per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus in virtute illius, qui super pennas ventorum ambulat, & in momento cuncta perfecit, prout suæ sanctissimæ voluntatis existit, cessantibus quibuscunque diffugiis, accingatis ad iter adeundi Sedem Apostolicam, sub anxietate multa spiritus constitutam, quousque de clementissima virtute Altissimi sibi proveniat vestram desiderabilem faciem intueri; qua visa stillabunt cæli dulcedinem, & colles fluent lactis & mellis incessabilem ubertatem. Quinimmo ad pedum vestrorum oscula non solum concurret multitudo fidelium numerosa, sed ante vos etiam curvabitur altitudo Principum, & personarum sublimitas inclytarum. Nec mirum, quia, sicut pie confidimus, & devote speramus, vobis habentibus Deum solum præ oculis, & amplectentibus jugiter vitæ studium innocentiæ, vitiorum in malevolis extirpatione præmissa, & plantatione virtutum in benevolis subsecuta, benignitas vestra lætificabit Dei populum in exhibitione justitiæ, ac etiam in condignis gratiis opportuno tempore liberaliter conferendis: miseranda multitudine pauperum ob illam causam habitura de vobis affluentiam gaudiorum, quia ipsorum nomen erit coram vobis amabile, ac eorum animas consolari in vestris existet affectibus speciale. Vobis autem, pater orphanorum, & judex clementissime viduarum, sufficiat istam brevem audivisse particulam de profectibus innumeris, qui proventuri sunt universitati fidelium per vestræ ministerium Sanctitatis, illius favente clementia, qui manna cælestis edulio suum satiavit miraculose populum, & de quinque panibus, ac duobus piscibus pavit quinque millia personarum, duodecim cophinis in augmentum suæ gloriæ superantibus de fragmentis. Istis etenim nostræ devotionis eloquiis cum affectu paterno clementer auditis, virtute Paracliti festinate nos videre fratres, & filios, & consolari corda gementium, quibus in visione vestri vultus angelici, quasi dabitur vidisse delicias paradisi. Reliqua super iis votiva nobis, & christiano populo, vestris infundat præcordiis Spiritus ille Paraclitus, qui discipulorum corda lugentium fuit plenissime consolatus. Extat hæc Epistola apud *Odoricum*, *Vvaddingum*, & *Labbeum* superius laudatos.

Eduardo primogenito Regis (1) Angliæ Fratrem Thomam (2) Agni de Leontino Patriarcham Jerosolymitanum constitutum significat.

Anno 1272 Die 31 Martii.

Ex Petro Maria Campi (3) Histor. Placent. Tomo II in Regesto pag. 417.

III.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio magnifico viro Eduardo, primogenito carissimi in Christo filii nostri .... Regis Anglorum illustris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis causa.

Licet de nostrę promotionis auspiciis in ea forma, qua scribimus aliis catholicis Principibus, Apostolicas tibi literas (4) dirigamus, exigit tamen affectio, quam ad te, veluti filium prędilectum habemus, ut magnitudinem tuam specialium literarum visitemus oraculis, & de successibus, ac processibus nostris habitis, postquam de partibus Terrę Sanctę recessimus, curemus reddere rationem. Itaque, sicut Altissimo placuit, iter nostrum juxta suę miserationis abundantiam dirigenti, nunc lento, nunc veloci navigio sulcatis ęquoribus prospere pervenimus ad portum Brundusii (5), prout ad tuam credimus notitiam pervenisse. Deinde vero continuatis quasi dictis (6) versus Romanam Curiam properantes, ut quo citius ibidem pręsentiam nostram adesse contingeret, eo celerius & efficacius secundum fervens desiderium, quod in mente gerebamus & gerimus, possemus una cum Fratribus nostris dictę Terrę statui providere, nonnullos nobiles Ambasiatores (7) Romanos de Majoribus Urbis intra Regnum Sicilię nobis occurrentes invenimus (8), qui, ut recto tramite declinaremus ad Urbem, apud Nos, & aliquos ex dictis Fratribus, qui tunc in occursum nostrum accellerant, cum maximę supplicationis instantia laborarunt. Pensantes autem, quod Romana Civitas, utpote magna, plenaque negotiis, alia forte nostrum impedientia propositum, vel retardantia saltem ejus effectum, Nobis ibi pręsentibus ingerere potuisset, non annuimus eorum precibus, etiam cum quadam filialis devotionis importunitate porrectis, sed Viterbium, ubi pręfata residebat curia, procedentes, inibi Nobis licet labore defessis, otio subtracto quietis, per octo dies continue, ceteris interim aditu pręcluso negotiis, ad hoc solum studia nostra vigili meditatione convertimus, ut eidem Terrę, quam in extremo reliqueramus necessitatis articulo constitutam, defensionis, & gubernationis auxilium proveniret. Verum, quia non adveniebat plena satisfactio votis nostris, nisi procuraremus apponi consilium de perpetuo ipsi Terrę ministrando subsidio, indiximus (9), cum alias commode fieri non posset, Concilium generale certo termino, Divina coadjuvante clementia, celebrandum. Pro particulari quoque subsidio habendo celeriter in militibus, & galeis (10), venerabilem Fratrem nostrum ...., Archiepiscopum Corinthien. (11) ad carissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem cum efficacibus Apostolicis literis immediate transmisimus, sperantes, quod idem Rex, tanquam benedictionis filius, eidem Terrę compatiens, nostris in hac parte beneplacitis & exhortationibus, specialiter in subventione militum acquiescet; Nosque nihilominus alias, & vias, & modos exquirimus, ac solicitam, quam possumus, operam adhibemus, ut ipsi Terrę propere, dante Domino, succurratur. Ideoque magnitudinem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus jugum oneris Domini pro sui Nominis amore supportans, circa custodiam & defensionem ejusdem Terrę solicite vigiles, & labores, ita quod exinde retributionis ęternę tibi proveniat incrementum, & nomen tuum laudis humanę preco-

Quid e Terra Sancta Viterbium redeunti sibi acciderit narrat.

Generale Concilium indictum

Corinthiensis Archiepiscopus ad Regem Galliæ Legatus.

Encomium F. Thomæ, quem Patriarcham Jerosolymitanum constitutum, significat.

preconiis altius extollatur. Ceterum agat ipsa Terra Deo nostro laudes, & gratias, & in exultationis jubilum devote consurgat, quod sibi de novo athleta fidelis accrevit, pastor utique pervigil, & gregis sibi commissi perutilis gubernator, videlicet venerabilis Frater noster .... Jerosolymitanus Patriarcha, quem tunc Archiepiscopum Cusentinum ad Jerosolymitanam Ecclesiam transferentes, ipsum ibidem in Patriarcham prefecimus & pastorem, in cujus translatione non minus utiliter statui dicte Terre, quam ejusdem Ecclesie regimini, cum existat meritorum claritate conspicuus, virtutibus prefignitus, circumspectionis munere preditus, & per exempla laudabilia fructuosus, speramus, & credimus, providisse. Unde cum ipsum ad eandem Jerosolymitanam Ecclesiam cum Apostolice benedictionis gratia remittamus, sibique, in cujus multiplici bonitate quiescimus, super predictis aperuerimus mentem nostram; credas, quesumus, indubitanter, tanquam ab ore nostro prolata, que circa premissa tibi ex parte nostra referenda duxerit, & sui maturitate consilii suadenda. Datum Laterani II Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo,

1. *Regis.*) *Henrici III*. Hinc disturbatur eorum sententia, qui *Henricum* ab anno MCCLXXI mortuum, & *Eduardum* eodem anno ipsi successisse contendunt.

2. *Thomam.*) De quo *in Appendice ad præsentem Pontificatum*,

3. *Campi.*) Idem partim exscripsit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXII num. II*,

4. *Literas dirigimus.*) Ergo corona Pontificia jamjam redimitus hocce Diploma scripsit *Gregorius*. Id negat *Odoricus* loco laudato *num. 1*. Nec miror, cum in ipsius Exemplari desint hæc verba: *Licet de nostra Promotionis auspiciis in ea forma, qua scribimus aliis catholicis Principibus, Apostolicas tibi literas dirigamus*. Ex his autem invicte probari nostram sententiam, liquet ex *Præfatione*, ubi lato calamo hac de re disseruimus.

5. *Brundusii.*) Urbs est *Italiæ* in Regno *Neapolitano* ad oram maris *Adriatici* sita. Kalendis Januarii huc appulisse *Gregorium*, docet *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXI pag. 177*. Hinc *Beneventum* profectus, per *Capuam*, *Marsos*, & *Sabinos* iter faciens, *Carolo* Rege *Siciliæ* comitante, *Viterbium* pervenit IV Idus Februarias.

6. *Dictis.*) Sic Librarius, lege: *Dietis*, ut apposite scribit *Odoricus*,

7. *Ambassatores.*) Seu Legatos,

8. *Intra Regnum Siciliæ Nobis occurrentes, invenimus.*) Non in *Siciliæ* Insula, quo certe non pervenit *Gregorius*, ut liquet ex *Annotatione V*, Sed in *Neapolitanorum* Regno, quod *Regnum Siciliæ* nuncupabant, ut notat *Morerius in Dictionario Historico*, verbo *Naples*. Sic etiam nunc vocatur Regnum utriusque *Siciliæ*.

9. *Indiximus.*) Vides jam indictum Generale Concilium, ergo jam accepta Tiara, ut in *Annotatione IV* mox dictum fuit.

10. *Galeis.*) Id est *Triremibus*. Quot fuerint docet *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXII num. IV*, ubi hæc habet: *Comparasse .... Gregorium duodecim triremes in Syriæ auxilium docent ejus literæ ad Pisanos, Genuenses, Massilienses, & Venetos datæ, quibus singulis tres militе & commeatu instructas ad Saracenorum piratarum impetus propulsandos quantocius mittere jussit*. Adeas *Oldoinum* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXI pag. 187*.

11. *Corinthien.*) Legationis *Bullam* descripsit *Odoricus* laudatus *numero V*.

Ex Petro Maria Campi loco laudato.

IN eundem modum nobili viro Eadmundo nato carissimi Regis predicti,

IV.

IN eundem modum nobili viro Johanni primogenito dilecti filii nobilis viri .,.. Comitis Britannie,

V.

Anno 1272 Die 1 Aprilis.

Lugdunense secundum Concilium (1) œcumenicum indicit (2), & hac de re Patriarcham Jerosolymitanum certiorem facit.

Ex Bullario (3) Romano in Gregorio X Constitut. I.

VI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarche (4) Jerosolymitano, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Prepositis, & aliis Ecclesiarum Prelatis per Jerosolymitanam Provinciam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Terræ Sanctæ strages, Imperii Constantinopolitani, totiusque Ecclesiæ lugendus status.

SAlvator noster, in cujus ditione cuncta sunt posita, Civitatem Jerusalem videns, & previdens ruituram, flevisse describitur super eam. Et nos itaque, qui Civitatis veri David, Religionis videlicet christiane, circa cujus regimen, non in sufficientia nostre debilitatis, sicut nec debemus, innitimur, sed de sola superabundantia virtutis Divine speramus, non solum scissuras, juxta Prophete vaticinium multiplicatas aperte vidimus (5), sed & ruine magne periculum in subtractione populi Grecorum, qui a Sedis Apostolice devotione, ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima, & vastatione valida Terre Sancte, in subversione morum, que universaliter in Clero graviter obrepsisse videtur, & populo, jam non tam cernimus, quam palpamus; Num possimus non lugere? Num comprimere lacrymas? continere suspiria? vel cohibere singultus? Profecto cum tanta subsit piangendi ratio, planctum declinare non possumus, sed necesse est jam foras exeat, ab olim dum etiam Nos minor status haberet, tanto altius radicatus introrsum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto, facultate vetante, diutius non est efficaciter exire permissus. Exeat igitur, exeat ad fratres, & filios, ut scientes incommodum, ipsumque prudentius estimantes, cooperationis remedio efficacius pro viribus relevent, & planctum pie compassionis officio dulcius consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sic populi, nostre humilitati commissi, spiritualiter, & temporaliter interfectos, diebus, & noctibus lugeamus, quod culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, diluamus? Lugendum siquidem occurrit, quod per subtractionem predictam a Sedis ejusdem unitate subtractos, & in devio positos grandis culpe mors afficit, quod sancte universalis corpus Ecclesie membra, tam nobile eadem gravis admodum, & dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilavit (6), Lugendum & iterum, ac amare dolendum, quod sicut in partibus

trans-

transmarinis non tantum audivimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostrę contrectaverunt, proh dolor! Detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cum jam non tam verbis, quam rebus ipsis, & factis Christianus insultetur ab infidelibus, & dicatur, ubi est Deus eorum? Dum funiculus hęreditatis Domini, eadem Terra Sancta per nefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepide, sic in eisdem partibus Christianus populus immaniter trucidatur, quasi non sit illius adjutor, nec sit qui misereri possit ipsorum. Lugendum & amplius pariter, & horrendum quod cum ille paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in vineam, ille summus agricola, sator bonorum omnium, & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo seminaverit semen bonum, inimicus homo tanta invenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat, quam narrare. Idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quam albescere inveniatur ad messem. Hęc dum ministerio considerationis debitę mentis nostrę presentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda, suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium, & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium, Nos cum fratribus nostris, aliisque viris prudentibus, exacto, & frequenti tractatu prehabito, prout tantę necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio, Generale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis, longeque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum, ut in eo tam circa premissa, quam circa cetera, quę salutem respiciunt animarum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, sedatis discordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & ejusdem Terrę Sanctę statu prospero reparato, hujusmodi scissuras uniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta & restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem ipse, qui novit, & facultatem tribuat ipse qui potest, ut vitiorum, errorumque zizaniis ad comburendum fasciculo alligatis, ad triticum in ejus horreum congregandum, sic in premissis juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus utiliter, quod idem verus ejusdem universalis sponsus Ecclesię ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus, ac ornatam, unam semper habeat, & formosam, ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem, & exaltationem populi christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius, ac felicius, auctore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium, numerandum ab initio instantis Maii ad id duximus deputandum: deputaturi preterea interim aliquos viros tanto ministerio competentes, ad predicandum in Terrę prefatę suffragium salutiferum verbum Crucis, per quod corda Principum, Prelatorum, ceterorumque fidelium inducantur ad subsidium eidem Terrę, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum. Quocirca universitati vestrę per Apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini MCCLXXIV, quas vobis, & aliis pro termino assignamus, in loco, quem licet ad presens subticeamus ex causa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimare, nostro vos conspectui presentetis, ad subventionem necessariam Terrę predictę: solers, & operosum interim studium impensuri, prosequendo favorabiliter, & fideliter adjuvando illos, quos ad hujusmodi prosequendum negotium duxerimus deputandos. Volumus autem quod in vestra Provincia ex vobis, Fratres Episcopi, unus, vel duo remaneant ad ea, quę officium Episcopale requirunt, inibi exercenda, & tam ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere, quam alii, quos ad idem venire Concilium prepeditio forsan canonica prohibebit, Capitula insuper Ecclesiarum omnium ejusdem Provincię tam Cathedralium, quam etiam aliarum, quibus per vos, Fratres, Patriarcha, & prefati Episcopi, ex parte nostra volumus id mandari, cum in eodem Concilio tractanda sint aliqua, quę pertinebunt ad ipsos, ad idem Concilium viros idoneos pro se mittant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, seu indultis quibuscunque personis, Ordini, vel dignitati, seu Collegio sub quacunque verborum forma, vel expressione a predicta Sede concessis, per quę possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari, circa personatum & evectionum numerum, moderamine, quod alias statuit Lateranense Concilium (7), taliter observato, ut nemini liceat illud excedere, sed omnibus, prout libet, arctare. Nullus pomposus, aut inanis glorię quęsitor, sed quilibet sic verę humilitatis cultor appareat, quod & Ecclesię sibi commissę nequaquam onerosus existat. Interim quoque per vos, & alios prudentes viros, Deum timentes, & habentes prę oculis omnia, quę correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilii notitiam deferatis. Et nos nihilominus variis modis, & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia taliter in examen ejusdem deducta Concilii, correctionem, & directionem recipiant opportunam. Nulli ergo, inobedientię notam, & canonicę ultionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quę, Domino prava in directa, & aspera in vias planas sua omnipotentia convertente, cessaverunt, frivolę allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat, sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod & Divinę congruit voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum. Datum Laterani Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concilii necessitas.

Concilium indicit.

1. *Concilium.*) Cujus historiam texuit *Labbeus* Tomo XI *Conciliorum ad annum MCCLXXIV pag.937 &c.*

2. *Indicit.*) *Urebant enim Gregorium graviores curæ, qua tandem ratione afflictas Terræ Sanctæ res ab extrema pernicie non vindicaret modo, sed Saracenorum etiam potentiam prosterneret, ad Ecclesiæ conjunctionem Græcos adduceret, Christianam Religionem diffunderet, deformatos nimium Ecclesiasticorum mores perpoliret, primævumque sanctitatis florem revocaret. Arduam & difficilem suscipiebat provinciam, quam solus perficere non poterat; atque ideo Concilium œcumenicum indixit.*

indixit. Verba sunt *Odorici Raynaldi Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXII num. XXI*,

3. *Bullario*.) Extat etiam apud *Labbeum* loco laudato *pag.919*. Idem inscriptum *Archiepiscopo*, *& Episcopis &c. Senonensis Provinciæ* legitur apud *Odoricum Raynaldum* mox citatum.

4. *Patriarcha*.) *Fratri* scilicet *Thomæ Agni de Lentino*, de quo supra, & in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.

5. *Vidimus*.) Dum esset in *Palæstina*.

6. *Quod sanctæ universalis corpus Ecclesiæ membra tam nobile eadem gravis admodum, & dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilavit*.) Turbatus videtur locus. *Labbeus* hanc vocem *Corpus* abundare notat. *Odoricus* vero sic apposite legit: *Quod sanctum universalis corpus Ecclesiæ membro tam nobili, eadem gravis admodum, & dispendiosa subtractio tanto tempore mutilavit*.

7. *Concilium*.) *Lateranense III Cap. IV.*

Anno 1272 Die 7 Maii.

Compositionem Fratres nostros inter & Episcopum, Capitulum, ac Parochos Barchinonenses, initam confirmat (1).

Ex Arch. (2) Ord. lib. A. fol. 564.

VII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis ... Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Predicatorum Barchinonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EA quę judicio vel concordia terminantur, firma debent, & illibata persistere, & ne in recidivę contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit pręsidio communiri. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod, cum inter vos ex parte una, & venerabilem Fratrem nostrum Episcopum, & dilectos filios Capitulum Barchinonen., ac Rectores Parochialium Ecclesiarum Civitatis Barchinonen. ex altera, super iuribus sepeliendi corpora mortuorum, qui apud Ecclesiam vestram eligunt sepulturam, & quibusdam aliis articulis, dudum orta fuisset materia quęstionis, tandem, bonis viris mediantibus, super his amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in publico instrumento confecto exinde plenius dicitur contineri. Quare pro parte vestra humiliter petebatur a nobis, ut compositionem huiusmodi Apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, (Confirmatio.) compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est, ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacifice observata, & in alicuius prejudicium non redundat, ratam, & firmam habentes eam auctoritate (Sanctio pœnalis.) Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis &c. Datum Lateran. Nonis Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Confirmat*.) De his in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo asservato in Cœnobio *Barcinonensi*.

Anno 1272 Die 16 Septembris.

Fratris Aldemari Ordinis Prædicatorum, & Magistri Fernandi Canonici Zamorensis, Oratorum Regis Castellæ, petita refert, & reiicit (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXII num. XXXIII.

VIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio ... Illustri Regi Castellę, ac Legionis, in Romanorum Regem electo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

(Oratorum Regis petitiones.) DIlecti filii Frater Aldemarus de Ordine Prędicatorum, & Magister Fernandus Canonicus Zamorensis, tui Procuratores, & Nuncii, habentes a te sub tuo sigillo liberum & generale mandatum, ad petendum pro te, ac tuo nomine a nobis, & fratribus nostris sacrosanctę Romanę Ecclesię Cardinalibus, inunctionem, consecrationem, & Imperii coronam, ac assignari tibi diem ad recipiendum easdem, & ad petendum, favorem ipsius Ecclesię tibi medio tempore impendi pro juribus, & honoribus Imperii, prosequendis, & etiam conservandis: ad petendum etiam cum instantia, revocari quicquid in pręjudicium tuum, vel juris in Imperio tibi debiti, post electionem de te factam, & consensum a te pręstitum (a), per aliquem, vel aliquos extitit innovatum circa jura Imperii, vel aliquam ejus partem in tuum pręjudicium, & gravamen, in nostra, & eorundem fratrum pręsentia constituti tuo nomine petierunt, ut te ad recipiendum inunctionem, consecrationem, & coronationem in Imperatorem vocaremus, & assignaremus tibi certam diem, qua venires prędicta omnia recepturus: quodque tibi debitum, & consuetum favorem medio tempore pręstaremus, & hoc faceremus secundum formam, & justitiam consuetam. Dicebant autem, id debere concedi pro eo quod qualis, & a quibus, & sicut, & ubi debuisti, fueras in Romanorum Regem electus, in Imperatorem postmodum coronandus: prędicta quoque secundę petitionis articulum adjungentes, videlicet, ut ea, quę post electionem tuam, & consensum adhibitum circa jura & possessionem Imperii, vel aliquam ejus partem tibi quęsitam, per aliquem, vel aliquos innovata fuerunt, deberent in irritum revocari: cum jure tuo, possessione, vel quasi, privari non debeas sine causa. Tertio petierunt, quod inhiberemus Imperii Electoribus, ut, prima petitione durante, ad aliquem alium non procederent eligendum de facto, cum de jure non possint. Et demum huiusmodi tertiam petitionem nostro arbitrio committentes, protestati fuerunt, quod prędicti Electores ad aliquam aliam electionem procedere non deberent in tuum prędjudicium, & gravamen, & ne contra fieret, Sedem Apostolicam appellarunt, asserentes ex causis se legitimis appellare. Cum autem ad investigationem veritatis super hujusmodi petitionibus, in Consistorio publico cum ipsis tuis Procuratoribus, & aliis juris peritis, eisdem in prosecutione tui juris assistentibus, quasi familiariter conferremus, inter cetera tangebatur, quod clarę memorię Ricardi in Romanorum Regem electi, electoribus non vocatis, vel saltem denuntiatione aliqua non facta eisdem, non erat ad expeditionem petitionum hujusmodi pro-

procedendum, cum eorum videatur specialiter interesse, utpote cum jus eligendi Regem Romanorum, in Imperatorem deinde promovendum, sibi vendicent, & in pacifica esse dicantur ipsius possessione, vel quasi. Ex quo etiam arguebatur, non posse, nec debere inhiberi eisdem, quominus hujusmodi sua possessione libere uterentur, alium, si eis videretur expediens, eligendo. Ex hoc insuper manifesta quędam tua ratio videbatur insurgere, per quam dictę petitiones videntur non esse aliquatenus admittendę, quia si contingeret, easdem petitiones admitti, & interim dictos electores in alium consentire; cum non possemus Electo taliter audientiam sine injuria, & gravi scandalo denegare, cogeremur habitum pro te recensere, & forsan, urgente justitia, revocare processum, quem, petitiones admittendo prędictas, justum videremur antea censuisse. His, & aliis in collationem deductis hujusmodi, receptisque quibusdam allegationibus ab eisdem tuis Procuratoribus, super illis tandem actis, & statu ejusdem negotii solicite repetitis; invenimus per quendam Magistrum de Podio Bonizi, Procuratorem tuum, Articulos diversos oblatos, & ipsum Procuratorem se admitti ad probandum eosdem in Alemannia, Francia, Hispania, Italia, & nihilominus in Curia Romana tuo nomine cum instantia postulasse: ac ipsos, & alios, quos dilectus filius Magister G.... de Corneria Procurator memorati Richardi ejus nomine obtulit, per felicis recordationis Clementem (3) Papam Prędecessorem nostrum de fratrum suorum consilio fuisse, prout facti qualitas suasit, admissos: & tandem, assignato utriusque partis procuratoribus, tui, & memorati Richardi nomine, ad probandum eosdem Articulos termino, propter impedimenta varia circumducto, demum iterato ad multam tuorum specialiter Procuratorum instantiam, ad idem alium prefixum terminum, & in prędicta Provinciis assignata loca, in quibus testium productio fieret, ac examinatores ipsorum nihilominus deputatos. Et quia inter moras, eodem Prędecessore viam universę carnis ingresso, nullus circa probationem eorundem Articulorum, ex premissis habitus est processus, cum nullum de jure sit dubium, juri tuo nihil ex dicti Richardi obitu accrevisse, quia electio tua vires ex post facto non assumpsit, si nequaquam a principio habuisset; nec casu partis alterius fulcimento aliquo indigeret, si rite fuerat celebrata, prędictos Fratrem, & Canonicum, tuos Procuratores publice in eodem Consistorio interrogavimus, utrum vellent prefatis Articulis pro parte tua oblatis insistere, ipsosque probare, an eisdem renunciare, seu ipsis omissis, quasi esset in hujusmodi conclusum negotio, expectare finalem ordinationem ipsius. Verum ipsi dicentes, quod ad ista respondere non poterant, nec debebant, utpote ad petitiones duas primo propositas deputati, & ad instrumenta & chartas, quę habebant, in Curia ostendenda, & ad responsionem super dictis petitionibus audiendam; demum literas, & instrumenta quampluriuin Magnatum de Alemannia, & aliquarum civitatum, & singularium personarum de Italia, ut dicebant, & earundem literarum series prętendere videbatur, in nostra, & eorundem fratrum pręsentia exhibere curarunt: protestantes expresse, quod, & si premissa, ut eorum verba sequamur, facerent coram nobis, tanquam coram judice, qui petita facere poterat, & debebat secundum justitiam consuetam in aliis promovendis ad coronam Imperii a nostris Prędecessoribus observatam; non tamen hoc petebant, nec exhibebant, nec faciebant coram nobis, ut in figura judicii, sed de plano, ad instructionem, & informationem nostram, & fratrum nostrorum super jure tuo, & exhibitione justitię consuetę: ac insuper asserentes, quod credebant ex eisdem instrumentis & chartis exhibitis, & ex iis, quę per ipsos proposita fuerant, coram nobis, & per alios tuos, & Imperii Nuncios, coram nostris Prędecessoribus, a quindecim annis circiter, necnon & ex qualitate facti, quod publicum per famam, immo notorium communiter reputari dicebant, nos, & eosdem fratres nostros super jure, ac justitia tua sufficienter instructos, petierunt, institerunt, & etiam supplicarunt, ut dictas petitiones dignaremur admittere cum effectu, & ad eas utiliter, & celeriter respondere, salvis protestationibus omnibus, quas in hoc negotio ipsi tam in propositione publica, quam privata proposuerunt, in suo robore duraturis: cum tamen frequenter protestati fuissent, quod nequaquam renunciare probationibus intendebant, sed, si opus esset, potius uti eis. Sane, licet nos debitum non urgeret officii, dictos tuos Procuratores instruere, sed juxta qualitatem petitorum respondere sufficeret ad petita, illa tamen, quam ad te gerimus, coegit affectio, ut benigne tecum, & cum ipsis agentes, ne votivam nobis instantis expeditionem negotii, per ineptas petitiones contra nostrum desiderium contingeret impediri, eis premissę primę petitionis ostenderemus ineptitudinem, nec secundę injustitiam taceremus. Siquidem prima petitio cum ipsius negotii decisionem exigat cum protestatione, quod adhuc probationibus uti liceat, se non compatitur, nec cum ipsa concurrit. Sive namque ipsam admitti, sive finaliter & decisive repelli contingeret, post decisum, alterutro modo negotium, nullus profecto locus probationibus superesset, nec probationum facultate pendente: sed demum post renunciationem probationum expressam, vel conclusionem saltem explicitam, seu interpretativam ex jure, sunt negotia finali calculo terminanda. Secundę vero petitionis injustitia procul dubio late patet. Quomodo enim, dum de jure, quod in Imperio tibi asseris acquisitum, pendet examen, procedere juste potest illa petitio, qua pro parte tua petitur, revocari quicquid innovatum est in prejudicium juris tui? Cum illud adhuc incertum sit, & ex incerto judiciorum pendere videatur eventus: maxime cum caveatur in jure petitori, pendente controversia super rei dominio alicujus interim ipsius rei ratione jus aliquod vendicanti, exceptionem obstare, ne majori quęstioni fiat prejudicium per minorem. Porro cum ad Vicariam in Tuscia carissimo in Christo filio nostro Regi Sicilię illustri ejusdem Sedis auctoritate commissam (4), & Potestarias in quibusdam Tuscię ac Lombardię civitatibus a Rege ipso, ejusdem Sedis tolerantia, seu permissione susceptas, ipsius petitionis feratur intentio, prout eam proponentium expressio continebat, expresse supplicantium quicquid circa illas factum fuerit, revocari; ex hoc ejusdem petitionis injustitia evidentius apparebat, quod auctoritatis commemoratio, eidem Regi prestitę, in premissis manifeste docebat. Dudum siquidem dictus Predecessor noster, prudenter attendens, quod cum ad Prelatos omnes & Episcopos maxime spectet, in suis Diecesibus exhortationibus prius, & demum sua jurisdictione, ac auctoritate, revocare ad concordiam discordantes, ad ipsum singulariter pertinebat in universali Ecclesia, cunctave Congregatione fidelium pacem querere, ac ipsam facere diligentius observari, & potissime in eisdem Tuscię ac Lombardię partibus, quę Imperiali destitutę regimine, in iis provisionem ipsius, & dictę Sedis specialiter expectabant; de ipsorum fratrum consilio salubriter ordinavit, ut incolę partium dictę Pro-

Petitiones reiicit.

Provinciæ Tusciæ, ipsi subjectarum Imperio, jurarent, pacem se inviolabiliter servaturos, & eam studerent fideliter observare: non intendens, quod per hoc aliqua sui juris prosecutionem omitteret, sed ut illud non viribus, sed juribus prosequeretur coram judice competenti: ne si quisquam sine sui Magistratus imperio sibi jus dicere propria temeritate præsumeret, pacem Provinciæ, non absque gravi aliorum dispendio, perturbaret. Pacis autem hujusmodi eundem Regem a principio (5) constituens servatorem, deinde ut in commissa sibi Provincia singulis suam reddendo justitiam, pacem melius conservaret, cum pax justitiæ sit opus, & fructus; ipsum, ut haberet exhibendo omnibus justitiæ potestatem, Vicarium sub certa forma in eadem Provincia Tusciæ constituit generalem, & demum, cum post labores innumeros, & expensas non modicas, reductis rebellibus per suum ministerium, toti eidem Provinciæ pax saltem publica proveniret; idem Prædecessor, regiminis Regis ipsius utilitate pensata, patienter toleravit, seu non indigne permisit, eundem Potestariæ officium in Civitatibus Lombardiæ, quæ illud sibi offerrent, licite recipere, ac libere, prout suaderet justitia, exercere: potissime cum secundum conventiones (6) habitas inter Ecclesiam & ipsum in concessione Regni Siciliæ sibi facta, ipsas recipiendi facultas non adimatur eidem; dum tamen in majori parte ipsius Provinciæ dominium non præsumeret usurpare. Injuste itaque dicebantur innovata, & proculdubio petebantur injustius, maxime tuo nomine, cum de jure tuo nondum constet, ut prædicitur, revocari ea, quæ tanti auctoritate Prætoris, ex causa tam rationabili sunt concessa. Ceterum memorati tui Procuratores, & Nuncii, super iis patenter & diligenter admoniti, explicite responderunt, quod prædictas petitiones nec moderari poterant, nec etiam variare, utpote certo a te super illis mandato recepto. Regalis igitur excellentiæ circumspectio colligat, quæ de præmissis, exigente justitia, responsio subsequatur: cum primam earundem petitionum, tanquam sibi contrariam & ineptam sua ineptitudo repellat. Secundam vero, velut evidenter injustam justitia manifesta confutet. Et ideo ipsas, quantumcunque tui zelemus honoris augmentum, considerato ejusdem statu negotii; de ipsorum fratrum consilio, non duximus admittendas. Datum apud Urbem veterem XVI Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Reiicit.*) *Miserat enim Alfonsus*, verba sunt *Odorici* ad annum MCCLXXII num. XXXIII, *sublato e vivis Richardo Imperii æmulo, ad Summum Pontificem oratores, qui suo nomine flagitarent, ut ipsum ad Imperiale Diadema solemni ritu conferendum vocaret, omninque gesta, quæ ipsius detrahebant dignitati, rescinderet, cum servatis omnibus juris circumstantiis in Regem Romanorum electus esset: tum Principes Electores electionem aliquam novam moliri vetaret. Denique, ea re Apostolicæ Sedis judicio permissa, publice professi sunt Castellæ Regis Oratores, se ad eandem Sedem, ne Electores aliquid novi in ipsius damnum pertentarent, provocare. Quæ cum in Cardinalium consessu agitarentur, visum est decidi rem non posse, nisi Richardi Electoribus excitis, cum ad eos de eo eligendo, qui in Imperatorem ungendus erat, pertineret. Cum vero integra eorum essent jura, posse ad electionem alterius convenire. Quod si facerent, atque interea Pontifex Castellæ Regem corona Imperiali redimiret, gravissimam discordiam emersuram, ac forte, æquitate cogente, latam sententiam rescissum iri. Ceterum quod Richardus sublatus e vivis esset, nullum ipsius causæ novum jus adjectum, ac nature adhuc Imperialem in illo dignitatem, si ab ipso principio non justis suffragiis delata Alfonso fuisset.*

2. *Præstitum.*) Id totum paucis docet *Henricus Stero* apud *Odoricum* ad annum MCCLVII num. II. *Principes Regni*, inquit, *pro eligendo Rege tandiu habitis diversis conventibus tandem diffinitivum electionis diem in octava Epiphaniæ statuerunt in Frankefurt celebrandam, ubi dum quidam convenissent, Moguntinus, & Coloniensis Archiepiscop., & Ludovicus Comes Palatinus Rheni, & frater suus Dominus Henricus Dux Bavariæ in Richardum fratrem Regis Angliæ convenerunt, & electus ab ipsis, subsequenter in die Ascensionis Domini apud Aquisgranum in Regem ungitur, & potenter in Regni solio collocatur. Dominus autem Trevirensis Episcopus, cum aliis quibusdam Principibus consentire nolens electioni prædictæ, in media quadragesima fretus literis, & auctoritate Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum Brandeburch, & multorum Principum, elegit Dominum Alfonsum Regem Hispaniæ, qui electioni consensit, persuasus a Regibus, & Principibus, & amicis.*

3. *Clementem.*) *IV.* Consulenda Diplomata, quæ habet *Odoricus ad annum MCCLXVII a numero XXII ad XXXII.*

4. *Commissam.*) *Carolum* Imperii Vicarium in *Hetruria* anno MCCLXVIII constitutum fuisse, probat *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad eundem annum num. VI*, citans *Epistolam CCCCLXXV Libri IV Clementis IV.*

5. *A principio.*) Ab anno scilicet MCCLXVII, ut liquet ex Diplomatibus quæ laudat *Odoricus ad eundem annum numero IV.*

6. *Conventiones.*) Ipsas ex *Bulla aurea* recenset *Bzovius ad annum MCCLXV num. III.*

Anno 1272
Die....

F. Petro (1) de Tarentasia, ut Archiepiscopatum Lugdunensem (2) accipiat.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccles. ad An. MCCLXXII num. LXVIII.

IX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Petro Electo Lugdunensi, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratris Petri.

Conceptum in nobis ab olim de te, fili, signa evidentia formarunt, quod vir virtutis existas, & in persona tua ille, a quo cuncta data sunt optima, multa dona congesserit, per quæ in conspectu ejus acceptus redderis, & in oculis hominum gratiosus haberis. Ideoque opportunitate concessa, conceptum hujusmodi producere intendentes in partum, ne talenta tibi credita per humilitatem latus, quasi suffossa remaneant, sed ea tanquam fidelis servus, & prudens, multiplicata credenti tenore duplicato præsentes, te in eminentioris gradus loco putavimus collocandum, ut, velut accensa lucerna supra candelabrum posita, per virtuosorum exempla operum, & laudabilis doctrinæ ministerium ingredientibus in domum Domini præbeas lumen vitæ. Propter quod Lugdunensi Ecclesiæ tunc vacanti, te, de Fratrum nostrorum consilio, in Archiepiscopum præfecimus, & pastorem: in quo sic corpori, majoris oneris, & laboris moles imponitur, quod menti spes fecundioris retributionis offertur. Non igitur laborum certamen deterreat, sed magnitudo potius præmiorum oblectet: præsertim cum tanquam expertus intelligis, quam leve sit onus Domini, jugumque suave, quod ad bonum tibi ab adolescentiæ (3) teneritate portasti, cumque merces laboris (4) debeatur, elaborandum est tibi solicite, ut possis cum Apostolo gloriari, te, quantum conceditur ex alto, plus aliis laborasse. In remissionem itaque tuorum peccaminum suademus, ut vocationi Domini, per cujus contemptum ipsius in te posses iracundiam provocare, nullatenus contradicas: sed illi prompte consentiens, eandem Lugdunen. Ecclesiam adeas, ipsiusque regimen sub spe Omnipotentis, & no-

Mandatum.

& oostri fiducia fecure fufcipiens, ejus adminiftrationem in fpiritualibus, & temporalibus ad fa-lutem populi tibi commiffi, & tuam, exerceas confidenter: fciturus, quod nos in tuia, & Ecclefię prę-dictę neceffitatibus, quantum tibi eum Deo poterimus, conftanter adeffe proponimus, & tanquam ma-nuum oostrarum operi auxiliatricem dexteram libeotiffime porrigemus (5).

1. *Petro.*) *De Tarentafia* ab originis fuæ loco nuncupatus. Alumnus, ac femel & iterum Provincialis fuit Provinciæ Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum; tum Archiepifcopus *Lugdunenfis*, dein S.R.E. Cardinalis & *Oftienfis* Epifcopus, ac tandem Summus Pontifex, *Innocentius V* vocatus. *Cum vero*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Ecclefiaft. ad an. MCCLXXII, num. LXVIII, *ad Ecclefiarum optimum regimen maximi interfit, viros probitate confpicuos earum gubernaculis admovere, fingulares curas in evehendis ad dignitates ecclefiafticas viris fcientia, & fanctitate infignibus collocavit (Gregorius X). Ita .... Petrum a Tarentafia, facra Prædicatorum familia Religiofum, virum gerendis quibufque maximis muneribus virtutibus parem, Lugdunenfem Ecclefiam gerere juffit: ad quem in Ms. Vallicellano Codice extant data literæ, quibus ipfum ad zelum pro divina augenda gloria explicandum, munafque obeundum eft adhortatus.* Adeas Echard Tomo I *Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXVI pag. 350 &c.*

2. *Lugdunenfem.*) Morem geffiffe *Petrum*, ac *Lugdunenfis* Ecclefiæ curam fufcepiffe, liquet ea Inftrumento quod exfcripfere *Dacherius in Spicilegio Tomo VIII pag. 210*, & *Claudius Francifcus Meneftrier in Hiftoria Lugdunenfi*. Hujus tenoris eft. *Nos F. Petrus Divina miferatione Prima Lugdunenfis electus, notum facimus univerfis, quod cum nos excellentiffimo D. N. Philippo ejufdem gratia Franciæ Regi illuftriffimo offeremus fidelitatem debitam, dictum fuit nobis ex parte dicti D. Regis, quod nobis non licuit gerere adminiftrationem bonorum temporalium Ecclefiæ Lugdunenfis circa Sagonam, ante exhibitionem fidelitatis prædicta. Ad quod refpondimus, quod proximus Prædeceffor nofter &c. & alii Prædeceffores noftri gefferunt, & adminiftraverunt prædicta bona temporalia antequam excellentiffimis DD. Franciæ Regibus fidelitatem debitam exhiberent &c. Actum Die veneris poft Feftum B. Andreæ Apoftoli Anno Domini MCCLXXII*, Die nempe II Decembris an. MCCLXXII, nam Litera Dominicalis fuit hoc anno *B.*, uti notat *Echard fupra laudatus, pag. 351*, ubi illud Inftrumentum tranfcribit.

3. *Adolefcentia.*) Hinc a puero *Petrum* nomen Ordini Fratrum Prædicatorum dediffe certo certius eft.

4. *Laboris.*) Forfan: *Labori*.

5. *Porrigemus.*) Ubinam, quo Anno, quove die datum fit Diploma non legitur apud *Odoricum*. Anno MCCLXXII circa Pentecoften Archiepifcopum *Lugdunenfem* affumptum fuiffe *Petrum*, docet *Echard* loco citato. Fuit Pentecoftes hoc anno XII Junii. Hoc certe munere donatus erat *Petrus* anno MCCLXXII ante menfem Decembrem, uti videre eft ex Inftrumento fuperius exfcripto. Quandonam inauguratus fit, non produnt tabulæ *Lugdunenfes*.

Abbati de Pamia (1), ne quis Fratres Prædicatores Provinciæ Provinciæ moleftiis afficiat.

Anno 1273 Die 1 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

Gregorius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati de Pamia, Tolofanę Dięcefis (3), Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

Exordium.

SUb Religionis habitu vacantibus ftudio pię vitę ita debemus effe propitii, ut in Divinis benefactis exequendis malignorum non poffint obftaculis impediri. Cum itaque dilecti filii Prior Provincialis & Fratres Ordinis Prędicatorum in Provincia Provincię a nonnullis, ficut accepimus, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, graves patiuntur injurias, nos volentes, & eorundem Prioris & Fratrum providere quieti, & perverforum malitiis obviare, difcretioni tuę per Apoftolica fcripta mandamus, quatenus Priorem & Fratres prędictos, pro noftrę & Apoftolicę Sedis reverentia, favoris opportuni pręfidiis profequaris, moleftatores ejufmodi per cenfuram Ecclefiafticam, appellatione poftpofita, compefcendo. Non obftante, fi aliquibus a prędicta Sede fit indultum, quod interdici, fufpendi, vel excommunicari non poffint, per literas Sedis ejufdem, quę de indulto hujufmodi plenam & expreffam non fecerint mentionem. Attentius provifurus, ne de iis, quę caufę cognitionem exigunt, vel quę Indulta hujufmodi non contingunt, te aliquatenus intromittas. Nos enim, fi fecus pręfumpferis tam prędentes literas, quam etiam proceffum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujufmodi ergo mandatum noftrum fic fapienter, & fideliter exequaris, quod ejus fines, quomodolibet non excedas, prędentibus poft triennium minime valituris. Datum apud Urbem veterem Kalendis Februarii, Pontificatus noftri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Pamia.*) Seu *Appamia*, & *Pamea*, vulgo *Pamiers*, in *Occitania*. Abbatem illum *S. Antonini de Pamia*, mortuo *Raymundo de Falgario*, fuffectum effe in protectorem Fratrum noftrorum, notat *Percinus Monumen. Conventus Tolofani Seculo I ad annum MCCLXXII pag. 61 col. II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Tolofæ* affervato. Ejufdem meminit *Percinus* mox laudatus.

3. *Diœcefis.*) Nunc Epifcopalis Sedes eft urbs *Appamienfis*.

Lugdunenfem Populum F. Petro (1) Ordinis Prædicatorum Archiepifcopo electo, Decano, & Capitulo Lugdunenfis Ecclefiæ reconciliandum curat (2).

Anno 1273 Die 10 Aprilis.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Ecclefiaft. ad an. MLCCXXIII num. XXIV.

XI.

Gregorius Epifcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Civibus & Populo Lugdunenfi, Salutem, & Apoftolicam Benedictionem.

Exordium.

PAternę follicitudinis incumbit officio nunc arguendo monitionibus, nunc correctionibus increpando, difcordantes filios ad concordiam revocare &c. Noftis quidem, quid ftatus Ecclefię Lugdunenfis, quidve illi juris, quid jurifdictionis in civitatem Lugdunenfem & cives competat, Nos non latet. Quantum autem in pręmiffis exceffėritis contra eam, vos ipfi fatis advertitis, fi hoc, ficut decet, in cordis arcano vertatis. Nec enim credimus, nec credere poffumus, vos fic penitus abjuraffe judicium, quin vo-

Increpat populum Lugdunenfem.

Canonicus Lugdunensis fuit Gregorius.

voluntatis impetum rationabilis discussionis saltem interdum subiicientes examini, vestros circa premissa tam graves, tam notorios attendatis excessus, consideretisque prudenter, quod, cum nos eadem Ecclesia dudum in minoribus officiis constitutum, suis, tanquam illius Canonicum, iactarit uberibus, graviter proculdubio mentem nostram tam grandes iniurię matris afficiunt, & in illius molestiis non immerito molestamur, cum inter vos, tanquam ejusdem membrum Ecclesię in multa familiaritate non modicum tempus egeramus, compassione vobis speciali compatimur, dum in gravia vestrarum animarum pericula, & corporum, rerumque dispendia corruisse videmus: cum multi hoc Nos non ignorare considerent, proculdubio rationabiliter admirantur, quod in iis nondum correctionis apposuimus dexteram, nondum saltem justitię remedia festinavimus adhibere &c. Quia tamen de carorum utilitatibus agitur, & tam ipsi Ecclesię, quam vobis specialiter expedire putamus, ut per humilitatis & pacis semitas ad ejusdem Ecclesię gremium redeatis, dilecti filii Lugdunensis Electi, ac eorundem Decani, & Capituli ex hoc plenius & solidius benevolentiam habituri, a ceptis non putavimus desistendum: sed adhuc sedulis monitionibus insistentes, quo frequentius, eo ferventius universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, vobis nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus consultius attendentes manifestam memoratę Ecclesię justitiam, & iniurias, & damna eidem illata, qua decet, attentione pensantes, inconsultos motus freno prudentię refrenetis &c. Datum Viterbii IV Idus Aprilis..... (4).

1. *F. Petro.*) De *Tarentasia*, de quo in *Annotatione I* ad penultimam Bullam.

2. *Curat.*) *Cum enim subortum esset inter Lugdunenses ac principis Ecclesiæ Clerum, cujus dominationi se subduxerant, gravissimum dissidium, censurisque a Decano desixi Clericos divexassent, ac missis ad eos conciliandos Cluniacensi & Casæ-Dei Monasteriorum Abbatibus, controversia sopiri nondum potuisset, connisus est Gregorius hisce literis, cives ad æquitatis rationem adducere.* Hæc *Odoricus* loco laudato.

3. *Odorico.*) Ex *Codice Vallicellano signato litera C numero XIIX pag.* 133. Dolendum tamen quod partim duntaxat illud exscripserit *Odoricus*.

4. *Aprilis....*) Adderem: *Pontificatus nostri Anno Secundo*; Anno siquidem MCCLXXIII datum fuisse Diploma, docet *Odoricus*.

Anno 1273 Die 20 Aprilis.

Inquisitoribus (1) agenda præscribit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum Inquisitoribus hereticę pravitatis in Regno Francię deputatis auctoritate Apostolica, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

PRę cunctis nostrę mentis desiderabilibus catholicę incrementum fidei affectantes, nimis utique dolore replemur, cum audimus aliquos, vel sentimus ad illius depressionem, qualicumque malignitate, satagere, vel damnabilibus ipsam depravando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, seu commentis eandem mendacibus pervertendo; ad quorum iniqua consternenda molimina, eo animosius aspiramus, quo in animarum stragem perniciosius eos cognoscimus conspirare. Sane, licet ubilibet Sedis Apostolicę diligentia contra talium dolosam astutiam, ne diffusius hujusmodi serpat morbus, libenter remedium adhibeat opportunum, in christianissimo tamen Regno Francię, in quo pręcipue fides Catholica vigere dignoscitur, cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius convalescat, vigilare ad hoc per nos, & per alios, eo studemus attentius, quo carissimum in Christo filium Nostrum Philippum (3), illustrem Francorum Regem, ferventiorem sentimus ad idem negotium efficaciter promovendum. Providimus igitur ibidem ad pręsens personas aliquas circumspectas pro tanto negotio deputari, quarum honesta conversatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia salutarem, ut sacro ipsarum ministerio pręfatum Regnum immune prorsus ab hujusmodi contagiis pręservetur. Ut autem Inquisitionis officium contra hereticos in pręfato Regno auctoritate Apostolica possit efficacius adimpleri, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, prędictum officium, quod Apostolica vobis auctoritate committimus, in dicto Regno, Comitatibus & terris carissimi in Christo filii nostri Christianissimi Regis (4) Sicilię illustris, & Provincię Comitis, duntaxat exceptis, simul, vel separatim, aut singulariter, prout negotii utilitas suadebit, sub spe mercedis ęternę sic efficaciter prosequi & exequi studeatis, ut per sollicitudinis vestrę prudentiam de Regno ipso radix iniquitatis hereticę, si qua est in aliquibus ejus partibus, succidatur, & vinea Domini, exterminatis vulpeculis, quę perversis morsibus demoliuntur eandem, fructus afferat catholicę puritatis. Si quos autem de pravitate prędicta culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, contra ipsos, nisi examinati absolute velint mandatis Ecclesię obedire, necnon & contra receptatores, defensores, & fautores eorum juxta sanctiones canonicas, auctoritate Apostolica, hominum metu divino timori postposito, procedatis. Non obstantibus aliquibus literis ad quoscunque alios de Regno ipso, exceptis locorum Dięcesanis, & Inquisitoribus pravitatis ejusdem, in Comitatibus & terris prędictis, a Sede deputatis eadem, super hujusmodi negotio, ab ipsa Sede directis, quarum deinceps ad inquisitiones hujusmodi faciendas nolumus, quin immo, ne procedatur per illas, districtius inhibemus, nec pretextu commissionis specialiter eisdem Dięcesanis super hoc factę vestros processus in Dięcesanorum Civitatibus, & Dięcesibus, volumus impediri. Nec per hoc quod fidei negotium generaliter in ipso Regno vobis committimus, commissiones a pręfata Sede Dięcesanis eisdem factas, si forsan illarum, seu etiam ordinaria velint auctoritate procedere, intendimus revocare. Verumtamen sive auctoritate ordinaria, sive ex delegatione prędictę Sedis, iidem Dięcesani in hujusmodi negotio processerint, nequaquam volumus vel per concursum processuum, vel alias quomodolibet, vestros impediri processus, quin, Dięcesanorum ipsorum processibus non obstantibus, in eodem negotio procedere libere valeatis. Si vero aliqui ex prędi-

Fidei Censores constituti in Galliis.

Clausula derogans.

γ

Deponentes errores a Censuris solvendi.

prędictis, hęretica labe penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis, juxta formam Ecclesię, absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem quod injungi talibus consuevit; proviso solerter, ne simulata conversione redeant fraudulenter, & vos, immo potius se ipsos fallentes sub agni specie gerant lupum.

De Diœcesanorum consilio in hæreticos animadvertendum.

Quod si aliqui fuerint judicandi hęretici, vel incarcerationis pęna perpetuę alicui pro hujusmodi crimine fuerit infligenda, ad id per vos de Dięcesanorum, vel Vicariorum suorum, si, ipsis Dięcesanis absentibus, pręsentes fuerint, consilio procedatur, ut in tantę animadversionis judicio non postponenda Pontificum auctoritas intercedat.

Quinam, & quomodo testes sint adhibendi.

Verum quia in tam gravi crimine cum multa oportet cautela procedi, ut in reos sine ullo proferatur errore durę ac dignę severitas ultionis, volumus & mandamus, ut vos, vel illi, quos ad hoc duxeritis deputandos, in examinatione testium, quos recipi super crimine prędicto, ipsumque contingentibus, oportuerit, adhibeatis duas religiosas & discretas personas, in quarum pręsentia per publicam, si commode poterit haberi, personam, aut per duos viros idoneos fideliter eorundem testium depositiones conscribantur.

Tabelliones, etiam Sacerdotes, immo Religiosos, Inquisitor creare potest.

Ad conscribendas quoque hujusmodi depositiones testium, & ad faciendum omnia, quę in commisso vobis officio ad Scrinarii, seu Tabellionis officium pertinent, teneri districte pręcipimus, cum per vos, seu per deputatos ad hoc a vobis, requisiti fuerint, omnes ac singulos vestri Ordinis Fratres, qui dum essent in seculo hujusmodi Tabellionatus officium habuisse, & exercuisse noscuntur, & illos etiam, quibus idem Tabellionatus officium ratione pręfati negotii fidei fuit a prędicta Sede commissum, & in posterum committetur; concedentes hujusmodi Fratribus, necnon & aliis Religiosis quibuslibet, qui similiter dum essent in seculo dictum Tabellionatus officium habuerunt, & exercuerunt, quibuscunque etiam Ecclesiasticis secularibus, officium ipsum habentibus, etiam si iidem Fratres, & Ecclesiastici sint in sacris Ordinibus constituti, exercendi libere officium ipsum, quoad premissa, non obstante aliquo contrario statuto Canonis, vel Ordinis, quocunque vallato munimine, plenariam facultatem. Quod si Testibus, quos a vobis recipi, vel ab alio vice vestra super eodem crimine examinari contigerit, ex publicatione nominum eorundem videritis periculum imminere, ipsorum nomina non publice, sed secrete coram aliquibus personis providis, & honestis, religiosis, & aliis ad hoc vocatis, de quorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus, exprimantur. Et sic, non obstante quod illis, contra quos hujusmodi testes deposuerunt, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem judicis instruendam adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem.

Plura decernit, & Inquisitores privilegiis donat.

Ut ergo commissi vobis Officii debitum utilius, & liberius, exequamini, committendi citationes, testium examinationes, cum de hujusmodi crimine, ac ipsius circumstantiis duxeritis inquirendum, Ita tamen quod eidem examinationi duę personę Religiosę, ut dictum est, intersint, & ad denuntiationes sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, accersiendi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis, in ferendis hujusmodi sententiis, prębeant consilium opportunum, ac vobis assistant, convocandi etiam Clerum & populum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, prout dicto negotio fidei videritis expedire; insuper in dicto negotio, de plano & absque judiciorum & advocatorum strepitu, ac contra illos, quos in prędicto Regno, in hęreticos crimine commisisse constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi, nec non faciendi vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quibus inquisitiones factę, & processus per quoscunque auctoritate Sedis Apostolicę, vel Legatorum ejus habiti contra hęreticos continentur, a quibuslibet assignari, & observari omnia statuta provide edita, tam per Sedem Apostolicam, quam in Conciliis Legatorum ejusdem Sedis, ac etiam in forma pacis (5) olim initę inter Romanam Ecclesiam & clarę memorię Regem (6) Francię ex una parte, & quondam R... (7) Comitem Tolosan. ex altera, quę negotium fidei tangere dignoscuntur, sicut promotioni negotii, ac augmentationi fidei fuerit opportunum, privandi pręterea de Dięcesanorum, vel, eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, hęreticos eosdem, credentes (8), receptatores, & defensores, eorumque filios & nepotes, personatibus, dignitatibus, & beneficiis ecclesiasticis, & officiis publicis, ac honoribus quibusdam (9); necnon largiendi viginti, vel quadraginta dierum Indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere pęnitentibus & confessis, qui ad vestram convocationem, propter hoc faciendam, accesserint, plena sit vobis, & singulis vestrum, pręsentium tenore, facultas.

Indulgentia concessa.

Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quę succurrentibus Terrę Sanctę in Generali Concilio (10) est concessa; Sociis vero Fratribus vestri Ordinis, & Notariis vestris, qui una vobiscum in prosecutione hujusmodi negotii laborabunt, & omnibus, qui personaliter vobis astiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hęreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, vobis ex animo pręstiterint consilium, auxilium, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, tres annos de injunctis sibi pęnitentiis relaxamus. Et, si qui ex iis in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam veniam indulgemus.

Quæstuarii compescendi.

Compescendi prętarea, monitione prę-missa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, prędicatores quęstuarios, ubi contigerit pro Inquisitionis, seu fidei negotio congregationem fieri, vel alias eidem negotio quomodolibet ex hoc impedimentum afferri, & prędicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, quorum interest tantum caritativa subsidia simpliciter petere, & Indulgentiam, si quam forte habent, exponere, liberam vobis & singulis vestrum concedimus, auctoritate pręsentium, facultatem. Ceterum si forte, quod non credimus, aliqui cujuscunque conditionis huic negotio, vobis commisso, se opponere, seu illud prępumpserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi libere in eodem, contra eos tanquam contra hęreticorum fautores, & defensores: contra illos vero, qui idem negotium requisiti, juxta officium, & posse suum, non juverint, seu foverint studiose, freti eadem auctoritate intrepide procedatis, secundum canonicas sanctiones. Denique, ut circa pręmissa plene vobis & singulis vestrum cohęrentius expedita, & inviolabilis adsit auctoritas, volumus, ut ea omnia viriliter exequamini, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Clausula derogans.

Non obstantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, quibuscunque personis cujusvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis, vel Ordinis, & pręsertim Cistercien., Prędicatorum, Minorum, seu Eremitarum, sive Communitatibus, vel universitatibus Civitatum, ac locorum specialiter, vel gene-

generaliter, sub quacumque verborum expressione, vel forma, a memorata Sede concessis, vel in posterum concedendis, etiamsi dicatur in illis, quod eis per aliquas literas, totum de verbo ad verbum tenorem non continentes privilegiorum, vel indulgentiarum ipsarum, nequeat derogari, & illis maxime privilegiis, & indulgentiis, quibus ab ipsa Sede concessum est, seu concedetur deinceps, quod excommunicari, vel ipsorum terræ supponi non possint ecclesiastico interdicto, aut quod prædictorum, vel aliorum quorumlibet Ordinum Fratres ad executiones negotiorum & ad excitationes quorumlibet, sive denuntiationes sententiarum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate literarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum Ordinibus, & privilegiis, vel indulgentiis, eis super hoc a Sede concessis eadem, habeatur in eisdem literis mentio specialis; cum ex hujusmodi, vel aliis privilegiis, vel indulgentiis, nullum vobis, in tantæ pietatis negotio, volumus obstaculum interponi, & constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datum apud Urbem Veterem XII Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Inquisitoribus.*) Dicetur in *Dissertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Tolosano*. Illud exscripsit *Percinus Monument. Convent. Tolosani Parte II pag.98*. Idem asservari *Remis in Gallia*, testatur *Gonzalez* in *Summario Privilegior. Ord. Prædicatorum pag.43*. Ejusdem fere tenoris quædam habes superius, quia tamen istud ab aliis in nonnullis differt, hinc exscriptum fuit.
3. *Philippum.*) III, quem *Audacem* vocant. Patri suo *S. Ludovico* successerat ab anno MCCLXX.
4. *Regis.*) *Caroli I*, de quo sæpius supra.
5. *Forma pacis.*) Legitur ad calcem *Tomi V Scriptorum Francicorum Duchesnii*.
6. *Regem.*) *S. Ludovicum.*
7. *R...*) *Raymundum Juniorem.*
8. *Credentes.*) De quibus in *Annotatione XLII ad Diploma XXXI Octobr. MCCXLIII.*
9. *Quibusdam.*) Forte: *Quibuscumque.*
10. *Concilio.*) *Lugdunen. I cap. XVII.*

Anno 1273 Die 7 Maii.

Ædes sacras Sancti Adalberti, aliaque nobis ab Episcopo Vvratislaviensi (1) dono data, confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prædicatorum Vvratislavien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. CUm a Nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra, Nobis exhibita, continebat, quod bonæ memoriæ Laurentius Vvratislaviensis Episcopus, ad Ordinem vestrum pium habens respectum, Ecclesiam S. Adalberti, tunc per liberam resignationem Rectoris ipsius vacantem, ubi nunc estis divino obsequio mancipati, cum adjuncto sibi fundo, Capituli sui ad id accedente consensu, proinde vobis, & Ordini vestro libertate concessit, quasdam alias hujusmodi concessioni conexas adiciens libertates, prout in patentibus literis, inde confectis, dictorum Episcopi, & Capituli sigillis munitis, plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super his pie, ac provide factum est, ratum, & firmum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Datum apud Urbem Veterem Nonis Maii, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Confirmatio.

1. *Vvratislaviensi.*) vulgo *Breslavv*. Urbs est *Germaniæ*, Provinciæ *Silesiæ* caput, Episcopalis sub Archiepiscopo *Gnesnensi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Vvratislavien.*

Anno 1273 Die 21 Maii.

F. Johanni Viterbiensi (1), ut Pisanos a censuris ecclesiasticis solvat (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIII num. XXXIII.

XIV. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Johanni de Viterbio, Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis causa. OCcasione consilii, auxilii, & favoris, quæ cives, civitas, & commune Pisan. contra monitiones, inhibitiones, & comminationes felicis recordationis Clementis (4) Papæ Prædecessoris nostri, olim Conradino (5), Friderici dudum Romanorum Imperatoris nepoti, eidem pertinaciter adhærendo, diversimode præstiterunt: & quia carissimum in Christo filium nostrum Carolum (6) Regem Siciliæ illustrem, primo paciarium (7), & postmodum Vicarium Imperii per Romanam Ecclesiam in Tusciam destinatum, non solum recusarunt admittere, verum etiam se illi opponere, ac illum impugnare multipliciter præsumpserunt: primo per Prædecessorem eundem, ac varios Apostolicæ Sedis Legatos & Nuncios, & postmodum per Nos ipsos, in Potestatem, Capitaneum, cives Pisanos, & ceteros, quorum consilio, vel assensu, prædicta facta fuerunt, diversæ tam excommunicationis, quam interdicti sententiæ sunt prolatæ, variis nihilominus pœnis adiectis, & processibus aliis habitis contra eos, sicut apertius tam eorundem Prædecessoris, Legatorum, & Nunciorum, quam nostrorum etiam processuum series manifestat. Verum

Supplex Pisanorum petitio. iidem cives, tangente Domino cor ipsorum, post multiplices in prædictis variorum excessuum culpas, magnæ humiliationis indicia prætendentes, ejusdem matris Ecclesiæ misericordiam continuata diutius instantia implorarunt, oblatis devote insistentes supplicationibus, & devotionis, ad eandem Ecclesiam irrevocabiliter observandæ, oblationibus supplicantes, ut eos ad sinum ejusdem matris Ecclesiæ, a qua ipsi sua, quam recognoscebant humiliter, perversitate, recesserant, sola miseratio materna reduceret, & circa filios pœnitentes super exaltata judicio benignitas piæ matris, quoad sententias, pœnas, & processus etiam memo-

memoratos, misericorditer provideret &c. (8). Nos itaque in pręmissis, qua decet, diligentia providere volentes, restitutionem Archiepiscopalis dignitatis, qua, eorundem civium culpis exigentibus, fuerunt dicta civitas & Ecclesia Pisana privatę, nobis specialiter reservantes, sententias latas, vel processus habitos contra eos, quoad Insulam Sardinię, seu quamlibet ejus partem, & jus ex eisdem, vel quibuslibet aliis sententiis, vel processibus Romanę Ecclesię, quibuslibet aliis Ecclesiis, vel universitati, aut cuicunque singulari personę in eadem Insula, vel ipsis aliis Ecclesiis, universitatibus, aut singularibus personis in quibuscunque locis, rebus, vel juribus quomodolibet acquisitum, nullam volumus per ea, quę ad pręsens cum eisdem Pisanis aguntur, vel per quemcunque processum, per te auctoritate Apostolica faciendum, immutationem recipere, sed per omnia in suo robore permanere; nec tibi super pręmissis concedimus, sed interdicimus potius potestatem. Quoad alias vero sententias latas, & pęnas statutas contra eosdem cives, civitatem, & commune prędicta, occasione consilii & favoris, quę dicto Conradino, ut prędicitur, impenderunt, seu pro eo quod pręfatum Regem Sicilię non admiserunt, sed impugnaverunt, ut superius est expressum, personę tuę, de cujus industria & fidelitate confidimus, ministerium eligentes, discretioni tuę pręsentium tenore, mandamus, quatenus personaliter ad dictam civitatem accedens, pręmissis, quę, ut pręmittitur, facienda sunt in conventione prędicta, per eosdem cives & commune primitus adimpletis, eisdem, quoad prędictas alias sententias & pęnas auctoritate nostra per te, ac per alios, providere procures, omnes de dicta civitate ac districtu ipsius, occasione pręmissorum, & alios, pro eo quod inibi post easdem sententias gesserunt officia, prędictis excommunicationum sententiis innodatos, petentes humiliter, ab eisdem aliis sententiis, juxta formam Ecclesię absolvendo, relaxando sententias interdicti, revocando prędictas alias pęnas, remittendo eas, & etiam de nostrę potestatis plenitudine absolvendo, restituendo eisdem civitati, civibus, & communi, privilegia, & libertates, quibus fuerunt eadem occasione privati, quę tamen factum Sardinię non contingant, & contra quę jus non sit alicui acquisitum, necnon cives eosdem reddendo habiles ad dignitates, officia publica, & honores. Quicquid autem super iis duxeris faciendum, una cum tenore pręsentium, redigi facias in publica documenta (9), eadem ad nostram delaturus pręsentiam, vel per fidelem Nuncium transmissurus. Datum apud Urbem Veterem XII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Ne Sedem archiepiscopalem restituat, cavet.

Mandatum.

1. *Johanni Viterbiensi.*) Sic a patria nuncupatus Johannes. Ipsius mentio *in Appendice ad Pontificatum Nicolai III.*

2. *Solvat.*) Cur essent excommunicatione devincti, docet Diploma, cujus argumentum sic aperit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCLXXIII num. XXXII: *Pisani, qui pluries anathemate defixi, atque eorum civitas interdicto percussa ob secutas Conradini partes fuerat, in gratiam Ecclesiæ a Johanne, Ordinis Prædicatorum Religioso viro, admissi fuerunt. Quæ provincia a Gregorio . . . . dum adhuc Urbe vetere morabatur, imposita est. Qui ne rigorem omnem exuisse videretur, Archiepiscopalis Sedis dignitatem a Clemente ademptam tunc non restituit; sed lapso post mense, nimirum XII Kalendas Julii, cum Florentiæ agens conficiendæ Guelphorum paci operam daret.*

3. *Odorico.*) Meminit etiam *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXII num. VII.*

4. *Clementis.*) IV.

5. *Conradino.*) De quo sæpius supra.

6. *Carolum.*) Hujus nominis Primum.

7. *Paciarium.*) Pacis Servator constitutus est *Carolus* anno MCCLXVII, anno MCCLXVIII hoc in munere confirmatus. Id liquet ex Diplomatibus, & ex aliis, quæ laudat *Odoricus ad annum MCCLXVII num. IV, & ad an. MCCLXVIII num. II.*

8. *Provideret &c.*) Hic desunt nonnulla.

9. *Documenta.*) Quorum unum exscripsit *Odoricus ad annum MCCLXXIII num. XXXIV.*

Priori Prædicatorum, Custodi, & Guardiano Minorum, ut Regi (1) Portugalliæ quasdam literas dent in manus.

Anno 1273 Die 28 Maii.

Ex Vvaddingo (2) Annal. Minor. Tomo II pag. 116 Regesti.

XV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, Custodi, & Guardiano Minorum Fratrum, Ulixbonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm carissimus in Christo filius noster Rex Portugallię illustris venerabiles Fratres nostros Episcopos, & alios Pręlatos, Capitula, Conventus, Clericos, & Ecclesias, & populum Regni Portugallię gravibus, sicut accepimus, afficiat injuriis, & pressuris, nosque sibi super hoc sub certa forma nostras literas (3) dirigimus, discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, in virtute obedientię, districte pręcipiendo, mandamus, quatenus prędictas literas nostras eidem Regi fideliter pręsentetis, ac responsum ipsius Regis, & quicquid super his duxerit faciendum, necnon locum, & diem, in quibus, & coram quibus personis literas prędictas Regi pręsentabitis memorato, per vestras patentes literas, harum, & prędictarum literarum directarum eidem Regi seriem continentes, nobis intimare curetis. Non obstante &c. Quod si non omnes &c. Datum apud Urbem Veterem V Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Regi.*) *Alfonsus III*, inquit *Vvaddingus* Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXIII num. XV pag. 378, . . . *hoc anno regnabat in Lusitania, sed erga Ecclesiasticos durus, & importunus exactor, omnes absque delectu gravibus afficiebat injuriis; quare unanimi consilio Episcopi universum Regnum Ecclesiastico supposuerunt interdicto, & Pontificem suæ admonuerunt calamitatis. Duxit porro Gregorius eum sui officii, & reverentiæ Ecclesiasticis debitæ monendum. Literas misit Priori Prædicatorum, Custodi, & Guardiano Minorum, Ulissiponensibus, eidem Regi tradendas.*

2. *Vvaddingo.*) Ejusdem Diplomatis mentio apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLXXIII num. XXVI, & Bzovium ad eundem annum num. IX.*

3. *Literas.*) Eas exscripsit *Odoricus loco laudato num. XXV.*

Anno 1273 Die 2 Junii.

Priori Prædicatorum, Custodi, & Guardiano Minorum, ut ad bonam frugem Rege Portugalliæ se recipiente, Regnum ipsius Interdicto liberent (1).

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II pag. 116 in Regesto.

XVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, Custodi, & Guardiano Minorum Fratrum, Ulixbonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

VOlumus, & prę̨sentium vobis auctoritate mandamus, quatenus ad cariſſimum in Christo filium illustrem Regem Portugallię accedentes, ipsum, ut desuper iis, quę in nostris literis sibi directis, & articulis a Prę̨latis Regni Portugallię coram nobis propositis, & per vos sibi præsentandis, continentur, ex parte nostra moneatis, & efficaciter inducatis; & si ad illorum correctionem voluntarium se obtulerit, vel ex ipsius responsione, & aliis circumstantiis apparuerit, quod pręmissa velit corrigere, Interdictum in eodem regno ab eisdem Prę̨latis positum, usque ad septem menses, a receptione prę̨sentium computandos, suspendere procuretis. Ita tamen quod solemnes Nuncii dicti Regis cum sufficienti mandato, infra quatuor menses a tempore suspensionis Interdicti hujusmodi computandos, iter arripiant ad nostram prę̨sentiam venienti. Ceterum si dictus Rex juxta mandatum nostrum corrigere prędicta contempserit, prędictum Regnum ipso jure post prędictos septem menses in Interdictum pristinum redigatur (2). Non obstante indulgentia Sedis Apostolicę, qua Fratribus vestrorum Ordinum dicitur esse concessum, ut de causis, seu negotiis, quę ipsis a Sede committuntur eadem, inviti se intromittere minime teneantur per literas Apostolicas, quę de indulto hujusmodi expressam non fecerint mentionem. Quod si non omnes &c. Datum apud Urbem Veterem IV Nonas Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Clausula derogans.

1. *Liberent.*) Consule præcedens Diploma.

2. *Redigatur*) Iterum hoc malum recruduisse, liquet ex *Bulla Gregorii X data Belliquadri II Nonas Septembres, Pontificatus anno IV.* Legitur apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLXXV num. XXI &c.* At in ancipiti mortis discrimine pietaris signa explicuit *Alfonsus*, & illatas Ecclesiæ injurias amare planxit. Testes sunt publicæ literæ, quas ex *Ulyssipponensis* Ecclesiæ Archivo vulgavit *Antonius Brandanus in Alfonso III.* Ipsas exscripsit *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXIX num. XXIX.*

Anno 1273 Die 11 Junii.

Priori, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Viterbien., ut quædam apud ipsos deposita sequestro dent.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatorum Viterbiensium, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Mandatum.

CUm dilecti filii nostri S... (2) Tituli S. Cecilię Presbyter, & O... (3) S. Adriani Diaconus, Cardinales, & alii Executores bo: me: Hugonis (4) Episcopi Ostien. quasdam res, quę fuerunt bo: me: M... (5) Archiepiscopi Bracaren., penes vos duxerint deponendas, ita quod nemini eas assignaretis sine mandato Sedis Apostolicę speciali; volumus, & prę̨sentium vobis auctoritate mandamus, quatenus res ipsas dilecto filio nostro Petro (6) Tusculan. electo, vel Procuratori suo, ejus nomine, conservandas per eum, & assignandas illi, qui Ecclesię Bracarensi, cujus res ipsę noscuntur fuisse, prę̨fuerit, sine difficultate qualibet assignare curetis. Datum apud Planum Carpineum (7) III Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Monumenta Cœnobii *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

2. *S...*) *Simon Mompitius*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXI pag. 161.*

3. *O...*) *Ottobonus de Flisco*, cujus sæpius mentio supra.

4. *Hugonis.*) Sic Majusculam literam *H....* interpretatus est Amanuensis. Legendum: *Henrici*, de quo *Oldoinus* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXI pag. 157.*

5. *M....*) *Martini*, qui violati juris Ecclesiastici asserendi causa ad Sedem Apostolicam confugerat, ut testatur *Gregorius X* in *Bulla data Belliquadri II Nonas Septembres, Pontificat. anno Secundo.*

6. *Petro.*) Is erat *Petrus Hispanus*, seu *Johannes Petrus Juliani*, natione *Lusitanus*, patria *Ulyssipponensis*, qui Summus Pontifex creatus, *Johannes XX*, seu *XXI*, nuncupatus est. Hinc eorum exploditur sententia, qui *Petri*, & aliorum quatuor Cardinalium, quos primo creavit *Gregorius*, promotionem prolatant vel ad quatuor tempora mensis Septembris, vel ad annum MCCLXXIV.

7. *Planum Carpineum.*) In Hetruria.

F. Aldo-

Discedens ex Italia, ut Lugdunum petat, F. Aldobrandinum (1) Vicarium suum Gregorius constituit.

Anno 1273 Die 20 Augusti.

Ex Ughello (2) in Episcop. Urbevetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1472 Edit. II.

XVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Aldobrandino, Episcopo Urbevetano, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

APpropinquat terminus ad celebrandum indictum Generale Concilium Lugduni, & moras longiores non sufferens, nos compellit, ut ad tempus spirituali Ecclesia nostra dimissa, versus transmontanas partes, prout Dominus concesserit, properemus. Ne igitur, nostrę pręsentię absentia, ipsius terrę incolas absque relevationis remedio gravari contingat, personam idoneam, quę in reddenda ipsis in hac parte justitia, nostrę defectum pręsentię suppleat, providimus deputandam (3). Ad quod te, tanquam virum magnę, & examinatę virtutis, fiducialiter eligentes, volumus, quod a Rectoribus ipsius Ecclesię, sive in Campania, vel in maritima, seu Anconitana Marchia, vel Ducatu Spoletanensi, aut in Patrimonio B. Petri in Tuscia fuerint, ad te tanquam ad nostrum in hoc Vicesgerentem, liceat appellare, tibique prę͏sentium auctoritate committimus, ut personas de terra prędicta ecclesiasticas, & seculares ab ipsis Rectoribus appellantes, audias, & suas appellationum causas, secundum ordinem juris discutiens, debito fine decidas: faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum apud S. Crucem (4) XIII Kal. Septemb., Pontificatus nostri Anno Secundo.

Instituit ut supra.

1. *Aldobrandinum.) Clara, nobilique apud Florentinos Cavalcantiorum familia ortus .... XIII circiter ineunte Seculo natus Florentiæ, ubi adolescens Ordinem apud S. Mariam Novellam amplexatus, ætate postea maturior factus, & apud omnes plurimarum virtutum laude conspicuus, Prior præfuit ordine septimus* Aldobrandinus noster .... *sicque claruit, ut Gregorius X Summus Pontifex, ejus fama & opinione delectatus, hominem se invenisse sibi necessarium arbitratus sit, ac Urbevetanæ Ecclesiæ præficiendum existimarit. Nulla quidem ratione se consensurum dixerat Aldobrandinus, sed tandem Pontificis astrictus præcepto, jamque recusare non valens, ejus Ecclesiæ Pontifex ordinatus, a Clero, Populoque multa frequentia est susceptus. Quæ anno MCCLXXII acta. Tum vero nihil a pristino vigore vitæ, tenoreque remisit, verbo suas oves, & exemplo pascens, sibi nihil nisi quod suprema vellet, exigeretque necessitas, tribuens, cetera omnia larga manu pauperibus elargiens. Hinc Gregorius Pontifex, cum ad Lugdunensem Synodum ire disponeret anno MCCLXXIV habendam, quem loco sui Romæ relinqueret, vices suas iis in Regionibus acturum, Aldobrandino digniorem, ac fide majori præpollentem reperit neminem.* Hæc habet *Echard Tomo I Scriptor. Ord.* ad an. *MCCLXXIX pag. 380*, quem consulas velim: Hanc porro sibi a Pontifice demandatam provinciam *Aldobrandinum strenue* obiisse, & *maxima cum dignitate ingentique laude sustinuisse*, testis est *Ughellus* laudatus.

2. *Ughello.)* Idem habet *Fontana Theatro Dominicano Parte II tit. V pag. 339.* Consulendus etiam *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIII num. II.*

3. *Deputandam.)* Deest apud *Fontanam*.

4. *S. Crucem.)* In *Hetruria*. Nec audiendus *Echard*, docens loco supra laudato, hocce Diploma datum *Romæ apud Sanctam Crucem*. Extat quidem *Romæ* Basilica, *Sanctæ Crucis* nomine insignita. Verum *Roma* jamjam discessisse *Gregorium*, ex Bullis præcedentibus constat. Versus *transmontanas partes* ad Concilium *Lugduni* celebrandum certe jam *properabat*: id liquet ex ipsomet Diplomate; & *Florentia* transiens, Templum, nomine Divi *Gregorii Magni* Deo sacrum, dedicaverat die duodecima Julii anno MCCLXXIII, ut videre est ex antiquo monumento quod exscripsit *Augustinus Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCLXXI pag. 188.*

Inquisitoribus, ut in Christianos, ritus Judaicos sectantes, animadvertant (1).

Anno 1274 Die 1 Martii.

Ex Bullar. Romano (2) in Gregorio X Constitut. III.

XIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatorum, & Minorum, Ordinum, Inquisitoribus hęreticę pravitatis, auctoritate Sedis Apostolicę deputatis, & in posterum deputandis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

TUrbato corde audivimus, & narramus, quod non solum quidam de judaicę cęcitatis errore ad lumen Fidei Christianę conversi, ad priorem reversi esse perfidiam dignoscuntur, verum etiam quamplurimi Christiani, veritatem catholicę fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum judaicum transtulerunt. Quod tanto magis reprobum fore cognoscitur, quanto ex hoc Christi nomen Sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur. Cum autem huic pesti damnabili congruis & festinis remediis deceat obviari, universitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos, ad inquirendum contra hęreticos auctoritate Sedis Apostolicę designatos, super pręmissis, tam per christianos, quam etiam per judęos, inquisita diligenter, & solicite veritate, contra eos, quos talia invenietis hactenus commisisse, ac committere etiam in futurum, tanquam contra hęreticos, contra fautores quoque, receptatores, & defensores eorum procedere studeatis: judęos autem, qui Christianos utriusque sexus ad eorum ritum execrabilem induxerint, aut inveneritis de cetero inducentes, pęna debita puniatis; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Datum Lugduni Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Animadvertant.)* Consulendus *Eymericus Director. Inquisitor. Parte II Quæst. XLIV pag. 371.*

2. *Bullario Romano.)* Differt in paucis ab alio superius transcripto *XXVII Julii MCCLXVII*. Idem legere est apud *Petrum Mariam Campi Histor. Placentina Parte II pag. 443.*

Mona-

Anno 1274 Die 7 Martii.

Monasterium S. Agnetis de Burgo S. Laurentii de Mugello (1) variis privilegiis (2) donat,

Ex Archivo (3) Ordinis.

XX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissæ Monasterii S. Agnetis de Burgo S. Laurentii de Mugello, ejusque Sororibus, tam præsentibus, quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sanctæ Religionis enervet. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris postulationibus clementer annuimus. & Monasterium S. Agnetis de Burgo S. Laurentii de Mugello, Abbatissam propriam non habens, sed per Priorissam solitum gubernari, Florentinæ Diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus (4) qui secundum Deum, & B. Augustini (5) regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum juste, ac canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, & eis, quæ vobis successerint, & illibata permaneant. In quibus hæc duximus propriis explicanda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quæ propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus, a vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas, a seculo fugientes, ad conversionem recipere, ac eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum post factam in Monasterio vestro Professionem fas sit sine Priorissæ suæ licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere: discedentem vero absque communium literarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, excommunicatis, & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina Officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Chrisma vero, Oleum sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Benedictiones Monialium a Diœcesano suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochiæ vestræ, si eam habetis, nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hæc novas, & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, secularibusque personis, a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas præterea, & possessiones, ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ a laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priorissa, vel earum aliqua, quæ tibi successerit, nulla ibi qualibet sobreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quam Sorores communi assensu, vel Sororum major pars consilii sanioris, si ad eas duntaxat Priorissæ spectat electio, secundum Deum, & B. Augustini Regulam, providebunt eligendam. Paci quoque, & tranquillitati vestræ, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu Grangiarum vestrarum nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates, & immunitates, a Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, necnon libertates, & exemptiones secularium exactionum a Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diœcesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam venire temere tentaverit, secundo, tertiove monita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Datum Lugdun. per manus Magistri Johannis Lectorii (6) S. Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii Nonis Martii Indictione II (7), Incarnationis Dominicæ Anno MCCLXXIII (8), Pontificatus vero Domini Gregorii Papæ X Anno Secundo.

Monasterium suo, & Sanctæ Sedis præsidio tuetur.

Possessiones confirmat.

Cavet, ne, voti nuncupatis, aliqua discedat.

Variis privilegiis ipsas donat.

Sepultura libera.

Quomodo Priorissa sit eligenda.

Ipsarum privilegia firmat.

Sanctio pœnalis.

1. *Mugello.*) Latine *Mucialla* in Agro *Florentino*, a *Florentia* XIV circiter Milliario.

2. Pri-

2. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII &c.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo asservato in Monasterio *S. Agnetis de Burgo S. Laurentii de Mugello.*

4. *Canonicus.*) Vide *Notam IV in Bullam datam XXX Martii MCCXVIII.*

5. *S. Augustini.*) Hinc Ordinis nostri Moniales ante Pontificatum *Clementis VII* Monasterium istud obtinuisse videntur. Emendes ergo *Fontanam de Romana Provincia Tit. XII pag. 272.*

6. *Lecatorii.*) *Placentini*, quem *Lecacornum* vocat *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXXI pag. 202.*

7. *Indictione II.*) Fuit hæc Indictio anno MCCLXXIV; hinc vel Amanuensis, non attendens ad Autographum, hallucinatus est, vel ex Regulis in *Præfatione* adhibitis id interpretemur, necesse.

8. *MCCLXXIII.*) Stylo veteri, novo *MCCLXXIV.*

Prioribus S. Michaelis in Bosco, & S. Johannis in Monte Bononien., ut de lite inter Fratres nostros, & Servos S. Mariæ habita judicent (1). Anno 1274 Die 5 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Sancti Michaelis in Bosco, & Sancti Johannis in Monte Bononien., Prioribus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUa nobis dilecti filii Prior, & Conventus Fratrum Ordinis Prędicatorum Bononiensium conquestione monstrarunt, quod licet venerabilis frater noster Bononiensis Episcopus ob reverentiam Beati Dominici Confessoris, cujus Corpus in eorum Ecclesia requiescit, pie, provide, & ex causa legitima duxerit statuendum, ut nullis quibuscunque personis infra certos, & designatos terminos, ipsorum Ecclesię proximos, Monasterium, vel Domum Religiosarum personarum construere liceat, seu in construendis contra statutum hujusmodi Ecclesiis, vel Domibus residere, fueritque statutum ipsum auctoritate bonę memorię Philippi Ravennatis Archiepiscopi, tunc in illis partibus Legati Sedis Apostolicę confirmatum, tamen Prior, & Fratres Ordinis Servorum Sanctę Marię, contra prędictum statutum temere venientes, Ecclesiam infra prędictos, sine ejusdem Episcopi, & Apostolica licentia, construere inceperunt in eorundem Prioris, & Fratrum prejudicium, & gravamen. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita, statuatis, facientes quod decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Datum Lugduni Nonis Junii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Corpus S. P. Dominici, in Ædibus Sacris Fratrum Prædicatorum Bononiensium requiescit.

Mandatum.

1. *Judicent.*) De his in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. fol. 14.* Autographum asservatur *Bononiæ.*

Fratribus Vuicioni (1) Ordinis Prædicatorum, & Lucido Ordinis Minorum, aliisque nonnullis mille marcas argenti pauperibus (2) erogandas committit. Anno 1274 Die 29 Junii.

Ex Petro Maria Campi Histor. Placentin. Tomo II in Regesto pag. 452.

XXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Magno Canonico, Guidoni Presbytero S. Christinę, Fratribus Vuicioni, & Lucido Prędicatorum, & Minorum Ordinum, Ugolino Gacto, & Benecto Capellano, Civibus Pisanis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

REferente fama accepimus de vobis, quod, spiritu Dei ducti, vacatis pietatis operibus; attendentes quod juxta verbum Apostoli ipsa pietas promissionem habet vitę, quę nunc est, & futurę. De vestra itaque sinceritate plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestrę, in remissionem peccatorum, injungimus, quatenus nostro, & Ecclesię Romanę nomine mille marcas argenti a Pisanis Civibus, in quibus Nobis, & eidem Ecclesię teneri noscuntur, petere, ac recipere procuretis, in partes quatuor dividendas, ut quarta pars in districtu, & tres alię partes ipsarum mille marcarum in civitate Pisana eo modo debeant dispensari, quod tam in districtu, quam in Civitate prędictis una pars Infirmis, quos in hospitalibus ęgritudinis lectus detinet, tribuatur, ita quod illa alia in refectionem totaliter convertatur pauperum eorundem, alia vero pars detur pauperibus, quos erubescentia palam mendicare non sinit, alia etiam pauperibus puellis maritandis, necnon & alia pauperibus communibus misericorditer erogentur, proviso quod coram venerabili fratre nostro Archiepiscopo Pisano singulis quindecim diebus teneamini convenire, ut quantum, & quibus erogatum fuerit, ut superius est expressum, plena, & diligens ratio habeatur. Super quibus omnibus intervenire volumus publica Instrumenta. Vos ergo in prędictis, super quibus vestras volumus conscientias onerare, sic secundum Deum procedere provide studeatis, quod ipsum vobis, quem nullum latet secretum, statuatis propitium, & nos dum super iis de vestris actibus audiverimus digna laude, tam fidelibus ministris commisisse hujusmodi dispensationem merito, gaudeamus. Si qui vero contradictores fuerint, vel rebelles, vos filii, Magne, Guido, Vuicio, & Lucide, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis eosdem. Quicquid autem super prędictis duxeritis faciendum Nobis per literas, ejusdem Archiepiscopi, & vestris signatas sigillis, intimare, necnon Instrumenta, quę super iis confici feceritis, per fidelem nuncium transmittere procuretis. Datum Lugduni III Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exordium.

Commissio.

1. *Vui-*

1. *Viticini.*) Ugucclonem, seu *Hugutionem* illum *Spoletanum* crediderim, qui a *Bonifatio VIII* Episcopus *Strongulensis* constitutus fuit, ut in *ejusdem Pontificis Appendice* videre est.

2. *Pauperibus*,) *Præter prudentiam rerum gerendarum, fortitudinem animi, contemptum divitiarum, & vitæ sanctitatem, de summa humanitate & benignitate in pauperes* ab omnibus commendari *Gregorium*, testis est *Spondanus Annal. Ecclesiast.* ad annum *MCCLXXVI num. I*, ubi hæc addit: *Observat.... Ptholomæus in suis Annalibus, primum eum* (Gregorium X) *fuisse, qui solemnem eleemosynam ordinaverit in Curia Romana, præfecisseque ei quendam Fratrem Conversum Ordinis Prædicatorum, quem secum duxerat a partibus ultramarinis*,

Anno 1274 Die 31 Julii.

R... (1) S. Angeli Diacono Cardinali, ut Corpus Clementis IV Fratribus nostris Viterbien. restituendum curet (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio R... S. Aogeli Diacono Cardinali, Salutem, & Apollolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio,

SUa nobis dilecti filii Prior & Fratres Ordinis Prędicatorum Viterbien. petitione monstrarunt, quod nos olim causam, quę inter ipsos ex parte una, & Archipresbyterum & Capitulum Ecclesię Viterbien. ex altera, vertebatur super eo, quod iidem Archipresbyter & Capitulum Corpus felicis recordationis Clementis Papę Prędecessoris nostri, qui apud Ecclesiam dictorum Prioris & Fratrum elegerat (4) sepulturam, in prędicta Virterbien. Ecclesia fecerant tumulari (5), Corpus ipsum dictis Priori & Fratribus rellituere indebite denegantes, tibi sub certa forma audiendam commisimus, & etiam terminandam. Sane tu, juxta formam tibi a nobis traditam in causa ipsa procedens, sententialiter pronunciasti, Corpus prędictum restituendum fore Priori & Fratribus memoratis. Verum Parochiani prędictę Viterbien. Ecclesię se super hoc memoratis Priori & Fratribus indebite opponentes, ipsos Priorem & Fratres, quominus Corpus ipsum de prędicta Viterbiensi Ecclesia ad locum ipsum libere deferre valeant, contra justitiam impedire prędicumunt. Quare prędicti Prior, & Fratres nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi in hac parte paterna sollicitudine curaremus: quo circa discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictos Parochianos, & quoslibet alios, qui super hoc dictis Priori, & Fratribus se duxerint indebite opponendos, ab impedimento & oppositiobe hujusmodi omnino cessare, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, prędicta ratione compellas. Datum Lugduni II Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum,

1. *R...*) *Richardo Annibaldensi de Molaria*, de quo consulendus *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCXXVII pag.* 88.

2. *Curet.*) Huc refer illud *S. Antonini* apud *Ciaconium* mox laudatum ad an. MCCLXV pag. 175. *Sepultus est autem gloriosus Pontifex* (Clemens IV) *Viterbii, ubi tunc Curia residebat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, ubi ipsemet sibi elegerat sepulturam, sed de facto translatus ad Ecclesiam Cathedralem ad voluntatem quorundam: postmodum dictante justitia per Successorem Pontificem restitutum est corpus Fratribus ipsis, & ante Capellam majorem in latere honorifice, ut patet, collocatum.*

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

4. *Elegerat.*) Nec mirum, *totum enim vitæ tempus jejuniis, orationibus, vigiliis, aliisque pietatis operibus ex instituto Fratrum Ord. Prædicator., quos impensius diligebat, observabatque, transegisse Clementem*, testis est *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXVIII num. VIII.*

5. *Tumulari.*) Hic idem audiendus *Bzovius* loco laudato. *Statim atque obiit Clemens, miraculis ingentibus fulgere cœpit, propter quæ Clerus Ecclesiæ Cathedralis Viterbiensis, funus illius Fratribus Dominicanis invidit.*

Anno 1274 Die 1 Augusti.

Aquilejensi Patriarchæ, Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Mediolanen., ut Guidonem Montfortium ab excommunicatione solvant (1).

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 118.

XXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Patriarchę Aquilejen., & dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Mediolanen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Facti narratio,

SUa nobis nobilis vir Guido de Monteforti petitione monstravit, quod cum nos olim occasione homicidii, in quondam Henricum de Alemannia, natum claræ memoriæ Richardi in Romanorum Regem electi, in quadam Parochiali Ecclesia Viterbien., dum ibidem Divina celebrarentur officia, perpetrati, adversus eum tanquam in maleficio notorio procedentes, diffinitivam sententiam (2) duxerimus promulgandam, statuendo contra ipsum varia, prout ejusdem maleficii enormitas exigebat, ac in eundem nihilominus tanquam in manifestum sacrilegum, & etiam contumacem, excommunicationis sententiam promulgando. Postmodum idem Guido ad cor rediens, seque nostro conspectui personaliter repræsentans, nostris, & Ecclesię mandatis parere per omnia obtulit se paratum, ac demum sponte, non coactus, ad mandatum nostrum Roccam (3) de Leuco, Mediolanen. Diœcesis, carcerandus ibidem, intravit, ubi adhuc detinetur carcerali custodię mancipatus (4). Quare dictus Guido nobis humiliter supplicavit, ut eum absolvi a prędicta excommunicationis sententia mandaremus. Quocirca discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel per alium, seu alios, eundem Guidonem juxta formam Ecclesię ab hujusmodi excommunicationis sententia absolvatis; ita tamen quod prędicta diffinitiva sententia, & alia, quę statuimus circa eum, in omnibus aliis in suo robore perseverent, & si dictus Guido contra ipsa in aliquo venire prędicumpserit, in excommunicationem eandem reincidat eo ipso. Datum Lugduni Kalendis Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

1. Sol-

1. *Solvant.*) Cur excommunicatione devinctus, & qua occasione *Guido* solutus sit, docet *Oldoinus apud Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXI pag. 188*, cujus hæc verba: *Haud procul Florentia, totius Hetruriæ principe urbe, Gregorio Pontifici, iter habenti ad Synodum in Gallias, occurrit dignum commiseratione spectaculum: nempe habitu sordidato reus, & pœnitens, cæsti ad cervicem obligatus, excalceatis pedibus, coma promissa, ore pallenti, cum lugubri caterva simili schemate pullata, obvius fuit filius Simonis Comitis Montfortii, in Britannico bello perempti. Hic enim Viterbii Henricum adolescentem Regiæ stirpis, filium Richardi Cornubiæ Comitis, electi Regis Romanorum in sacra primaria æde, dum Sacerdos aris operabatur, divinamque Hostiam rite attollebat, ut adoraretur, impressis vulneribus neci dederat, ultturus mortem parentis; etsi tum aderant Reges duo Philippus Galliæ, & Carolus Siciliæ cum primoribus utriusque aulæ. Facinoris a se patrati ea scena tam luctuosa supplicium verius quam veniam flagitavit. Pontifex cædem illatam innoxio juveni, funestam Templo, Sacrificio injuriosam, Regibus, qui tum adessent, omnino tristem, sed & Odoardo Britanniæ Principi, utpote patrueli, præ cunctis gravem, ac lamentabilem sciebat. Justitiam clementia miscens, supplicium ita temperavit, ut compos vitæ quidem esset, sed expers tamen lætitiæ, ac libertatis. Quare illum carceri damnavit, ut aliquandiu severiore pœnitentia exerceretur; cui finem etiam postmodum fecit, exsolvique ipsum anathemate jussit ab Aquilejensi Patriarcha, & a duobus Cœnobiarchis Ordinum S. Dominici, ac S. Francisci, dummodo Apostolicæ Sedi sponderet obsequii reverentiam.* Hæc *Oldoinus*. Consulendi *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXIV num. XXXIV pag. 403*, *Bzovius ad eundem annum num. XVII*, *Fontana Monument. Dominican. Parte I cap. VI pag. 104*, & *Odoricus Raynaldus ad ann. MCCLXXI num. III*, *MCCLXXIII num. XXI &c.*

2. *Sententiam.*) Edicta & Sententiam in *Guidonem* lata describit *Odoricus loco mox laudato*.

3. *Roccam.*) *Roccam*. Arx erat in Agro *Mediolanensi*.

4. *Mancipatus.*) Hac de re legendum Diploma transcriptum ab *Odorico ad annum MCCLXXIII num. XLI*.

Provinciali Germaniæ, ut unam ex Sororibus Monasterii Vallis B. Mariæ præficiat Insulensi (1) Monasterio.

Anno 1274 Die 7 Augusti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum in Alemannia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EX parte dilectę in Christo filię Nobilis mulieris Comitissę (3) Flandrię fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipsa quoddam Monasterium in villa Insulensi Tornacensis (4) Dięcesis de novo construxerit, pariter, & dotarit, ut in eo habeantur Sorores S. Augustini secundum instituta Fratrum Prędicatorum viventes, Sororibus ipsis, aliquam de Sororibus Monasterii Vallis Beatę Marię, ipsius Ordinis, Trevirensis Dięcesis, secundum instituta prędicta viventibus in Priorissam (5) de benignitate Apostolica mandaremus. Nos igitur, ipsius Comitissę supplicationibus inclinati, discretioni tuę per Apostolica Scripta mandamus, quatenus aliquam de prędictis Sororibus dicti Monasterii Vallis Beatę Marię, tuę, ut intelleximus, curę commissis, literatam, & Sanctę conversationis (6) Religiosam a prędictis Sororibus prędicti Monasterii Insulensis assumendam per eas in eodem Monasterio Priorissam, sine qualibet difficultate, si videris secundum Deum, & animarum profectum, expedire, transmittas, ut ejus doctrina in observantia ipsius Ordinis instruantur. Datum Lugduni VII Idus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Insulensi.*) Celebris est hæc Religiosa Domus, a *Margarita*, & ipsius filio *Guidone* fundata, ut videre est ex hoc Instrumento. *Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Margareta Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa, & Guido filius ejus, Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis, Salutem in Domino sempiternam. Universitati vestræ volumus esse notum, quod dum sinceræ Conscientiæ diligenti meditatione discutimus, ipsamque conscientiam vanis, & diversis excessibus accusari & obrui interdum conspicimus, illud præcipuum credimus superesse remedium, ut per grata beneficia nobis personas obligemus fidelium, quæ pro nobis, & nostris excessibus, pro quibus ad plenum supplicare nequaquam sufficimus, jugiter Altissimum interpellent. Quia vero quadam specialitate confidimus in universis devotionis, & caritatis operibus, quæ in omni sanctitate vigere semper agnovimus in Ordine Fratrum Prædicatorum, piis pietatis affectibus salutem zelantium nostrarum (prout experimento didicimus) animarum, construendi in Terra nostra Monasterium Religiosarum Mulierum Sororum præfati Ordinis, diu & firmiter concepimus propositum, quod, divina suadente clementia, jam deduci finaliter volumus, & ea devotione, qua possumus, feliciter ad effectum, ut in utriusque sexus personas ejusdem Ordinis in Terra nostra devotio fidelium, & cultus divini Numinis laudabiliter augeatur. Igitur pro nostrarum remedio Animarum, prædecessorum nostrorum, & specialiter pro remedio Animæ dignæ memoriæ Dominæ Johannæ Flandriæ, & Hannoniæ Comitissæ, mei Margaretæ, Comitissæ Dominæ, & Sororis carissimæ, & Matris meæ, ac Comitis supradicti, quæ ad constructionem prædicti Monasterii, pium desiderium, ac promptam, dum viveret, voluntatem habuit, in nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, dictum Monasterium construimus, ac fundamus ad honorem B. semper Virginis Genitricis Dei Mariæ in Loco, qui dicitur B. Maria de Insula, & quod Monasterium tali nomine in perpetuum volumus nuncupari. Verum cum Nos deceat, quæ sumus hujusmodi Monasterii Fundatores, ipsum largitionibus dotare decentibus, & ad usum perpetuum Religiosarum Mulierum, Sororum inibi Domino famulantium, liberaliter, quoad jus, & proprietatem conferimus, & donamus Terram &c.* Hic donationes enumerantur, & privilegia. *Ne autem in posterum forsan antedictum Monasterium, contingat aliquorum, quod absit, molestiis opprimi aut injuriis indebitis molestari, ipsum Monasterium cum personis, & bonis suis omnibus habitis, ac habendis, sub nostra protectione, & defensione suscipimus, & ad protectionem, & defensionem hujusmodi nos, & hæredes nostros, & successores nostros Flandriæ Comites tenore præsentium obligamus, in quorum testimonium & munimen nos Margareta Flandriæ, & Hannoniæ Comitissa & ego Guido filius ejus, Comes Flandriæ, & Marchio Namurcensis, sigilla nostra præsentibus Literis apponi fecimus, & appendi. Actum, & Datum Anno Domini MCCLXXIX. Mense Aprili.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in *Insulensi* Monasterio.

3. *Comitissæ.*) *Margarita I.*

4. *Tornacensis.*) Vulgo *Tournai*, in *Belgio*.

5. *Priorissam.*) Addetem: *Transmitti*.

6. *Sanctæ conversationis.*) Morum, generisque nobilitate etiamnum clarent Moniales hujusce Monasterii *Mariæ Vallis*, vulgo *Marienthal*, in *Belgio*, Diœcesis *Trevirensis*, juxta *Lucisburgum*. Jus patronatus XVIII Parochiarum, & XXII pagorum dominium habet Priorissa illius Monasterii.

Anno 1274 Die 13 Augusti.

F. Raymundo de Pennafort (1), ut de lite Fratres Mercedis (2) captivorum, inter, & Minores exorta judicium ferat.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XXVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Raymondo de Pennaforti, Ordinis Prędicatorum, Capellano nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum Ordinis Mercedis petitio.

SUa nobis Magister, & Fratres Domus Sanctę Eulalię Barchinonen., Ordinis Sancti Augustini, & Mercedis Captivorum, petitione monstrarunt, quod ipsi dudum in domibus suis, quas ipsi in Civitate Tarraconen. a longis retroactis temporibus obtinebant, Oratorium in honore, aut vocabulo ipsius Sanctę, prout ex facultate concessa ipsis ab Apostolica Sede licebat, de assensu bonę memorię Tarraconen. Archiepiscopi, construxerunt. Verum Guardianus, & Fratres Minores Tarraconen., asserentes, quod felicis recordationis Alexander Papa Prędecessor noster, ad instantiam Fratrum Minorum de Catalonia, Vicensi, & Gerundensi Episcopis suis dederat literis in mandatis, ut nullum Religionis Monasterium, seu Oratorium Religiosarum personarum de novo ędificari, vel construi, aut Ecclesiam inibi in Religiosum locum, vel regularem domum transferri permitterent infra spatium trecentarum cannarum circa omnes fines locis prędictorum Fratrum Minorum contiguos, & vicinos, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo; & quod iidem Magister, & Fratres hujusmodi Oratorium infra prędictum spatium, loco eorum vicinum, construxerant, eosdem Magistrum, & Fratres petendo Oratorium destrui supradictum, coram eodem Vicensi Episcopo, prout ex forma literarum ipsarum, id se posse dicebant, traxerunt in causam. Ex parte vero prędictorum Magistri, & Fratrum fuit coram eodem Vicensi, & excipiendo, propositum, quod cum ipsi pręfatum Oratorium ante impetrationem prędictarum literarum, ad eosdem Episcopos obtentarum ex concessione Sedis prędictę, de consensu memorati Archiepiscopi, construxissent, prout superius est expressum, & erant legitime probare parati, Oratorium ipsum destruere pretextu earundem literarum, quę non ad Oratoria constructa ante ipsarum impetrationem, sed ad ea, quę postea construenda fuerant, extendebantur, prout ex earum forma liquido apparebat, nullatenus tenebantur. Et quia dictus Episcopus Vicensis, dictos Magistrum, & Fratres super hoc audire, contra justitiam, denegans, mandavit eisdem, ut prędictum Oratorium infra certum terminum destruerent, & campanam, quam habebant in eo exinde removerent, alioquin in eos excommunicationis sententiam promulgabat, Magister, & Fratres prędicti, sentientes ex hoc indebite se gravari, ad nostram audientiam appellarunt. Quocirca discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint

Mandatum.

evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas: faciens, quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si gratia, odio, vel timore se subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstante indulgentia, qua tibi, vel Fratribus tui Ordinis a Sede Apostolica dicitur esse indultum, quod non tenearis intromittere te de negotiis, quę tibi a Sede committuntur eadem. Datum Lugduni Idibus Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *F. Raymundo de Pennafort.*) Sancto, Ordinis Prædicatorum, de quo sæpius supra.

2. *Mercedis.*) Quis ille sit celeberrimus Ordo Regius, & Militaris, doctrina spectabilis, caritate summus, pietate major omni præconio, norunt omnes. Captivos ab infidelium tyrannide redimendi causa, jussu Deiparæ fundatum, nemo nescit. Hinc ipsius Sodales obstringuntur quarto voto solemni, manendi scilicet in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione, seu pro ipsorum servanda Fide, necesse fuerit. Sanctos *Petrum Nolasco*, & *Raymundum de Pennafort*, illius Fundatores fuisse, nunc in confesso est, etiam apud ejusdem Ordinis alumnos. Id multis ac gravissimis momentis evincunt, & ex *Decreto SS. Congregationis Rituum Dato XXII Februarii MDCLXXXVII* extra controversiam positum esse, probant. In eandem sententiam pedibus, manibusque descendo: de ipsa dicam in *Notis* ad Diploma *Canonizationis S. Raymundi de Pennafort*. Hic unum noto, quod scilicet singulari benevolentia sacrum Ordinem *Sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum S. Raymundus* semper sit prosequutus, & arctissima necessitudo ipsi cum *Sancto Petro Nolasco* ad mortem usque fuerit. Extat ea de re gravis Epistola *pietate, humilitate, ac eruditione referta*, uti observat vir clarissimus *Nicolaus Antonius Tomo II Bibliot. Hispan. veter. lib. VIII Cap. IV num. CXLI.* Hujus Epistolæ Autographum asservatur *Barchinone* apud Patres *S. Mariæ de Mercede*. Exemplar authenticum vidi in ejusdem Ordinis Cœnobio *S. Adriani* de Urbe. Ipsius tenor talis est. *Frater Raymundus de Pennafort, Venerabili Patri Petro de Nolasch. S. P. D. Dominus Omnipotens, & clemens, precibus Genitricis semper Virginis Mariæ custodiat animam tuam. In omnibus memoriam tui faciens, carissime, & desideratissime Pater, ut commissum tibi gregem custodias semper, & protegas, indefessoque animo pascuas pingues, aquam vitæ, tribuens, perficias opus Domini, usque in diem Christi Jesu, necesse habui hanc tibi scribere. Cum enim certo scias, diversas esse Cælorum vias, secundum diversas vocationes, nollem, a te me miserum imitari, qui constitutus ab hominibus, & in supremum Religionis officium assumptus, ab eo me abdicavi, non ut vacarem otio, sed ut inutilis servus, qua sanctorum, & virorum nominatorum sunt, vane non tenerem. Timui tamen, ne, & tu alios reputans meliores, ut orationi vacares, quod debui ego facere, faceres. Ego assumptus ab hominibus, tu tamen a Virgine cælitus electus, sic Cælum observa, quia ut eligereris, Cælorum culmine descendit Virgo. Parce mihi quæso, Pater carissime, & temeritati, ne, qua audis, adscribas. Ego inutilis, & tu bonus; tu viam veritatis tenens, & ego sicut ovis errans. Ores obsecro tuam carissimam Matrem, ut mihi negligentias in tanto commissas officio, ignoscat. Gaude frater carissime, & noli super tibi commissum gregem tristari, non enim tibi assumpsisti honorem; nec virga florentis indicio, sed Matris Sanctissimæ descensu. Cui enim aliquando Pastorum dixit Virgo: pasce agnos meos? forte ergo Virgini contradices? Non ego hoc spero. Rogo ergo te per Virginis Sanctissimæ viscera, ut suum tibi commissum gregem custodias. Cum sibi speciosissimam deligeret Christus sponsam, sine macula, & ruga, decoram nimis, supra petram eam constituit, & in Petri amore solidavit: Petre amas me? Et cum triplici testimonio amorem probasset, eam sibi custodiendam tradidit. Petrum vidimus de amore, non de cura anxium: si enim amore conglutinantur lapides vivi ædificii, tentatione haud scinduntur, inferno toto non tristantur. Quare ergo Pastor ille non timet super Domini gregem vigilare, qui dum oleo amoris fidei lampades promittit accendere, insufflante adolescentula, erroris nocte extinxit? Nisi quia amore illustrans cordis pervigiles lucernas fidei magis illucescentis amore, spei aures debet præstare, quam de sua innata infidelitatis inconstantia perhorrescere; illi Filius soliditatem fidei in ejus angulari lapide prædixit, tibi Mater obsequium tui amoris gratissimum filio esse monstravit. Reminiscere, Petre carissime, illius felicissimæ noctis, cui arrisit æterna dies, cum ego tuis meritis factus*

sum

fum cælestium civium consors: cum eam vidimus, cujus pulchritudine cæli facti sunt gloriosi; cujus decore sol, & luna lætantur. Unde enim potes tristari, si sic te lætificarunt Angelici chori, jucundarunt aspectus illius, quæ, & Verbum concepit, & Trinitatem honoravit? Descendit ne nunquam Virgo, ut perderet? Immo ut perditos revocaret. Quæ dispersos congregat, congregantes ad se quomodo aufugere potest, quos cælesti amplexu inamissibiliter ad se nectit? Trahe humeros, ne a suscepto officio detrahas manus, ne eam imprudentem doceat, cujus sapientia omnia constant mutabilia, & transitoria firma, & stabilia perseverant. Nunquid non ei imprudentia scriberetur, parvi ponderis hominem ad magni officii onera sublevasse, evectum a se, quem sciebat defecturum? Si humilitatis specie a Virginis officio volueris te abdicare, motum cæli sequere, reverenter primam vocationem intuere; non enim est sanctus motus animi, viam Domini non pertransiens, cujus semitam cæli indixerunt. Perfice igitur viam tuam, immo melius dicam Domini: quia, quæ te ad tantam dignitatem dignata est sublevare, inde te a Cælesti Gloria non deiiciet, sed perducet, ubi cum Trinitate gloriatur in secula seculorum. Amen. Saluta filios tuos, & fratres meos nominatim. Bone. Quo die, quove anno data fuerit hæc Epistola, non legitur in ipsomet Autographo. Id pro more seculi XIII factum crediderim, enim vero in illius ævi Epistolis diem ascriptam passim desiderari, tam certum est, quam quod maxime. Hujus rei exemplo sunt ea quæ refert *Ribera in Militia Mercenaria Centuria I pag.620*, S. R. E. Cardinalium *Epistola*, quæ legitur apud *Labbeum Tomo XI Conciliorum ad annum MCCLXXI pag. 925, apud Odoricum ad eundem annum num. XV, apud Vuaddingum Tomo II Annal. Minor. ad annum MCCLXXI pag. 342 num. VI &c.* Fratris *Philippi* Ord. Prædicatorum *Litera* ad *Gregorium IX* quam transcripsit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXXXVIII pag.104.* Ad hanc nostram sententiam alia sexcenta laudari possunt ex *Thesauro Anecdotorum Patris Marteae*, ex *Spicilegio Patris Dacherii*, ex *Miscellaneis Baluzii*, & ex ceteris ejusdem generis scriptis, quibus luce meridiana clarius fit, moris olim fuisse, nec diem, nec annum in Epistolis annotare. Mirum ad hæc non attendisse eruditum *Echard*, qui levi momento ductus suspectam habet *Epistolam S. Raymundi*. Epistolam *unam*, inquit *Echard* Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCXXXVIII pag. 110, *ad Petrum Nolascum scriptam Bononiæ anno MCCXXXIV edidit Stephanus Corbera in vita Mariæ Cervellon, qua Petrum monet Raymundus, ne suo exemplo Magisterium sui Ordinis deponat. Sed hæc mihi valde suspecta est, nam anno MCCXXXIV Raymundus nondum ad clavum Ordinis stabat.* Anno MCCXXXIV Raymundum nondum ad clavum Ordinis stetisse, nullus in historiis Ordinis Prædicatorum non omnino rudis ibit inficias: a Bononiensi siquidem Capitulo Generali renonciatus est *S. Raymundus* anno MCCXXXVIII, uti liquet ex *Actis ejusdem Capituli*, ex *Gerardo de Fracheto in vitis Fratrum*, ex *Stephano de Salanacho*, *Bernardo Guidonis*, aliisque Scriptoribus coævis. Hinc Emendandus *Sebastianus* noster *Castelleti*, qui *Libro II pag. 22 Vita S. Raymundi* anno MDCI *Romæ* vulgatæ censet, *Sanctum Raymundum* Magistri Generalis officium anno MCCXXX iniisse, ipsique nuncium remisisse anno MCCXXXIII. In eundem errorem impegisse videtur *Corbera*, videtur, inquam; enim vero non ipse fortassis, sed ipsius librarius pervertit scribens 1234, pro 1243, cujus generis menda qui non ignoscit, scribendi laborem ignorat. Sed quicquid sit de hoc; *Corbera* lapsus certe non officit *Epistolæ*, ipsi siquidem nec diem, nec annum adiicit ille, in hoc uno culpandus, quod ex conjectura nequaquam probanda, anno MCCXXXIV scriptam existimavit. Aliud levioris momenti nobis objectatur: *Adde*, inquit *Echard* loco laudato, *Corberam fateri, illam se dare ex codice anno tantum MCCCLXXX scripto, quod ejus fidem non parum elevat.* Si res ita sit; Si in hoc peccavit *Corbera*: Si codex anni MCCCCXXX fidem ipsius elevet: vicit *Echard*; codex enim, ex quo *Epistolam* transcripsi, anno MDCCXXI exaratus fertur. At authenticus est. Hinc de anno, quo Tabellionum auctoritate firmatus fuit, minus utique laborandum. Id ad summum expendi posset, num scilicet alicujus ponderis sint Tabelliones publici, num fides adhibenda *Originali*, seu autographo, ab ipsis descripto. Verum si labefactetur Tabellionum testimonium, si fides autographorum minuatur, quid certi in hujusce generis scriptis reperiri arit? Tabelliones ergo audire præstat: hæc habent post transcriptam Epistolam. *Nos Notarii, actuarius scilicet, & collationarius, in causa compulsæ coram Domino Vicario Generali, & Officiali pro illustrissimo Domino Barchinonen. Episcopo, ad instantiam R. P. Procuratoris Monasterii B. M. de Mercede Barchinonen., attestamur, & fidem facimus, scripturam continuatam in præcedentibus septem foliis, præsenti comprehenso, fuisse legitime exemplatam a suo originali, debiteque cum illo collationatam, prout jam attestati fuimus in sessione habita die XII currentis mensis Decembris anni MDCCXXI. Ita est, & in præmissorum fidem ego Josephus Franciscus Fontana Apostolica & Regia auctoritatibus Notarius publicus Barchinone, & actuarius dictæ compulsorialis causa hic meum appono solitum signum ✠.*

Ita est, & in præmissorum fidem ego Jacobus Savos Apostolica auctoritate Notarius, civis Barchinonen., & collationarius dictæ compulsorialis causa hic meum appono solitum signum ✠.

Hæc Tabelliones. Jam ab anno MCCLX exemplar ejusdem Epistolæ *Romam* ad *Alexandrum IV* missum fuisse, constat ex authentico, quod asservatur *Barchinonè* in arca ferrea, ubi antiquiora monimenta tenent Patres Ordinis *S. Mariæ de Mercede*. In ejusdem Ordinis Comitiis Generalibus *Barchinone* coactis die XXI Aprilis MCCCCXLII, *Natali Gaveo* Generali Magistro, *Acta S. Petri Nolasci* uno in codice descripta fuere, *quia*, inquiunt Patres, *antiquitate pene durare futuris seculis non poterant, in hoc libro mandare fecerunt, & lecta ab omnibus approbata fuat.* Die vero secunda Capituli, XXII nempe mensis Aprilis, *lecta Epistola S. Raymundi*, quæ in eodem codice reperitur, *respondit Congregatio conformari suo originali, ut patet in deposito in arca ferrea. Aliqua sunt emendata.* Anno MDCXXVII ad novam compulsationem, ut loquuntur, *Actorum S. Petri Nolasci* aliud exemplar authenticum *ejusdem* Epistolæ *Barchinone Romam* delatum fuit. Hinc, mea quidem sententia, inconcussa manet fides *Epistolæ*. Hinc omnis adversa suspicio dimovetur.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur in *Bullario Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum pag.20.*

Sepulturam (1) in Ædibus Sacris Cœnobii nostri Burdigalensis (2) liberam esse decernit.

Anno 1274 Die 11 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Burdegalen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Decernit ut supra.

CUm Ordinis vestri Ecclesiis Sedes Apostolica liberam, ut asseritis, concesserit sepulturam; Nos volentes concessionem hujusmodi firmiter observari, vobis prędentium auctoritate concedimus, ut beneficio concessionis prędictę, sicut vobis competit ex tenore ipsius, utamini libere, quotiens opus erit, non obstante indebita contradictione cuiusquam; decernentes nihilominus irritas & inanes, ac nullius existere firmitatis, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, si quas occasione hujusmodi sepulturę, contra ipsius concessionis tenorem, a quoquam in vos communiter, vel divisim, aut locum vestrum, seu quoscunque alios, contigerit promulgari, salva semper canonica justitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo &c. Datum Lugduni III Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Decretum irritum faciens.

1. *Sepulturam.*) Dicitur in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Burdigalen.*) In *Aquitania* ad *Garumnam fluvium*.

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.

Anno 1274 Die 20 Septembris.

Magistro Ordinis, ut de reverentia, & veneratione Ædibus Sacris, ac Nomini Jesu debita Fratres nostri dicant ad populum (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magistro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NUper in Concilio Lugdunensi (3) duximus statuendum (4), ut ad Ecclesias humilis sit, & devotus ingressus, & sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placita, quę considerantes non solum instruat, sed reficiat; convenientes ibidem Nomen id, quod est super omne nomen, a quo aliud sub cęlo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes, oporteat, Nomen videlicet Jesu Christi, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum, exhibitione reverentię specialis attollant. Et quod generaliter scribitur, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsis implentes, specialiter dum aguntur Missarum Sacra Mysteria, gloriosum id Nomen quandocunque recolitur, flectant genua cordis sui, quod capitis inclinatione testentur. Ideoque dilectionem tuam rogamus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus tu, & Fratres tui Ordinis, cum vos populis contigerit proponere verbum Dei, populos ipsos ad premissa efficacibus rationibus inducatis, ita quod proinde retributionis die premium possitis promereri. Datum Lugduni XII (5) Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum,

1. *Populum.*) *Terminato sacro Concilio*, inquit *Fontana* Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag. 107, *Gregorius Pontifex Ordinem Prædicatorum unice deamans, P. Magistro Generali illius Apostolicas literas direxit, injungens, ut per se, & sibi subditos in sacris Prædicationibus Constitutionem de reverentia Sanctissimo Nomini Jesu exhibenda, a se editam, omni spiritus fervore populis annuntiaret. Pontificis jussa prompto animo implevit Magister Generalis, omnibus Provinciarum Provincialibus Prioribus Apostolicum decretum annuntians, datis in hunc modum literis.* In Christo sibi carissimo F. Petro de Valerica Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prædicatorum in Provincia Provinciæ. F. Johannes Fratrum ejusdem Ordinis Servus inutilis, Salutem in Domino sempiternam. Noveritis me recepisse literas Sanctissimi Patris Summi Pontificis *in hæc verba*: (hic inscribit Diploma, dein vero hæc habet:) Cupiens igitur honorem divinum extollere, & Apostolicis obedire mandatis, & Proximum promovere ad devotionis augmentum, dilectionem vestram requiro, & rogo, & eidem (licet ex abundanti) tenore præsentium mando, quatenus beneplacitum memorati Domini Papæ personaliter exequentes, ordinationem ejusdem a Prædicatoribus vestro commissis regimini, faciatis cum opportunis persuasionibus exacta diligentia prædicari. Valete, & orate pro me. Datum Lugduni III Nonas Novembris, anno Domini MCCLXXIV post Concilium Generale Dom. Gregorii Papæ X. *Pontificis Maximi & Magistri Generalis mandatis executionem daturi Patres nostri, debitam reverentiam, exhibendam Sanctissimo Nomini Jesu prædicavere ubique, fundantes etiam Societates in Ecclesiis nostris sub invocatione Nominis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, maximo cum fidelium profectu in via salutis, quibus Pontifices Maximi amplas Indulgentias concessere.* Hæc *Fontana* ex *Taegio*, & ex Actis Capituli Generalis *Lugduni* celebrati hoc anno MCCLXXIV. Idem docent alii Scriptores Ordinis. *Cassegas*, & *Medranus* mox laudandi, *Carolus a S. Vincentio* in *Anno Dominicano I Parte Septembr. in Præfat. pag.* 86. De his disseremus in *Tractatu de Censura Bullar. Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulorum General. pag.* 348. Legitur etiam apud *Petrum Mariam Campi Histor. Placentina Parte II pag. 456, Fontanam supra laudatum, Cassegam I Parte pag. 166, Medranum Histor. Provincia Hispan. Tomo II Parte I Libr. VI Cap. II pag.* 556.

3. *Lugdunen.*) *II.*

4. *Statuendum.*) *Cap. XXV de Immunitate Ecclesiarum.* Hinc *Caput* - Decet Domum - *Tit. XXIII Lib. III Sexti Decretalium.*

5. *XII.*) Librarius *Medrani* scripsit *II.*

Anno 1274 Die 1 Octobris.

R... (1) S. Angeli Diacono Cardinali, ut ex Justis exequiarum Clementis IV percepta Viterbienses Canonici Fratribus nostris restituant.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio R. S. Angeli Diacono Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio,

DIlecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum Viterbien. sua Nobis conquestione monstrarunt, quod cum Nos, causam, quę inter ipsos ex parte una, & Archipresbyterum, & Capitulum Ecclesię Viterbien. ex altera, vertebatur, super eo quod iidem Archipresbyter, & Capitulum, Corpus fel. rec. Clementis Papę Prędecessoris nostri, qui apud Ecclesiam dictorum Prioris, & Fratrum elegerat Sepulturam, in prędicta Viterbiensi Ecclesia fecerant tumulari, Corpus ipsum dictis Priori, & Fratribus, restituere indebite denegantes, tibi sub certa forma duxerimus committendam, tu, licet juxta formam tibi a nobis traditam in causa ipsa procedens, sententialiter pronuntiaveris, Corpus pręfatum restituendum fore Priori, & Fratribus memoratis: tamen super his, quę prędictis Archipresbytero, & Capitulo pretexta Sepulturę ipsius Corporis obvenerunt, & obvenire debuerant supradictis Fratribus, ut proponunt, nihil penitus decrevisti. Quare prędicti Prior, & Fratres Nobis humiliter supplicarunt, ut cum hujusmodi sententia tua in rem transierit judicatam, ea, quę pręfatis Archypresbytero, & Capitulo ob hęc, ultra illud, quod ipsius exequiis consumptum extitit, provenisse noscuntur, sibi restitui faceremus. Quocirca discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas; faciens, quod decreveris, per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante, compellas, veritati testimonium perhibere. Datum Lugduni Kal. Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum,

1. *R....*) *Richardo*. Consulendum *Diploma Datum XXXI Julii MCCLXXIV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbii* asservato.

R....

R.... (1) S. Angeli Diacono Cardinali, ut jus habenti Clementis IV Corpus, & ipsius sepulcrum adjudicet.

Anno 1274 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXX.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio R. S. Angeli Diacono Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

SUa Nobis dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum Viterbien. conquestione monstrarunt, quod cum nos olim, causam, quę inter ipsos ex parte una, & Archipresbyterum, & Capitulum Ecclesię Viterbien. ex altera vertebatur super eo, quod idem Archipresbyter, & Capitulum, Corpus fel. rec. Clementis Papę Prędecessoris nostri, qui apud Ecclesiam dictorum Prioris, & Fratrum elegerat Sepulturam, in prędicta Ecclesia Viterbiensi fecerant tumulari, Corpus ipsum dictis Priori, & Fratribus restituere indebite denegantes, tibi sub certa forma duxerimus committendam, tu licet juxta formam tibi a nobis traditam in Causa ipsa procedens, pronuntiaveris sententialiter, Corpus prefatum restituendum fore Priori, & Fratribus memoratis, tamen super eo, quod dicti Archipresbyter, & Capitulum, quoddam marmoreum Sepulcrum, quod Ven. F. noster Petrus Archiepiscopus Narbonen., tunc Sedis Apostolicę Camerarius, pro sepeliendo eodem Corpore fabricari fecerat, contra prohibitionem ipsius Archiepiscopi, ac etiam S. R. E. Cardinalium, & post denuntiationem novi operis eis factam, temere accipere, ac in eadem Viterbiensi Ecclesia, construere pręsumpserunt, nihil penitus decrevisti. Quare prędicti Prior, & Fratres, Nobis humiliter supplicarunt, ut prędictum Sepulcrum, una cum dicto Corpore, sibi restitui faceremus. Quocirca tuę discretioni per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas, veritati testimonium perhibere. Datum Lugduni Kalendis Octobris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

1. R...) *Richardo* de quo in præcedenti Diplomate.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Sanctæ Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Ordinis nostri Moniales a decimis in subsidium Terræ Sanctæ solvendis eximit (1).

Anno 1274 Die 28 Octobris.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol.* 222.

XXXI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissis, & Conventibus Monasteriorum Sororum Inclusarum Ordinis S. Augustini secundum instituta, & sub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DEvotioni vestrę pręsentium auctoritate concedimus, ut de fructibus, redditibus, & proventibus vestris ecclesiasticis solvere non teneamini, decimam, nuper subsidio Terrę Sanctę in generali Concilio (3) deputatam; & inhibemus districtius, ne quis prętextu ejusdem decimę aliquid a vobis, vel Monasteriis vestris, seu quibuscunque aliis pro vobis, aut Monasteriis ipsis exigere, vel extorquere pręsumat; Nolentes, quod pro tardatione solutionis ipsius decimę, aliquam excommunicationis sententiam latam hactenus, vel proferendam de cetero, incurratis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis inhibitionis, & Constitutionis &c. Datum Lugduni V Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Exemptio.

1. *Eximit*.) Ut in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex alio, quod *Henricus Ratisbonensis* Episcopus sic suo auctoritate probavit anno MCCLXXXIII: *Henricus miseratione Divina Episcopus Ecclesiæ Ratisbonensis, universis Christi fidelibus, Salutem in Domino Sempiternam. Tenore præsentium volumus* (notum facere) *universis, Nos Literas Domini Papæ Gregorii X sub vera Bulla non abolitas, nulla sui parte vitiosas vidisse in hæc verba*: Gregorius &c. Hic inscribitur Diploma; & postea: *Sed quia in testimonium propter dispendium itineris & viarum Discrimina vera Bulla per diversa loca, in quibus dictæ Literæ necessariæ forent, nequeunt transportari, in clarum testimonium, & in signum efficax earundem, præsens scriptum nostri sigilli robore voluimus communire. Datum Ratisbonæ Anno Domini MCCLXXXIII.*

Provinciali Romanæ Provinciæ, ut de Bello, in subsidium Terræ Sanctæ suscipiendo, Fratres ad populum dicant (1).

Anno 1774 Die 13 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Romanę (3) Provincię Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SI mentes fidelium, terrenis abdicatis illecebris, recolendis immensis beneficiis nostri Redemptoris intenderent, si ea cęlesti lumine illustratę diligenti scrutarentur examine, si frequenter meditationis attente conspectui pręsentarent, profecto eorum corda concalescerent intra ipsos igne, in meditantium animis

animis ardescente. Cujus etenim pectus saxeum non emolliret, considerata illius humanitatis (4) humilitas, in qua Dei Filius, factus homo, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo? cujus viscera non inflammaret caritatis ardore pia consideratio illius humiliationis (5) extremę, in qua ipse idem factus obediens usque ad mortem, ad exprobantium opprobia coram tondente se, velut agnus, obmutuit, & sicut ovis ad occisionem ductus, post contumelias, & terrores, post spinas, & sputa, post flagella varia, post diversa denique genera tormentorum, innocens, sine causa, damnatur: & demum saturatus opprobriis clavis affixus, aceto & felle potatus, confossus lancea, in Crucis patibulo tam dirę mortis subiit passionem, mysterium Redemptionis nostrę perficiens, sine qua parum nobis Nativitas profuisset? Quis igitur, hęc, & alia largitatis divinę charismata infra pectoris claustra debita, & frequenti meditatione (6) revolvens, non intus fervidę zelo devotionis accensus ferveat, foris ebulliat, exclamet, & dicat. Quid retribuam Domino pro omnibus, quę retribuit mihi? &, non expectato monitoris, vel sollicitatoris officio, subjungat ultroneus, calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo? Quem non pudeat ingratitudinis argui, quin potius de infidelitate notari, si Creatori proprio, benefico Domino, piissimo Redemptori, tantę necessitatis tempore non assistat, dum hereditatis suę funiculus Terra Sancta, quam sibi testatur scripturę sacrę Testimonium (7) omnium cariorem, in Christianitatis confusionem, & dedecus, per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenetur, & ad occupationem residui per eosdem instantia infestę persecutionis insistitur, super eo assidue in partibus illis Populus Christianus impetitur, & molestiis impetitionibus infestatur.

Terræ Sanctæ strages.

Et quidem, si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis, absque deiertę fidei scrupulo, sui Domini temporalis vel vicum aliquem occupari; & hereditatis Dominicę invasores fideles ulterius patientur? Nunquid marcebunt otio, aut ocyus non exurgent ad vitandum tantę notę discrimen? Exsurgant itaque, qui sunt Christi, & se ipsius esse, non solum nomine, sed opere, fateantur. Exsurgant itaque in illius auxilium, exsurgant ad salutis suę compendium, & illam brevis laboris pretio compendiose mercentur, nunc pręcipue dum in sacro Concilio ad hoc his diebus inter ceteri, immo prę ceteris specialiter congregato, ejusdem Terrę nuper ordinata subventio, sub spe illius, de cujus solius clementi providentia, & clementia provida ordinatio talis, & tanta processit laboris, optatum exitum repromittit. Convenientibus siquidem in eodem Concilio nonnullis Principibus (8), & Prelatis (9) de mundi partibus universis, aliorumque Principum, Prelatorum, & Capitulorum Nunciis, post subsidium pecuniarum, communi consensu Terrę deputatum (10) eidem, convenit omnium sententia in id ipsum, videlicet, ut in generali passagio, cujus celeriter, auctore Domino, terminum prefigemus, universis Christicolis contra blasphemos eosdem constantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus unita potentior tanto ad liberationem Terrę predictę sit via securior, sit opportunitas promptior, & de illa, Deo auspice, spes certior habeatur. Ceterum, licet ad excitandos eorundem fidelium animos, in Terrę memoratę succursum sufficere debeat solers attentio premissorum, licet possit non indigne sperari, quod si fideles iidem, quo debent pietatis oculo Terram eandem respiciant, si ad persecutionis acerbitatem, quam Terra eadem continuis lacessita molestiis, & diutinis vexationibus lassata perpetitur, convertant pię compassionis intuitum, discriminaque considerent, quę per hoc eidem fidei orthodoxę non est dubium imminere, ad assumendum Terrę sępe fatę negotium se potius ingerent, quam invitari ad hoc commonitionis alicujus suffragio expectabunt. Quia tamen speramus, quod vocem virtutis tribuet Dominus voci suę; ad promotionem ipsius negotii verbum Crucis in commissa tibi Provincia decrevimus proponendum, ad quod tuo, ac Fratrum tui Ordinis ministerio, tanto confidentius utimur, quanto vos ad id utiliores Religionis vestrę claritas, & zelus, quo vos ad ea, quę Dei sunt, fervere presumimus, repromittit.

Mandatum.

Ideoque in commissa tibi Provincia predicationis officium in favorem, ac utilitatem ejusdem negotii presentium tibi auctoritate committimus, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus in hujusmodi officio juxta datam tibi a Deo prudentiam, cum omni, qua poteris efficacia, ac attentione procedens, illud per te, ac alios Fratres ipsius Ordinis commissę tibi Provincię, quos ad id de consilio discretorum Fratrum ejusdem Ordinis, duxeris eligendos, quosque tibi per virtutem obedientię cogere liceat ad idem officium prosequendum, & mutare quoties opportunum ipsi negotio, & tibi videbitur expedire: non obstante quod hoc idem aliis sit commissum, studeas exequi diligenter; omnes quos utiles fore putaveris instantius inducendo, ut suscipientes cum reverentia Signum Crucis, ipsamque suis cordibus, & humeris (11) affigentes, ad Terrę memoratę succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et ut iidem fideles premissa eo libentius, eoque ferventius prosequi studeant, quo potiorem se noverint fructum ex suis laboribus percepturos.

Indulgentia concedenda.

Nos de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, & illa, quam nobis Deus ligandi, atque solvendi, contulit potestate, omnibus vere penitentibus, & confessis, qui hujusmodi laborem, salutiferę Crucis signo suscepto, in personis propriis subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, veniam indulgemus, & in retributionem justorum salutis ęternę pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis; juxta qualitatem, & facultates suas, viros idoneos destinaverint, illic juxta providentię tuę, vel ipsorum Fratrum arbitrium moraturos, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in personis tamen propriis assumptę peregrinationis laborem impleverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis volumus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis congrue ministrabunt. Personas insuper, familias, & bona eorum, ex quo Crucem susceperint, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, statuentes, ut sub Diecesanorum defensione consistant. Ut autem iidem Cruce signati eo exequantur libentius, & ferventius votum suum, quo pluribus fuerint favoribus communiti, presentium auctoritate concedimus, ut iidem, illis privilegiis, eaque immunitate gaudeant, quę in generali Cruce signatorum indulgentia (12) continetur. Porro ad hujusmodi ardui & salubris negotii efficaciam pleniorem, ut tu, & dicti Fratres convocare possitis, Cleros, & populos ad quemcunque volueritis locum idoneum, & ibidem Verbum Crucis proponere, ac fidelibus vere penitentibus & confessis ad predicationem hujusmodi convenientibus, ipsamque audien-

audientibus reverenter Centum dies de injunctis eis pęnitentiis relaxare, quodque vobis & vestris familiis, in Ecclesiis Ecclesiastico interdicto subpositis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, submissa voce, & januis clausis, divina celebrare officia, & facere celebrari, ac populis proponere verbum Crucis, auctoritate Apostolica, tibi, & dictis Fratribus duximus concedendum. Volumus pręterea, & concedimus, ut tu, & iidem Fratres, qui in officio pędicationis Crucis pro pręsenti negotio per triennium duxeritis laborandum, vel, si post inceptum laborem hujusmodi cum intentione ipsum per dictum triennium prosequendi, ante finitum idem triennium decedatis, illis immunitate, & privilegiis gaudeatis, illiusque indulgentię sitis participes, quę personaliter in Terrę predictę subsidium transfretantibus, in eodem Generali Concilio noscuntur esse concessa. Ceterum, cum hujusmodi predicationis officium venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis universis, per nos in suis Dięcesibus sit commissum, & ministris Provincialibus, ac aliis Fratribus Ordinis Minorum illud per similes pręsentibus literas committamus, te, ac dictos Fratres ejusdem tui Ordinis cum omni diligentia volumus observare, ne cum Prelatis eisdem in prędicando concurrere, vel ipsorum prędicationem turbare, seu impedire quomodolibet pręsumatis, cum dictis etiam Ministris, & Fratribus prędicti Ordinis Minorum, sic loca prędicationis, & tempora dividendo, ut vos mutuo non turbetis, nec impediatis aliquatenus per concursum, sed vobis invicem alternis vicibus in omni patientia & quiete cedatis. Et si forsan in aliquibus locis Conventus vos habere contingat, in quibus Conventum prędictus Minorum Ordo non habeat. eisdem Ministris, & Fratribus ipsius Ordinis Minorum ad eadem loca supervenientibus in executione prędicti officii tu, & Fratres iidem pręfati tui Ordinis deferatis. Non obstante aliqua indulgentia Fratribus ejusdem tui Ordinis, a dicta Sede sub quacunque verborum forma concessa, quod apostolica mandata suscipere, vel exequi per literas Apostolicas, in quibus de indulto hujusmodi mentio non habetur, minime teneantur, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, seu literis ab eadem Sede obtentis, per quę prędicta impediri, vel differri possint, & de quibus specialem oporteat in pręsentibus fieri mentionem. Datum Lugduni Idibus Novembris, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ne hac de re contentiones fiant, cavet.

1. *Dicant.*) Auxilia Terræ Sanctæ ferenda, sacro approbante Concilio *Lugdunensi II*, decrevisse *Gregorium*, liquet ex hoc Diplomate. Hinc expleta Synodo, ut sacrum Bellum pro Religione suscipiendum indiceretur ubique, nihil intentatum reliquit Pontifex, & hanc provinciam demandavit Episcopis, ac Fratribus Ordinum Minorum & Prædicatorum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Bullam inscriptam Episcopis leges apud *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiastic. ad an. MCCLXXIV num. XL*; *Vuaddingus* autem *Tomo II Annal. Minor. ad an. MCCLXXIV num. XXXI pag.* 400 exscripsit Diploma datum hac de re Provincialibus Ordinis Minorum. Adeas etiam *Petrum Mariam Campi Histor. Placentina Parte II pag. 460.*

3. *Romanæ.*) Non *Romanæ* tantum Provinciæ Præposito, sed etiam Provincialibus *Lombardiæ*, *Franciæ*, *Gallo-Provinciæ*, seu *Tolosanæ*, *Hungariæ*, *Græciæ*, *Teutoniæ*, *Angliæ*, *Daciæ*, *Hispaniæ*, & *Poloniæ* ejusdem tenoris Diploma datum docent *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIV num. XVII*, & Fontana *Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 104. Consulendus etiam *Campi* supra laudatus, *pag.* 407.

4. *Humanitatis.*) *Odoricus*, & *Vuaddingus* legunt: *Humanationis.*

5. *Humiliationis.*) Ex Odorico: *Humilitatis.*

6. *Meditatione.*) Ex Eodem: *attentione.*

7. *Testimonium.*) *Vuaddingus* legit: *testimonio.*

8. *Principibus.*) *Jacobum I* Regem *Aragoniæ* interfuisse Concilio *Lugdunensi II*, certa res est. Adfuisse *Philippum* Regem *Franciæ*, docet *Boulaus Histor. Universitatis Parisien. Tomo III pag.* 407. Advenisse etiam *Balduinum II*, auctor est *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIV num. I*; immo *Platina*, *Sabellicus*, *Naucierus*, *Trithemius*, *Viguerius*, *Sigonius*, aliique, duce *Blondo*, præter historiæ fidem idem scribunt de *Palæologo* Græcorum Imperatore.

9. *Prælatis.*) *Ptholomæus Lucensis brevibus suis Annalibus numerum rotunde exprimit Mille quingentorum septuaginta.* Sic refert *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIV num. I.* Consulendus *Labbeus Tomo XI Conciliorum pag.* 918.

10. *Deputatum.*) Legendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXIV num. III.*

11. *Humeris.*) Nota morem Crucesignandi Milites.

12. *Indulgentia.*) *Concil. Lugdunen. I cap. XVII.*

Monasterii Sandelfordensis (1), Ordinis Fontis-Ebrandi (2), constituendi; provinciam demandat Fratribus Ordinis Prædicatorum.

Anno 1274 Die 21 Decembris.

Ex Petro Maria Campi Histor. Placent. Tomo II in Regesto pag. 466.

XXXIII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Cantuarien. (3), & dilectis filiis Priori Provinciali Anglię, & Fratri Johanni de Dereilneton. (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Supplex Matildis petitio.

Significavit nobis dilecta in Christo filia nobilis mulier Matildes de Clara, Comitissa Glovernię (5), & Herfordię (6), quod in loco, qui Sandelford, vulgariter appellatur, Sareshinen. (7) Dięcesis, tres Canonici Ordinis S. Augustini morantur, Abbatem, sive Priorem, aut alium, qui eis & loco ipsi presit, regulariter non habentes, nec idem locus alicui alii quam Dięcesano spiritualiter est subiectus, quodque idem locus propter varias causas in spiritualibus & temporalibus multipliciter est collapsus, & in eo jam quasi periit observantia regularis, & facultates ejus valentiam centum librarum sterlingorum annis singulis attingere dignoscuntur. Sane dicta Comitissa salubriter cogitans, illud fore Deo acceptabile munus, quod sibi de bonis temporalibus pro cultu sui nominis ampliando, presertim in religiosis locis, & personis offertur, pro suę, progenitorum, & successorum suorum, aliorumque fidelium animarum salute, usque ad valorem annuum ducentarum librarum sterlingorum redditus dicti loci de bonis propriis desiderat augmentare, dictumque Monasterium ordinari, ac ibidem collocari quadraginta Moniales sub clausura, in observantia Ordinis S. Augustini, Deo perpetuo servituras, & decem Presbyteros, qui inibi, ab habitatione tamen ipsarum Monialium distinctis mansionibus penitus segregati, sub habitu Fratrum Ordinis Fontis-Ebrandi perpetuum impendant Domino famulatum, quorum unus de assensu Abbatissę & Monialium ipsius Monasterii, vel maioris partis earum, pręficiatur ceteris Presbyteris in Prelatum, quodque iidem Presbyteri ex causa rationabili exinde amoveri possint, & eis, ac illis, quos contingit decedere,

alii

alii idonei subrogari, prout ipsi Abbatissę visum fuerit, & eidem, qui eisdem Presbyteria taliter presidebit, Diœcesani loci in omnibus jure salvo, prefatis Canonicis in eodem loco ad presens manentibus sustentatione congrua de bonis dicti loci ministranda ipsis ibidem, vel etiam in alio loco ejusdem Ordinis S. Augustini, quandiu vixerint, reservata; presertim cum Capituli Ecclesię Saresbirien., in cujus Parochia locus ipse consistit, & eorundem Canonicorum ad hoc accedat assensus. Nos igitur prefatę Comitissę supplicationibus inclinati, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si vobis constiterit ita esse, dicta Comitissa faciente quod offert, pręmissa juxta prescriptum modum auctoritate nostra exequi studeatis. Contradictores &c. Quod si non omnes &c. Datum Lugduni XII Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

1. *Sandelfordensis.*) In *Vuiltonia*, Provincia *Anglia*.
2. *Fontis-Ebrandi.*) *Fontis-Ebraldi*, vulgo *Font-Evraud*, in *Andegavensi* Provincia *Gallia*. Sic ex ejusdem nominis Abbatia percelebri denominatur Ordo, cujus Abbatissa Generalis præest etiam viris. Hujus Ordinis Fundator est *B. Albertus de Arbrissel*. Floruit ineunte XI Seculo. Consulendi *Honoratus Niquet, in ejusdem Ordinis Historia*. Et Auctor *Clypei nascentis Fontebraldensis Ordinis &c.*
3. *Cantuarien.*) In *Anglia*. Huic Ecclesiæ tunc præerat *Robertus* noster *Kilvvardby*, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.
4. *Derelineton.*) *F. Johannes de Derlintona* vocatur a *Matthæo Paris Histor. Angliæ* ad annum MCCLVI. *Trivetus in Chronicis ad annum MCCLXXVI* ipsum *Johannem de Derlingtonia* nuncupat. *Johannes Durolendunus* dicitur a *Lelando Cap. CCXCI*, & a *Thoma Vvikeo in Chronicis* nominatur *Derlingtonius*. Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXXIV pag. 395 &c.* Dicam in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III.*
5. *Glovernia.*) Urbs est *Dobunorum* in *Anglia*. Vulgo *Glocester*, latine *Glovernia*, *Clevum*, *Claudia* & *Glocestria*.
6. *Herfordia.*) Vulgo *Hereford*, in *Anglia*.
7. *Saresbinen.*) Seu *Saresbirien.* ut in eodem Diplomate, vel *Sarisberien.* vernacule *Sarisburi*, & *Salesburi*. Urbs est Episcopalis sub *Cantuariensi* Metropoli in *Anglia*. Alias *Sarum*, *Dunium*, *Serviodunum*, & *Sarviodunum* dicta fuit.

Anno 1274
Die....

F. Ademarum (1), ceterosque Regis Hispaniarum Nuncios remittens, paternis monitis ab ambiendo Imperio eundem Regem deterret (2).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIV num. XLV.

XXXIV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Regi Castellę ac Legionis illustri, in Romanorum Regem electo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

INducit nos singularis affectus, quo clarę memorię progenitores tuos, & te ipsum ab olim Sedes Apostolica est amplexa, quemque nos prosequi, quantum cum Deo poterimus, constanti voto proponimus, ut paterno more pro te, tanquam pro carissimo filio, consilium capiamus, nec te patiamur perplexitatibus, non solum inutilibus, quin potius damnosis involvi, sed ab eis quatenus te involvisse videntur, cum quanta possumus diligentia celeriter evolvamus, in illis etiam tua procurantes commoda, tuum promoventes honorem. Hinc, fili carissime, procedere cum veritate supponas, ut cum negotium, quod de Imperialis fastigii regimine imminet, sine ulterioris morę dispendio expediri, justitia manifesta suadeat, innumerę mundi necessitates exigant, magna & utilia Dei servitia, pro quibus concilium (3) congregavimus, & precipue status miserabilis Terrę Sanctę, quę in illius prorogatione aperta, & periculosa, impedimenta deplorant, instantię continuatione requirunt, & ad ejus expeditionem accelerandam omnimodis, quasi communis omnium detestantium illud tam periculosa dilatione protractum, clamor impellat, pro vigili studio, & studiosa vigilantia curaverimus regali excellentię rem pro umbra perquirere, pro dispendiosis utilia, pro mundi momentaneis, quę tamen te consequi justitię rigor, & facti qualitas, non permittit, perpetua providere. Sint itaque, Princeps inclyte, aures intentę, oculi tuę circumspectionis aperti, ut quę salubriter suggeruntur, patienter audias, quod in eis agitur, diligenter intelligas, & ad quid pura tui patris spiritualis intentio dirigatur, prudenter advertas. Ad Dei siquidem beneplacita in iis prosequenda studemus, quietem mundi quęrimus, cogitationes pacis solicite cogitamus, discriminibus, quę imminere palpamus, occurrimus, ad Religionis, & fidei christianę, ad tui honoris & commodi properamus augmentum. Nonne honor tibi? Nonne clarius tui nominis tituli coruscabunt, si Divinę voluntati, nostro consilio, te coaptes? Si communem utilitatem tuis desideriis preferas, & nobis, qui tui curam gerimus, de tranquillitate tua, & salute solicitis, acquiescas, in iis profecto non detractionis cujusquam convitium, sed pręconium magnę commendationis expectans? Omnibus etenim non indigne commendabilis apparebis, & cunctorum, pręcipue recte sapientum, judicio nimirum commendandus occurres, si evidentia operis veritas revelata docuerit, quę per te acta sunt, ad ipsum obtinendum, non ambitione gesta, sed ad exaltationem ipsius orthodoxę fidei, ad dandum eidem sabbatisimum Imperio, ad totius orbis relevanda gravamina, quę diuturnitas Imperialis vacationis ingessit, appareant procurata. Quod ex eo evidentius elucebit, si dum ad hęc promptius promovenda celsitudini regię cum evidentia honorifici emolumenti, & emolumentalis honoris affertur via facilior, provisioni nostrę, regalis excellentię intuitu advenię, devotus obedias, & eam, secus suggerentibus non accomodatis credulitatis auribus, in omni promptitudine devotionis acceptes. Ideoque ad hęc tibi seriosius exprimenda venerabilem fratrem nostrum Astoricensem Episcopum, & dilectum filium nobilem virum Johannem Num, Fratrem Ademarum de Ordine Prędicatorum, & Magistrum Ferrandum (4) Notarium, tuos Procuratores & Nuncios remittendos, ac insuper Magistrum Fredulum Capellanum nostrum, Canonicum Magalonensem, virum quidem fidelem, & providum, de cujus fidelitate confidimus, cujusque relationi circa premissa fidem adhibere te, petimus, & suademus persuasionibus adherere, ad tuam duximus presentiam destinandos (5); serenitatem regiam hortantes in unigenito Dei Filio Jesu Christo, & per suę salutiferę Crucis mysterium, in caritatis visceribus, obsecrantes, quatenus in premissis non quid velles, sed quid velle te decet inspiciens,

Paternis monitis Alfonsum Regem erudit.

Nuncios Alfonsi remittit.

& tam

& tam in illis, quam in aliis, quę tibi occurrunt agenda, non solum initium, sed & prosecutionem, & finem, quantum futurorum incertitudo permittit, preambula & attenta meditatione discutiens, eandem provisionem nostram Divini Numinis voluntatem, cui vides a parte nostra in hoc vota concurrere, amplectaris alacriter, & ad tui Creatoris obsequium, ad constituendum tibi mansuetudinis & clementię memoriale perpetuum, sine cujusquam contradictionis, aut dilationis obstaculo, velut fortis ejusdem athleta fidei prosequaris. Super his autem responsionem tuam Deo, ut desideramus, acceptam, necessitatibus predictis accommodam, & proinde nostris desideriis concurrentem, petimus nobis cum celeritate remitti &c. (6).

1. *F. Ademarum*,) Consulendum *Diploma datum XVI Septembris MCCLXXII*, ubi *Aldemarus* vocatur. De eo in *Appendice ad præsentem Pontificatum*.

2. *Deterret*.) Licet enim, mortuo *Richardo*, omnibus, uno excepto Regis *Bohemiæ*, suffragiis, in *Romanorum* Regem *Rodulphus* esset electus, *Alfonsus* tamen *contendebat iniquam eam electionem fuisse, ac penitus rescindendam, si sua legitima extitisset; formidandaque erat Ottocari potentia, ut aliorum Principum conjunctam potentiam (magnam enim Germaniæ partem interregni occasione sibi vendicarat) æquare videretur; quin etiam Italia Alfonsum magis, quam Rodulphum spectabat. In quo ancipiti rerum discrimine Pontifex, ut Christianum orbem intestino malo eriperet, Alfonsum paterno affectu admonuit, ut ab ambiendo Imperio desisteret: rem Christianam non pati, ut diutius ea controversia produceretur; æquo ferret animo, si justitiæ vis sceptrum Germaniæ alteri transcriberet; longe ipsi majorem gloriam comparandam, si præterita publici tantum boni causa tentasse demonstraret*. Hæc *Odericus*.

3. *Consilium*.) Scribendum: *Concilium*: bene optime monet *Odericus*, ibi enim de Concilio Generali *Lugdunensi II* sermo est.

4. *Ferrandum*.) In Diplomate dato XVI Septembris MCCLXXII *Fernandus* nuncupatur. Sic etiam vocat ipsum *Medranus Histor. Provincia Hispan. Ord. Prædicator. Parte I Libro VI Cap. XXXI pag. 548*.

5. *Destinandos*.) Fortassis *Destinandum*. Bullam Legationis exscripsit *Odericus ad annum MCCLXXIV num. XLVIII*.

6. *Remitti &c.*) Hic dies & annus, quibus Diploma datum est, desunt, sed illud *Odericus* refert ad annum MCCLXXIV.

Compositionem Nostrates inter & Conventum Monasterii S. Petri de Saviliano (1) Ordinis S. Benedicti initam confirmat.

Anno 1275 Die 15 Martii.

Ex Arch. (2) *Ord. lib. B. fol. 345.*

XXXV.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui domus Fratrum Ordinis Predicatorum in Saviliano, Taurinensis Dięcesis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis, vestra petitio continebat, quod cum inter vos, ex parte una, & Abbatem, & Conventum Monasterii S. Petri de Saviliano, Ordinis S. Benedicti, Taurinensis Dięcesis, ex altera, super quibusdam domibus, casalitiis, ac ędificiis, eorumque juribus, & pertinentiis, aliisque diversis articulis, atque rebus, orta fuisset materia questionis, tandem super his amicabilis inter partes compositio intervenit, Dięcesani loci, ac Abbatis Monasterii Fructuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ejusdem Ordinis, cui prefatum Monasterium S. Petri subesse dignoscitur, ad id accedente consensu, prout in instrumento publico, inde confecto, plenius contineri dicitur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacifice observata, gratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis infringere &c. Datum Lugduni Idibus Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Confirmatio.

1. *Saviliano*.) Vulgo *Savigliano* in *Pedemontio*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo asservato in Monasterio *S. Dominici de Saviliano*, Plumbum sericis filis appenditur.

Monasterium S. Mariæ de Pruliano (1) variis privilegiis (2) donat.

Anno 1275 Die 23 Martii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

XXXVI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Christo filiabus Priorissę Monasterii B. Marię de Pruliano, ejusque Sororibus tam presentibus, quam futuris, regularem vitam Professis. In Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

REligiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrę religionis enervet. Eapropter, dilectę in Christo filię, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium Beatę Marię de Pruliano Tholosan. Diocesis, in quo divino estis obsequio mancipatę, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Regulam, atque institutionem Fratrum Predicatorum, in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur: Preterea quascumque possessiones, quęcumque bona idem Monasterium in presentiarum, juste, ac canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis, & eis, quę vobis successerint, & illibata permaneant, In quibus hęc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. In territorio Fani Jovis terras, possessiones, molen-

Monasterium suo & S. Sedis præsidio tutatur.

Possessiones confirmat.

molendina de vento, Ortos, prata, pascua, redditus, jurisdictionem temporalem, & quicquid juris, tam ex dono quondam Symonis Comitis Elicestriȩ (4), & Montisfortis, quam alias, emptionis causa, idem Monasterium noscitur obtinere. Ecclesiam Castri Fani Jovis, & Capellam de Fortia dependentem ab ea, cum terris, possessionibus, decimis, redditibus, ac omnibus pertinentiis earumdem: necnon domos, terras, possessiones, redditus, dominium, & universa jura, quȩ in loco habetis prȩdicto. Ecclesiam de Insula, cum decimis, & omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam de Bromio, cum decimis, & omnibus pertinentiis suis, domos, redditus, possessiones, & jurisdictionem temporalem, ac quicquid juris habetis ibidem. Ecclesiam de Venastuilla cum capella de Villa França, dependente ab ea, necnon decimis, & omnibus pertinentiis suis, Domos, Ortos, redditus, molendina, possessiones, dominium, & quicquid juris in eadem Villa Francha Monasterium vestrum noscitur obtinere. Ecclesiam de Limoso, cum decimis, & omnibus pertinentiis suis, domos, redditus, possessiones, jurisdictionem temporalem, molendina, & alia jura, quȩ habetis ibidem. Grangiam de Saugechis, cum pertinentiis suis. Castrum de Fenoleto, cum hominibus, & omnibus appenditiis, & pertinentiis suis. Terras, & possessiones, quas habetis in Castro de Aisona. Tertiam partem Castri de Caiavo cum domibus, & omnibus appenditiis, & pertinentiis suis. Locum, qui dicitur de Legenaco, & tertiam partem dominii Castri de Cor, cum omnibus pertinentiis suis. Castrum de Casali Lanulpho, cum omnibus pertinentiis suis. Solarium de Venastuilla, cum omnibus pertinentiis suis. Vigintiduo Arpenta nemoris in foresta Regis Franciȩ de Sancto Romano, necnon molendinum, prata, & possessiones, quas habetis ibidem. In foresta ipsius Regis de Valesio duodecim sextariatas (5) nemoris. Nemus de Ramundenchis, cum pertinentiis suis. Possessiones, & terras cultas, ac pascua, quȩ fuerunt quondam Guillelmi de Turre militis. Possessiones, Terras, & pascua, quȩ fuerunt quondam Raymundi Ysarni; & alias possessiones, ac quicquid juris in Narbonen., & Bituricen. Provinciis, Monasterium vestrum noscitur obtinere; cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Sane novalium vestrorum, quȩ propriis sumptibus colitis, de quibus aliquis hactenus non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere, vel extorquere prȩsumat. Liceat quoque vobis personas liberas, & absolutas, a seculo fugientes, ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit sine Priorissȩ suȩ licentia de eodem loco, nisi arctioris Religionis obtentu, discedere; Discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terrȩ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Crisma vero, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, & benedictiones Canonicarum (6) a Dioecesano suscipietis Episcopo, si quidem catholicus fuerit, & gratiam, & communionem sacrosanctȩ Romanȩ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, ut infra fines Parochiȩ vestrȩ, si eam habetis, nullus sine assensu Dioecesani Episcopi, & vestro, Capellam, seu Oratorium, de novo construere audeat, salvis privilegiis Pontificum Romanorum. Ad hȩc novas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, secularibusve personis, a vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse, decernimus, ut eorum devotioni & extremȩ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas prȩterea, & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quȩ a laicis detinentur, redimendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis, de nostra auctoritate, facultas. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci Priorissa, vel earum aliqua, quȩ tibi successerit, nulla ibi qualibet surreptionis astutia, seu violentia, prȩponatur, nisi quam Sorores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris, si ad eas dumtaxat Priorissȩ spectat electio, secundum Deum, & B. Augustini Regulam, providerint eligendam. Paci quoque & tranquillitati vestrȩ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu Grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Prȩterea omnes libertates, & immunitates, a prȩdecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, Monasterio vestro concessas, necnon libertates & exemptiones secularium exactionum, a Regibus, & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & prȩsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prȩfatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, earum, pro quarum gubernatione, ac sustentatione, concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva Sedis Apostolicȩ auctoritate, & Dioecesanorum Episcoporum canonica justitia, & in prȩdictis decimis moderatione Concilii Generalis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostrȩ Constitutionis paginam, sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat: & a sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri, Jesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districtȩ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonȩ actionis percipiant, & apud districtum Judicem prȩmia eternȩ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Moniales Monasterio ascribendæ.

Interdicto generali solvuntur.

A quibus Chrisma, cæteraque id genus suscipienda.

Novis exactionibus eximuntur.

Sepultura ibi libera.

Possessiones redimendæ.

Quomodo Priorissa sit eligenda.

Jura Monasterii probat.

Sanctio pœnalis.

Perfice gressus meos in semitis tuis.

Ego Gregorius Catholicȩ Ecclesiȩ Episcopus.

Ego . . . . (7) Episcopus.

Ego Petrus (8) Tusculanus Episcopus.

Ego . . .

Ego . . . . . (9) Penestrinus Episcopus.
Ego Petrus (10) Ostien. & Velletren. Episcopus.
Ego . . . . dus (11) Sabinen Episcopus.
Ego Symon tit. S. Martini Presbyter Cardinalis.
Ego Ancherus tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis.
Ego Guillelmus tit. S. Marci Presbyter Cardinalis.
Ego Ottobonus S. Adriani Diaconus Cardinalis.
Ego Jacobus S. Marię in Cosmedin Diaconus Cardinalis.
Ego Gottofridus Sancti Georgii ad Velum Aureum Diacon. Cardinalis.
Ego Ubertus S. Eustachii Diaconus Cardinalis.
Ego Matheus S. Marię in Porticu Diaconus Cardinalis.

Datum Lugduni per manum Magistri Lafranci Archidiaconi Pergamen., S.R.E. Vicecancellarii X Kalendas Aprilis, Indictione III, Incarnationis Dominicę Anno (12) MCCLXXIV, Pontificatus vero Domini Gregorii PP. X Anno Tertio. Bene valete.

1. *Pruliano*.) Consulenda *Diplomata data XVIII Octobr. MCCXV, & XXX Martii MCCXVIII.*
2. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
4. *Eliceftria*.) Seu *Leicestria*, vulgo *Leicester*.
5. *Sextariatas*.) Vox familiaris apud agricolas & Geometras *Gallos*, qui dimetiuntur agros, & dividunt in *Sextariatas*, *Quartariatas* &c. Hinc in Epistola *Gaufridi de Meduana* apud *Dacherium in Spicilegio Tomo II pag* 507 legitur: *Dedi etiam ducentos medios terra ad opus rusticorum vestrorum, quos sextariatas dicitis*.
6. *Canonicarum*.) Nota verbum, & vide quæ dicta sunt *Annotatione IV in Bullam datam XXX Martii MCCXVIII.*
7. *Ego* . . .) Injuria temporis expunctum est nomen hujusce Cardinalis. Quis fuerit, incertum. Si lectori arrideat conjectura, dicat, istum fuisse *Johannem de Toleto* Episcopum *Portuensem*. Cum enim per id tempus sex duntaxat enumerarentur Episcopi, quos Papæ collaterales vocant, *Ostiensis* ac *Velitrinus*, *Portuensis*, *Sabinensis*, *Prænestrians*, *Tusculanus*, & *Albanensis*, liquet hoc in Diplomate unam & alteram tantum desiderari subscriptionem, *Portuensis* nempe & *Albanensis* Episcoporum. *Albanensem*, *S. Bonaventuram* scilicet, die XV Mensis Julii anno MCCLXXIV obiisse, constat ex Actis Concilii *Lugdunensis II*, apud *Labbeum Tomo XI Concilior. pag.* 960, & *Vuaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXIV num. XIII pag.* 192. Videtur ergo, quod Cardinalis iste sit *Johannes* Episcopus *Portuensis*. Nec me movent *Oldoinus* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCXLIII pag.* 119, & *Petrus Frizon in Gallia Purpurata*, censentes, *Johannem* die XIII Julii anno MCCLXXIV, *dum Concilium Generale haberetur, summoque sui relicto desiderio, incredibili luctu sepulcro conditum esse*. Unum enim duntaxat S. R. E. Cardinalem, Sanctum nempe *Bonaventuram* inter celebrationem Concilii vita defunctum esse, probant ejusdem Synodi Acta supra laudata. Ceterum hæc qualiscunque conjectura nostra firmari potest alio Diplomate, quod exscripsit *Petrus Maria Campi Histor. Placentina Parte II pag.* 446 &c. Datum est enim XI Kalendas Aprilis Pontificatus *Gregorii X* Anno Tertio, die scilicet XXII Martii an. MCCLXXV, stylo novo, veteri MCCLXXIV, ipsique subscripserunt Cardinales hoc ordine:
Ego Fr. Jo. Portuensis & S. Rufina Episcopus.
Ego Petrus Tusculanus Episcopus.
Ego Vicedominus Pranestinus Episcopus.
Ego F. Petrus Ostiensis & Velletrensis Episcopus,
Ego Bertrandus Sabinensis Episcopus.
Ceterique omnes, de quibus in nostro Diplomate, uno tamen excepto *Matthæo S. Maria in Porticu* Diacono Cardinali.
8. *Petrus*.) *Johannes Petrus Juliani*, de quo superior.
9. *Ego* . . .) *Vicedominus*. Consulendus *Ughellus* in Episcopis *Prænestinis*.
10. *Petrus*.) *De Tarentasia*, Ordinis Prædicatorum alumnus.
11. . . . . *dus*.) *Bertrandus*. Legesis *Oldoinum* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXI pag.* 201.
12. *Anno*.) Stylo veteri MCCLXXIV, novo vero MCCLXXV.

Ordines Prædicatorum, & Minorum ex eorum numero, quos Lugdunense Concilium extinctos voluit, non esse, declarat (1).

Anno 1275 Die 31 Martii.

Ex Bullario Carmelitarum Parte I pag. 34.

XXXVII.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Unam (2) ex Constitutionibus, nuper a nobis in Generali Lugdonensi Concilio promulgatis de verbo ad verbum præsentibus fecimus annotari, cujus tenor talis est. Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium (3) consulta prohibitione vetavit; Sed quia non solum importuna petentium inhiatio, illarum postmodum multiplicationem extorsit: verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas, diversorum Ordinum, præcipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrænatam quasi multitudinem adinvenit, repetita Constitutione districtius inhibentes, ne quis de cetero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel Habitum novę Religionis assumat, cunctas afatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam Confirmationem Sedis Apostolicę meruerunt, perpetuę prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant, revocamus. Confirmatos autem per Sedem eandem, post idem tamen Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem redditus, aut possessiones habere, professio, sive Regula, vel Constitutiones quęlibet interdicunt, sed per quęstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, modo subsistere decernimus infra scripto. Ut Professoribus eorundem Ordinum ita liceat in illis remanere, si velint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de novo domum, aut aliquem locum acquirant, nec domos, seu loca, quę habent, alienare valeant, sine Sedis ejusdem licentia speciali; Nos enim ea dispositioni Sedis Apostolicę reservamus in Terrę Sanctę subsidium, vel pauperum, aut alios pios usus, per locorum Ordinarios, vel eos, quibus Sedes ipsa commiserit, convertenda. Si vero secus præsumptum fuerit, nec personarum receptio, nec domorum, vel locorum acquisitio, aut ipsorum, ceterorumque alienatio valeat: & nihilominus contrarium facientes, sententiam excommunicationis incurrant, Personis quoque ipsorum Ordinum omnino interdicimus, quoad

Tenor Constitutionis in Lugdunensi Concilio promulgatæ.

Quidam Ordines extinguuntur.

Declaratio præmissa. quoad extraneos Prędicationis, & audiendę Confessionis,officium, ac etiam sepulturam. Sane ad Prędicatorum, & Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas, Ecclesię Universali provenlens, perhibet approbatos,pręsentem non patimur Constitutionem extendi. Ceterum Carmelitarum,& Eremitarum Sancti Augustini Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale pręcessit, in suo statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum. Intendimus siquidem, tam de illis, quam de reliquis, etiam non Mendicantibus Ordinibus, prout animarum saluti, & eorum statui expedire, viderimus, providere. Ad hęc personis Ordinum, ad quos Constitutio pręsens extenditur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos, licentiam concedimus generalem, ita quod nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum se, ac loca sua, totaliter transferat, Sedis ejusdem permissione super hoc specialiter non obtenta. Datum Lugduni II Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Declarat.*) Adeas *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXV num. II & III.*
2. *Unam.*) *XXIII* Concilii *Lugdunensis II.* Legitur *Tomo XI Concilior. Labbei pag.* 988, & in *Sexto Decretalium Lib. III Tit. XVII Cap. unico.*
3. *Concilium.*) *Lateranense* sub *Innocentio III, Cap. XII.*

Anno 1275 Die 1 Aprilis.

R... (2) S. Angeli Diacono Cardinali, ut Corpus Clementis IV Fratribus nostris Viterbien. restituendum curet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio R... Sancti Angeli Diacono Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUa nobis dilecti filii &c. (3). Sane tu, juxta formam a nobis traditam tibi, in causa ipsa procedens, per sententiam, quę in rem transiit judicatam, pronunciasti, Corpus pręfatum restituendum fore Priori, & Fratribus memoratis &c. (4). Datum Lugduni Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *R...*) *Richardo*, de quo sæpius dictum est.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Filii &c.*) Ut in *Diplomate dato XXXI* Julii *MCCLXXIV*, ad hæc usque verba: *Etiam terminandam.*
4. *Memoratis &c.*) Ut in eodem ad finem usque.

Anno 1275 Die 18 Augusti.

Fratri Petro (1), ut de bonis, etiam Ecclesiasticis, possit statuere testamento.

Ex Echard de Scriptor. Ord. Præd. ad annum MCCLXXVI Tomo I pag. 354.

XXXIX. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Ostiensi, & Velletrensi Episcopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

QUoniam humana fragilitas, mortis imminentis pręcipue cogitatione turbata, nequit plura memorię commendare, tuę circumspectionis prudentia, extremum vitę tempus consilio prudenti pręveniens, circa certam dispositionem bonorum, humani perplexitatem, & incertitudinem exitus, pręvenire desiderans, supplicatione humili postulavit disponendi libertatem, quam in bonis Ecclesiasticis juris

Concessio. censura non patitur, de gratia speciali Apostolica tibi auctoritate concedi. Nos itaque, qui sic personam tuam specialis dilectionis brachiis amplexamur, quod & tuę salutem animę ferventius affectantes, circa ea, quę salutem ipsam respiciunt, desideramus tibi promptis affectibus providere, ut de bonis tuis tam Ecclesiasticis, quam mundanis, licite condere (2) testamentum, concedimus facultatem. Nulli

Sanctio pœnalis. ergo omnino hominum liceat &c. Datum Bellicadri (3) XV Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Petro.*) *De Tarentasia*, de quo superius *Constitutione IX.*
2. *Condere.*) Adderem: *Valeas.*
3. *Bellicadri.*) Vulgo *Beaucaire* in *Occitania* inferiori ad *Rhodanum* fluvium.

Anno 1275 Die 4 Septembris.

Oppressos in Lusitaniæ Regno defendit, & quid hae de re jussu suo Fratres Prædicatores & Minores egerint (1), narrat.

Ex Petro Maria Campi (2) Histor. Placentin. Tomo II in Regesto pag. 473.

XL. Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Hujusce Diplomatis causa. DE Regno Portugallię contra dudum, & nunc, propter peccata forsan populi, regnantes in ipso, ab olim ingens clamor ascendens, in eentes, & Regna illorum diffudit infamiam, & exclamans in eo sancta prosterni, Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & libertatem ipsarum non conculcari tantummodo, sed quasi omnino subverti, Regnum ipsum eum suis habitatoribus per Regnantes eosdem non regi, vel dirigi, sed velut datum in prędam ab ipsis, & suis tanquam a prędonibus inhumane tractari, undique diripi, totaliterque consumi, diversorum Romanorum Pontificum Prędecessorum nostrorum, & nostras aures perculit, & ad prędictorum correctionem, ipsiusque Regni directionem, eo specialius illorum, & nostrum excitavit officium, affecit animos, provocavit affectus, quo idem Regnum, quod est Romanę Ecclesię censuale (3), ipsi Ecclesię speciallori jure tenetur. Dudum siquidem, cum ad felicia recordationis Honorii (4) Papę Prędecessoris nostri audientiam validis multorum clamoribus pervenisset, quod quon-

quondam Alfonsus (5) Portugallię Rex, timorem Divini nominis, & amorem damnabiliter a se protius abjiciens, & tanquam ad ejusdem Regni, & habitatorum suorum conculcationem, seu potius desolationem extremam, & subversionem omnimodam Ecclesiasticę libertatis, in spiritu tyrannicę persecutionis anhelans, inter cetera gravia, & enormia, quibus contra se ultionum Dominum provocabat, sacrosanctam Ecclesiam, sponsam ejus, in Regno ipso ancillare pro viribus satagebat, tam Cathedralibus, quam aliis Ecclesiis, necnon Monasteriis, Hospitalibus Domibus, aliisque Religiosis locis, & Clericis dicti Regni collectas, & alia importabilia gravamina, pręsumptuosus imponens, alias eandem diversis afflictionibus opprimendo, pręfatus Prędecessor eundem Alfonsum per suas literas (6) rogandum, monendum duxit attentius, & hortandum, obsecrans per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, ut, culpas suas humiliter recognoscens, converti ad Dominum festinaret, & ab Ecclesiarum, ac personarum Ecclesiasticarum molestiis, & gravaminibus omnino desistens, bonę memorię Archiepiscopo Bracarensi, qui hujusmodi occasione gravaminum in eundem Regem, ac nonnullos complices, excommunicationis, & terram ipsius, Metropoliticа sibi lege subjectam, interdicti, sententias duxerat promulgandas, de damnis, & injuriis Archiepiscopo irrogatis, eidem satisfactionem plenariam exhiberet, certis super hoc executoribus deputatis, adjectisque comminationibus gravibus, & diversis, quę de Regni etiam amissione formidinem ingerebant. Cumque quondam Sanctius (7) ipsius Alfonsi filius, & in Regno successor eodem, tanquam in ipsum eum Sanguine hujusmodi pravitate diffusa, fugienda sequens vestigia genitoris, excessus enormes in Ecclesiasticas, & Religiosas personas non minus, immo magis perniciose committeret, prava quędam, & iniqua inter cetera prosequendo statuta, quę proavi (8) sui prophana proponitur edidisse pręsumptio, & per quę personarum ipsarum injurię, ac infamationes graves, domorum quoque infractiones, bonorum spoliationes, & direptiones, frequentius contingebant: pię memorię Gregorius Papa Nonus Prędecessor noster, cum ad ipsum pręmissa per clamosę insinuationis infamiam devenissent, intendens & ejusdem Sanctii saluti consulere, & Ecclesiarum, ac personarum ipsarum indemnitatibus pręcavere, dicto Sanctio inter alia districtius inhibuit per suas literas (9) speciales, ne per se, vel officiales, aut vassallos suos, personas easdem infamare, vel earum domos infringere, seu bona ipsarum quovis modo diripere, attentaret, ab earundem gravaminibus, & molestiis quibuscunque penitus abstinendo; & certis super iis executoribus deputatis, graves comminationes, & diras, idem Gregorius Prędecessor adjecit. Recolendę insuper recordationis Innocentius Papa Quartus Prędecessor noster, querelis multimodis, & clamosis delationibus excitatus, & inter alia intellecto, quod idem Sanctius ejusdem Regni gubernatione suscepta, Ecclesias, & Monasteria consistentia in eodem, in gravem Divinę Majestatis offensam, & conculcationem Ecclesiasticę libertatis, exactionibus, & oppressionibus plurimis per se, ac suos immaniter afflixerat, & affligere non cessabat, & ab aliis pro ipsorum libito libere permittebat affligi, cupiens Regnum ipsum tot tribulationum adversitate depressum, per alicujus prudentis industriam relevari, cum pręfatus Sanctius, quem per suas literas (10) idem Innocentius Prędecessor rogandum duxerat attentius, & hortandum, specialibus super hoc monitoribus (11) deputatis, ut pręmissa celeri emendatione corrigeret, ac in consilia se reduceret meliora, in deterius semper converteret actus suos, & mala malis, tanquam in sensum datus reprobum, cumularet, Barones, Communitates, seu Consilia, tam Civitatum, quam Castrorum, aliorumque locorum, ac universos milites, & populos per Regnum constitutos prędictum, per certas sub certa forma confectas literas (12) de fratrum suorum consilio monuit, rogavit, & hortatus extitit: dans nihilominus illi districtius in pręceptis, ut carissimum in Christo filium nostrum Alfonsum (13) Portugallię Regem illustrem, tunc Comitem Boloniensem, ejusdem Sanctii germanum, per quem sperabat ipsius Regni miserabilem statum, ope comite cęlestis auxilii, relevandum, cum prędictum Alfonsum ad curam & administrationem generalem, & liberam dicti Regni Apostolicę Sedis auctoritas assumpsisset, devote recipere, sibique in omnibus, & per omnia intendere procurarent, deputatis eidem certis executoribus in hac parte, prout hęc omnia eorundem prędictę literę plenius attestantur. Porro processu temporis pręfatus Alfonsus Rex, ad ejusdem Regni Pręlatorum instantiam, ad curam & custodiam dicti Regni, ac defensionem Pręlatorum ipsorum, necnon Religiosorum, ac totius Cleri, & Monasteriorum, Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, ceterorumque in illo degentium, per Sedem eandem, prout pręmittitur, evocatus (14), licet certos ex parte Pręlatorum ipsorum articulos sibi oblatos P. . . . . (15), ac pręmissas provisiones Apostolicas in prędictis eorundem Prędecessorum Honorii, & Gregorii literis comprehensos, se, cum ipsius Regni Dominium quomodolibet adeptus foret titulo, astrinxerit, juramento pręstito, servaturum, prout in literis inde confectis, & quondam Magistrorum Johannis Sedis Apostolicę Capellani Carnotensis, & Lucę Decanorum (16), ac Petri Cancellarii Parisiensis, Ecclesiarum, aliorumque Clericorum, tam Religiosorum, quam secularium, necnon & quorundam nobilium sigillis munitis plenius continetur (17). Tam grandis tamen honoris, ab ejusdem sibi Sedis benignitate collati, quasi omnino immemor, tantique beneficii gratiam minime recognoscens, sed ad eam prorsus ingratus, juramenti religione contempta, quam cautius custodire debuerat, non solum provisiones, & articulos supradictos servare contempsit, verum etiam quamplura contra Pręlatos, & Ecclesias, Religiosos, Clerum, & populum sępe dictos, & libertatem Ecclesiasticam commisit enormia, sicut fama, immo verius, infamia publica protestatur; propter quę bonę memorię Martinus (18) Archiepiscopus Bracarensis, E. . . Compostellanus Archiepiscopus, tunc Colimbriensis, R. . . . Egitanien., V. . . . Portugallen., M. . . . Colimbrien., tunc Visen. Episcopi personaliter, & bonę memorię Eiboren., & P. . . . Lamecen. Episcoporum Procuratores, oppressionibus dicti Regis afflicti, affecti molestiis, injuriis lacessiti, ad Apostolicę Sedis clementiam, a persequentis facie fugiendo, necessarium habuere recursum, super iis opportunum provisionis, & consilii, Sedis ipsius remedium, non absque laboribus gravibus, & expensis longo inibi tempore pręstolantes. Et demum dictis Bracaren., & Compostellan. Archiepiscopis, ac R. . . Egitanien. Episcopo sublatis de medio, Nos, ad supplicem aliorum superstitum Episcoporum instantiam, per nostras sub certa forma literas (19) eundem Regem rogare, monere, ac hortari curavimus, ut a violatione libertatis Ecclesiasticę, necnon & ab usurpatione jurium Divinorum, & ab Ecclesiasticarum, aliarumque secularium personarum quibusvis molestiis abstineret, ceterosque sibi subditos cessare compelleret ab eisdem, quodque univer-

Honorii hac de re gesta.

Gregorius IX Ecclesiasticæ libertati consulit.

Quid Innocentius IV egerit, refert.

Alfonsus in Sanctii locum sufficitur.

Lusitani Præsules adeunt Apostolicam Sedem.

Alfonsum eversorem libertatis Ecclesiasticæ gravissimis literis Gregorius monet.

universa bona, & singula Prelatorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliarum quarumcunque personarum Ecclesiasticarum, quę quacunque occasione ablata, vel quocunque modo illicite occupata, consumpta, detenta, seu data, vel alienata per eum, vel de mandato ipsius, aut per Barones, milites, & officiales ejusdem extiterant, sine difficultatis obstaculo restitueret, ac restitui faceret cum fructibus inde perceptis, & de damnis, & injuriis ipsis illatis satisfactionem exhiberet eisdem, & exhiberi faceret competentem; & quod Constitutiones, & statuta, in eodem Regno contra Ecclesiasticam libertatem, statumque Regni pacificum introducta, non servaret, nec ab aliis permitteret observari, sed prędictas Ecclesias & personas in libertate plenaria conservaret, ac insuper caveret per suas patentes literas, bulla sua plumbea consignatas, venerabilibus fratribus nostris Egitanien., Colimbrien., Portugalien., Ulixbonen., & aliis Episcopis dicti Regni, eorumque Capitulis, singulis eorundem singulas literas concedendo, promittens eis firmiter in eisdem, quod ab ipsorum Episcoporum, & aliorum Prelatorum, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum ipsius Regni gravaminibus, injuriis, & molestiis antedictis, & consimilibus abstineret, & suos faceret abstinere; Alioquin, quantumcunque ipsum dilectione paterna portaremus in visceribus caritatis, non possemus ęquanimiter sustinere, quin super hoc, suę providendo saluti, & eorundem Prelatorum, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum, necnon & Communitatum, Consiliorum, & hominum Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, pacifico statui, ut tenemur ex officio, pręcavendo, aliter contra ipsum procedere curaremus. Et quia ferventi desiderio cupiebamus, & cupimus, ut inter ipsum, & Prelatos, Clericos, & personas Ecclesiasticas dicti Regni optata pax, & concordia proveniret, & stabili, postquam provenisset, firmitate duraret, aliquos viros providos & fideles, ad nos cum sufficienti mandato transmitteret, qui ea, quę per ipsum, & suos, in premissis correcta, & emendata existerent, & pacem, atque concordiam, quam dictis Prelatis, Clericis, & personis Ecclesiasticis super iis ex tunc servare proponeret, in nostra possent, & studerent presentia roborare, vel eundem Regem in iis omnibus nostrę, & Apostolicę Sedis, ordinationi submitterent, quicquid, ęquitate pręvia, per Nos, & Sedem ipsam in omnibus supradictis ordinari contingeret, recepturi. Dedimus pręterea dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Ulixbonen. per alias nostras literas (20) in mandatis, ut ejusdem Regis provinciam (21) adeuntes, ipsum, ut se super iis, quę in nostris literis tunc directis eidem, & articulis ab ipsius Regni Prelatis coram nobis propositis, & per Fratres sibi presentandis eosdem, continebantur, corrigeret, ex parte nostra monere, ac efficaciter inducere procurarent; & si ad correctionem illorum voluntarium se offerret, vel ex responsione ipsius, ac aliis circumstantiis appareret, quod vellet premissa corrigere, interdictum in eodem Regno a Prelatis positum supradictis, usque ad septem menses a receptione literarum nostrarum suspenderent numerandos, ita tamen, quod solemnes Nuncii dicti Regis cum sufficienti mandato infra menses quatuor, a tempore suspensionis interdicti hujusmodi computandos, iter arriperent ad nostram pręsentiam veniendi. Si vero prefatus Rex juxta mandati nostri tenorem corrigere prędicta contemneret, sępedictum Regnum ipso jure post septem menses eosdem redigerent in pristinum interdictum. Memoratis etiam Fratribus in virtute obedientię districte per alias nostras injunximus literas, ut cum idem Rex predictos Episcopos, aliosque Prelatos, necnon Capitula, Conventus, Clericos, & Ecclesias, ac populum dicti Regni gravibus, sicut acceperamus, afficeret injuriis, & pressuris, nosque sibi super hoc nostras sub certa forma literas mitteremus, eas dicto Regi fideliter presentarent, ac responsum ejus, & quicquid super iis duceret faciendum, necnon locum, & diem in quibus, & coram quibus personis ipsi Regi dictas literas ducerent presentandas, per suas patentes literas, directarum tam eis, quam ipsi Regi literarum seriem continentes, curarent nobis plenius intimare. Sane duo ex dictis Fratribus, mandato recepto, volentes observare solicite fines ejus, prefati Regis adiere prefentiam, & ipsius mentem verbis pacificis, humilibusque sermonibus inclinare, ipsumque diligenter, prout ex forma ipsius mandati poterant, monere, ac inducere curaverunt, ut saluti suę providens, & honori mandatis, & monitis Apostolicis obediret. Idem vero Rex ab eisdem Fratribus multotiens humiliter requisitus, ut presentatas sibi per illos Sedis Apostolicę literas clementer audiret, tanquam male sibi conscius, per diversas excusationes, & frivolas, multiplici exquisito diffugio, vix tandem elapsis pluribus terminis, super hoc ab eo Fratribus assignatis eisdem, & protestationibus plurimis Fratrum ipsorum coram Baronibus, & Consiliariis dicti Regis, ac multis aliis tunc presentibus publice factis, quod mandatum Apostolicum parati erant, prout tenebantur, executioni debitę demandare, qualem audientiam voluit dictis Fratribus exhibere, nunc infirmitatem, nunc minutionem, nunc alia impedimenta varia pretendendo. Et quanquam post nonnullos terrarum circuitus, dictorum Fratrum humilitate devota, non absque laborum sarcina illius vestigia prosequente, se velle Apostolicis parere in hac parte beneplacitis, simularet, parum tamen de iis, quę tantum verbaliter pretendebat, realiter adimplevit, eo magis inobedientię suę vitium detegens, quo amplius illud obtegere satagebat. Et tandem licet ipse Rex, auditis & intellectis literis supradictis, & Regni gravaminibus, afflictionibus, & oppressionibus abhorrendis, per Fratres eosdem sibi oraculo vivę vocis expositis, quamvis eorum existeret non ignarus, Baronibus, & Consiliariis suis, tunc secum morantibus, correctionem Regni simulate committeret, tamen quasi nihil per ipsum, aut eos actum extitit circa illam, propter quod penes Regem eundem proficere non valebant, nec volentes per verba ejus, in quibus veritatem reperire non poterant, ulterius detineri, ab eo super iis instanter petiere responsum, nobis fideliter indicandum. Quod tandem in quadam cedula non sigillata notatum, quanquam illud sub sigillo Regio instantissime postulassent, per opportunę importunitatis instantiam extorserunt tam responsum hujusmodi, in quo idem Rex licet persuasę sibi correctioni juxta mandatum nostrum se vacare pretenderet, per hoc calamitates, & miserias dicti Regni, non tam inficians, quam affirmans, excusationibus tamen frivolis, & malitiosis diffugiis potius intendebat: quam quod in hac parte fecerant per suas nobis patentes literas plenius intimantes, per quas, nobis super dictis gravaminibus evidentius informatis, liquido constitit, circa correctionem illorum non esse dictorum Fratrum, immo nostris monitionibus, paritum, seu quomodolibet satisfactum. Nos igitur, qui ex debito Pastoralis officii de fidelium statu pacifico solicitis studiis cogitare

Idem negotium Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Ulyssiponen. committitur.

cogitare tenemur, tot & tantas iniquitates, tanto continuatas tempore, immo potius tot temporum, & successionum continuatione, incorrigibiliter obfirmatas, nequeuntes ulterius, urgente conscientia, conniventibus oculis, pertransire, sed Prelatis, Ecclesiis, Monasteriis, Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis, ceterisque habitatoribus dicti Regni, super tot importabilibus gravaminibus, afflictionibus, & pressuris benigno compatiens (22) affectu, & volentes etiam paci, & tranquillitati eorundem Regni Prelatorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Clericorum, & aliorum in illo degentium paterno solicitudinis studio providere, de Apostolice plenitudine potestatis, & Fratrum nostrorum consilio, statuimus, & ordinamus, quod idem Rex obliget se stipulatione solemni, prestito juramento, ad observandum, quę in predictis eorundem Honorii, & Gregorii Predecessorum literis continentur, & quę, ut premittitur, Parisius etiam juravit, & quod nullo unquam tempore veniet contra ea: promittat etiam, quod sui successores in Regno predicto, in quibus hujusmodi jam quasi hereditarię pravitatis in tot eorum sine interruptione radicatę Predecessoribus, exempla non inmerito metuuntur, infra annum, postea quam gubernacula ipsius Regni susceperint, se modo simili obligabunt, & super hoc idem Rex suas patentes literas, tam juramentum, quam totius promissionis hujusmodi seriem continentes sua plumbea bulla bullatas confici faciet, dilecto filio Electo Bracarensi, & venerabilibus Fratribus nostris Egitaniensi, Colimbriensi, Portogallensi, Ulixbonensi, Silvensi, & ceteris ipsius Regni Episcopis, eorumque successoribus, vel procuratoribus eorundem, singulis videlicet singulas concedendas. Statuimus insuper, ordinamus, & providemus, quod quandocunque aliquos in Barones, Alferazes, seu Signiferos, Maiordomos, Cancellarios, Superjudices, Consiliarios, Almozarifos, Pretores, Meyrinos, & alios Officiales (23) publicos in Regno assumet eodem, ipsos, antequam suorum officiorum executionem concedat eisdem, jurare faciat, quod ipsi non erunt in consilio, auxilio, vel favore, quod idem Rex, vel aliquis de suis contra predicta, provisiones, & contenta in forma premissi juramenti Regis ejusdem, aut contra Ecclesiasticam libertatem quicquam faciat, & ipsi ea inviolabiliter observabunt, & a suis subditis facient observari. Quodque nobiles viros Dionysium (24), & Alfonsum (25) filios, Alferaz, Majordomum, Cancellarium, Barones, Superjudices, Consiliarios, Almezarifos, Meyrinos, Pretores, Judices, & alios Officiales publicos Regni ejusdem, qui jam instituti administrant, faciat prestare simile juramentum, & quod dicti successores sui hoc ipsum de suis Baronibus, Alferaalbus, Majordomibus, Cancellariis, Superjudicibus, Consiliariis, Almozarifis, Pretoribus, Meyrinis, Judicibus, Regni sui Officialibus, & ordinariis observabunt. Providemus etiam, ordinamus, atque statuimus, quod nominatus Rex pro se, & omnibus de Regno, & dominio suo, bona fide, & sine fraude prestet, & concedat perpetuuam securitatem (26), & pacem predictis Electo, & Episcopis, ac eorum familiis, & rebus, ac aliis, qui hacteous astiterunt, aut prestiterunt eis in dicti prosecutione negotii, vel deinceps astiterint, aut prestiterint auxilium, vel favorem, quod eis in personis, vel rebus suis intrando, morando, vel exeundo Regnum predictum quotiens, & quando suis viderint utilitatibus expedire, non offendet, nec offendi, quantum in eis (27) fuerit, per aliquem, patietur. Quodque idem Rex remittat Prelatis, eorum familiis, & aliis supradictis omnem rancorem, & odium, si quod contra ipsos concepit, aut aliquem eorundem, vel saltem in abstinendo ab offensis eorum, & faciendo alios abstinere, perinde se habeat ad ipsos, ac si adversus eos nullum rancorem, vel odium concepisset. De hujusmodi autem securitatis & pacis infractione ipsum ita per omnia teneri decernimus, sicut juxta consuetudinem regionis teneretur, si treguam (28) forsitan infregisset. Et quod super premissis capitulis omnibus, & singulis observandia prestet idem Rex corporaliter juramentum, & confici etiam faciat patentes literas, sua predicta plumbea bulla bullatas, & predictorum filiorum suorum, Alferacum, Cancellariorum, Majordomorum, Suprajudicum Curię suę, ac decem Baronum majorum de dicto Regno sigillis nihilominus roboratas, dando singulas dictis Electo, & singulis Episcopis, Abbatibus, & Prioribus Monasteriorum, quę per Priorem consueverunt tantummodo gubernari, necnon & communitatibus Civitatum Regni predicti. Ceterum quia facilis forsan esset predictorum transgressio, nisi penarum adiectione vallentur, volumus, & ordinamus, quod nisi sę pedictus Rex infra tres menses, postquam ad ipsum ordinatio ipsa pervenerit, & successores sui infra annum, postquam regnare ceperint, omnia, & singula compleverint supradicta, si Capitula cujuslibet ipsorum premissa, prout contigerit, omitterent implere, & si per unum mensem in hujusmodi obstinatione perstiterint; loca etiam, in quibus ipsi omittentes fuerint, vel ad quę ipsos contigerit pervenire, quandiu ibi moram contraxerint, sint Ecclesiastico supposita interdicto. Et si infra unum mensem preter predictos tres, sive annum, quantum ad successores, proximo sequentes, huic ordinationi parere, ac premissa omnia, & singula implere neglexerint, idem Rex, & predicti successores ejus ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quam ex nunc in illum casum ferimus in eosdem. Quod si infra alium mensem, predictum unum mensem immediate sequentem, in hujusmodi negligentia, seu omissione perstiterint, tota terra sua, videlicet predictum Portugallię, & Algarbii Regnum eo ipso Ecclesiastico subjaceant interdicto, & si adhuc per tres alios menses in illorum adimpletione cessaverint, subditi & vassalli eorundem Regum ab observatione juramentorum fidelitatis & homagii, quibus sibi obligati existunt, sint penitus absoluti, sibique respondere in aliquo minime teneantur, quandiu in hujusmodi pertinacia permanebunt: Nec Rex idem & successores jure patronatus, si quod in Ecclesiis dicti Regni, quandiu in hujusmodi contumacia, & excommunicatione permanserint, uti possint. Si autem memoratus Rex, aut successores sui, post promissiones, & obligationes predictas, juramenti prestationem, literarum suarum, pacis & securitatis concessiones hujusmodi, contra predicta venerint, vel aliquod premissorum, & infra similes terminos, postquam denuntiatum fuerit eis per Diocesanum loci, in quo Rex prefatus, vel successores sui veniendo contra premissa excesserint, vel per ejus Vicarium, ipso absente, aut ejus Ecclesia vacante, cum consilio & assensu duorum Coepiscoporum Regni ejusdem, tunc in Regno ipso presentium, super iis satisfacere forte contempserint, penis expressis superius ipsos decernimus subjacere; a quibus absolvi non possint sine mandato Sedis Apostolice speciali. Assumendi autem in Barones, Consiliarios, & alios officiales publicos, seu etiam jam assumpti, si eorum, quę juraverint, fuerint transgressores, nisi exinde infra mensem satisfecerint competenter, laici eo ipso sententiam excommunicationis incur-

incurrant, Clerici vero & eadem ligati sententia, & obtentis beneficiis sint privati, & inhabiles ad alia obtinenda. Nulli ergo &c. Datum Bellicadri II Nonas Septembris, Pontificatus nostri Anno Quarto.

1. *Egerint.*) Consulenda *Diplomata XXVIII Maii, & II Junii MCCLXXIII.*
2. *Campi.*) Partim legitur apud *Odoricum Raynaldum ad annum MCCLXXV num. XXI.* Ejusdem meminit *Antonius Brandanus in Alfonso III.*
3. *Censuale.*) Vide Diploma *Innocentii III* apud *Odoricum ad annum MCCXII num. XXXVIII.*
4. *Honorii.*) *III.*
5. *Alfonsus.*) II.
6. *Literas.*) Extant apud *Odoricum ad annum MCCXXII numeris L, LI &c.*
7. *Sanctius.*) II.
8. *Proavi.*) *Alfonsi* scilicet I.
9. *Literas.*) *Datas Laterani XVIII Kalendas Maii, Pontificatus Gregorii IX Anno XII*, Christi MCCXXXVIII. Adeas *Odoricum ad eundem annum num. XLVIII, XL IX &c.*
10. *Literas.*) Quas exscripsit *Odoricus ad annum MCCXLV num. VI &c.*
11. *Monitoribus.*) *Portugallensi*, & *Conimbricensi* Episcopis, ac Priore Fratrum Prædicatorum *Conimbricen.*, ut ex Diplomate mox laudato videre est, & ex alio mox citando.
12. *Literas.*) Illas transcripsit *Odoricus ad annum MCCXLV num. LXVIII &c.*
13. *Alfonsum.*) III.
14. *Evocatus.*) Anno MCCXLV.
15. *P......*) *Parisius.*
16. *Decanorum.*) *Odoricus* apposite scribit: *Decani.*
17. *Continetur.*) Meminere *Bzovius ad annum MCCXLV num. IX*, & *Antonius Brandanus supra laudatus.*
18. *Martinus.*) Legendum Diploma apud *Odoricum ad annum MCCLXVIII num. XXXVIII.*
19. *Literas.*) Extant apud eundem *Odoricum ad annum MCCLXXIII num. XXV &c.*
20. *Literas.*) Exscriptas *XXVIII Maii, & II Junii MCCLXXIII.*
21. *Provinciam.*) Turbatus videtur locus.
22. *Compatiens.*) *Compatientes.*
23. *Officiales.*) De his consule *Bernardinum a Sancto Antonio* in *Descriptione Portugalliæ.*
24. *Dionysium.*) Dein *Lusitaniæ* Regem, *Patrem patriæ* nuncupatum.
25. *Alfonsum.*) *Portus-alacris* Dominum.
26. *Securitatem.*) Forma *securitatis* ab *Alfonso* datæ legitur apud *Odoricum ad annum MCCLXVIII num. XLI.*
27. *Eis.*) *Eo*, ut scribit *Odoricus.*
28. *Treguam.*) Seu *Treugam*, Italice *Tregua*; sic inducias vocant.

Archiepiscopis & Episcopis Italiæ, ne quis Fratres (1) de Pœnitentia nuncupatos molestiis afficiat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis per Italiam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

NImis patenter divinę gratię comprobatur abusor, qui ad Dominum converti volentibus, obicem interjacet tarditatis, eique execrabiliter convincitur adversari, quod conversos ad ipsum, avertere gestiens, eis laqueos iniicit captivnis, & persecutionis ipsos molestiis inquietat, tanquam Pharaonis imitatur vestigia, qui corde induratn, non nisi plagis percussus, filios Israel permisit exire Ægyptum, & egressos tandem, sic tyrannide persequi non cessavit, donec ipse, cum suis, aquis validis, meruit suffocari, posteris relinquens exemplum, ut ex simili culpa, similis deberet formidari vindicta. Sane ad aures bo. me. Honorii (3) Papę Prędecessoris nostri, noveritis pervenisse, quod nonnulli de pręsentibus vitę novissima sua provide memorantes, derelictis seculi vanitatibus, pęnitentiam, in corde contrito, & humiliato, spiritu agere in domibus propriis, vel alibi (4) statuerunt, & ut retribuentes miserę filię Babylonis retributionem, quam retribuit ipsa eis, promissę Beatitudinis pręmium facilius, & felicius assequantur, castigare corpus proprium & in servitutem redigere concupiscunt: sed Potestates, & Rectores Civitatum, & locorum, in quibus tales Domini servi degunt, non attendentes, quod nemo militans Deo, implicat se negotiis secularium, & quod sponsa lotos pedes abnuit inquinare, ab eis, ut ipsos sequantur, & exerceantur in armis, juramenta extorquere contendunt, & ad recipienda, & exequenda publica officia, compellere moliuntur; quin etiam illos, qui ad agendam pęnitentiam secretos petiere recessus, ad propria revocantes, ipsis nova onera, & exactiones imponunt; alias inhonorando ipsos, quos, tanquam Dei amicos, deberent modis omnibus honorare. Quia igitur interest nostra, Dei amicos in religionis proposito confovere, ad exemplar Prędecessoris nostri, Fraternitati vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus hujusmodi pęnitentes, dum tamen onera, in quibus ratione bonorum suorum tenentur, agnoscant, in iis, vel aliis temere molestari, quibus possit eorum propositum impediri, non sinatis: molestatores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo (5).

Refert quid hac de re sancitum sit ab Honorio III.

Mandatum.

1. *Fratres.*) De quibus in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem *Gregorio X* ascriptum legitur apud *Castellanum* ad calcem *Bullarum Gregorii IX pag. 7 num. XVI.*
3. *Honorii.*) *III.*
4. *Domibus propriis, vel alibi.*) Consule *Tractatum* supra laudatum.
5. *Compescendo.*) Dies ascripta desideratur.

APPEN-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Dignitates, Gregorio X Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Petrus de Tarentasia, Archiepiscopus Lugdunensis, ut in *hac Appendice ad Archiepiscop. Anni MCCLXXII* dicetur, S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis & Velitrinus. *Stephanus Salanhacus in Catalogo Magistror. Parisien. Bernardus Guidonis in Episcop. Provinciæ Franciæ. Ptholomæus Lucensis Histor. Ecclesiast. Libr. XXIII Cap. II. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXXI pag.* 201. *Vghelius in Episcop. Ostien. & Velitrin. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 69. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. III pag.* 15. *Cavalerius Tomo II pag.* 181 *num. III. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXVI pag.* 350, ceterique Scriptores, nemine refragante, sed de anno inter ipsos non convenit. Arridet sententia *Cavalerii* mox laudati, qui *Petrum* Cardinalem *Vrbe Veteri* anno MCCLXXIII creatum censet. Id docet *Stephanus Salanhacus*, auctor æqualis, in *Catalogo Cardinalium* his verbis: *F. Petrum de Tarentasia Magistrum in Theologia, primo Priorem Provincialem Franciæ, deinde Archiepiscopum Lugdunensem, inde assumpsit in Cardinalem Episcopum Ostiensem D. Gregorius Papa X Anno Domini MCCLXXIII infra Octavas Pentecostes*. Fuit Pentecoste hoc anno die XXVIII Maii, quo *Gregorius X* nondum discesserat *Vrbe Veteri*. Id liquet ex Bullis superius exscriptis. *Post hæc*, inquit auctor coævus in *Chronicis* apud *Petrum Mariam Campi Histor. Placentin.* Parte II Lib. XIX. pag. 263, *ordinatis quinque Sedibus Episcopalibus, quæ Cardinalatus honorificentia decorantur, de ipsa Vrbevetana Civitate, iturus Lugdunum, recedens, pervenit Florentiam*. Certe *Gregorius* cesserat *Vrbe Veteri* Die XI Junii anno MCCLXXIII, ut videre est ex *Constitutione XVII* eodem die data. Cardinales igitur jam creaverat. Et sane id evincitur ex Diplomate mox citato. *Petrus siquidem Juliani*, unus ex quinque Cardinalibus de quorum promotione iis est, Electus *Tusculanus* hoc in Diplomate vocatur. *Accedit*, inquit *Echard* pag. 352 col. I, *quod D. Vicecomes, alter ex quinque Cardinalibus tum promotis, Episcopus Prænestinus, eo titulo ornatur in quodam Instrumento Florentiæ, dum illac eo anno transiret Gregorius, transacto, ut refert* ... *Petrus Campi*. Certum est autem, ut ibidem notaverat Echard, *Gregorium X ex eo itinere Florentiam pervenisse XVIII Junii MCCLXXIII, ac proinde illam Cardinalium promotionem Vrbe Veteri anteà factam II, aut III Junii, Feria VI, vel Sabbato IV temporum Pentecostes*. Anno 1273.

PATRIARCHA.

F. Thomas Agni de Leontino, seu Lentino, ex Archiepiscopo Consentino, ut dictum est in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV*, Patriarcha Jerosolymitanus. Auctores citati in *Appendice ad Pontificatum Alexandri IV*, ubi *Thomas* inter Episcopos an. MCCLV recensetur. *Acta Capitulor. General. Tomo I fol.* 369. *Vghellus in Archiep. Consentin. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 217 *ex Bulla Gregorii X data Pontificatus anno Primo. Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXII num. XVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 43. *Auctor continuationis Chronic. Guillelmi Tyren. apud Echard Tomo II Scriptor. Ord. pag.* 30 *Præfation.*, ubi sic legitur: *A MCCLXXII a VIII jors d'octembre arriva en Acre Frere Thomas de l'Ordre des Prescheors Patriarche de Jerusalem, & Legat de toute Surie, & Eveque d'Acre*: quæ sic vertit Echard. *Anno MCCLXXII Die VIII mensis Octobris Aconem, seu Ptolemaidem venit F. Thomas Ordinis Prædicatorum, Patriarcha Jerosolymitanus, & Legatus totius Suriæ, & Episcopus Aconensis*. Hinc emendandi *Bzovius Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXIV num. X*, ubi quædam Diplomata, Patriarchæ *Jerosolymitano* data, *Thomæ* inscripta præpostere suspicatur; *Fontana*, qui *Bzovium* excepit *Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 87 *col. II, & Papebrochius Tomo III Actorum SS. Maii in Histor. Patriarchar. Jerosolymitan. Chronolog. pag.* 58, *& Tomo VII in Appendice ad Tomum III Maii pag.* 703. Anno 1272 Die 21 Aprilis.

ARCHIEPISCOPI.

F. Jacobus de Viterbio, ex Procuratore Generali Ordinis, Archiepiscopus Tarentinus in Regno Neapolitano, electus S. Sede vacante, & a Gregorio X confirmatus. *Vghellus in Archiepiscop. Tarentin. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 137 *Edit. II. Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. IV Tit. XCIII pag* 102. *Cavalerius Tomo I pag.* 31 *num. LXXX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXIII pag.* 264. *Minorelli in Chronicis MSS. ad annum MCCLXXIII.* Anno 1270.

F. Petrus de Tarentasia, ex Provinciale Provinciæ Franciæ Archiepiscopus Lugdunensis in Gallia. *Bulla* - Conceptum. *Data MCCLXXII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LVI pag.* 82. *Gallia Christiana in Archiep. Lugdunen. Cavalerius Tomo I pag.* 35 *num. XCI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXVI pag.* 350, *ceterique superius citati.* Anno 1272.

Anno 1272. F. Reginaldus de Leontino, ex Episcopo Marsicensi, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV* dictum est, Archiepiscopus Messanensis in Sicilia. *Cavalerius Tomo I pag. 47 num. CXXXIX. Echard Tomo I pag. 359 ad annum MCCLXXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXI pag. 85 ex Pirro, & Ughello. Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad annum MCCLXXIII pag. 103.*

Circa Annum 1272. F. Petrus de Confleto, vel Conflitto, ut a *Cavalerio Tomo I pag. 100 num. LXI* nuncupatur, natione Burgundus, Archiepiscopus Cyrensis, in Syria. *Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Græciæ*, cujus tunc juris erat urbs *Cyrensis*. Sic autem lego in ejusdem Auctoris *Ms.* codice. *In Provincia Græciæ fuerunt Archiepiscopi, & Episcopi, qui secuntur. Frater Petrus de Confleto, Burgundus, Archiepiscopus Cyrensis, sepultus in Sancto Dionysio*. De tempore, quo vixit *Petrus*, variant auctores, ut observat *Cavalerius* mox laudatus. Florebat anno MCCLXXI, quo adfuit Capitulo Generali apud *Montem-Pessulanum* coacto, ut constat ex *Actis ejusdem Capituli*. Hunc *Souegius* noster *Anno Dominicano Tomo I Mensis Augusti pag. VII* Archiepiscopum *Corinthium* creat; Sed in hoc emendandus, cum sui oblitus sit, ut enim notat *Cavalerius*, ipsemet *Souegius Mense Junio pag. 320*, & in *Præfatione ad Tomum I Julii num. CXLV*, docet *Petrum de Confleto* Archiepiscopum *Tyrensem* fuisse. Legendum *Cyrensem*. Archiepiscopatus siquidem *Tyrensis*, seu *Tyrius*, nunquam fuit in Provincia nostra *Græciæ*, sed semper in Provincia *Terræ Sanctæ*. De quo consulendus *Bernardus Guidonis* auctor æqualis. Hac difficultate conflictatus Souegius *Corinthium* petiisse videtur. Huc etiam alias cogitabam, ut inter Archiepiscopos *Græciæ* Provinciæ locus esset *Petro*; sed antiquus *Ms.* Codex *Bernardi Guidonis*, qui præ oculis est, diserte distinguit *Cyrenses* Archiepiscopos a *Corinthiis*. Est autem *Cyrus* urbs *Syriæ*, juxta fluvium *Marsiam*. *XLV milliaribus distat a Zeugma, & totidem ab Euphrate fluvio ad occasum, XXV Milliaribus infra Berroeam, seu Alepum, in austrum*. Baudrand.

Anno 1272. F. Bonacursius Ultramarinus, filius Henrici de Gloire, Archiepiscopus Tyrius, in Syria. *Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Terræ Sanctæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXI pag. 109 ex S. Antonino, Lusitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 118 num. 112. Echard Tomo I ad annum MCCLX. pag. 159, & Tomo II in addendis ad I Tomum pag. 30 Præfationis*. Quo tempore inauguratus sit Archiepiscopus iste, *Cavalerius* non definit. Unum notat, quod nempe verisimile sit, ipsum sedente *Benedicto XII* floruisse. *S. Antoninus* de ætate non loquitur. *Lusitanus, Plodius, & Fontana* decadem MCCCXXX assignant quidem, sed id incertum, & dubium esse, fatentur. Audiendus igitur auctor æqualis apud *Echard* loco mox laudato, cujus hæc verba ex Gallico idiomate latine reddita. *Anno MCCLXXII... factus fuit Archiepiscopus de Sur* (sic *Tyrum* vulgo vocari, in confesso est apud omnes. Consulendi *Niger, Postellus, Baudrand, Morerius &c.*) *F. Bonacursius Ordinis Prædicatorum, filius Henrici de Gloire, & obiit F. Johannes de saint Messan ejusdem Ordinis, Archiepiscopus de Sur, eique suffectus fuit præfatus F. Bonacursius de Gloire*.

Anno 1272 Die 11 Octobris. F. Robertus Kilvvarbius, vulgo Kilvvardbi, Kilvvarbey, & Kilcvvardebil, natione Anglus, Archiepiscopus Cantuariensis, in Anglia, dein Cardinalis a *Nicolao III* creatus. *Bernardus Guidonis de Episcop. Provinciæ Angliæ. Cavalerius Tomo I pag. 40 num. 107. Echard Tomo I ad annum MCCLXXIX pag. 374. Stephanus Salanhacus. Trivetus in Chronicis Regum Angliæ ad annum MCCLXXII. Godvvinus in Archiep. Cantuarien. Pitseus de Scriptoribus Angliæ. Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXIX pag. 468 num. XIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXII pag. 65. Puvinium* excipientes *Lusitanus, Plodius, Fontana, Fernandez, Altamura &c. Robertum* nostrum *Bilibri, Canvilvertim, Ridverbium* corrupte nominant.

Circa Annum 1273. F. Guillelmus Peraldus, Archiepiscopus Lugdunensis, in Gallia. *Antiqua Mss. Operum ejusdem Guillelmi. Jacobus de Voragine, auctor coævus, in Compendio Summæ virtutum & vitiorum. Altamura Biblioth. Dominican. ad annum MCCLVI, & Appendice ad eundem annum. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LV pag 82, ex Plodio, Lusitano, Fernandez, & Taegio. Cavalerius Tomo I pag. 33 num. LXXXV, & pag. 35 num. XCIII. Morerius in Dictionario Historico* verbo *Peraldus*, ex *Severtio Doctore Parisiensi in Historia Chronologica Præsulum Lugdunensium*.

Anno 1274. F. Bonifatius Fieschi, e Comitibus Lavaniæ, Genuensis, Archiepiscopus Ravennatensis, in Romandiola. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romaniolæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXVIII pag. 95, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 49 numero CL. Echard. Tomo I ad annum MCCXCIV pag. 437.*

EPISCOPI.

Anno 1270. F. Everardus, quem *Ughellus in Episcop. Cæsenaten.* Tomo II Italiæ Sacræ pag. 453 Edit. II *Honerardum*, alias *Henverardum* vocat, patria *Brixiensis, de Saxonia* cognominatus ex familia, Episcopus Cæsenatensis, in Romandiola, sub Archiepiscopo Ravennatensi. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romaniolæ. Leander Albertus de Viris illustribus*, ubi inter primos Ordinis Prædicatorum Episcopos *Everardum* recenset. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXII pag. 165, ex Ruzzio. Cavalerius Tomo I pag. 177 num. CCCII. Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. in Indice Episcopor. pag. 24, & ad annum MCCLXXVII pag. 359 col. II*. De Anno inter auctores non convenit.

F. An-

F. Andreas Bancarini, Episcopus Melitensis, in ejusdem nominis Insula maris mediterranei, Malta vulgo vocatur, sub Archiepiscopo Panormitano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIV pag. 235, ex Fernandez in Episcop. Italiæ. Cavalerius Tomo I pag. 31 num. LXXVII. — Circa Annum 1271.

F. Petrus Angelelli, Episcopus Lucensis, in Tuscia, immediate sub Sancta Sede. Bernardus Guidonis in Episcopis Romanæ Provinciæ. Ughellus in Episcop. Lucen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 823 Edit. II, ex Regest. Vatican. Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. V Tit. CCCXLVI pag. 218. Cavalerius Tomo I pag. 32 num. LXXXII. Echard Tomo I ad annum MCCLXXIV pag. 349. Minorelli in Chronicis Mss. ad annum MCCLXXIV. — Anno 1272 Die 24 Maii

F. Aldrobandinus, seu Ildebrandinus, Ildobrandinus, vel Hildebrandus, de Cavalcantibus, Episcopus Urbevetanus, in Tuscia, immediate sub Sancta Sede. Bernardus Guidonis in Episcop. Provinciæ Romanæ. Ughellus in Episcop. Urbevetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1472 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLVII pag. 326. Cavalerius Tomo I pag. 37 num. C. Bzovius ad annum MCCLXXIX num. XVI. Echard Tomo I ad annum MCCLXXIX pag. 380. — Anno 1272.

F. Dominicus Suarez, Hispanus, Episcopus Abulensis, in Hispania Tarraconen., sub Archiep. Compostellano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. III pag. 112, ex Fernandez in Episcop. Hispaniæ, & Ægidio, vulgo Gil, Gonzalez d' Avila in Theatro Ecclesiæ Abulen. Cavalerius Tomo I pag. 31 num. LXXIX. — Circa Anoum 1272.

F. Philippus Romanus, ex Priore Cœnobii S. Mariæ ad Gradus Viterbien. Episcopus Viterbien., in Patrimonio S. Petri, immediate sub Sancta Sede. Ughellus in Episcop. Viterbien. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1414 Edit II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXIX pag. 324, ex Taegio. Cavalerius Tomo I pag. 45 num. CXXVII. — Anno 1272.

F. Thomas Agni de Leontino Patriarcha Jerosolymitanus, Episcopus Aconensis. Sic Ptolemaidis Episcopatum vocabanr. Sedente Urbano IV Patriarchatui Jerosolymitano unitus fuerat Aconensis Episcopatus, quod, uti notat Echard Tomo I ad annum MCCLXXVII pag. 358 col. II, Jerosalymorum urbem, a Saracenis tum invasam, accedere Patriarcha non posset. Adeas auctores citatos hac in Appendice, ubi de Patriarch. — Anno 1272.

F. Petrus de Tarentasia, Episcopus Ostien. & Velitrinus. Auctores hac in Appendice laudati, ubi de Cardinal., & de Archiepiscopis. Bulla - Quoniam - Data XVIII Augusti MCCLXXV. Echard Tomo I ad annum MCCLXXVI pag. 350. Instrumentum quod ex Codice Ms refert Campi Histor. Placentin. Parte II Libro XIX pag. 263, ubi Petrus sic die XV Novembris MCCLXXIII subscripsit. Petrus Ostiensis & Velitrensis Episcopus, administrator Archiepiscopatus Lugdunensis. — Anno 1273.

F. Johannes de Aversa, Episcopus Calatinus, seu Cajacensis, in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Capuano. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXV pag. 148 ex Taegio in Monument. Ordinis Prædicatorum, & Ughello in Italia Sacra. Cavalerius Tomo I pag. 35 num. XCII. Minorelli in Chronicis Mss. ad annum MCCLXXVI. — Anno 1273.

F. Guillelmus, Gerardus, vel Gualterus, in his enim variant Auctores, Episcopus Potentinus, in Basilicata, Provincia Regni Neapolitani, sub Archiepiscopo Acheruntino & Materano. Ughellus in Episcopis Potentin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 139 num. XIV Edit. II. Cavalerius Tomo I pag. 694 num. III. — Circa Annum 1274.

F. Ademarus, seu Adymarus, Hispanus, Episcopus Abulensis, in Hispania Tarraconensi, sub Archiepiscopo Compostellano. Cavalerius Tomo I pag. 43 num. CXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. III pag. 113, ex Fernandez in Episcop. Hispaniæ, & Ægidio Gonzalez d' Avila in Theatro Ecclesiæ Abulen. Ille ipse est Ademarus, quem ad Gregorium X Legavit Alfonsus Rex Hispaniæ. Id novit Fontana, & ex hoc emendandus ipsius librarius tum in opere mox laudato, tum in Monumentis Dominican. Parte I Cap. VI pag. 99. In Monumentis quidem, ubi Ademarus Episcopus constituitur Anno MCCLXXI. Ex Diplomatibus autem Gregorii X superius exscriptis XVI Septembr. MCCLXXII, & MCCLXXIV, ubi de hac legatione mentio est, liquet Ademarum nondum ad Episcopatus apicem tunc promotum fuisse. Errat in Theatro, ubi promotionem Ademari a Gregorio X confirmatam dicit anno MCCLXXXI. Enim vero jam ab anno MCCLXXVI cælum petierat Gregorius die X Januarii. — Circa Annum 1275.

F. Reginaldus Privernas, Episcopus Marsicanus, in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano. Ughellus in Episcop. Marsican. Tomo VII Italiæ pag. 506 Edit. II. Citat Ughellus Epistolam Gregorii X datam Belgadri (Legendum Bellicadri, vel Belloquadræ, vulgo Beaucaire, in Occitania inferiori ad Rhodanum flu- — Anno 1275.

fluvium) *Datam V Kalendas Julii Pontificat. anno IV, ex Regest. Vatican. num. XLIII fol.* 294. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVII pag.* 225, *ex Flaminio. Cavalerius Tomo I pag.* 47 *num. CXXXIX. Reginaldi* meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXX pag.* 382.


LEGATI.

Anno 1271. FRatres Nicolaus de Vicentia, & Guillelmus Tripolitanus, ad Imperatorem Tartarorum Legati. *Marcus Paulus* Legatorum Socius in *Itinerario Lib. I Cap. V, & VI. Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXI num. VI. Echard Tomo I ad annum MCCLXXIII pag.* 264.

Anno 1272. F. Thomas Agni de Leontino, Patriarcha Jerosolymitanus, & Episcopus Aconensis, S. S. A. Legatus in Syria &c. Id uno ore clamant Auctores de quibus in hac *Appendice* ad annum MCCLXXII, ubi de Patriarch., & in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV, ubi de Archiepiscopis.* Unus hic audiendus *Oldoinus* apud *Claconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXI pag.* 187. En ipsius verba. *Thomam ex Consentina Sede ad Patriarchalem Jerosolymitanam traduxit* Gregorius, *cui etiam Ecclesiæ Aconensis pastore orbatæ administrandæ provinciam commisit, atque ad illum decorandum majoribus dignitatum ornamentis, Legatum a Latere in Armenia, Cypro, Antiocheno Principatu, circumjectis Insulis, eaque tota Orientis ora constituit, suisque literis Catholicos Orientis Præsules, ut debitu eum observantia colerent, & ipsius imperia, quu par esset, religione exciperent, præcepit. Quin etiam Cypri, atque Armeniæ Reges, & Principem Antiochenum, Templarios Equites debitum ei obsequium deferre, & opem porrigere, jussit.* Desiderantur hæc omnia Diplomata.

Anno 1274. F. Bonifatius Fieschi, seu e Lavania, Archiepiscopus Ravennas, ut hac in Appendice dictum est, Legatus in tota Æmilia. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 354 *num. X. Echard Tomo I ad annum MCCXCIV pag.* 437.

Anno 1274. F. Robertus Kilvvarbius Archiepiscopus Cantuariensis, Legatus a latere constitutus *Eduardum* inunxit in *Angliæ* Regem. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag.* 344 Id ad annum MCCLXXV refert *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 108, & Dominica I post Octavam Ascensionis contigisse censet. Sed infra Octavam Assumptionis Virginis Gloriosæ XIV Kalendas Septembres anno MCCLXXIV *Robertus Eduardum* solemni ritu coronavit, ut *Trivetus* docet in *Chronicis. ad annum MCCLXXIV*, & ex *Antiquis Constitutionibus Regni Angliæ* constat. Sic enim pag. 152 legitur. *Rex Edvvardus anno MCCLXXIV, pacificatis quodammodo in Vasconia resistentibus inimicis, post Concilium Lugdunense consummatum ad Angliam properavit. Expectabat enim Regni sui Prælatos, qui in Concilio fuerant, quia in ipsorum absentia non poterat coronari. Mare transiens VIII Kalendas Augusti anno eodem Angliam est ingressus, ubi a Clero & populo cum gaudio receptus est, & maximo cum honore XIV Kalendas Septembr. Vuestmonasterii ipse & uxor coronantur.*



IN-

INNOCENTIUS V

Petrus, de Tarentasia e Patria dictus, Alumnus Ordinis Fratrum Prædicatorum, maximo Cardinalium consensu Summus Pontifex est electus (*a*) Aretii in Hetruria Die XXI Januarii MCCLXXVI. Coronatus fuit Romæ eodem Anno Die XXIII Februarii. Obiit (*b*) ibidem eodemmet Anno Die XXII Junii. Sedit Menses V, Dies II.

(a) Innocentius V Lib. I Epist. I.
(b) Bernardus Guidonis & Ptholomæus Lucensis, in Chronicis Summorum Pontificum.

F. Hugonem (1) de Ubertinis, Ordinis Prædicatorum, ad Genuenses legat (2).

Anno 1276 Die....

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccles. ad An. MCCLXXVI num. XVI.

I.

Innocentius electus Episcopus, Servus Servorum Dei, Potestati, Capitaneis, Ancianis, Consilio, & Communi Januen., Spiritum consilii sanioris.

Exordium.

REgis pacifici, & excelsi, respicientis humilia, & alta de longe cognoscentis, qui pro infallibilis providentię suę arbitrio hunc humiliat, hunc exaltat, nuper ad Summi Apostolatus apicem, licet insufficientibus meritis, occulta nobis, sed sibi non incognita, dispositione vocati, cunctis fidei Christianę cultoribus, & vobis pręcipue, in quibus temporibus retroactis Romana mater Ecclesia se reperisse commemorat sincerę devotionis promptitudinem, & affectum reverentię filialis, cura vigili bonum pacis exquirimus, & quietis dulcedinem plenis desideriis affectamus. Novimus etenim commoda, quę pax amabilis, pax desideranda producit; nec ignoramus, quę solet guerrarum fugienda commotio irrogare pericula, quęve dispendia germinare. More igitur pii patris, quem non prętereunt commoda filiorum, non sine compassionis zelo, discrimina, quę occasione dissensionis inter carissimum in Christo filium nostrum Sicilię Regem (3) illustrem, & germanos dilecti filii nostri Ottoboni (4) S. Adriani Diaconi Cardinalis, ac nonnullos alios nobiles civitatis Gianuensis (5) ex parte una, & vos, ex alia, exortę jamdudum, superseminante pacis hoste zizania, emersisse noscuntur, attentius meditantes, & cupientes, illis celerem finem imponi, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attentius, obsecrantes in Domino Jesu Christo, & nihilominus vobis per Apostolica scripta mandantes, quatenus, ejus obtentu, qui pacis est actor, animos vestros habilitantes ad pacem, aliquos viros pacificos de majoribus civitatis ejusdem, ad hoc idoneos, & voluntarios, ac sufficienter instructos, ad componendum cum prędictis Rege, ac nobilibus mandatum, ac plenam, & liberam potestatem habentes, infra secundam Dominicam instantis Quadragesimę ad nostram pręsentiam destinare curetis, nostris in hoc exhortationibus & mandatis taliter pariturì, quod & nos de vestrę obedientię promptitudine non immerito gaudeamus, & vos, promptę pacis consilia ineuntes, juxta Sapientis promissum gaudia subsequantur. Et ecce, ut circa pręmissa vobis plenius de nostro affectu pateat, dilectum filium Fratrem Hugonem de Ubertinis Ordinis Prędicatorum, Lectorem Conventus Senensis, ejusdem Ordinis, virum utique scientia & religione conspicuum, ad vos propter hoc specialius destinamus, cujus monita in pręmissis vos rogamus benigne suscipere, ac efficaciter exaudire. Nec miremini, quod Bulla nostra, non exprimens nomen nostrum, est appensa pręsentibus, quę ante benedictionis nostrę solemnia transmittuntur; quia hi, qui fuerunt hactenus in Romana Ecclesia electi Pontifices, consueverunt in bullandis literis ante suę benedictionis munus modum hujusmodi observare. Actum Aretii &c. (6).

Legationis caussa.

Legatio.

1. *Hugonem.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*
2. *Legat.*) Enim vero, ut ex *Odorico Raynaldo ad annum MCCLXXIII num. XXXI* videre est, *Liguria . . . . tum intestino, tum extero bello laborabat. Addicti erant Carolo nonnulli Genuenses, alii ipsi infensi, atque adeo crevere odia, ut per hæc tempora crudele bellum, ut refert Ptholomæus Lucensis, ipsos inter & Carolum accensum fuerit, atque navali prælio pertinacissimis animis dimicatum.* Hujusce discordiæ sopiendæ cupidissimus Pontifex Fratrem *Hugonem* ad *Genuenses* legat.
3. *Regem.*) *Carolum I.*
4. *Ottoboni.*) Qui *Adrianus V* postea nuncupatus, successit *Innocentio V.*
5. *Gianuensis.*) *Januensis.*
6. *Aretii &c.*) In *Hetruria*, ubi electus fuit *Innocentius*. Non multo post electionem hocce Diploma scriptum videtur, nec enim, ut observat *Odoricus ad annum MCCLXXVI num. XVII*, Innocentius *diu hæsit Aretii*; id ex *S. Antonino*, & ex *Bernardo Guidonis* probat *Odoricus*.

Compositionem de jure sepeliendi, initam Fratres nostros inter, & Episcopum, Capitulum, ac Parochos Barchinonenses, confirmat (1).

Anno 1276 Die 22 Aprilis.

Ex Arch. (2) Ordinis lib. B. fol. 564.

II.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis.. Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum Barchinonen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

EA, quę judicio, vel concordia terminantur, firma debent, & illibata persistere, & ne in recidivę contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit pręsidio communiri. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod cum olim inter vos, ex parte una, & bonę mem. P... (3) Episcopum, & Capitu-

Supplex Fratrum petitio.

Capitulum Barchinonen., ac Rectores Ecclesiarum Parochialium Barchinonen. Civitatis, & Diœc. ex altera, super jure recipiendi ad sepulturam Ecclesię vestrę corpora illorum de prędictis Civitate & Dięcesi, qui apud vos eligunt sepeliri, necnon super obventionibus, quę ratione ipsius sepulturę proveniunt, ac aliis articulis orta fuisset materia quęstionis: demum, mediante dicto Episcopo, amicabilis super his inter

Confirmatio.

partes compositio intervenit, prout in Instrumento publico, inde confecto, plenius continetur, quam Apostolico petiistis munimine roborari. Nos itaque vestris, & venerabilis Fratris nostri A.. Episcopi Barchinonen. supplicationibus inclinati, compositionem ipsam, sicut rite sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & hactenus pacifice observata, ratam, & gratam habentes, eam de certa scientia, auctoritate Apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, tenorem Instrumenti prędicti de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes; qui talis est. Dignum est, eos

Tenor compositionis,

beneficia grata recipere, qui Redemptoris nostri, & universalis Ecclesię noscuntur obsequiis tam diligenter, quam fideliter institisse, ut & ipsi sibi respondisse saltem in modico gaudeant, & alii ex eorum remuneratione presenti ad nostrum, & Ecclesiarum nostrarum obsequium animosius se accingant. Hinc est, quod nos Fr. P... (4) Dei gratia Episcopus, & Capitulum Barchinonen., diligenti tractatu habito, & deliberatione debita, attendentes, quod si eis, quos nondum ad plenum novimus, manum aliquando aperimus, illis fortius tanquam ex debito providere constringimur, quorum obsequium animarum regimini

Fratrum Barchinonensium encomium.

quamplurimum necessarium nobis, ac Ecclesiis omnibus, experimento dignoscitur esse gratum. Considerantes igitur utilitatem, humilitatem, devotionem, obedientiam, honorem, & reverentiam, quę a Fratribus Prędicatoribus in paupertate altissima, omnibus hominibus non necessario, sed ad placitum exhibetur, & quod nostrum, ac Ecclesiarum nostrarum pondus diei, & ęstus, portant in salute populi procuranda, juris nostri, & Ecclesiarum Parochialium non ignari, in favorem Religionis, & Ordinis, per nos, & successores nostros, & Rectores Ecclesiarum ipsarum, & successores eorum, qui de cetero pro tempore fuerint in Ecclesiis memoratis, salva reverentia concessionis Apostolicę, concedimus, & recognoscimus, venerabilibus Fratribus Prędicatoribus pręsentibus, & futuris Barchinonę commorantibus, quod juxta tenorem privilegii, eorum Ordini a Domino Papa concessi, possint quascunque personas tam Civitatis, quam Dięcesis, ad Sepulturam in Cęmeterio suo recipere, quę apud ipsos elegerint sepeliri. Concedimus etiam, de assensu Rectorum ipsarum Parochialium Ecclesiarum, ut per totam Dięcesim nostram Parentes suis filiis impuberibus, sive minoribus, tutores, curatores, & omnes alii quocunque nomine censeantur, qui minores suos consanguineos, & affines, sub tutela, cura, seu custodia habent, possint eisdem filiis, pupillis, consanguineis, vel affinibus, apud Cęmeterium prędictum libere eligere sepulturam. Concedimus nihilominus, de assensu prędictorum Rectorum, ipsis Fratribus defunctiones omnium perpetuo, & donamus; ita tamen quod de legatis, a testatore, sive pro se, sive pro filiis, seu minoribus, pupillis, vel aliis personis superius nominatis, dictę domui causa sepulturę relictis, Cathedralis Ecclesia trigesimam recipiat portionem, Parochiali Ecclesię de residuo sexta portione servata, in quo legato non intelligantur oblationes factę die funeris, vel in anniversario, sive candelę, sive etiam ipse lectus, vel purpura (5), cum ipsę oblationes, & lectus ad sustentationem, & recreationem Fratrum deputata intelligamus. Candelas vero, & purpuram, secundum sanam nostram interpretationem, & assensum, tam nostrum, quam Rectorum Ecclesiarum ipsarum communem, sibi ipsius Ecclesię vendicent ornamenta. Si autem testator aliquid legaverit sepulturę, aliud vero mensę, sive pro vestibus Fratrum, seu libris, seu etiam pro opere, seu fabrica, vel ornamentis, sive anniversario, trigesimo, vel hujusmodi. id, quod relictum fuerit gratia sepulturę, dividatur inter domum prędictam, & Cathedralem, ac Parochialem Ecclesiam, sicut superius est distinctum: Ita quod de aliis prędictis Cathedralis, vel Parochialis Ecclesia nihil sibi valeat vendicare. Ubi vero testator indeterminate aliquid mensę, vel domui legaverit, nulla facta, quod id causa funeris faciat, mentione, sine deductione aliqua inter Cathedralem, & Parochialem Ecclesiam, ac ipsam domum, sicut distinctum est superius, dividatur. Verum si testator prędictus aliquid Parochiali Ecclesię legaverit, & ipse Clericus Parochialis legatis sibi, & Ecclesię suę velit esse contentus, nihil de legatis dictę domui sibi vendicet in hac parte, servata tamen Cathedrali Ecclesię de legatis dictę domui sua trigesima portione. Si autem contentus esse noluerit, communicentur simul ea quę sibi legata fuerint, cum legatis dictę domui factis gratia sepulturę, & sic simul conjuncta secundum distinctionem premissam superius dividantur. Preterea quilibet

Nota.

Parochialis clericus in perpetuum corpora parochianorum suorum, quos apud locum prędictum secundum concessionem contigerit sepeliri, cum ipsis Fratribus simul, vel sine ipsis, deferre cum Cruce usque ad ipsorum Fratrum Ecclesiam teneatur. Actum est hoc VIII Idus Januarii Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo. Ego Frater Petrus Barchinonen. Episcopus subscribo. Ego A... de Gurbo, Barchinon Archidiaconus. qui hoc firmo. Signum Bertrandi Delfini, Barchinonen. Canonici. Signum Ben... de Olorda, Canonici Barchinonen. Signum Bernardi de Pirrariis, qui hoc firmat tam nomine suo, quam nomine G... Durfortis Cantoris absentis, cujus est Procurator. Signum Ferrarii de Torente-maio, Canonici Barchinonen., & Ebdomadarii. Signum Ferrarii de Lauro, Barchinonen. Sacristę. Signum Berengarii de Sancto Vincentio. Signum R... de Montesigno. Ego A... de Gurbo, Barchinonen Archidiaconus, & Capellanus Ecclesię Beati Justi, qui hoc iterum nomine Prędictę Ecclesię firmo. Signum P... de Olivelia, Barchinonen. Canonici. Signum Petri de Insula, Barchinonen. Canonici. Signum Petri de Meserata, Canonici Barchinonen. Signum Berengarii de Spieilis. Signum Berengarii de Sancto.... (6), Canonici Barchinonen., Petri de Casteilare, Presbyteri, & Canonici. Signum Guillelmi Presbyteri, Statoris domini Regis, & Canonici Barchinonen. Sedis. Signum Bernardi de Castelleto, Canonici Barchinonen., & Ebdomadarii. Signum Guillelmi Segneril, Presbyteri. Ego Ber... de Sancta Eugenia, Barchinonen. Canonicus qui hoc firmo. Signum Arnaldi de Spagaria. Signum A... de Picalchrio. Signum Petri de Viliaro. Signum Guillelmi Scriptoris, Barchinonen. Canonici Ebdomadarii, qui hoc firmat tam nomine suo, quam nomine P... Alboati absentis, cujus ipse G... est Procurator. Signum Petri de Insula, Barchinonen. Canonici, qui hoc iterum firmo nomine Archidiaconi de Montecatano, cujus Procurator sum. Signum Bernardi de Bagariis, Rectoris Ecclesię Sanctę Marię de Pinn, & Officialis Domini Barchinonen. Episcopi. Signum Arnaldi de Peracheacri Rectoris Ecclesię Sancti Jacobi. Signum G... Vitalis Rectoris Ecclesię Sanctę

Marię

Mariç de Mari. Signum Arnaldi de Mariania, Presbyteri, Rectorisque Ecclesiç Sancti Michaelis, qui hoc scribo. Signum Ferrari Presbyteri Rectoris Ecclesiç Sancti Cucuphatis. Signum Magistri R.. Signum Petri de Bello loco. Signum Petri Arberti, Barchinonen. Canonici, qui post subscriptionem G.... Scriptoris Procuratoris mei postea presens propria manu subscripsi. Signum Petri de Bages, Notarii publici Barchinonen. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrç Confirmationis &c. Datum Laterani X Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Confirmat.*) Videas *Tractat. de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Barchinone* asservato.
3. *P...*) Is erat *Petrus Centelles*, venerabilis ille Frater, de quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV.*
4. *F. P...*) *Frater Petrus*. Fratris nomine gloriatur *Petrus*, quia Prædicatorum Ordini nomen dederat, ut dictum fuit in *Appendice* mox laudata.
5. *Lectus vel purpura.*) Nota ritum sepeliendi defunctos.
6. *Sancto...*) *Christophoro*.

Anno 1276
Die 10 Maii.

Ad virtutis culmen Fratres inflammans, quædam a Capitulo Generali præscribenda decernit.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

III.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prçdicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

IN loco solicitudinis, & specula supereminentiç pastoralis, cçlesti dispositione sedentes, pensantes onus inçquabile humeris nostris incumbens, quo universis reddimur ex officio debitores, & de rationis calculo in conspectu judicis omnia videntis, ne in furore nos arguat, vel in ira corripiat, formidamus. Convertimur nunc itaque ad homines, quos in mundo, velut oves pastor bonus segregat, & pia miseratione deducit, qui Nos intra gregem vestrum a tenera çtate vocare dignatus, Nos ibi sanctç paupertatis deliciis enutrivit, qui in diebus voluntatis suç Nos exinde sustulit, & ex ovibus, quç cibo quietis dulciori pascuntur, adduxit in montem solicitudinis, & laboris; convertimur, inquam, & petimus a vobis Orationis auxilium, ut Deus omnipotens de habitaculo suo sancto jugiter respiciat vias nostras, visitet in miserationibus suis Ministerium nostrum, det nobis in diebus villicationis nostrç, ut possimus virtute irrumpere iniquitates, qui tremendç potestatis ejus imperio sumus in throno judicis constituti, date pacem populis, erroribus legem, moribus disciplinam, Ecclesiç suç unitatem, & decorem viriliter custodire, atque in omnibus iis laudi eius offerre magnificentiam, & honorem, ut tandem cum grege Nobis credito recipiamus centuplum retributionis cçlestium premiorum. Quamvis autem absentes corpore congregationi vestrç, spiritu tamen, & consideratione prçsentes, & unanimi desiderio sociati, universitatem vestram rogamus, & hortamur in Christo, qui stat in medio vestrum, juxta promissionem ineffabilem oris sui, quatenus ad sanctç Religionis constantiam altissimam, in qua fundati, & stabiliti estis, ad paupertatis amorem, ad fervidç caritatis compagem, ad complementum ministerii vestri Prçdicationis sanctç Verbi Dei, cui vos & acceptione nominis, & firmitate professionis nexibus alligastis, ad animarum salutem, in venandi labore, atque solertia capiendi, ad fructus, qui non pereunt, in arca Domini congregandos, ad vineç Domini electç custodiam, & captionem vulpecularum illam demolientium, & cetera quç Dei sunt, & Christi ejus, tota vestrorum cordium anhelet intentio, & suspiret. Porro, etsi cuncta, quç laudem Ordinis vestri sapiunt, & honorem, consulte geri per vestram industriam, existimemus, tria hçc inter cetera oculis apponimus cordis vestri. Primum, ut in locis multis, aut nimis (2) insignibus vos domorum vaga, & numerosa constructio, aut constructarum etiam translatio, non delectet, cum domos vestras celebres, & Conventus, talis locorum novitas viris bonis inconvenienter evacuet, & mentes vestras non modicum inquietet. Alterum, ut super Fratribus recipiendis ad ordinationem, vestra incauta maturitas non labatur, sed tales, deliberatione debita prçambula, discretio vestra, mores hominum, sufficientiamque ponderans, eligat admittendos, qui vasa electionis in Domino fructuosis operibus reprçsentent. Reliquum, ut delinquentibus notabiliter, & violantibus ipsius Ordinis instituta, vestra correctio non ignoscat, neç ipsorum excessibus vestra indulgeat disciplina, sed, cum mores interdum reatus vitient incorrecti, sic virga corripiat, & baculus puniat insolentes, ut culpis illorum, salubri providentia, castigatis, interiorem in ipsis hominem consolentur. Nos quidem, etsi meditationum sedulitas, & laborum multitudo circumfluat, de vobis tamen, & Ordinis vestri profectibus inter cetera solicitam mentem gerimus, & orationis affectum, ut apponat vos Dominus dilatare in odorem vitç in vitam, & magis, ac magis, in salutem populorum expandere lumen vestrum, ipso quoque prçstante, nostram adhibere curam, ut nostris secundum beneplacitum voluntatis suç adjuti prçsidiis crescatis in Domo Domini, & temporalibus non destituti auxiliis proficiatis in ipso spiritualibus incrementis. Datum Laterao. VI Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Innocentius V a teneris annis ascriptus Ordini nostro.

Nota.

Prascribenda decernit.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulor. Generalium pag. 363*. Idem habet *Souegius Anno Dominicano Mense Junii die XXII*, sed librarii incuria crebrioribus mendis scatet. Legitur etiam apud *Fontanam Monum. Dominic. Parte I Cap. VI ad an. MCCLXXVI, pag. 110.*
2. *Nimis.*) *Souegius* legit: *Minus*.

Magi-

Anno 1276 Die 14 Maii.

Magistris Uberto, & de la Corre (1), ut de Venerabilis Margaritæ (2) Virginis Ordinis Prædicatorum Virtutibus, & Miraculis inquirant.

Ex Petro Maria Campi (3) Histor. Placentin. Parte II pag. 488.

IV. Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magistro Uberto Bianco Capellano nostro, Placentino, & de la Corre Doctori Decretorum, Sanctorum Apostolorum Veronen. Ecclesiarum Canonicis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

DUdum ex parte claræ memoriæ Regis (4) Hungariæ fel. rec. Gregorio Papæ Prædecessori nostro fuit humiliter supplicatum, ut cum omnipotens, qui salutis nostræ causam misericorditer in sanctis suis operans, (Quid hac de causa actum jam fuerit narrat.) quos coronat in cælo, frequenter etiam honorat in Mundo, & ad eorum memoriam signa facit, atque prodigia, per quæ pravitas hæreticorum confunditur, & fides catholica roboratur, meritis recolendæ memoriæ Margaritæ Virginis, Sororis, seu Sanctimonialis Monasterii Virginis gloriosæ de Insula (5) Danubii, Ordinis Prædicatorum, Vesprimiensis (6) Diœcesis, cujus Corpus in eodem Monasterio requiescit (7), tot, & tanta miracula (8) operatur, quod ipsius inter ceteros non invocare suffragia sit indignum, (Nota.) ipsam aggregare Sanctorum catalogo dignaretur. Verum, licet quos honorat Divina dignatio, humana devotio prompto affectu debeat honorare, quia tamen providentia prædúce Prædecessorem festinum in certis, & lentum inveniri decebat in dubiis, ut procederet tramite tutiori bon. me Archiepiscopo Strigoniensi (9), & Venerabili Fratri nostro Episcopo Vacianensi (10), ac dilecto filio Abbati de Dacon (11), Ordinis Cisterciensis, prædictæ Diœcesis, suis sub certa forma dedit literis (12) in mandatis, ut de veritate morum, & virtute signorum, operibus videlicet ipsius, & miraculis, secundum datam eis á Deo prudentiam, & interrogatoria, quæ ipsis sub Bulla sua dictus Prædecessor inclusa transmisit, diligentius inquirentes, sibi quæ invenirent per suas literas, Apostolicarum literarum seriem continentes, fideliter intimarent. Deinde autem dicto Archiepiscopo, re adhuc integra permanente, naturæ debitum persolvente, memoratus Prædecessor venerabilem Fratrem nostrum Baradiensem (13) Episcopum in hujusmodi negotio subrogavit (14): iidem vero Episcopi, & Abbas ad inquirendum super iis processum habentes, inquisitionem (15), quam super hoc fecerunt eidem Prædecessori remittere suis inclusam literis curaverunt. Sed quia per Inquisitionem ipsam de præmissis plena instructio non poterat provenire, nos (Mandatum.) in omni, & præsertim in tam solemni negotio nube omnino propulsa dubii, & soliditate certitudinis, & claritatis plenitudine, procedere cupientes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus juxta interrogatoria, quæ vobis sub Bulla nostra mittimus inclusa, super præmissis iterato diligenter inquirere studeatis, illam adhibituri diligentiam in prædictis, quod depositiones testium, quos super hoc recipere, ac alia, quæ in eorum elucidatione vos reperire contigerit, illa prout, & verba singulorum testium, per quæ deposita fuerint, seriose, diffuse, ac explicite, eo ordine, quo illa protulerint, conscripturi, tam lucide, tamque clare nobis per vestras literas, tenorem continentes præsentium, cum eisdem interrogatoriis nuncietis, quod ex eis nullo dubio consurgente in hujusmodi negotio, auctore Domino, secura conscientia, procedere valeamus. Datum Laterani pridie Idus Maii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Uberto, & de la Corre.*) Consulendi *Petrus Maria Campi* laudatus, & *Sigismundus* noster *Ferrarius De rebus Hungaricæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Parte II Libro II pag. 111.*

2. *Margarita.*) *Filia Regis Hungariæ Margarita Virgo Ord. Prædicator., sanctitate præcipua .... miraculis in vita & post mortem claruit.* Verba sunt *S. Antonini III Parte Tit. XXIII Cap. XIII §. III.* Venerabilis, immo, Sanctæ titulo donatam esse, liquet ex Auctoribus, quorum testimonia leges apud *Bollandum Tomo II Actorum Sanctorum Mensis Januarii pag. 897 &c.*, & apud *Ferrarium pag. 220. &c. 310 &c.*

3. *Campi.*) Idem habet *Bollandus* loco citato *pag. 899.*

4. *Regis.*) *Stephani IV*, Beatæ *Margaritæ* germani fratris, filii *Belæ IV.*

5. *Insula.*) Audiendus *Petrus Ranzanus In vita B. Margaritæ apud Bollandum pag. 907*, ubi hæc habet. *In quadam ... Insula, quæ mille ferme passibus abest ab Urbe Buda, erigunt* (Rex & Regina Hungariæ) *ædem in B. Mariæ Dei Genitricis honorem, conjunctumque illi constituunt Cœnobium ... absoluto igitur opere accersunt in Hungariam* Umbertum *Theologum doctissimum, ac Religione præstantem virum, qui per illud tempus erat Ordinis Prædicatorum Magister. Huic Rex & Regina a se constitutum tradunt Monasterium, petuntque, ut ab illo eorum filia a Vesprimiensi ad hoc in Insula, quam dixi, structum Cœnobium transferretur, adhiberenturque ei, ex omni numero selectæ, quot viderentur esse necessariæ, atque utiles, Virgines, cum quibus Deo Beatæque Mariæ in S. Dominici Religione famularetur, a Templo autem in honorem B. Virginis condito, indidit Rex loco nomen, ut diceretur Insula S. Mariæ, quæ antea vetusto vocabulo Insula leporum cognominabatur, quanquam eam hodie vulgus B. Margaritæ Insulam vocitat.* De hoc *Umberto*, cujus hic meminit *Ranzanus*, legendus *Ferrarius* noster *De Rebus Hungaricæ &c. pag. 230.*

6. *Vesprimiensis.*) *Vesprimium*, seu *Vesprinium*, quibusdam *Vesperinum*, Urbs est Episcopalis *Hungariæ*, sub Archiepiscopo *Strigoniensi*.

7. *Requiescit.*) Nunc alio, *Posonium* nempe, translatum. De eo sic loquitur *Johannes Simeus Marnavitius* apud *Bollandum* loco citato pag. 898 col. II: *Sacrum Virginis corpusculum post varias illius per Hungariam translationes, hodie in Posoniensi amplissima urbe translatum requiescit. Sed argumentum ejus Angelicæ puritatis ita integrum, ut non a quatuor seculis, sed a paucis annis videatur depositum. Quod adeo longævum Miraculum, & Virginalis ejus excellentiæ mirabile trophæum ... hic immortali gloria vera Margarita cælestis restitutum volui.* Hæc Johannes. Adeas *Ferrarium pag. 326 &c.* In Actis ultimi Capituli Generalis *Bononiæ* celebrati sic lego pag. 116. *Pro Provincia Hungariæ .... Committimus Reverendissimo Præsidenti Apostolico hujusce Capituli, & Ordinis Procuratori, at supplicem se det Sanctissimo pro restitutione Corporis B. Margaritæ, Regis Hungariæ filiæ, ac Ordinis nostri, huic eidem Ordini facienda a Sanctimonialibus ad S. Claram Posonii, penes quas asservari ferunt.*

8. *Miracula.*) Referuntur apud *Bollandum pag. 904 &c.* Vide sequens Diploma.

9. *Strigonien.*) Vulgo *Gran*, ad *Danubium*.

10. *Vacianensi.*) Seu *Vaciensi* in *Hungaria*.

11. *De Dacon.*) *De Baboa Beel*, uti nuncupatur a *Ferrario pag. 311.*

12. *Literis.*) Desiderantur hæ Literæ a *Gregorio X* datæ. De hoc legendus *Ferrarius* mox laudatus.

13. *Baradiensem.*) *Videtur Varadiensis in Hungaria trans Danubiana Episcopus intelligi*, ut notat *Bollandus*.

14. *Subrogavit.*) Bulla atique, quam nondum inveni.

15. *Inquisitionem.*) Vitam *B. Margaritæ* ex illis Instrumentis exscriptam, leges apud *Bollandum* sæpe laudatum.

Quam

Quam diligenter expendendi sint Testes de Virtutibus & Miraculis Venerabilis Margaritæ (1).

Anno 1276 Die 25 Maii.

Ex Petro Maria Campi (2) Histor. Placentin. Parte II pag. 489.

V.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Uberto Blanco, Capellano nostro, Placentin., & de la Corre, Decretorum Doctori, SS. Apostolorum Veronen. Ecclesiarum Canonicis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Quænam requirenda a testibus.

TEstes (3) legitimos, quos super vita, & conversatione, & miraculis (4) recolendę mem. Margaritę Virginis, Sanctimonialis Monasterii Virginis gloriosę de Insula Danubii, Ordinis Pręedicatorum, Vesprimiensis Diœcesis, debetis recipere. prius prestito juramento diligenter examinare curetis, & de omnibus, quę dixerint, interrogetis eosdem: Quomodo sciunt? quo tempore? quo mense? quo die? quibus pręsentibus? quo loco? ad cujus invocationem? & quibus verbis interpositis? & de omnibus illorum, circa quos miracula facta dicuntur. Et si eos ante cognoscebant? & quot diebus ante eos viderint infirmos? & quanto tempore fuerint infirmi? & quanto tempore visi sunt sani? & de quo loco sunt oriundi? & interrogentur de omnibus circumstantiis diligenter: & circa singula capita fiat, ut expedit, & fit, series testimonii, & verba testium, prout seriose, ac diffuse prolata fuerint, fideliter redigantur in scriptis (5). Datum Laterani VIII Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Margarita.*) Consulendum præcedens Diploma.

2. *Campi.*) Idem legitur apud *Bollandum Tomo II Actorum Sanctorum Mensis Januar. pag.* 900.

3. *Testes.*) Quinam virtutes & Miracula *B. Margaritæ* testificati sint, disces ex antiquo *Ms.* quod exscripsit *Sigismundus Ferrarius De Rebus Hungaricæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Parte II Libro II Cap. XXVIII pag.* 317 *&c.*

4. *Miraculis.*) Tot sunt, ut *Beatam Margaritam* merito dixeris *Thaumaturgam*. Mox laudatus *Ferrarius a pag.* 279 *ad* 309 ex antiquis *Mss.* describit ea, quæ comprobarunt judices a Sancta Sede delegati.

5. *Redigantur in scriptis.*) Scripto tradita fuisse, liquet ex hoc Instrumento, quod legere est apud Campi pag. 491. *Sanctissimo Patri, ac Domino Johanni* (XX) *Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Ubertus Blancus, ejus devotissimus Capellanus, licet indignus, & Magister De la Corra, Decretorum Doctor, SS. Apostolorum Veronen. Canonicus, pedum oscula Beatorum. Noverit Sanctitas vestra, nos a felicis memoriæ Prædecessore vestro Literas recepisse in hac forma, Innocentius &c.* (hic inscribunt præcedentia Diplomata) *Cupientes igitur, prædictum mandatum reverenter exequi, ut tenemur, ad dictum Monasterium personaliter accedentes, cum omni diligentia inquisitionem fecimus super vita, conversatione, & miraculis recolendæ memoriæ prædictæ Virginis Margaritæ, Sanctimonialis antedictæ, prout inferius continetur: depositiones Testium, quos super hæc, & alia, quæ in eorum elucidatione recepimus, seriose, diffuse, ac explicite eo ordine, quo illa fuerunt deposita coram nobis, per manum publicam Bertoldi de Bosant Notarii fideliter in scriptis redacta, sub sigillis nostris, vestræ Sanctitati duximus intimandum. Copiam nihilominus omnium eorum, quæ vestræ Sanctitati transmittimus, de verbo ad verbum, nihil addentes, vel diminuentes, sub sigillis prædictis, una cum Literis felicis memoriæ Innocentii V Prædecessoris nobis missis.* Alios etiam ab *Innocentio V* in *Hungariam* hac de re delegatos fuisse, liquet ex *Tomo I Actor. Capitulor. General. fol.* 381, ubi sic legitur: *Eodem Anno* (MCCLXX) *XV Kalendas Februarii Virgo venerabilis, & Sanctissima Beata Margarita filia Regis Hungariæ, Sanctimonialis Ordinis nostri anno ætatis suæ XXXV migravit ad Dominum in Monasterio in Insula Danubii, sub titulo Sanctæ Dei Genitricis, sibi a parentibus ædificato, & regaliter dotato. Hæc siquidem in præfato Monasterio annis pluribus in maxima sanctitate vita, & austeritate vixit, ubi & mirandis signis, & prodigiis claruit. Inter quæ hoc unum mirabile est, & stupendum, quod Stigmata Domini nostri Jesu Christi in Corpore ferre meruit, prout quædam Soror secretorum ejus conscia, post mortem ipsius Beatæ Margaritæ, se vidisse, adjurata testificata est, & palpasse. Archiepiscopus etiam Strigoniensis, ejus in morte confessor, hoc idem testificatus est, quod sibi in confessione dixerat. Antequam etiam sepulturæ traderetur, venerabiles, prænominatus Archiepiscopus, Episcopus Vacinen., & Præpositus Laudimen., multique alii Religiosi diversorum Ordinum, & Prælati, hoc idem viderunt, & testificati sunt. Sed & Inquisitores Domini Innocentii V Papæ hoc miraculum existimantes, post multum temporis, ut de tam grandi re certum testimonium redderetur, ejus sepulcrum aperientes, in ejus sanctissimo corpore omnia Stigmata Domini tam in pedibus, quam in manibus, & latere invenerunt, & inde publicum fecerunt Instrumentum. Hi fuerunt Fratres Bernardus, & Marcus Domini Papæ Capellani, ad hoc singulariter in Hungariam directi, ut, de dictis Stigmatibus inquirentes, ad Sedem Apostolicam quid veritatis in hoc negotio referrent: jam enim in Curia Domini Papæ, de Sanctitate, Miraculis, & Stigmatibus Beatæ Virginis Margaritæ fama dispersa fuerat. Claruit etiam post mortem miraculis quamplurimis.* Quæ cum ita sint, sperandum sane, fore, ut tot virtutibus, & miraculis celebris, Cultuque ex omni memoria jam donata, ut patet ex his quæ *Ferrarius* sæpe laudatus refert, Virgo *Margarita*, eas inter recenseatur, quas universus Prædicatorum Ordo, concessu S. Sedis, solemni ritu colit. Nondum enim, nondum ipsius festum universus Ordo Prædicatorum celebrat. Faxit Deus, ut nunc tandem id sit felicitatis nostræ. Certe *Pius II* hanc gratiam Provinciæ *Hungariæ* jam benigne concessit. *Officium in Festo Beatæ Margaritæ Die XVIII Januarii decantari solitum ab Ordine Prædicatorum in Hungaria* legi apud *Ferrarium pag.* 342, dixi *Nota IV in Constitution. LIII Urbani IV pag.* 445. Ejusdem Beatæ Sepulcrum visitantibus Indulgentiam *auctoritate Apostolica, qua specialiter fungebatur in hac parte*, Frater *Johannes* Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Tituli *S. Sixti* anno MCCCCVIII, stylo veteri, novo MCCCCIX, elargitus est. Diploma refert *Ferrarius pag.* 340. Autographum asservatur *Posonii*. Et ut semel finiam, notes velim: Beatam *Margaritam* Sanctas inter, quibus *Ursina* gens illustratur, referri. Hac de re consulendus *Romulus de Valenti*, quem laudat & excipit *Franciscus Sansovinus Historia di Casa Orsina, Parte II Lib. I pag.* 7.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Innocentio V Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOP.

Anno 1276. F. Guido de Soliaco, vulgo Seuly, vel Sully, ex Priore Pariſienſi Archiepiſcopus Bituricenſis in Gallia. *Chronicon Lemovicense. Bernardus Gaidonis in Episcopis Provinciæ Franciæ. Gallia Christiana in Archiepiscop. Bituricen.*, ubi Sammarthani varios Scriptores hac de re laudant, & exſcribunt *Guidonis* Epitaphium. Legitur etiam apud *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIV pag. 60. Cavalerius Tomo I pag. 41 num. CVIII, Echard Tomo I ad annum MCCLXXX pag. 383 ex Leandro Alberto, S. Antonino &c. Acta Conciliorum Provincialium*, quæ *Aureliaci*, vulgo *Orillac*, anno MCCLXXVIII, & *Bituricis* anno MCCLXXX coegit *Guido*. Adeas *Marteae Thesaur. Anecdotor. Tomo IV pag.* 189.

EPISCOPI.

Anno 1276. F. Amatus Mentunal, Aimo de Menthonay, ut a *Sammarthanis* vocatur, ex Priore Conventus Nicienſis, Epiſcopus Gebennenſis, ſeu Genevenſis, vulgo *Genevra*; urbs eſt Allobrogum in limite Sabaudiæ, ſub Archiepiſcopo Viennenſi. *Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. V Tit. CCLX pag. 196 ex Taegio in Monumentis Ord. Prædicator. Gallia Christiana in Episcop. Geneven. Cavalerius Tomo I pag. 36 num. XCVI.* Nunc *Annecii* ſedet Epiſcopus *Genevensis*.


Anno 1276. F. Petrus Saracenus, Sarraceni, vel Saracinus, Romanus, Epiſcopus Interamnen., in Umbria, immediate ſub S.Sede. *Bernardus Gaidonis in Episcop. Romanæ Provinciæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCI pag. 206, & Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag. 110. Ughellus in Episcop. Interamnen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 760 Edit. II. Cavalerius Tomo I pag. 36 num. XCVII.*

LEGATI.

Anno 1276. B. Ambroſius Sanſedonius, Legatus ad ineundam pacem Piſanos inter & Florentinos. *Julius Sansedonius, Episcopus Grossetanus, in vita B. Ambrosii Libro I Cap. XV pag. 67. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 110.

Anno 1276. F. Hugo de Ubertinis, Legatus ad Genuenſes. *Bulla* - Regis - *Data anno MCCLXXVI.*

Anno 1276. F. Bonifatius Fieſchi, ſeu e Comitibus Lavaniæ, Archiepiſcopus Ravennaten., Legatus in Æmilia *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCXCIV pag.* 437.



ADRIA-

ADRIANUS V

Patria Genuensis, antea Ottobonus Cardinalis Diaconus, ad Summum Pontificatum (a), evectus est Die X Julii MCCLXXVI. Nondum Coronatus cessit e vita Die XVIII Mensis Augusti. Sedit Mensem unum, Dies IX.

(a) Bernardus Guidonis in Chronicis Summorum Pontificum.

JOHANNES XX, DICTUS XXI

Natione Lusitanus, in Sede S. Petri collocatus (b) est Die XVI Septembris MCCLXXVI. Coronatus fuit ejusdem Mensis Die XX. Vitam finivit Die XVI Maii Anno MCCLXXVII. Sedit Menses VIII.

(b) Martinus Polonus in Chronicis.

Priori Fratrum Prædicatorum Dublinen. (1), aliisque, ut Episcopi Lechlinen. electionem confirment (2).

Anno 1276 Die 28 Septembris.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 119.

I.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Episcopo Clonferten., & dilectis filiis Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum, Ordinum, Dublinen., Salutem, & Apostolicam Benedictionem.



X parte dilectorum filiorum Decani,& Capituli Ecclesię Lechlinen. fuit expositum coram Nobis, quod eadem Ecclesia Lechlinen. olim per mortem bonę mem. T.... Episcopi Lechlinen. Pastoris regimine destituta, iidem Decanus, & Capitulum, die ad eligendum pręfixa, prout moris est, convenientes in unum, vocatis, & pręsentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, Spiritus S. gratia invocata, dilectum filium Magistrum N.... Archidiaconum Lechlinen., virum scientia pręditum, vitę, ac conversationis honestę, in spiritualibus, & temporalibus circumspectum, in suum, & ejusdem Ecclesię Lechlinen. Episcopum, & Pastorem canonice, ac concorditer elegerunt. Cumque Dublinen. Ecclesia, cui pręfata Ecclesia Lechlinen. Metropolitico jure subesse dignoscitur, Pastore, sicut dicitur, vacet ad pręsens, ac S. Trinitatis, & Sancti Patritii Ecclesiarum de Dublinen. Capitula, sive Canonici inter se invicem super jure electionis Metropolitico ipsius Dublinen. Ecclesię non modicum dissentiant, & discordent, dicti Decanus, & Capitulum Lechlinen., super Electione sua, de dicto Archidiacono in eorum Ecclesia celebrata, recursum ad Sedem Apostolicam habuerunt, electionem eandem confirmari per Sedem Apostolicam instanter, & suppliciter postulantes; pręsertim cum, sicut asserunt electus ipse, propter viarum timenda discrimina, Sedem eandem personaliter adire nequiverit, confirmationis suę beneficium petiturus. Cum autem Nobis apud Sedem prędictam de meritis electi, & electionis ejusmodi plene liquere non potuerit, prędictorum Decani, & Capituli supplicationibus inclinati, discretioni vestrę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, inquisita de modo electionis, eligentium studiis, & electi meritis, diligentius veritate, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea canonice celebratam, eandem Auctoritate Apostolica confirmantes, ac ipsum electum in possessionem bonorum ipsius Episcopatus inducentes, faciatis eidem munus consecrationis impendi, sibique de personis, & subditis ipsius Ecclesię Lechlinen. obedientiam debitam, & reverentiam exhiberi: Contradictores &c. Non obstante indulgentia Sedis ejusdem, per quam Fratribus vestrorum Ordinum, filii, Prior, & Guardiane, dicitur esse concessum, quod de negotiis, quę ipsis a Sede Apostolica committuntur, se intromittere minime teneantur. Alioquin eadem electione rite cassata, faciatis ipsi Ecclesię Lechlinen. per Electionem, vel postulationem canonicam de pastore idoneo provideri. Quod si non omnes &c. Nolumus autem, quod per commissionem hujusmodi factam vobis hac vice aliquid Ecclesię, vel Archiepiscopo Dublinen. qui pro tempore fuerit, sive alicui personę in posterum prejudicium generetur. Datum Viterbii IV Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Supplex Capituli Lechlinen. petitio.

Mandatum.

1. *Dublinen.*) In *Hibernia*, ubi cetera civitates, de quibus in hoc Diplomate.

2. *Confirment.*) Adeas *Vvaddingum Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXVI pag.* 414 *num. VIII.*

Anno 1276 Die 30 Septembris.

De injuria (1), a Viterbiensibus Corinthiensi Archiepiscopo, Fratri Johanni Ordinis Prædicatorum Magistro, & Fratri Johanni ejusdem Ordinis Procuratori Generalibus, a S. Collegio Cardinalium delegatis, facta queritur, & in reos animadvertendum decernit.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVI num. XXXI.

II.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, universis, ad quos literę istę pervenerint, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujusce Diplomatis causa.

CRescit facile in immensum impunita temeritas, cum frequenter indebita unius impunitas in aliis etiam ausum parere soleat ausus excessum. Quantę autem audacię, quantęque temeritatis fuerit iis diebus nonnullorum, ut dicitur, Prępatorum, ac aliorum inferioris conditionis, & status, novissimę vacationis Ecclesię Romanę tempore, in Curia nostra pręsentium, ac specialiter Scriptorum nostrorum & Procuratorum, aliorumque Curiam ipsam sequentium, effręnata pręsumptio, ne dicatur effręnis insania, feries infrascripta, ne, subditorum culpas referre delectabiliter, videamur, succincto sermone percurrat. Cum enim Nos, & fratres nostri, Sanctę Romanę Ecclesię Cardinales, de quorum numero tunc eramus, convenissemus in Viterbiensi palatio, pro electione de Summo Pontifice celebranda, & studeremus solertius obicem impedimenti submovere cujuslibet, ut, favente Domino, celerius proveniret, quod exigebat

Viterbiensium protervis.

mundi necessitas, & fervens nostrum, ac ipsorum fratrum, desiderium exquirebat, inchoataque per Viterbienses cives immanis arctatio, usque adeo tolerantię metas excederet, quod nobis, & ipsis fratribus salutis dispendium minaretur, ac electionis processui dispendiosam ingereret tarditatem; dicti Pręlati, & alii, non solum ad nostra, & ipsorum fratrum pericula, quibus durius angebamur, compassionis non habuerunt effectum, sed a se potius omnis humanitatis, & reverentię, debito relegato, grassantes, in superiores suos crudeliter sęvientes, satagendo irreverenter persequi, quos reverenter prosequi tenebantur, Viterbienses ipsos ad arctationem eandem aggravandam acerbius, instantius accendebant, & Apostolica doctrina contempta, plus sapere, quam oportet sapere gestientes imprudentius, seque rei, ad se non pertinenti, temere immiscentes, nec verentes, quod, sicut scriptum est, bestia, quę montem tetigerit, lapidabitur, in tantam prorupere temeritatis audaciam, ut in dubium auctoritatem, & jurisdictionem Collegii ejusdem Ecclesię revocarent, & de illis in derogationem ipsarum disputantes ubilibet, enervare, immo & evacuare, pro viribus niterentur inanibus argumentis; falso insuper asserentes, Constitutionem (2) felicis recordationis Gregorii Papę X, prędecessoris nostri, super electione hujusmodi editam, per pię memorię Adrianum (3) Papam, prędecessorem nostrum, suspensam aliquatenus non fuisse. Id non sunt veriti nefariis ausibus disseminare per terram, & auribus etiam Officialium civitatis ejusdem dolosis labiis instillare, in electionis, nostrum, & fratrum nostrorum, periculum, & evidens detrimentum. Cumque ipsius Collegii consulta circumspectio decrevisset, ut suspensionem hujusmodi, quantum, ut pręmittitur, nonnullorum assertio in dubium diversimode revocabat, per venerabilem Fratrem nostrum Corinthiensem Archiepiscopum, & dilectos filios Fratres J..... (4) Magistrum, & J..... (5) Procuratorem Ordinis Pręedicatorum, facerent publicari; dictique Archiepiscopus, & alii, vellent in loco ad hoc electo commissionem super hoc sibi factam exequi reverenter; Procuratores, & alii, eandem sequentes Curiam, malitiose, ut exitus indicat, in loco convenientes eodem, assumpto superbię spiritu, obturantes more aspidis aures suas, ejusdem Collegii literas, nostro, & singulorum eorundem fratrum sigillis munitas, testimonium de suspensionis ejusdem veritate reddentes, audire penitus contempserunt: quinimmo exaltatis stolide vocibus in clamores, ac aliis diversis strepitibus, tumultibusque commotis, furori data licentia, lorisque insanię relaxatis, ut iniquitatem parerent, qui dolum iniquum conceperant & dolorem, in eundem Archiepiscopum, qui literas easdem in manibus legendas assumpserat, nequiter irruentes, nonnullis ex eisdem literis sigillis manibus pręsumptuosis avulsis, in eundem Archiepiscopum fustes inhumane jecerunt, exsertis nihilominus gladiis, ut perderent innocentem. Suntne ista filialis devotionis indicia, quę dictis fratribus nostris, columnis Ecclesię, non indigne debentur? Sunt ne ista obedientię signa, reverentię opera, tantis patribus, nobiscum mundi supportantibus onera, exhibenda? Profecto aliud exigunt eorum labores, & merita; aliud eorum dignitati,

Postulantur judicio.

& auctoritati debetur. Ne igitur tam detestandi, & enormis excessus, absque debita castigatione pertranseat, cum ad eos compescendos, ne periculose in alios exemplari alveo derivemur, exserendus sit potius ecclesiasticę gladius ultionis, nos zelo justitię, quantum ex officii debito exequi tenemur ad omnes, nec volentes, nec valentes conniventibus oculis pertransire, omnes excessuum hujusmodi patratores, cujuscunque sint dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, pręsentium auctoritate monemus, & eis in virtute obedientię districte pręcipimus, ut infra octo dies a publicatione pręsentium numerandos, excessus hujusmodi venerabili fratri nostro Episcopo Sabinensi (6), & aliis, quos ad id idem Episcopus deputabit, non

Pœna constituta.

in confessionis foro, sed tanquam ad hoc specialiter deputato a nobis spontanei fateantur. Alioquin Scriptores, & Procuratores eosdem, aliosque pręfatos, ut pręedicitur, eandem sequentes Curiam, quos pręmissorum excessuum culpa commaculat, ex nunc a perceptione proventuum beneficiorum, si quę obtinent, suspendentes, aperte pręedicimus, tam Pręlatis, quam omnibus aliis supradictis, quod cum cordi hujusmodi negotium habeamus, diligentem inquisitionem super pręmissis fieri faciemus, processuri gravius contra illos, quorum reatum non humilis, & spontanea oris confessio, sed habendę inquisitionis assertio revelabit. Et, ne diutius tantę pręsumptionis audacia occultetur, aut sine vindicta remaneat, ad faciendam inquisitionem eandem, ex nunc dilectos filios Magistros Petrum (7) ipsius Romanę Ecclesię Vicecancellarium, G.... literarum nostrarum contradictarum Auditorem, & Johannem de Roccha Capellanum nostrum, auctoritate Apostolica deputamus; ipsis inquirendi de omnibus, & singulis supradictis, & referendi nobis, quę invenerint, necnon contra rebelles, eadem auctoritate, per censuram ecclesiasticam

com-

compescendo, potestatem plenariam concedentes. Non obstante si aliquibus cujuscunque dignitatis, preeminentię, Ordinis, conditionis, aut status existant, a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de induito hujusmodi mentionem; & qualibet alia prefatę Sedis indulgentia, cujuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, aut totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat, vel differri, & de qua in eis expressa mentio sit habenda. Datum Viterbii II Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Injuria.*) Consulendus hac de re *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXVI num. XXVIII & XXXI.*
2. *Constitutionem.*) Legitur apud *Labbeum Tomo XI Concilior. General. ad annum MCCLXXIV pag.975 Concilii Lugdunen. II Cap. II.*
3. *Adrianum.*) *V.*
4. *J....*) *Johannem de Vercellis*, de quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*
5. *J....*) *Johannem de Viterbio*, cujus mentio in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III.*
6. *Sabinensi.*) Lege *Notam V* in *Bullam* - Cum a nobis datam *XXII Martii MCCLXXIX.*
7. *Petrum.*) *Peregrossum* nuncupatum, patria *Mediolanensem*. Ab initio Pontificatus *Nicolai III* ad finem usque S. R. E. Vicecancellarium fuisse *Petrum*, auctor est *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXVII pag. 230*. Sed ex hoc Diplomate liquet, etiam sedente *Johanne XX*, id munus obiisse *Petrum*.

Fratres Johannem (1) Magistrum Prædicatorum, & Hieronymum (2) Ministrum Minorum, Generales, ad Philippum Galliæ Regem Legatos mittit (3).

Anno 1276 Die 15 Octobris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVI num. XLVII.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Regi Francię illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. III.

Legationis causa.

HAbet infausti rumoris assertio, quod humani generis inimicus, pacis hostis, amator litium, zizanię seminator, inter te & carissimum in Christo filium nostrum Regem Castellę ac Legionis illustrem, materiam gravis dissensionis ingessit, usque adeo Principes commovens diffidentes, ut inter se non juribus, sed viribus, non per justitię semitas, quę inter discordes media esset debet, sed potentia experiri decreverint; nec viris pacificis, sed congressibus bellicis exortam dirimere questionem. Profecto in auditu rumoris hujusmodi vehementer indoluit Romana mater Ecclesia, & ejus pia viscera turbationis validę turbo concussit; dum tam fideles filios, tam devotos, quos optat ardentius solidę caritatis glutino copulari, sentit in utero collidentes: dum Reges tam inclytos, quos fidei Christianę religio semper & promotores habuit, & suorum hostium repressores, in tam gravi discordia positos intuetur. Revera & nos in stuporem deducimur, & non possunt mentes fidelium non mirari, dum tam Catholicorum Regum molimina, in blasphemos Christi dirigi consueta, in redemptos Christi Sanguine preparantur: dum Principes tanta consanguinitate conjuncti, qui deberent se potius mutuis fulcire presidiis, favoribus confovere, ac illa, quę pro temporum diversitate contingit emergere, quantumcunque gravia, quantumcunque difficilia, tractatibus ordinare domesticis, & familiaribus collationibus expedire, nec in talibus susurronum vel consiliis, vel adhęrere suggestionibus, quę nequaquam de fonte caritatis emanant, sic noscuntur adinvicem adversari. Nimirum si diligenti meditatione discutitur, multum hęc Regis utriusque nomini detrahunt, multum famę derogant, & honori. Quid enim putas, non tam loquitur, quam..... (4) Crucis hostis? Quid Orthodoxę fidei ęmulus nefario sermone disseminat? Quid submurmurat infidelis? Attendentes igitur tam dispendiosum mundi periculum, & specialiter Terrę Sanctę, cujus lacrymę singulariter ad te clamant, cum tuarum potentia virium ab incumbentibus sibi malis speret, favente Domino, resurgendum, & cupientes in hac parte opportunum remedium adhibere, serenitatem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac obtestamur per aspersionem Sanguinis Jesu Christi, quatenus attente recogitans, quod occasione turbationis hujusmodi, negotiorum Dei, quę te principaliter expectant, & expetunt promotorem, executio impeditur, & convertens ad mansuetudinem, quod dispositum videtur ad iram, animum regium ad pacis bonum, & unitatem concordę habilites, & disponas, tanto proinde pacis actori, & eidem matri Ecclesię futurus acceptior, quanto te devotius ipsorum beneplacitis conformabis. Ut autem quod in hoc desideramus avidius, facilius, & celerius valeat provenire, dilectos filios Fratres Johannem Magistrum Predicatorum, & Hieronymum Ministrum Minorum Fratrum, Ordinum, viros religione conspicuos, probitatis expertę, ac meritis & fama pollentes, & nobis, ac Fratribus nostris, acceptos, latores presentium, ad presentiam regiam destinamus; quorum salutaribus monitis & persuasionibus in hac parte magnitudinem regiam acquiescere cupimus, & promptis consensibus adhęrere, ut actore illo, qui potest, quibuslibet dissidiorum vepribus radicitus amputatis, inter te ac memoratum Regem Castellę optatę pacis federa reformentur. Ceterum si quod forsitan inter te ac ipsum Regem supererit questionis, Sedis Apostolicę solicitudo non deerit, sed parata se offert, suis non parcendo laboribus, in iis, & aliis inter te, ac dictum Regem, pro viribus omnem fomitem dissensionis extinguere, ac unitatem studiis procurare solicitis, & fovere. Datum Viterbii Idibus Octobris, Pontificatus nostri anno... (5).

Legatio.

1. *Johannem.*) *De Vercellis*, cujus meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXIV pag. 210.*
2. *Hieronymum.*) De quo *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXVII pag. 227.*
3. *Mittit.*) Ut enim docet *Odoricus* ad an. MCCLXXVI num. XLVII, *inflammatum egregie Francorum Regem ad arma sacra Saracenis Asiaticis inferenda, contracta ab ipso cum Alfonso Castellæ & Legionis Rege discordia, ob nepotes ex sorore potiundi sceptri spe deturbatos, retardavit. Cumque is pluribus tractatibus pacis tentatis frustra, & elusis, rem ferro decernere constituisset; ex quo res christiana, quæ ipsorum potentia assurgere, atque efflorescere ja..batur, affligi admodum necesse*

necesse erat, adhibuit partes suas Johannes, ut Francorum Regis iras mitigaret, proposuitque longe majora ipsum spectare; Syriam ejus auxilio e præsentibus calamitatibus erigendam, atque ad pacem blando aliquo colloquio conjungendam animum flecteret, Legatos misit.

4. *Quam* .....) Scribendum, *obloquitur*, monet Odoricus.

5. *Anno* ....) Adda: *Primo*: Menses enim octo duntaxat sedit Johannes.

Anno 1276 Die 3 Novembris.

Sententiam, qua Parochialis Ecclesia S. Mariæ supra Minervam juris ac potestatis Fratrum Prædicatorum, & ab omni jurisdictione Capituli S. Marci immunis declaratur, confirmat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IV.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum de Urbe, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. CUm a nobis petitur, quod justum est, & honestum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri, ad debitum perducatur effectum. Sane petitio vestra, nobis exhibita, continebat, quod cum quęstio verteretur inter vos, ex parte una, & dilectos filios Capitulum Ecclesię S. Marci de Urbe, super Ecclesiam S. Marię in Minerva de Urbe, & quibusdam ipsius juribus ad vos spectantibus, quę prędicti Capitulum ad Ecclesiam S. Marci pro ipsius Capitulo, a quibus habebantur super hoc procuratoria legitima & mandata specialia; nihilominus, dilecto filio nostro Gulileimo (3) Tit. S. Marci Presbytero Cardinali, suum ad hoc prębente consensum, in bo. me. U... (4) S. Eustachii Diaconum Cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem, & auditorem, sub certa pęna, compromittere curaverunt. Idem vero U... Cardinalis, diligenti deliberatione pręhabita, ęquum super hoc tulit arbitrium inter partes, quod fuit postea ab eisdem partibus receptum, & etiam acceptatum, prout in Instrumento publico, inde confecto, sigillato sigillo ipsius U... Cardinalis, plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, arbitrium hujusmodi provide latum, ratum, & firmum habentes, illud auctoritate Apostolica confirmamus, & prę sentis scripti patrocinio communimus; tenorem ipsius Instrumenti de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes, qui talis est. In nomine Domini Amen. Cunctis pateat pręsens Instrumentum visuris, quod cum Religiosus vir Fr. Johannes de Viterbio (5), Ordinis Prędicatorum, Procurator Prioris, & Conventus Fratrum ejusdem Ordinis Prędicatorum de Urbe, pro parte dictorum Prioris, & Conventus, & Magister Demetrius Domini PP. Scriptor, & Canonicus Ecclesię S. Marci de Urbe, Procurator Capituli dictę Ecclesię S. Marci, pro parte dicti Capituli, habita prius licentia R. P. D. G... Tituli ejusdem S. Marci Presbyteri Cardinalis, super causa, seu quęstione, quę inter Priorem, & Conventum, ex una parte, ac memoratos, ex alia, vertebatur de Ecclesia S. Marię in Minerva, vel quibusdam juribus ipsius, quę prędictum Capitulum ad Ecclesiam S. Marci spectare dicebant, in Nos Ubertum S. Eustachii Diaconum Cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem, ordinatorem, & auditorem, habentes ad hoc plenum mandatum, sicut patet publicis instrumentis, compromisissent, concedentes, & dantes nobis plenam potestatem laudandi, arbitrandi, diffiniendi, & ordinandi, tam de quęstione, quam etiam de Ecclesia, & juribus supradictis, prout nobis videretur, & esse expediens, videremus, sicut apparet per publicum Instrumentum, per Benedictum Notarium de Reate confectum; Nos, diligenti deliberatione pręhabita, laudando, arbitrando & diffiniendo, pręcipimus, & ordinamus, quod prędicta Ecclesia S. Marię de Minerva, cum omnibus appenditiis, & omnibus pertinentiis suis, juribus, & actionibus, cum Parochia, & omni jure Parochiali, exempta ab omni servitute, vel onere, prędictis Priori, & Conventui expedita, & libera remaneat, ad habendum, tenendum, possidendum, & ordinandum, tam de ipsa Ecclesia, quam de Parochia ejus, quicquid eis, & eorum Successoribus videbitur expedire; ita quod nullum jus in ea, vel pertinentiis suis, aut juribus ipsius Parochialibus, dictum Capitulum, vel Ecclesia S. Marci sibi de cetero possint, vel debeant vendicare, salvo, & reservato, sive retento Baptismo generali (6), & Scrutinio (7) in Parochianis ejusdem Ecclesię S. Marię, dictę Ecclesię S. Marci, & jurisdictione D. Cardinalis, qui est nunc, & pro tempore fuerit, & Capituli S. Marci, in Parochianis prędictis. Ita quod, contra hęc reservata, & retenta, dicti Fratres in Parochianos prędictos nihil reclamabunt, nec aliquod impedimentum pręstabunt, quominus Cardinalis, & Capitulum, hęc valeant exercere. Dicti vero Fratres ad prędicta Scrutinium, & Baptismum ire, vel mittere dictorum aliquem, nullatenus teneantur. Pręcipimus insuper eisdem Priori, & Conventui, vel dicto Fratri Johanni pro eis, quod pro recompensatione omnium damnorum, expensarum, & interesse, solvant prefatis Capitulo, vel dicto Magistro Demetrio, recipienti pro eis, trecentas libras denariorum provenien. Senatus, ad emendum possessiones pro eadem Ecclesia S. Marci, vel ad utilitates alias ipsius Ecclesię procurandas. Hęc & omnia, & singula pręcipimus, ab utraque partium inviolabiliter observari, sub pęna in prędicto compromisso expressa, adiicientes, quod utraque pars confirmationem hujus arbitrii, vel ordinationis a D. Papa studeat impetrare. Prędicti, autem Magister Demetrius de mandato, & consensu prędicti D. G... Cardinalis, & dictus Frater Johannes, Procuratores, renunciantes beneficio restitutionis in integrum, & omni juris, & legum, auxilio, hujusmodi arbitrium, seu diffinitionem, & ordinationem emologaverunt (8), acceptarunt, & receperunt, promittentes, se facturos, & curaturos, quod prędicti Capitulum, & Prior, & Conventus hujusmodi arbitrium similiter acceptabunt, & recipient, & quod premissa omnia, & singula observabunt, nec aliquo tempore facient, vel venient contra ea. Latum, & recitatum fuit hoc arbitrium a dicto Cardinali, prę sentibus dictis Procuratoribus acceptantibus, & emologantibus ipsum arbitrium Anno Domini MCCLXXV, Indictione tertia, Pontificatus D. Gregorii Papę X Anno IV, die quinta exeuntis mensis Martii, in prę sentia DD. C... (9) & V. (10)

Confirmatio.

Tenor Instrumenti.

Cre-

Cremoren. (11), & Colimbrien. Episcoporum, Domini de Tonens, Canonici Beluacen. & D. G..., Prçpositi Ebredunen. tellium, & aliorum plurium testium. Actum Lugduni in Camera dicti D. Cardinalis, quî huic arbitrio suum mandavit appooi sigillum. Et ego Benedictus de Reate. Apostolicç Sedis auctoritate Notarius, hujus arbitrii prolationi, & emologationi interfui, &, de mandato dicti Cardinalis, ipsuo scripsi, & publicavi, & de consensu ipsorum Procurstorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrç confirmationis infriogere &c. Datum Viterbii III Nonas Novembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Confirmat.*) Adeas *Fontanam de Romana Provincia pag.* 54.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo asservato in Archivo Cœnobii S. *Mariæ supra Minervam*.
3. *Guillelmo.*) *Gallus* erat Guillelmus iste, *De Brajo* à patria nuncupatus. Consule *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXI pag.* 160.
4. *U...*) *Ubertum*, de quo *Ciaconius* mox laudatus *pag.* 159.
5. *Johannes de Viterbio.*) Dicam in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III*
6. *Baptismo generali.*) Nota *Generalem* duntaxat Baptismum excipi, & lege *Fontanam* supra laudatum, *pag.* 55.
7. *Scrutinio.*) Hic *Scrutinium* idem est ac *examen Catechumenorum*.
8. *Emologaverunt.*) Seu *rata habuerunt*.
8. *C...*) *Cardinalium*.
10. *V...*) *Venerabilium*.
11. *Cremonen.*) *Cremonæ* tunc sedebat *Cacciacomes*, de quo *Ughellus in Episcopis Cremonen. Tomo IV Ital. Sacra pag.* 608 *Edit. II.*

Fratribus Johanni, Magistro Prædicatorum, & Hieronymo, Ministro Minorum, Ordinum Generalibus, Apostolicæ Sedis Legatis, agenda præscribit (1).

Anno 1277 Die.....

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVII num. V.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Johanni Magistro Prçdicatorum, & Hieronymo Ministro Minorum, Ordinum Generalibus, Apostolicç Sedis Legatis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. V.

VOlumus (a), quatenos diligentius adverteotes, quod oegotium tam iosigne, statumque totius Religionis Christianç contingeos, ac propter hoc potissime insidens cordi nostro, vobis committimus eonfidenter, quodque ad hoc vos specialiter duximus eligeodos, prçdictorum Regum prçsentiam adeuntes, ipsos ad pacem & concordiam, juxta datam vobis ex alto prudentiam, solicitis monitis, & efficacibus persuasionibus inducatis, ut, auxiliante Domino, qui est actor pacis, & humanç salutis amator, vestraque cooperante solertia, tam utilis, & necessaria fidei orthodoxç concordia possit celeriter provenire. Ut autem in hoc impedimenti, vel obstaculi, seu turbationis cuiuslibet, tollatur occasio, dissolvendi, irritandi, & revocandi omnes pactiones, obligationes, confederationes, & colligationes, jurameoto, vel quacunque alia firmitate vallatas; necnon & relaxandi hujusmodi, & alia quçlibet juramenta, a quibuscunque prçstita, per quç nutriri discordia, & pacis bonum posset quomodolibet impediri, vel etiam retardari, prout ea secundum Deum videritis dissolvenda, vacuanda, irritanda, seu insuper revocanda, vobis plenam, & liberam, prçsentium auctoritate, concedimus potestatem. Datum &c. Mandatum.

1. *Præscribit.*) Consulendum *Diploma XV Octobris MCCLXXVI.*
2. *Volumus.*) Quædam desunt.
3. *Datum &c.*) Qua die datum sit Diploma non legitur apud *Odoricum*, illud tamen refert inter gesta Anni MCCLXXVII.

Fratres Prædicatores Potestati, Consilio, & Communi Bononien. (1) commendat.

Anno 1277 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Potestati, Consilio, & Communi Bononien., Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VI.

HOnoris temporalis augmento, & perennis palma gratiç, apud çternum Regem vos dignos redditis, si cultui Nominis Divini vacantibus benigni, & propitii existatis; hinc est, quod oro dilectis filiis Priore & Conventu Fratrum Bononien., Ordinis Prçdicatorum, quos non immerito favore speciali prosequimur, & quorum quietem plenis desideriis affectamus, universitatem vestram rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus pia meditatione pensantes, quod Conditori omnium honor impenditur, si suis laudibus ascriptorum humilitas potentium subsidio fulciatur, prçfatos Priorem & Conventum pro divina, & nostra reverentia, vestris attollatis prçsidiis, & foveatis beneficiis opportunis, ipsos, & locum eorum, quantum in vobis fuerit, non permittentes ab aliquibus molestari: Preces nostras taliter impleturi, ut, eisdem gaudentibus, vos sibi reperisse propitios, vobis gratiarum a nobis actio, & benedictionis Divinç proveniat incrementum. Datum Viterbii III Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Primo. Exordium. Commendatio.

1. *Bononien.*) In Æmilia.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. fol.* 24., ex Autographo *Bononiæ* asservato.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiscopi, & Legati Dignitates, Johanne XX, seu XXI, Summo Pontifice, Promotos exhibens.

ARCHIEPISCOP.

Circa Annum 1277. F. Guillelmus de Morbeka, Archiepiscopus Corinthius, in Peloponneso. *Bernardus Guidonis in Episcopis Provinciæ Græciæ, Christianus Massæus in Chronicis. Johannes Aventinus in Annal. Bojorum. Sanderus de Scriptorib. Flandriæ. Lambecius Bibl. Cæsar. Tomo I pag. 147. Labbeus de Scriptorib. Ecclesiasticis. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Antonius Possevinus in sacro Apparatu. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Cap. IV Tit. XXXIII pag. 70 ex Plodio, Fernandez, Lusitano. Echard Tomo I ad annum MCCLXXXII pag.* 288. *Cavalerius Tomo I pag. 69 num. CCXVI*, ubi non definit quidem, quo tempore *Guillelmus* inauguratus sit, sed suspicatur, eum esse *Guillelmum*, quem anno MCCLXXVIII *Corinthium* Archipræsulem constitutum dixerat *pag. 37 num. CI*, ac eos qui *Guillelmum* nostrum remittunt ad annum MCCCXL, arguit, & merito. Anno siquidem MCCLXVIII florebat certe *Guillelmus de Morbeka*, & *Procli Diadochi Tyrii, Platonici Philosophi, elementationem Theologicam* e Græco in latinum converterat hoc anno, ut constat ex *Mss.* Codicibus, de quibus *Echard* supra laudatus, *pag. 390 col. II.* sic enim legere est ad calcem *Sorbonici* Codicis: *Completa fuit translatio bujus operis Viterbii a Fratre G... de Morbecca Ordinis Fratrum Prædicatorum XV Kalendas Junii Anno Domini Mill. CC Sexagesimo octavo.* Anno MCCLXXIV *Gregorii X* Pœnitentiarius erat *Guillelmus*, & ea, qua pollebat, linguæ Græcæ peritia, ut *Græcos* inter & *Latinos* gratiam componeret, operam navabat in Concilio *Lugdunensi II.* Ipsius mentio in *Actis ejusdem Concilii*. Ad Archiepiscopatum promotum jam fuisse *Guillelmum* anno MCCLXXVII, probatur ex Codice *Colbertino*, ubi ad calcem *Tractatus Galeni de alimentis*, sic legitur apud *Echard* citatum: *Explicit Liber Galeni de virtutibus alimentorum, translatus e Greco in Latinum a D. F. Guillelmo de Morbeka Ord. Prædicator. Archiepiscopo Corinthiensi, absolutus Viterbii MCCLXXVII mense Octobris XI Kalendas Novembris.* Ipsi Pallium per manus *Jacobi Cardinalis* Tit. *S. Mariæ in Cosmedin.* concessisse *Nicolaum III* Die IX Aprilis, Pontificatus anno I, Christi MCCLXXVII stylo veteri, novo MCCLXXVIII, auctor est *Bzovius ad annum MCCLXXVIII num. XXXIII*; Anno tandem MCCLXXX *Corinthi* degebat, ut ex tribus Mss. codicibus videre est apud *Echard* loco citato, *pag. 390 col. II, & 391 col. I.*

LEGATI.

Anno 1276. FRatres Rayno, Prior Viterbiensis, & Salvus, Lector Lucani Cœnobii, Legati ad Michaelem Palæologum, Orientis Imperatorem. *Bernardus* Guidonis *apud Odoricum ad annum MCCLXXVI num. XLV. Ptholomæus Lucensis apud eundem ad annum MCCLXXVII num. XX &c. Jordanus ibidem. Palæologus ipse in Epistola, quæ legitur apud Odoricum ad annum MCCLXXVII num. XXI &c. Instrumentum quod extat ibidem num. XXVII. Bzovius ad annum MCCLXXVI num. VII. Acta Capitulor. Generalium Tomo I fol.* 366. *Carolus a Sancto Vincentio in Anno Dominicano I Parte Septembr. pag.* 87 *Præfation. Fontana Theatro Dominican. Parte II Cap. II Tit. II num. XI pag.* 354. Eosdem Legatos *Innocentium V* designasse, docent *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVI num. III, & VIII, Vvaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXVII num. III, & VI.* Nec de hoc ambigendum videtur. Quam feliciter Legatis negotium sibi commissum cesserit, constat ex auctoribus mox citatis.

Anno 1276. F. Johannes Vercellensis, Generalis Magister Ordinis, Legatus ad Reges Castellæ, & Franciæ. *Bullæ superius exscriptæ XV Octobris MCCLXXVI, MCCLXXVII &c. Acta Capitulor. General. Tomo I fol.* 366. *Jordanus apud Odoricum Raynaldum ad annum MCCLXXVII num. V. Spondanus ad annum MCCLXXVII num. IX. Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 112.

NICO-

NICOLAUS III

Romanus, ex Nobilissima Ursinorum Prosapia oriundus, electus (a) est Pontifex Maximus Die XXV Novembris MCCLXXVII. Consecratus fuit eodem Anno Die XXVI Decembris. Migravit e vita (b) Die XXIII Mensis Augusti MCCLXXX. Sedit Annos II, Menses VIII, Dies XXIX.

(a) Nicolaus III Lib. 2 Epist. 2.
(b) Bernardus Guidonis & Ptholomæus Lucensis in Chronicis Summorum Pontificum.

Fratres Johannem Generalem Prædicatorum, Hieronymum Generalem Minorum, & Johannem de Viterbio Ordinis Prædicatorum legat (1) ad Regem Galliæ.

Anno 1277 Die 2 Decembris.

Ex Vvaddingo (2) Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 121.

I.

Nicolaus Electus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Regi Francorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a paterna solicitudine.



Quanto ex potestate Apostolorum Principi, ejusque successoribus a Domino tradita, humilitati nostrę ad promovenda commoda regia, dispendiaque vitanda, liberior concessa est ex celesti permissione facultas, tanto noster affectus ad clarę memorię Patrem (3) tuum Regem, Regnumque Francię in nobis radicatus ab olim ad tuam Regalem excellentiam, & ejusdem Regni statum provehendos ad prospera, & a quovis discrimine pręservandos, ferventior inardescit, adeo ut sui fervoris instantia nec nobis, nec Fratribus nostris, quos, provisioni Ecclesię cum sollicitudine multa vacantes, clausura diutina non leviter molesta vexarat, quietem aliquam, quanquam satis necessariam, indulgere permisit, nec observantias Ecclesię Romanę solitas observare. Hinc preter ipsius Ecclesię morem, secundum quem solent literę Apostolicę, promotionem Romani Pontificis nunciantes, pręsertim ad Principes, quoscumque alios (4) ipsius Pontificis pręvenire, nos Celsitudini Regię Patrem prius (5) paternis exhibemus affectibus, quam literatoriis ad hoc conceptis affatibus nunciemus. Vocati siquidem, licet impares meritis, ad Apostolatus officium, in crastinum vocationis hujusmodi Fratribus ipsis convenientibus una nobiscum, post consuetum caritatis alloquium, ad eosdem amatam nobis, & eis, discordiam, quam inter te, & carissimum in Christo filium nostrum, Regem Castelię, ac Legionis illustrem, pacis ęmulus tuus, & illius, nimio (6) potius Christianitatis, per te potissime, ac ipsum, contra hostes fidei ampliatis profectibus, invidens excitavit, ante omnia obtutibus nostrę considerationis expandimus animarum pericula, strages corporum, damna rerum, impedimenta negotiorum Domini, tuam singulariter expectantium potentiam promotricem, quę, nisi eam virtus precedat Altissimi, procul dubio eadem discordia comminatur, in multa mentis amaritudine recensentes. Specialiter autem tuam, ejusdemque tui Regni, ob premissam, ut intelleximus, excitatam discordiam, considerata commotio eo gravius nos anxiat, & perturbat, quo eam periculosiorem advertimus, & si veritati non parcitur, multorum judicio a laudabilibus progenitorum tuorum semitis alienam. Nunquid enim Gallicanę Ecclesię gladius in catholicę fidei professores vel limari consueverat, ut terreret, vel acui, ut feriret? aut christianum sitire, vel effundere sanguinem? seu catholica Regna subvertere, vel etiam conculcare, in Christi blasphemos ad ipsius exaltationem fidei, & dilatationem Christiani cultus limatus hucusque potius, & acutus? Hęc, fili carissime, quęsumus tecum ipse considera, consultius tecum pensa, & salubrius nostris monitis, & consiliis ex singularitate caritatis ad te filium prędilectum precedentibus acquiesce, ad quę magnificentię tuę plenius exprimenda, & preparanda, inter te ac memoratum Regem, pacis, & solidę concordię fędera, per dilectos filios Fratrem Johannem Magistrum Prędicatorum, & Hieronymum Ministrum Minorum Fratrum Ordinum ad hoc Apostolicę Sedis Nuncios (7) reformanda pariter, & confirmanda, dilectum filium Fratrem Johannem de Viterbio, ejusdem Prędicatorum Ordinis Procuratorem, religione, prudentia, & fidelitate conspicuum, ac grata experientia nobis, & Fratribus nostris acceptum, ad tuam pręsentiam, ut affectum, monita, & consilia nostra pressius tuis pręcordiis imprimat, quam literalis series exprimat, destinamus. Sic enim ad promotionem Regalis prosperitatis afficimur, ut in iis & literas Nuncii, & Nuncium literarum existimemus suffragio indigere, nec contenti sumus alterutro, immo vix nostris satisfacere posse reputemus utrumque, nisi quod ex eo, quem ad dictum Genitorem tuum hactenus, gessimus, & ad te, idemque Regnum gerimus, animo, de tua generositate verisimili conjectura supponimus, quod premissum nostrę singularis dilectionis affectum liberali gratitudine compensabis, nec precum nostrarum primitiis repagulum alicujus difficultatis oppones. Ex hoc itaque grandi concepta fiducia Serenitatem Regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, obsecrantes in Domino Jesu Christo, per aspersionem sui pretiosissimi Sanguinis obtestantes, quatenus memorato Fratri Johanni de Viterbio in premissis ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, benignam audientiam prębeas, & audita sic prompte ad gratiam exauditionis admittas, quod ad occurrendum tantis ipsius Christianitatis incommodis, & periculis obviandum, in hujusmodi reformatione concordię, tua nostris vota conformes, & prędictorum Nunciorum Sedis ipsius consiliis, suasionibus, commonitionibus, aliisque processibus acquiescas. Gratum ex hoc Creatori tuo, cujus proinde negotia, & precipue Terrę Sanctę, impedimentis submotis, efficaciorem executionem habebunt, pręstaturus obsequium, & in hac nostra novitate nobis, qui multo id desiderio petimus, munus acceptabile oblaturus. Ceterum scire te volumus, quod ad sępe fatum Regem super his,

Hortatur ad pacem.

Mittit ut supra.

quę ad ipsum exigit pręsentis negotii qualitas, & congruere publicę utilitati putavimus, alium nuncium (8) destinamus. Nec mireris &c. (9). Datum Viterbii IV Nonas Decembris (10), Anno Primo.

1. *Legat.*) Hujus Legationis causam paucis exponit *Vuaddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXVII pag. 421 num. VII*, ubi hæc habet: *Alios Legatos mittere præparabat hoc anno Johannes Pontifex, pacem compositurus inter Hispaniæ & Galliæ Reges, neque tamen ille morte præpeditus, sed Nicolaus ejus successor amandavit. Delecti pacis auctores Johannes Vercellensis, Magister Generalis Prædicatorum, & Hieronymus Asculanus Minister Generalis Ordinis Minorum, quibus mox alii adjuncti. Belli, & tumultus origo ea fuit, quod defuncto anno MCCLXXV Ferdinando Principe cognomento de la Cerda, Alfonsi Hispani Regis filio, & hærede, relictis ex Blanca conjuge, Philippi Regis Galli sorore, filiis duobus, Alfonso, & Ferdinando, fidei Johannis Lara, Nuncii filii, sub ipsam mortem enixe commendatis; Sancius ejus frater ætate proximus, Regni successionem ad se devolutam contenderet, etsi Alfonsus pater ægre tulerit, se superstite de Regni successione intempestive, & seditiose agi, & nepotes, quos privatis affectibus complectebatur, prætermitti, quod jure publico iniquum esse videbatur. Emanuelis tamen fratris consilio, qui jam totus Sancii erat, ejus controversiæ diiudicandæ causa Regni conventus Segobiam urbem indicti sunt. In iis conventibus, re ultro, citroque jactatâ, secundum Sancii jura & postulata pronunciatum est, opinione ancipite, jure ne, an injuria. Vicit sane publicæ utilitatis respectus, & tranquillitatis studium. Neque enim Sancius, si repulsam tulisset, quieturus videbatur; & erat ætas idonea, ingeniumque, & indoles rebus communibus gubernandis. Repulsos a Regni hæreditate nepotes suos Rex Gallus summe doluit, constitutosque in Aragonii Regis tutela, curabat, ne in Sancii patrui potestatem redacti, salutis, libertatis certe periculum adirent, non ignarus naturam mortalium ambitiosam, & præ imperii cupiditate in crudelitatem pronam esse. Mittebantur utrinque legationes, neque quicquam videbatur aliunde, quam gladio terminandum. Futuri belli mala cauturus Pontifex, per dictos Legatos cupiebat cuncta componi,* Hæc *Vuaddingus*, qui de eodem disserit *ad an. MCCLXXVIII pag. 445 num. XVII.*

2. *Vuaddingo.*) Idem partim exscripsit *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVII num. LVI.*

3. *Patrem.*) *S. Ludovicum.*

4. *Quoscunque alios.*) Legendum videtur: *Quascunque alias*, literas nempe.

5. *Prius.*) Cum enim nondum esset inauguratus, seu consecratus, de suscepto Apostolatus onere Reges catholicos certiores non fecerat.

6. *Nimio.*) *Odoricus* apposite scripsit: *Immo.*

7. *Nuncios.*) Ab anno MCCLXXVI a *Johanne XX* missos in *Galliam*, uti videre est ex *Bulla* - Habet - *data eodem anno, die XV Octobris.* Hinc *Johannis de Vercellis*, & *Hieronymi* legationem hocce Diplomate & sequentibus confirmat duntaxat. Istos enim *Franciæ* Regem adiisse, & de pace componenda jam desudasse, liquet ex instrumentis quorum meminit *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXVII num. XLVII*, cujus hæc verba: *Cum... Johannes Prædicatorum, & Hieronymus Minoritarum summi Præfecti a Johanne XXI* (sic Johannem XX vocant) *ad sopiendas Castellæ, & Galliarum Regum discordias, legati fuissent, ipsique, strenue suscepta ea provincia, magnos adiissent labores, confectaque in ea re instrumenta, vacante Sede, transmisissent, Cardinalium Collegium, collaudata ipsorum opera, rescripsit, ut ad cœptum opus, e quo rei Christianæ salus penderet, incumberent, donec alia ab Apostolica Sede imperia accepissent.*

8. *Nuncium.*) *F. Benevenutum*, Ordinis Minorum, de quo in sequenti Diplomate.

9. *Nec mireris &c.*) Ut in *Constitutione Data IV Martii MCCLXXII.*

10. *Decembris.*) Addendum: *Suscepti a Nobis Apostolatus Officii Anno Primo.* Id enim indicant hæc verba: *Nec mireris &c.*

Anno 1277 Die 2 Decembris.

Generales Ordinum Prædicatorum, ac Minorum, & Fratrem Benevenutum de Ordine Minorum ad Regem Castellæ & Legionis legat (1).

Ex Vuaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 122.

II. Nicolaus Electus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Regi Castellę, & Legionis illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium a paterna solicitudine.

QUanto ex potestate &c. (2), tanto animus noster ad id, faciente pacis auctore, directus ab olim nunc plenius inardescit. Verum & si ad omnium corda in pacis unanimitate servanda nostra suspiret intentio, Principes tamen, aliosque Magnates, & te pręcipue, ac carissimum in Christo filium nostrum Regem Francorum illustrem, eo magis desideramus esse concordes, quo inter vos maxime, ceterosque participes Regię dignitatis, periculosa discordia, & pluribus est onusta dispendiis, & plures involvit: hujus quippe nostri ferventis desiderii nos sic urget instantia, ut nec nobis, nec Fratribus nostris, quos provisioni Ecclesię cum solicitudine multa vacantes clausura diutina non leviter molesta vexarat, quietem aliquam, quanquam satis necessariam, indulgere permisit, nec observantias Ecclesię Romanę solitas observare. Hinc &c. (3), propter quod ad pręcisionem ipsius remedia, quę pręsens status Romanę Curię, angustięque tempore patiuntur, sine morę dispendio prosequentes, dilectum filium Fratrem Benevenutum de Ordine Minorum, virum utique religione, prudentia, & fidelitate conspicuum, ac grata experientia nobis, & Fratribus ipsis, acceptum, ad effectum, suasiones, nostraque monita, & consilia in premissis magnificentię tuę plenius exprimenda, & pręparanda inter te, ac memoratum Regem pacis, & solidę concordię fędera, per dilectos filios Fratres Johannem Magistrum Prędicatorum, & Hieronymum Ministrum eorundem Minorum Fratrum Ordinum, ad hoc Apostolicę Sedis Nuncios, reformanda pariter, & firmanda, de ipsorum Fratrum consilio, ad Regalem pręsentiam destinamus. Serenitatem Regiam monentes &c. (4). Gratum ex hoc creatori tuo &c. (5) oblaturus. Ceterum scire te volumus &c. (6). Nec mireris &c. (7) Datum Viterbii IV Nonas Decembris (8) Anno Primo.

Missio prædictorum.

1. *Legat.*) Consule *Notam I* ad præcedens Diploma, & adeas *Vuaddingum*, qui *F. Benevenuti* laudes celebrat.

2. *Potestate &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc usque verba: *Permissione facultas.*

3. *Hinc &c.*) In eodem ad hæc usque: *Amaritudine recensentes.*

4. *Monentes &c.*) Ibidem ad hæc usque: *Processibus acquiescas.* Mutandum tamen nomen *F. Johannis de Viterbio*, & legendum: *Fratri Benevenuto.*

5. *Tuo &c.*) Ut in Diplomate laudato ad hæc usque: *Acceptabile oblaturus.*

6. *Volumus &c.*) In eodem ad hæc usque: *Nuncium destinamus.*

7. *Nec mireris &c.*) Ut supra *IV Martii MCCLXXII.*

8. *Decembris.*) Addendum: *Suscepti a Nobis Apostolatus officii Anno Primo.*

Fra-

Fratres Johannem, Generalem Prædicatorum, & Hieronymum, Generalem Minorum, ad pacem Reges inter Franciæ & Castellæ componendam mittit (1),

Anno 1277 Die 2 Decembris.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regesto pag. 122.

Nicolaus Electus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Johanni, Magistro Prędicatorum, & Hieronymo, Ministro Minorum, Ordinum Generalibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. III.

Exordium a pastorali sollicitudine,

VOcatis nobis, licet insufficientibus meritis, ad Apostolatus officium, occurrit quasi confestim considerationis nostrę conspectui, acerbis infesta molestiis, periculosa dissensio, quam inter carissimos in Christo filios nostros Francię, & Castellę Reges illustres, incensor maiorum omnium suscitavit, amaras nobis suas circumstantias, quas frequenter dum nos minor status haberet, intra pectoris claustra revocavimus, repręsentans. Hinc enim nostris se offerebant obtutibus impedimentum proinde facile receptura pia Dei negotia, & pręcipuę Terrę Sanctę: hinc se animarum pericula, christiani sanguinis non quęvis effusio, gravia rerum dispendia, & non solum eorundem Regum, suarumque gentium, sed & totius quasi christianitatis in ipsorum commotione damnosa turbatio, ingerebant. Hęc quidem nostri cordis intima stimulant, acutisque stimulis instanter nostrum officium interpellant, ut ad occurrendum tanto Religionis Christianę discrimini per opportuna remedia ocyus exsurgamus. Considerantes itaque, quod cum ad Pręlatos omnes, & Episcopos maxime spectare noscatur in Dięcesibus propriis, exhortationibus prius, & tandem suę jurisdictionis, ac potestatis vigore, ad concordiam revocare discordes, multo magis ad nos, qui licet immeriti, potestatis plenitudine fungimur, Apostolorum Principi, suisque successoribus ex alto concessę, singulariter pertinet in universali Ecclesia, cunctave congregatione fidelium, pacem quęrere, ac ipsam facere diligentius observari. Et attendentes insuper, quod in Lugdunen. Concilio (2) in favorem negotii Terrę prędictę provida fuit deliberatione statutum, ut in toto Orbe Terrarum inter Principes pręcipue, ac alios Christianos, pax generaliter observetur; Itaque quod per Ecclesiarum Prelatos discordantes reducantur ad pacem, vel firmam treugam certi temporis spatio inviolabiliter observandam, & acquiescere contemnentes, per excommunicationis in personas, & in terras ipsorum interdicti, sententias, compellantur, nostri circa hoc partes officii censuimus exequendas, & vobis, quos ad tantę utilitatis opus fervere confidimus, & nequaquam ad eorundem Regum statum pacificum affici dubitamus, executionem hujusmodi deliberavimus committendam. Ideoque discretionem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, vobis, de Fratrum nostrorum consilio, per Apostolica scripta mandantes, quatenus Reges eosdem, & gentes ipsorum, non tantum ab omni congressu bellico, & invasione, seu insultu alterutrius in alterum, aut in terras, vel bona cujuslibet eorundem, seu ad ipsorum quemvis spectantia quoquo jure, immo etiam a pręparatione, seu dispositione qualibet ad pręmissa, & invocatione quavis circa ea occasione, quorum est exorta dissensio inter eos, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras eorum, non obstante qualibet indulgentia, Regibus ipsis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii, sub quacunque verborum forma, vel expressione, ab Apostolica Sede concessa, quando, & prout secundum Deum expedire videritis, auctoritate Apostolica, per vos, vel per alios, seu alium, compescatis; nihilominus pervigili studio, & instantia indefessa pacis, & concordię reformandę inter Reges eosdem cępto vacaturi tractatui, & causas, ac modos, per quos id obtinere efficacius posse putabitis, nobiscum, quanta celeritate poteritis, seriosius rescripturi; cum nostri sit omnino propositi sic nos hujusmodi conferre negotio, sic curiosas, sic solertes circa illud curas impendere, ac omni, qua poterimus, diligentia providere, quod satis inter Reges ipsos hactenus zizaniis radicitus extirpatis, discordiaque sublata, ac extincto discordię incentivo, pacis, & concordię, nostris admodum votis accommodę, mundoque perutilis, redintegratio solida inter eos celeriter, Deo auspice, subsequatur. Nec miremini (3) &c. Datum Viterbii IV Nonas Decembris (4) Anno Primo.

Missio.

1. *Mittit.*) Legenda præcedentia Diplomata, MCCLXXII.
2. *Concilio.*) *Lugdunensi II.*
3. *Miremini &c.*) Ut in *Diplomate dato IV Martii*
4. *Decembris.*) Addas: *Suscepti a nobis Apostolatus Officii Anno Primo.*

F. Hieronymo, Ordinis Minorum, S. R. E. Cardinali (1), ut sibi, & Fratri Johanni Ordinis Prædicatorum Generali commissum, negotium inceptum persequatur (2).

Anno 1278 Die 23 Aprilis.

Ex Vvaddingo (3) Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXXVIII num. XX pag. 447.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hieronymo, quondam Fratrum Minorum Generali Ministro, Sanctę Romanę Ecclesię Presbytero Cardinali, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. IV.

Exordium.

SUmmus omnium Magister & opifex, ore prophetico inquiens (4): suscitabo Tabernaculum David, quod cecidit: ac post pauca subjungens, & ea, quę corruerant, instaurabo, Vicarios suos pro tempore futuros instruxit, in Ecclesia Dei reparare quę deciderunt, & ut necessarios Ministros ipsius, quos fortis humanę fragilitas frequentius subtraxit, & diutius manere non sinit, remedio vicissitudinarię substi-

substitutionis instauret; & hinc nos, non sine multa mentis amaritudine, recensentes, solemnes a paucis retro temporibus in Sacrosancta Romana Ecclesia cecidisse columnas, & multiplicatas in ipsa ex multorum Cardinalium subtractione ruinas, illas, prętactam secuti doctrinam, cum fratribus nostris frequenti, & perpensa, deliberatione pręhabita, implere studuimus subtractorum vices aliis (5) dilectis, ut credimus, & electis a Domino, de ipsorum fratrum consilio, subrogatis, ut eidem pię matri Ecclesię pro patribus filii nascerentur, quorum consilio dirigi possit in dubiis, & fulciri suffragiis in adversis. Inter quos ad personam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus insignivit, considerationis convertentes intuitum, te in Presbyterum Cardinalem ipsius Ecclesię duximus assumendum (6). Licet itaque ad supportanda nobiscum ejusdem Ecclesię onera, tua foret admodum apud Sedem Apostolicam pręsentia opportuna, ne tamen negotium, tuę, ac dilecti filii Fratris Johannis Ordinis Fratrum Prędicatorum Magistri, prudentię, commissum, aliquod ex absentia tua dispendium patiatur, de tuo ad Sedem eandem reditu certo modo duximus ordinandum, nostrum circa hoc beneplacitum per alias nostras literas (7) communiter tibi, & eidem Magistro directas apertius exprimentes, quod, prout opportunitas facti concesserit, prosequaris. Datum Romę apud S. Petrum IX Kalendas Maii, Pontificatus nostri Anno Primo (8).

Hieronymus S. R. E. Cardinalis creatus.

Mandatum.

1. *Cardinali.*) Fuit postea Summus Pontifex *Nicolaus IV.*

2. *Persequatur.*) Consulenda *Diplomata data XV Octobris MCCLXXVI, & II Decembris MCCLXXVII.*

3. *Vuaddingo.*) Idem exscripsit *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCLXXVII pag.228.*

4. *Inquiens.*) *Amos IX. 11.*

5. *Aliis.*) Novem, de quibus *Oldoinus* laudatus, a *pag.* 221 ad 230.

6. *Assumendum.*) Idibus Martii, feria IV post Dominicam IV Quadragesimæ, Pontificatus *Nicolai III* Anno Primo, Christi MCCLXXVII, stylo veteri, novo MCCLXXVIII. Hæc noto, ut concilientur auctores.

7. *Literas.*) Desiderantur.

8. *Primo.*) Errant igitur, qui Pontificatus *Nicolai III* vel anno tertio, ut *Ciaconius*, vel anno quarto, ut *Panvinius, Hieronymum*, & alios Cardinales creatos, contendunt.

Anno 1278. Die 17 Maii

Ordinem nostrum summis laudibus ornans, Fratribus ad Generalia Comitia (1) vocatis, omnibusque, qui suppetias ipsis ferent, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, & Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ordinis encomium.

ORdo vester institutus divinitus (3) claret in conspectu Altissimi Patris per beatam sobolem, quam produxit ad hereditatis ęternę gloriam assumendam. Claret in terris, tanquam luminare pręfulgidum, effundens in gentibus (4) radios claritatis: digne quidem in ipso chorus exultat Angelicus: & nos, qui Ordinem ipsum prerogativa conceptę ab eodem specialis dilectionis amplectimur, in ejus claritate delectamur, ac in sua Religione veluti stabili soliditate quiescimus, dum vos, circa virtutum exercitium jugiter insudantes, per devotarum Orationum instantiam, & expositionem verbi Dominici, quasi Dei mediatores & hominum, salutem quęritis animarum, & prosperi status universalis Ecclesię fervidi zelatores, eidem indefessis laboribus, & argumentosis operibus deservitis. Quare Dominum Deum nostrum anima vestra lętificat, & in ipso lętanter exultat, quod in humilitatis spiritu confirmati, promptitudine devotionis, & operis, illius studetis imitari vestigia, cujus vias summopere custoditis, qui descendens a Patre luminum, & formam servi accipiens, se, in laudis sacrificium placabilem hostiam offerens, immolavit. Verum, ut debitum exequentes officii nostri, vos ad quęlibet salubria propriis monitis, & exhortationibus invitemus, sic quęsumus dicti compagem Ordinis in caritatis observantia, & unitatis solitę gratia conservetis, sicque ministerium vestrum exequamini claris operibus, & Verbis Dominicis profusis rore benedictionis utiliter diffundatis, ac exhibeatis vos salutis fidelium inclytos zelatores, & in eorum dilectione, & directione affabiles populis Christianis, quod vestrum exercitium directos foveat, & errantes dirigat ad salutem, semperque dictus Ordo suscipiat, Divina favente clementia, felicitatis augmentum; ut digne laudum pręconiis attollatur, ac crescat assidue prompta devotio fidelium apud Deum: vosque cęlestis gratię plenitudinem promerentes, possitis apprehendere vobis, tanquam benedictionis filii, virtute perseverantię, gaudium repromissionum, & vobis, qui in spiritualium administratione proficitis, & ob nomen Domini corporaliter laboratis, propter utrumque ordinatę caritatis pręmium rependatur: universis, & singulis de Ordine vestro, qui ad instans Capitulum Generale convenerint, & aliis Christi fidelibus, qui congregatis in eodem Capitulo Fratribus, ipso durante, pietatis suę manus porrexerint adjutrices, dummodo vere pęnitentes extiterint, & confessi, Fratribus (5) scilicet diebus singulis quibus ipsum Capitulum durare contigerit, & aliis quoties congregatis ibidem pias eleemosynas erogaverint, de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta sibi pęnitentia misericorditer relaxamus. Ceterum, cum in homine non sit auxilium, sed infirmitas, & defectus, ac propter hoc humeros nostros oporteat Divinę gratię sustentari pręsidiis, pias affectiones vestras excites circa debitum (6) caritatis, ut ad imposita nobis portanda salubriter onera servitutis, vestris apud Deum intercessionibus adjuvemur. Nos autem a vobis, & specialiter a vestris confratribus Provinciarum, vobis circumstantium, grata recepisse cognoscentes obsequia, ac eos cum plenitudine benedictionis, & gratię commendantes, vos, & dictum Ordinem in claustro nostrę memorię retinemus, & portamus in visceribus caritatis, proponentes quantum cum Domino poterimus salutiferę vestrę quieti consulere, ac vestra, & Ordinis vestri commoda, pro quibus ad nos recurrere cum plena securitate poteritis, promptitudine benedictionis, & gratię promovere. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Indulgentias largitur.

1. Ca-

1. *Comitia.*) Anno MCCLXXVIII die V Junii *Mediolani* celebrata, *Præside F. Munione*, Vicario *F. Johannis Vercellen.* Magistri Generalis: tunc enim in *Hispania* Legati S. S. A. munus obibat *Johannes*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo I Actorum Capitulor. General. pag.* 376. Legitur etiam apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad annum MCCLXXVIII pag.* 125.

3. *Divinitus.*) Notes hocce Summi Pontificis Oraculum.

4. *Gentibus.*) *Fontana* legit: *Conventibus*.

5. *Fratribus.*) Desideratur apud *Fontanam*.

6. *Debitum.*) Librarius *Fontana* scripsit: *Habitum*.

Fratris Johannis de Derlincon (1), ceterorumque Regis Angliæ Legatorum votis respondens, in gratiam Terræ Sanctæ quasdam decimas eidem Regi certa lege concedit (2).

Anno 1278 Die 1 Augusti.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVIII num. LXXXII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio, Regi Angliæ illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. VI.

Oratorum Regis Angliæ supplex petitio.

Dilectus filius Frater Johannes de Derlincon Ordinis Fratrum Predicatorum, & Magistri Henricus, & Guilielmus, tuę serenitatis Nuncii, quos, contemplatione mittentis, & suę probitatis obtentu, benigne recipimus, laudabilibus ad Terram Sanctam regię devotionis affectu, & proposito ad subventionem Terrę ipsius diligenter, ac prudenter, expositis, ex parte tuę celsitudinis petierunt, decimam ecclesiasticorum reddituum Regni Anglię, ac aliarum terrarum tuarum, prout extitit in Lugdunensi (3) Concilio ipsius Terrę subsidio deputata, ut hujusmodi affectum evidentius per operis effectum exhibeas, & propositum efficacius prosequi valeas, Apostolica tibi auctoritate concedi. Petierunt insuper, collectam jam, & colligendam ex decima ipsa pecuniam, cum paratus sis vivificę Crucis signum assumere, ac per Prelatos Regni tui, qui ad hoc de nostra licentia se, ac suas Ecclesias, obligabunt, & etiam per sufficientes mercatores cavere idonee, quod si te non transfretare contingat, sine diminutione aliqua pecuniam receptam de decima predicta restitues; tibi ex nunc, premissis tamen crucesignatione, ac cautione presentibus, assignari. Ad suffragium quoque premissarum petitionum, iidem Nuncii addiderunt, quod ex iis decima & terra dictę non solum per renovationem pecunię, quam in dicto Regno renovare proponis, pro eo quod per modos varios est non modicum solito ejus valori detractum, sed etiam ex collectionis diligentia, & favore, quem collectio ipsa de tuo nomine sortietur, auctore Domino, sentient magnę utilitatis augmentum. Sane, fili carissime, hujusmodi tuum propositum, & affectum in illo exultanti animo commendantes, in cujus manu Regum corda consistunt, qui ea pro arbitrio suę voluntatis inclinat, ad premissam puram (4) petitionem, nomine tuo factam, tuę salutis, & negotii utilitate pensata, de fratrum nostrorum consilio, respondemus, quod si regali magnificentię placeat ad subventionem Terrę predictę absolute absque intendimento aliquo publice, ac solemniter, prout tantum decet Principem, salutiferę Crucis charactere insigniri, nostri propositi est, & parati sumus excellentię tuę, postquam taliter Crucesignatus fueris, decimam concedere postulatam colligendam, & in tuto servandam usque ad tempus generalis passagii, & tunc, seu ante forsitan, prout facti qualitas suadebit, tibi de mandato nostro libere assignandam. Circa secundę vero petitionis articulum, magnificentiam regiam volumus non latere, quod reddimur admodum, conscientia urgente, solliciti, ut decima ipsa in ejusdem Terrę utilitatem efficaciter convertatur, & subsidio tantis Ecclesię universalis laboribus, ac oneribus, exquisito, Terra eadem non fraudetur, propter quod non facile nobis occurrit, qualiter possumus ad hoc animum inclinare, quod concessio pecunię, decima ipsa collectę, multum predicti passagii tempus anticipet, aut pecunia eadem premature, vel totaliter, vel etiam pro parte alicui assignetur. Verum quia singularia sperantur de tua presentia, favente Domino, ipsi Terrę commoda proventura, singulariter inducimur ad specialem tibi super hoc gratiam faciendam. Ideoque ut ad idem passagium te possis preparare commodius, circa petitionem eandem in eo gratiose tuis votis annuimus, quod post hujusmodi tuam Crucesignationem tibi viginti quinque Millia marcarum de prefata collecta jam ex decima ipsa pecunia intendimus facere assignari, dum tamen prius ad quantitatem ipsam, sine diminutione, ac contradictione aliqua restituendam, sive ad mandatum ipsius Sedis, tibi quovis tempore faciendum, si ex quacunque causa non transfretaveris, sive alias Sedes ipsa quandocunque ante tuum passagium dictam repetierit quantitatem, te, ac successores tuos obliges, prestito juramento, & tuis super hoc patentibus literis exhibendis &c. Datum Viterbii Kalendis Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Concessio.

1. *Derlincon.*) *Derlington*. Consulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXXIV pag.* 395.

2. *Concedit.*) *Devoverat Eduardus*, inquit *Odericus* loco laudato, *armorum suorum potentiam reparandis Terræ Sanctæ rebus, missisque ad Nicolaum Oratoribus symbolum Crucis accepturum spopondit, si Sacerdotiorum decimas ad sumptus bellicos tolerandos adscriberet. Cui Pontifex, ne sacræ opes frustra absumerentur, respondit, ea lege ipsi decimas attributum iri, ut ad ipsas refundendas, si expeditionem non conficeret, se obstringeret.*

3. *Lugdunensi.*) *II.*

4. *Puram.*) Fortassis *Primam*.

Pro-

Anno 1278 Die 4 Augusti.

Provinciali Lombardiæ, ut Fratres nostri de rebus divinis ad judæos dicant (1).

Ex Bullar. (2) Romano in Nicol. III. Ep. I.

VII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori (3) Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Lombardia, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

Vineam forte velut electam plantavit dextera Dei Patris, & omne semen verum seminavit in ipsa; Angelica custodia sepivit illam, lapides nocivos abjecit ex ea. Hanc de Ægypto in luto, & latere sub jugo Pharaonis oppressam, in signis, & prodigiis transferens, dux itineris ejus existens in Terram promissionis adduxit. Vinea enim Domini exercituum Domus Israel est, viri juda delectabile germen ejus. Hanc sic mire translatam, quasi adhuc rudem campum vomere legali proscindens, prophetali doctrina fulcavit, ut & ipsam ad maturam frugem, idest ad regenerationis gratiam prępararet. Sed proh dolor, peccatorum spinis obsita nullum imbrem gratię spiritualis excipiens (4), quę sperabatur, ut uvas educeret, labruscas eduxit: unde sperabatur judicium, processit iniquitas: unde justitia, inde clamor. Hęc est vinea, in qua fici arbor, scilicet synagoga judęorum, plantata Evangelica veritate describitur, cujus plantator Christus, cętus Apostolicus cultor existit. Hęc triplici tempore, quasi tribus annis, ut fructum produceret, expectata, infructuosa reperta, cultori succidenda prędicitur. Nam nec tempore circumcisionis ad perfectum deducta est, quia circumcisionem animę non quęrebat, nec sanctificata per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur, nec tandem justificata per Evangelii gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem Gratię justum injuste peremit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis, & curę refutavit antidotum, adeout nec verbis, nec signis, nec Sacramentis, quinimmo nec ipsa Christi, & Dei corporali pręsentia molliretur. Multifarie enim, multisque modis, olim Deus loquens antiquis ipsius synagogę Patribus in Prophetis, novissime in fine temporis locutus est ipsis (5), & nobis in Filio, quem constituit hęredem universorum, per quem fecit & secula. Sed omnem escam abominata est anima ejus, & idcirco juste, justo Dei judicio reprobatam, exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam, ablata est sepes ejus, prosternata maceries, & in direptionem posita, ut deserta, nec inventus est in terris amplius locus ejus. Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera prędicantur, qui omnes salvos fieri, & neminem vult perire, qui se ipsum pro nobis, & ipsis hostiam salutis exhibuit Deo Patri, qui exaltatus a terra, expansis in Cruce manibus, ad se cuncta trahere, evangelica voce prędixit. Nos licet immeriti, vicem ejus tenentes in terris, qui etiam judaicam perfidiam a sua misericordia non repellit, libenter pro illius Populi obcęcatione labores appetimus, ut, affectum nostrum divina prosequente clementia, cognita veritatis luce, quę Christus est, a suis tenebris eruantur. Porro quia judęorum ipsorum, quasi per universum mundum divino judicio pręvisa dispersio, ipsos ad recipiendum Sacramenta fidei, ac doctrinam, commode in unum convenire non patitur, necessitate nos voluntarios urgente, compellimur, per diversas mundi partes, diversos seminatores eligere, per quos semen verbi Dei, prout possibile est, spargamus in singulos, quorum salutem universaliter, & singulariter affectamus. Ad te igitur inter alios, sub spe divinę gratię, mentis nostrę oculos convertentes, cum tui Ordinis claritate reluceas, & credaris ubilibet per opera utilia, & exempla laudabilia fructuosus, & ex data tibi divinitus gratia scire te confidamus, & posse, fructus uberes in domo Domini germinare, discretioni tuę per Apostolica scripta mandamus, quatenus confidens in illo, cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales umbrarum tenebris obcęcatos in commissa tibi Provincia, per te, ac alios Fratres tui Ordinis, quos ad hoc honestate morum, experta scientia, probitatis virtutibus, circumspectione provida, & experientia comprobata, idoneos esse cognoveris, & quorum industria, atque doctrina divinis donis a Domino fęcundata, intrepide pro catholica fide reluceat, & in sui claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radiorum repercussione clarificet, & obstinatas cervices reprimat perversorum, judęos eosdem in terris, & locis, in quibus habitant, generaliter, & singulariter convocando, semel, & pluries, ac toties repetitis instantiis, quoties proficere posse putaveris, prout melius fieri poterit, prędicationibus, salutaribus monitis, & discretis inductionibus, evangelicis doctrinis, informans ipsos, studeas juxta datam tibi a Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, ut renati fonte Baptismatis, reluceant in lumine vultus Christi, & exinde chorus Angelicus delectetur. Tu quoque, ac alii quos ad prosecutionem tanti negotii duxeris eligendos, perennis boni pręmium, nostramque benedictionem, & gratiam vobis, de bono in melius vendicetis. Et ut affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit Mater Ecclesia, percipiant per effectum, tu illos, ex eis, quos ad susceptionem sacri Baptismatis gratia divina perduxerit, Pręlatis, ac Dominis locorum, in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissime recommendes, ut Deo gratias in recuperata ove deperdita, & filio prodigo redeunti, vitulum exultationis, & gaudii exhibentes, eos caritative foveant, favoribus muniant, benigne pertractent, nec ipsos in personis, aut rebus per judęos, vel alios, indebite molestari, permittant, quin potius in omnibus favorabiliter ipsis assistant auxiliis opportunis. Sed si forte, quod absit, aliqui ex ipsis in eorum obstinata perfidia perdurantes, &, veluti aspis surda, suas aures incredulas obturantes, ne tui, & illorum, quos ad hęc salutis opera deputabis, vocem audiant, ut de tenebris ad lucem exeant incantantium sapienter, tuas, & per te ad hęc deputandorum Fratrum salutares convocationes aspernantes refugerent, de istis, si tales inveneris, qui sint, in quibus locis, & sub quorum Dominio commorentur, nobis rescribere non omittas, ut circa pertinaces hujusmodi de salutari eorum remedio, sicut expedire videbimus, cogitemus. Ut autem de premissis avidis nostris conceptibus, juxta nostra desideria, satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prosperetur, & qualem fructum seminata semina repromittant. Datum Viterbii II Nonas Augusti, Pontificatus nostri Anno Primo.

Deus vult omnes homines salvos fieri.

Mandatum.

Commendatio Provincialis Lombardiæ.

Ne suscipientes fidem Catholicam molestiis afficiantur, cavet.

1. *Dicant.*) *Nec enim ad hæreticos modo*, inquit *Odoricus* ad annum MCCLXXVIII num. LXXVIII, *ad Ecclesiam revo-*

revocandos, plectendosque facinorosos incubuit, verum ad Judaeos in veteri pertinacia obfirmatos, toto orbe sparsos, si fieri posset, ad Christum adducendos curas adjecit, atque inter ceteros Petro (Legendum Bonnno) *qui in Insubria Dominicana familia alumnis praeerat, Hebraeis Evangelium annuntiandi provinciam imposuit, injunxitque, ut Praesulibus Judaeos conversos humanissime pertractandos pontificio nomine commendaret.*

2. *Bullario.*) Adeas *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVIII num. XXIX*, & *Pegnam ad calcem Directior. Inquisitor. pag.* 68, Ejusdem mentio apud *Spondanum Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. III*, *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.*114, & *Odoricum* supra laudatum. *Odoricus* citat *Epistolas CLXXVI & CLXXVIII Lib. II Nicolai III*. Hinc solvitur scrupulus *Pegnae* dubitantis, num hac Bulla sit *Nicolai III*, an *Nicolai IV*.

3. *Priori.*) Literam Majusculam *P...*, quae *Priorem* significat, sic interpretatus est *Odoricus*, ut *Petrum* Provincialem *Lombardiae* denotatum crediderit. Sed hallucinatur: Frater enim *Bonanus de Rippa*, *Asculanus* praeerat tunc Provinciae *Lombardiae*, uti videre est in Actis Capituli Provincialis ejusdem Provinciae apud *Ferrariam* anno MCCLXXIX celebrati. Consulendus *Tomus I Actor. Capitulor. General. fol.* 383, & 398.

4. *Excipiens.*) Nota verbum, non enim dixit: *Nullum imbrem Gratiae spiritualis* habens, sed *excipiens*: Quia nempe Gratias, oblatas sibi, non exceperunt isti Judaei, sed restiterunt ipsis, dicentes Domino Deo, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Hinc scriptum est: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*, & inferius hoc in Diplomate de Judaea gente dicitur: *Quia gratiam recipere noluit*.

5. *Ipsis.*) *Bzovius* & *Pegna* legunt: *Ipsi*.

Fidei praeconibus, seu Missionariis Ordinis Fratrum Praedicatorum, Privilegia multa concedit (1).

Anno 1278 Die 30 Augusti.

Ex Roderico in collectione Bullar. Apostol. &c. pag. 47.

VIII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Praedicatorum ad terras Saracenorum (2), Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Valacorum, ubicunque existentium, Æthiopum, Syrorum, Ibernorum (3), Alanorum, Bazarorum (4), Bothorum, Zarorum (5), Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Molesticorum (6), Tartarorum, aliarumque ceterarum (7) nationum Orientis, Communionem S. R. E. non habentium, proficiscentibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm hora &c. Commutare vota, ultramarinę peregrinationis, continentię, & Religionis votis exceptis, facultatem & licentiam habeatis &c. Datum Romę III Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Concedit.*) Dicetur in *Tractatu de Consensu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Saracenorum.*) Quae hic desiderantur, aut notata velles, legesis *XXII Martii MCCXLIV*, & *XXIII Julii MCCLIII.*

3. *Ibernorum.*) Seu *Hibernorum*, quorum regio est Insula *Europae* in Oceano occidentali prope *Angliam* sita. Legeram tamen *Iberorum*, ut in *Diplomate* XXIII Julii MCCLIII, *Hiberni* siquidem jam ante seculum sextum purae Religioni nomen dederant, nec ab ea defecerunt ante XVI Seculum.

4. *Bazarorum.*) *Gazarorum*, ut in Diplomate mox laudato.

5. *Bothorum, Zarorum.*) Legendum *Gothorum*, *Ziccorum*, ut in Bulla citata.

6. *Molesticorum.*) Videas *Notam XX in Diploma datum XXIII Julii MCCLIII.*

7. *Ceterarum.*) Forsan: *Exterarum*.

F. Latinum (1), S. R. E. Cardinalem, Legatum a Latere creat (2).

Anno 1278 Die 25 Septembris.

Ex Bzovio Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. XIV.

IX.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Latino Ostien., & Velitrin. Episcopo, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SUmmi providentia Conditoris terrarum orbem disposuit sub distinctione locorum, illam consulte dirigi, voluit, & salubri regimini gubernari, ne ipsarum statum emergentes fluctuationes mundi colliderent, vel quietis adimerent ubertatem, sed, omnibus sub juris & honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent, factorem suum naturali affectu cognoscerent, cognitum colerent, & suo reverenter imperio subjacerent. Tunc enim Altissimus in gloria suę majestatis exultat, populum, quem ipse redimit, conspiciens, cum in eo viget pacis amęnitas, floret sinceritas, radicatur integritas, nimbi, procellę tempestuosę quiescunt, & unicuique redditur, quod debetur, & tunc populus clarius in jubilum laudis exuberat, & tripudiat latius organo caritatis, cum intra se vallatur identitas animorum. Digne igitur in hac terrestri patria, gerentes, licet immeriti, vicem Christi, levamus, vigilis more pastoris, tam corporeos oculos, quam mentales, visuri, quid gregi commisso nobis expediat, quid Episcopis debeat impendi circa ipsum, ut ęterni Patris fulti pręsidio, nostri partes officii salubriter, & utiliter apponamus ad ea, quę Romanę matris Ecclesię incrementa respiciunt, & fidelibus necessario expedire cognoscimus, aut percipimus profutura. Et licet ad singulas regiones, Deo & Apostolicę Sedi devotas, nostrę consideratio- nia diffundamus intuitum, Civitatem tamen Bononiensem, & alias Romandiolę (3) nostras, & ipsius Ecclesię speciales, & Tuscię quoque in Imperio constitutas, Marchię Trivisanę, Patriarchatus Aquilejen., & totius Provincię Ravennatis, ac Ferrariensis, & Castellanę Civitatum, & Diœcesum, & Venetiarum, partes nobis vicinas oculo sereno conspicimus, & infra claustrum nostri pectoris prędilectione portamus, & ad illas, & eorum incolas fervor nostrę dilectionis exuberat, circa sui status prosperitatem cum affectionis paternę plenitudine cogitando. Unde cum eadem Bononiensis Civitas, & Romandiolę ad nos, & successores nostros Romanos Pontifices, & ad ipsum gerentes, pleno jure in spiritualibus & temporalibus in solidum pertinere, ac nostri & ipsius Ecclesię plenę jurisdictionis, ac principatus, existere dignoscantur, & tam ibi, quam in aliis prędictis partibus ab olim hostis humani generis, pacis ęmulus, & zizanię seminator, turbationes & scandala suscitavit, dum harum conditio in nostra pręcordia revolvitur, profundis meditationibus, laboriosisque vigiliis anxiamur, quę possimus adhibere consilia, ut jura ipsa fructi-

Exordium.

Legationis causa.

fructificent, crescat ibidem tranquillitatis ubertas, & pacis opulentia vigeat, extinctis inde somitibus odiorum. Et quia innumerabilium quidem negotiorum varietate distrahimur, & humana natura non patitur, ut essentia nostri corporis totam simul in diversis partibus exhibeat se presentem, illos in partem Apostolice solicitudinis de latere nostro nonnunquam assumimus, quibus fore perspicimus celesti dono provisum, ut in arduis, & altis negotiis sciant, & possint provide consulere, & utili consilio providere. Attendentes igitur, quod personam tuam Dominus scientiarum suarum magnitudine (4), religionis honestate (5), providentię munere, circumspectionis gratia, & industrię claritate (6), multisque virtutibus insignivit, humeris tuis fortitudinis robur (7) adiiciens, ut ad laudem sui Nominis onera grandia supportares, plenissimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud eandem Apostolicam Sedem ex eminentia sui (8) consilii necessarius habearis, & inviti tanti viri presentia careamus, te tamen propter exaltationem, & conservationem iurium, quę in eisdem civitatibus Bonon., & Romandiolę, nobis, & Ecclesię predictę. debentur, ac optatam quietem civitatum Romandiolę, & aliarum partium predictarum, de Fratrum nostrorum consilio, illuc tanquam pacis angelum duximus destinandum, fraternitati tuę in eisdem civitatibus, ac Romandiolę partibus plenę Legationis officium committentes, ut evellas, & destruas, dissipes, ac disperdas, ędifices, & plantes, & facias auctoritate nostra quęcunque ad honorem Dei, prosperum statum earundem partium, ac reformationem pacis hujusmodi, videris pertinere. Adiicientes nihilominus, ut eadem auctoritate in eisdem Bononien., & Romandiolę partibus nostris, ut prediximus, in temporalibus exerceas vices nostras; concessa tibi auctoritate simili, contradictores, & rebelles quoslibet, per excommunicationis, suspensionis, vel amotionis, aut depositionis sententias, sive alias per censuram ecclesiasticam, appellatione posthabita, compescendi, quibuslibet indulgentiis & privilegiis Apostolicis, per quę nullum in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus, libera facultate. Nos enim sententias & pęnas, quas, propter hoc, tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus. auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Viterbii VII Kalendas Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Encomium Cardinalis Latini.

Legatio.

1. *F. Latinum.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

2. *Creat.*) Hujus Legationis caussam ex Diplomatibus, & optimæ notæ Scriptoribus referunt *Bzovius ad an. MCCLXXVIII num. XIII, & XV, ac Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. IV &c.* Paucis id narrat *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI ad an. MCCLXXVIII pag.* 113, ubi hæc habet: *Eodem anno Nicolaus Pontifex jurium Sedis Apostolicæ defensor acerrimus, Patrem nostrum Latinum Cardinalem, cum Bertholdo Ursino, Ecclesiæ Romanæ fidos Ministros, ac Nepotes suos, Legatos misit, primum Bononiam, secundum vero in Æmiliam, ut populos illos in fidelitate erga Sedem Apostolicam continerent, & civitates ab illa alienatas ad eandem reducerent, refractarios compescendo.*

3. *Romandiola.*) Civitates, ac Provinciæ, de quibus hic sermo est, omnes sunt in *Italia*.

4. *Scientiarum suarum magnitudine.*) Magna laus sane, sed *Fratri Latino* debita: sed ejusdem prosapiæ viris familiaris. Sic ipsius avunculus, decus *Ursinæ* gentis, ipsemet *Nicolaus III* ob doctrinam laudibus effertur ab Auctoribus, quos citat, & excipit *Morerius in Dictionario Historico litera N.* Sic, ut vetera exempla, quorum copia fama celebratur, relinquam, & ea scribam quæ video, quæque miratur orbis universus, Summus Pontifex *Benedictus XIII* altissima eruditione, quam ipsius opera, etiam me tacente, testantur, sibi monumentum erexit ære perennius.

5. *Religionis honestate.*) *Hic enim Dominus Latinus vir fuit magnæ Religionis & sanctitatis.* Verba sunt *Ptholomæi Lucensis*, auctoris coppatis, apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCXCIV num. XII.*

6. *Industria claritate.*) Hujus exemplum hic ex *Odorico ad an. MCCLXXVIII num. LXXVII* subjicio. *Cœptam ... toties*, inquit Odoricus, *ac toties discussam inter Florentinos Guelphos, ac Gibellinos, concordiam perficiendam aggressus* Nicolaus III, *Latini Cardinalis opera, cui extorres Urbis cum civibus conciliandi, cum jam mutuo in Pontificem compromissu obstricti fuissent, provinciam imposuit. Exceptus magnis honoribus Latinus primum Guelphos inter se conjunxit, cujus factionis capita erant Donati, Tosinghi, & Pacii, contra Adimaros, qui potentia & opibus florebant, fœderati. Qua re perfecta Gibellinos Guelphis conciliare aggressus, post multas conciones habitas, ita omnium pectora, tot annis in pervicacia obfirmata, emollivit, ut ipsos in mutuos amplexus, coram populo, ex incredibili lætitia in festas voces effuso, alliceret.*

7. *Fortitudinis robur.*) Hac de re consulendus *Oldoinus apud Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXVII pag.* 221.

8. *Sui.*) Fortassis: *Tui*.

Anno 1278 Die 1 Octobris.

F. Johanni de Vercellis, ut omni cunctatione abjecta Patriarchatum Jerosolymitanum accipiat (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. LXXX.

X.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei dilecto filio Johanni, electo Jerosolymitano, quondam (2) Ordinis Fratrum Predicatorum Magistro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Humeros oneri supponere renuat Johannes.

Literarum tuarum series, quas super provisionis forma (3) de te in Jerosolymitana Ecclesia destinasti, responsi tui super ea dilata moram excusans, & deinde renunciationem juris, si quod tibi ex eadem provisione competeret, seu competere posset, premissis quibusdam excusationibus, in sui calce subinferens, materiam multę admirationis ingessit. Miramur siquidem, te in obedientia, & disciplina nutritum, & harum in aliis nutritorem, obedire vocationi divinę, licet per hominem, Dei tamen Vicarium, procedenti, tanto tempore distulisse. Quomodo obedientię bonorum a tuis postea exigere subditis, contra quod tibi presidentis reniteris voluntati? Miramur etenim, te, qui sub jugo Domini labores voluntarios subiisti, sub eo locum, quo altioris gradus, eo, quanquam majoris laboris, uberioris tamen meriti declinare. Miramur & tertio, te virum consilii, experteque prudentię non ignarum, tam Ecclesię supradictę, quam Terrę Sanctę statum a Pastoris ejusdem Ecclesię providentia, & diligentia maxime in spiritualibus dependere, dictas Ecclesiam, & Terram, tempus non modicum in responsionibus deducendo, tandiu exposuisse discrimini, permittendo illas spiritualis Rectoris solicitudine destitutas, sub quadam, quantum in te fuit, incertitudine fluctuare. Miramur denique, ut alia, quę admirationem eandem exaggerant, taceamus, si non in hoc teneritas conscientię tuę remurmurat, immo reclamat: presertim cum & Ordinis

Ipsum increpat Pontifex.

cui proinde gubernatio fluctuat, sub nullo, vel saltem dubio, & incerto Magistro. O quam parum affectui, quem ad Terram eandem habere crederis, ista convenire videntur? O quam parum in tantę Religionis, & devotionis viro decere putatur, ut locis illis te recuses exhibere presentem, quę Redemptor humani generis sua presentia decoravit: illorum recuses curam gerere, in quibus ipse languores nostros, curando mirabiliter, misericorditer abstulit, & dolores ineffabili pietate portando, proprium Sanguinem in pretium nostrę redemptionis effudit. Attende, si hęc famę tuę congruunt, si saluti. Attende, quod forte non desunt, qui de te mussitent, qui etiam dicant apertius: ubi est zelus ejus? Licet igitur laudabile reputemus, te districto judicio tuum ex humanitate insitum recognoscere imperfectum: quia tamen per hoc illius majori, magisque meritorio vacabis obsequio, qui dat lapso virtutem, renunciationem tuam predictis expressam literis, de Fratrum nostrorum consilio, non duximus admittendam; Sed scire te volumus, quod omnino de nostra voluntate procedit, ut, sicut alias tibi mandasse meminimus, impositum tibi onus regiminis Ecclesię sępe fatę devote recipiens, & pro electo Jerosolymitano te gerens, ipsum regimen, & administrationem ejusdem Ecclesię prosequaris diligentius ad ipsius, & Terrę predictę utilitatem, etiam dum te ab illis abesse contigerit, sollicitas, quantum patietur absentia, operas impensurus. Datum Viterbii Kalendis Octobris, Pontificatus nostri Anno Primo. Mandatum.

1. *Accipiat.*) *Hoc eodem anno,* inquit *Spondanus* ad annum MCCLXXVIII num. XVII, *cum post obitum Patriarchæ Jerosolymitani, illius Ecclesiæ Capitulum elegisset ei successorem Angelum Archiepiscopum Neapolitanum, ejus electionem Nicolaus irritans, Fratrem Johannem Vercellensem (non ut quidam habent Viterbiensem) Ordinis Prædicatorum, sextum a Sancto Dominico, Ordinis fundatore, Magistrum Generalem, Patriarcham creavit. Errant enim qui Fr. Hieronymum Asculanum Ministrum Generalem Ordinis Minorum creatum scribunt, cum is non Patriarcha, sed Cardinalis Presbyter Tit. Sanctæ Potentianæ hoc anno factus fuerit. Utrumque vidimus superius componendis motibus Gallicis & Hispanicis a Summo Pontifice addictum. Quorum industriam voluit jam bis dignitatibus remunerare. Ceterum Johannes dignitatis pondus horrens, supplicibus, ac instantibus precibus excusationem apud Pontificem quæsivit, ut uni soli curæ sui Ordinis vacaret, & acceptis, licet acribus, & objurgatoriis, a Pontifice literis de ejus inobedientia datis Viterbii Kalendis Octobris, in sententia perstans, missionem tandem obtinuit, datis ei literis Romæ Pridie Nonas Februarii anni sequentis.*

2. *Quondam.*) Notanda quæ hac de re leguntur Tomo I *Actorum Capitulor. General. folio* 371. *Summus Pontifex Fratrem Johannem Magistrum Ordinis fecit Patriarcham Jerosolymitanum; quam dignitatem omnino acceptare noluit, & quia in Literis Apostolicis dicebatur. Fratri Johanni quondam Magistro, statim ipse Magister in medio Capituli sigillum fregit, & de cura Ordinis se ulterius non intromisit: Quod Papa audiens remandavit dicens, quod ex quo Patriarchatum non acceptavit, intentionis suæ non erat, quod ab officio esset absolutus, & sic ex tunc Magisterium reassumpsit.*

3. *Forma.*) Hinc liquet aliqua deesse Diplomata de hoc negotio scripta.

Regi Franciæ, ut Oratores mittat, qui cum F. Johanne Jerosolymitano electo, ceterisque S. Sedis Legatis, de ineunda pace agant (1).

Anno 1278 Die 29 Novembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. XXV.

XI.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Francorum illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

De Alphonso conqueritur.

QUam amare, quam moleste tulerimus, negotii considerato dispendio, contumaciam, & contemptum, contra nos, & Romanam Ecclesiam, a carissimo in Christo filio nostro Rege Castellę, ac Legionis illustri, non sine tua, quod gravius ferimus, & dilectorum filiorum nostrorum Gerardi (a) Basilicę XII Apostolorum, Hieronymi S. R. E. Presbyterorum Cardinalium, ac Johannis Jerosolymitani electi, quantum in eo fuit illusione commissos, per nostras sibi directas literas, non sub verborum involucro, sed explicito sermone detegimus, & manifestis affatibus revelamus &c. (3). Ceterum, Princeps inclyte, devotionem & humiliationem tuam meritis laudibus, & debitis gratiarum actionibus prosequentes, illud te, tanquam filium predilectum, volumus, ante oculos tuę mentis habere, quod nullius apud te tanti debet esse malitia, ut perdas tuam innocentiam propter eam, vel maculam in gloria tua ponas. Quid autem gloriosius in potente, quam, quę suos professores exaltat, humilitas, quam ille (4), qui ait, quanto magnus es, humilia te in omnibus, majorem esse persuadet in magnis? Non deseras itaque, fili carissime, vias tuas, in te a tuis etiam progenitoribus derivatas. Devient qui voluerint, tu semper rectitudinis semitas prosequaris, pacem amplectare, &, quantum in te fuerit, cum omnibus eam habe. Contemne aliorum arrogantiam, & contemptum, cum in sublimi positus, non sit, unde contemni ab aliquo verearis. Ideoque cum memorati Cardinales, & Electus, tanquam viri virtutis, fortes animo, suam patienter ferentes injuriam, immo contemnentes omnino, Deique, ac nostrum beneplacitum, prosequi cupientes, disposuerint, in Kalendis Martii venturi proximo in Vasconia in loco congruo eidem tractando negotio convenire, te, ac sępefatum Regem, suis literis exhortantes, ut ad locum eundem solemnes Nuncios, plene in negotio ipso instructos, cum sufficienti mandato in eodem termino destinetis; serenitatem Regiam rogamus, hortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus ad utilitatem publicam, & Dei negotia, quorum tibi promotio imminet, considerationis intuitum, debita pietate, convertens, nullius malitia te abduci patiaris ab illis. Sed ut liberius exequi valeas, ob reverentiam Apostolicę Sedis, & nostram, eorundem Cardinalium, & Electi, quin potius nostras exhortationes adimpleas, statutis, & statuendis, per eos loco, & tempore, ad eorum presentiam hujusmodi Nuncios, cum pleno mandato, & instructione transmittas, ut quanto constantius injuria non provocatus, altius in tuę humilitatis prosecutione perstiteris, tanto id majoris meriti, majoris appareat & virtutis. Datum Romę apud S. Petrum III Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno ... (5).

Galliarum Regem ad pacem hortatur.

Mandat ut supra.

1. *Agant.*) Hac de re sæpius dictum est ad præcedentes Bullas. Hic unum ex *Odorico* loco citato notandum, quod scilicet, *obsecutus est Pontificiis votis Philippus Francorum Rex, atque Oratores dignitate, & prudentia, spectabiles Tolosam misit.*

Sed Alphonsus leves, & inanes, rationes causatus, Oratores legare detrectavit, questus inter cetera, eam urbem Gallicæ ditionis esse, nec parum detrahi Castellæ dignitati, si in ea tractatus hujusmodi haberetur. Pupugit ea res admodum Nicolaum, ac de Alphonso in literis ad Philippum est conquestus: quem etiam, ne ob id in Alphonsum ipsum gravius commoveretur, mollibus verbis delinire est conatus: ac ne cœptus pacis tractatus ea de causa abrumperetur, institit, ut in Vasconia, tunc Anglo obnoxia, urbe iniretur: eoque ut Oratores suos mitteret, Philippum solicitavit.

2. *Gerardi.*) Adeas *Caconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXVII pag. 255.*

3. *Revelamus &c.*) Multa hic desunt.

4. *Ille.*) *Ecclesiasticus III. 20.*

5. *Anno.*) *Primo.*

Anno 1278 Die 29 Novembris.

Regi Castellæ, ac Legionis, ut pacis Oratores mittat, qui F. Johannis Jerosolymitani electi, ceterorumque S. Sedis Legatorum conspectum subeant (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. XXVII.

XII. Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Regi Castellę ac Legionis illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Cur Tolosana civitas componendæ paci sit præstituta.

SCire tuam excellentiam volumus, nos Civitatem (2) prędictam (3) non negligenter, non inconsulte, sed premisso cum fratribus nostris exacto deliberationis examine, tuis etiam Nunciis pręsentibus in Curia nostra non insciis, consultius elegisse. Consideravimus enim, cum quibus, & de quibus, erat tibi tractatus habendus. Consideravimus, quod non exigebatur principalium personarum ea vice pręsentia, non de negotii consummatione spes erat, sed de pręparatoriis agebatur, utcum utriusque partis Nunciis, negotio ad exitum optatum disposito, & ad concordiam pręparato, in loco cum ipsis Nunciis eligendo mutua conventio, sive juila, ipsius Regis (4) & tua, necessaria eidem, ut dicitur, consummando negotio, sequeretur; & quanto esset negotii expeditio promptior, tanto mora justę brevior, & partium gravamina pauciora; quodque cum etiam pro isto eodem negotio alias tam tui longe majores Nuncii Regem eundem in terra sua, quam te in tua sui hactenus adiissent, ratio non suberat pręsumendi, quod moleste ferre deberes, Nunciis tuis prędictam civitatem pro loco ad prędicta idoneo deputari. Quę igitur causa premissis

Alfonsi Regis querelas explodit.

exhortationibus nostris, & precibus, non parendi, minus sufficientes, ut dicitur, mittendo Nuncios, & eos prohibendo ire Tolosam? Quę admirationis ratio de assignatione civitatis ipsius, prędicto Regi subjectę, in quo per hoc Curię Castellę detrahi poterat? Nunquid ipse Rex tibi assignavit eandem, vel ejus consilio, sive ad ipsius instantiam, aut eo etiam conscio extitit assignata? Nunquid non erat tuis Nunciis nostra diligentia plene de securitate provisum? Quę iterum admirationis ratio ex civitatis prędictę distantia, pro eo quod te forsan consuli oporteret, super aliquibus consummandis cum non de consummatione, sed de pręparatione ibi, ut premittitur, esset agendum? Nunquid propterea dicti Cardinales, & Electus, te abeunte in frontariam (5) contra Mauros, sequi debebant, aut fines excedendo mandati, juxta tuę petitionis ineptitudinem, locum tibi viciniorem adire, ut Nunciorum tuorum, & non ipsorum laboribus parceretur? Nonne ineptum extitit, & proculdubio incivile, te locum tibi vicinum petere: cum quanto tibi vicinior, & ad eum tuis Nunciis aditus aptior, tanto eisdem Cardinalibus & Electo remotior, & laboriosor, peteretur: quasi non plus tantis personis, quam tuis esset Nunciis deferendum? Quasi non sufficeret, quod saltem prefati Cardinales Hieronymus (6) & Electus, usque Tolosam, non propter dictum Regem, cujus in Francia, ubi tunc erat, copiam poterant habere facilius, & exquirere voluntatem, nec propter suos Nuncios, sed propter tuos tantummodo laborarent? Sed & de termini tarda notitia querela prudentius substitisset (8), cum eam confutet aperte, quod sicut dictus tuus Nuncius Johannes, post terminum tibi cognitum, a te missus, pervenit insufficienter ad eorundem Cardinalium, & Electi, pręsentiam, infra illum, sic etiam potuissent cum sufficienti mandato alii pervenire. Attende itaque, si decuit propter hoc a tam instanter, tam affectuose per nos petita Nunciorum missione cessare, si operibus exhibes teneritatem, quam in pręmissis admirationis tuę rationibus verbis te habere pretendis, ne hujusmodi negotio dilatio ingeratur, cui tu tantam pro nihilo ingessisti sine causa, easdem nostras contemnendo exhortationes, & preces, nec tantis deferendo personis, sed ipsarum tam leviter evacuando labores. Est ne illa oblatio, quam nobis per venerabilem Fratrem nostrum Benevenutum, Ordinis Minorum, nunc Episcopum Eugubinum, a tua pręsentia redeuntem, ex parte tua meminimus pręsentatam, per quam devote ac liberaliter offerebas, te paratum in eodem negotio nostris acquiescere monitis, & parere mandatis? Utinam, Princeps magnifice, oblationem eandem, quam taliter huc usque servare probaris in mini-

Ipsum ad pacem ineundam hortatur.

mis, in futurum observes in magnis. Utinam ut ab iis, & iis similibus, cautius in futurum caveas. Consideret circumspectio regia, quod prędicti Regis humilitas tuam inobedientiam arguit, suęque obedientię promptitudo notabiliores tuos perhibet contumaciam & contemptum. Profecto si tuum solum verteretur periculum in prędictis, possent, nec immerito, nos ista movere ad te ipsum tuo in iis relinquendum arbitrio, & hujusmodi negotium totaliter deserendum. Sed quia memorati Regis, & tua dissensio, multis est onusta periculis, magnis est plena dispendiis, multorum discrimina secum trahit, utilia Dei servitia impedit, animarum exitia, excidia corporum, vastitates rerum, & alia horrenda, quę evertat Dominus, comminatur, cogit caritas, hortatur pietas, ut propterea non desistamus a cęptis, sed illis solertius insistamus. Cum itaque memorati Cardinales, & Electus, tanquam viri virtutis, fortes animo, nec tuo moti

Mandatum.

contemptu, nec contumacia provocati, sed Dei, & nostrum, beneplacitum prosequi cupientes, disposuerint in Kalendis Martii venturi proximo, in Vasconia (9) in loco congruo prosecutioni ejusdem negotii convenire, te, ac sępefatum Regem, suis literis exhortantes, ut ad eundem locum solemnes Nuncios, plene in negotio ipso instructos, cum sufficienti mandato in eodem termino destinetis, serenitatem regiam eo instantius, quo frequentius rogamus, hortamur, & obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens, quod talia saluti tuę non congruunt, sed & famę detrahunt, & honori, animumque tuum

tuum super concordia inter te, ac memoratum Regem, Deo auspice, reformanda, votis nostris in omni puritate conformana, juxta premissam exhortationem eorundem Cardinalium, & Electi, Nuncios, statuais, & statuendis per eos, loco, & tempore ad ipsorum pręsentiam, sic solemnes, sic instructos, sic ad pacem benevolos, destinare procures, quod contractam contemptus, & contumacię, notam aboleas, nec tibi amplius impedimentum tam utilis, tam fructuosę, tam communiter desideratę concordię, a Deo, vel hominibus valeat imputari. Datum Romę apud S. Petrum III Kalendas Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

1. *Subeant*. Consulendum *Diploma datum II Decembr. MCCLXXVII.*
2. *Civitatem*.) *Tolosam* scilicet, *Occitaniæ* Urbem.
3. *Prædictam*.) Hinc liquet hujus Diplomatis exordium deesse.
4. *Regis*.) *Galliæ*.
5. *Frontariam*.) Limites nempe.
7. *Cardinales Hieronymus*.) Legerem: *Cardinales Gerardus, ac Hieronymus*.
8. *Substitisset*.) Turbatus forsitan locus.
9. *Vasconia*.) Cujus pars tunc *Angliæ* Regis potestatis erat.

Compositionem inter Fratres nostros, Episcopum, Capitulum, ac Parochos Majoricenses, de jure sepeliendi initam, confirmat (1).

Anno 1279 Die 22 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum Majoricen. (3), Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex Fratrum petitio.

CUm a nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod cum Ordo vester ex indulto Sedis Apostolicę liberam habeat sepulturam, bo: me: Raymundus Episcopus, & dilecti filii Capitulum Majoricen., de consensu omnium Rectorum Parochialium Ecclesiarum Majoricen. Civitatis, & Diocesis, vobis tam tunc pręsentibus, quam futuris, in favorem vestrę Religionis, deliberatione pia, & provida, concesserunt, ut, juxta tenorem indulti hujusmodi, possetis corpora quarumcumque personarum decedentium tam Civitatis, quam Diocesis prędictarum, quę apud vos eligerent sepulturam, ad ipsam recipere, ac in vestro Cimiterio sepelire. Cumque postmodum inter vos, ex parte una, & eosdem Rectores, ex altera, super hujusmodi concessione coram venerabili Fratre nostro P.... (4) Majoricen. Episcopo orta esset materia quęstionis, tandem causa hujusmodi ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, Nos primo bo: me: B... (5) Sabinen. Episcopum, & postmodum, eo viam universę carnis ingresso, dilectum filium nostrum J.... (6) Sancti Eustachii Diaconum Cardinalem, dedimus in ipsa causa, partibus Auditores. Demum vero coram eodem J.... (7) Cardinali prędicta causa pendente quędam super hoc de consensu eorumdem P.... (8) Episcopi, & Capituli, amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in instrumento publico, inde confecto, plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi, sicut recte sine pravitate, ac provide facta est, ab utraque parte sponte recepta, ac hactenus pacifice observata, & in alicujus prejudicium non redundat, ratam, & gratam habentes, illam auctoritate Apostolica confirmamus, & pręsentis scripti patrocinio communimus; tenorem ipsius instrumenti, de verbo ad verbum pręsentibus inseri facientes, qui talis est. Noverint universi pręsentes pariter, & futuri, hujus pręsentis, & publici Instrumenti seriem inspecturi, quod olim Dominus Raymundus bo: me: Episcopus Majoricen., de assensu, & voluntate Rectorum Ecclesiarum, tam Civitatis quam Diocesis Majoricen. ejusdem, concessit Fratribus Prędicatoribus Majoricen. commorantibus, quandam donationem, seu concessionem super sepulturis, prout instrumento, inde confecto, plenius continetur, cujus series hic verbo ad verbum inseritur, per Notarium infrascriptum, prout sequitur. Dignum est, eos beneficia grata recipere, qui Redemptoris nostri, & Universalis Ecclesię nos- cuntur obsequiis, tam diligenter, quam fideliter extitisse, ut & ipsi, sibi respondisse saltem in modico, gaudeant, & alii ex eorum remuneratione, ad nostrum, & Ecclesiarum nostrarum obsequium, animosius se accingant. Hinc est, quod Nos Raymundus Dei gratia Episcopus, & Capitulum Majoricen., diligenti tractatu habito, & deliberatione debita attendentes, quod si eis, quos nondum ad plenum novimus, manum aliquando aperimus, illis fortius tanquam ex debito providere constringimur, quorum obsequium animarum regimini quam plurimum necessarium nobis, & Ecclesiis nostris, experimento dinoscitur esse gratum. Considerantes igitur utilitatem, humilitatem, devotionem, obedientiam, honorem, & reverentiam, quę a Fratribus Prędicatoribus, in paupertate altissima, omnibus hominibus non necessario, sed ad placitum exhibetur, ac quod nostrum, ac Ecclesiarum nostrarum, pondus diei, & ęstus, portant, in salute populi procuranda, juris nostri, & Ecclesiarum Parrochialium non ignari, in favorem Religionis, & Ordinis, per nos omnes, & successores nostros, & omnes Rectores Ecclesiarum ipsarum, & successores eorum, qui de cetero pro tempore fuerint in Ecclesiis memoratis, salva reverentia concessionis Apostolicę, concedimus venerabilibus Fratribus Prędicatoribus pręsentibus, & futuris, Majoricen. commorantibus, quod juxta tenorem privilegii, eorum Ordini a Domino PP. concessi possint, quascumque personas tam Civitatis, quam Diocesis, ad sepulturam in Cimiterio suo recipere, quę apud eos elegerint sepeliri. Concedimus nichilominus, de assensu expresso prędictorum Rectorum, ipsis Fratribus defunctiones omnium perpetuo, & donamus; Ita tamen, quod de Legatis tantum a testatore Parrochialis Ecclesia recipiat quartam partem. In quo Legato non intelligantur oblationes factę die funeris, vel in novenario, sive Candelę, sive etiam ipse lectus, purpura, vel pannus sericus, cum ipsę oblationes, & lectus, ad sustentationem, & recreationem Fratrum, deputata intelligamus; Candelas vero, & purpuram, sive pannum sericum, secundum sanam nostram interpretationem, & assensum tam nostrum, quam Rectorum Ecclesiarum ipsarum, communem, sibi ipsius Ecclesię vendicent ornamenta. Si autem testator aliquid legaverit sepulturę, aliud vero

Confirmatio. (margin, beside "dundat, ratam, & gratam habentes")

Tenor compositionis initæ. (margin, beside "lis est. Noverint universi")

Tenor prioris compositionis. (margin, beside "sequitur. Dignum est")

vero mensę, sive pro vestibus Fratrum, sive libris, seu etiam pro opere, seu fabrica, vel ornamentis, sive anniversario, tricesimo, vel hujusmodi, id, quod relictum fuerit gratia sepulturę, dividatur inter domum predictam, & Parrochialem Ecclesiam, sicut superius est distinctum, ita quod de aliis predictis Parrochialis Ecclesia nichil sibi valeat vendicare. Ubi vero Testator indeterminate aliquid mensę, vel domui, legaverit, nulla facta, quod id causa funeris faciat, mentione, sine deductione aliqua inter parrochialem Ecclesiam, & ipsam Domum, sicut distinctum est superius, dividatur. Preterea quilibet Clericus Parrochialis in perpetuum corpora Parrochianorum suorum. & decedentium in Parrochia sua, quos apud locum predictum secundum concessionem premissam contingerit sepeliri, cum ipsis Fratribus simul, vel sine ipsis, si
Nota. venire noluerint, deferre cum Cruce usque ad ipsorum Fratrum Ecclesiam teneatur. Actum est hoc in Majoricen. XVI Kal. Decemb. Anno ab Incarnatione Dominica M. CC. L. Ego Raymundus, Majoricen. Episcopus, subscribo. Signum Jacobi, Majoricen. Sacristę. Signum Bertrandi Bovis, Precentoris. Signum Magistri Johannis, Prepositi Majoricen. Ecclesię. Signum Magistri Vincentii, Majoricen. Ecclesię Succentoris, qui hic subscribo. Ego Bernardus de Sacrista, Majoricen. Prepositus subscribo. Signum Raymundi de Clocquerio, qui hoc laudo & firmo. Signum Thomę Renaldi, Majoricen. Canonici. Signum Berengarii de Ozeto, Majorieen. Canonici, qui habens curam animarum in Ecclesia Sanctę Marię de Almudama, sicut Clericus Parrochialis, per me, & omnes successores meos omnia supradicta laudo, & firmo. Bernardi de Palatio, Canonici Majoricen., qui hoc firmo. Ego Raymundus, Majoricen. Episcopus, pro omnibus Rectoribus Ecclesiarum forensium Diocesis meę, rogatus in Synodo ab ipsis Anno, quo supra, subscribo. Guillelmus, Rector Ecclesię Sanctę Eulalię, per me, & omnes successores meos, omnia supradicta laudo, & confirmo. Ego Bernardus, Rector Ecclesię Sancti Michaelis, per me, & omnes Successorea meos, omnia supra dicta laudo, & confirmo. Bernardi Curcesii, Rectoris Ecclesię S. Jacobi Majoricen. per me, & omnes meos Successores, laudo, & firmo. Ego Bernardus Martini, Rector Ecclesię S. Crucis, per me, & omnes Successores meos, omnia supra dicta laudo, & confirmo. Signum Bertrandi Bovis, Precentoris Majoricen., qui perhibeo testimonium quod omnes Clerici forenses Majoricen. Diocesis habuerunt ratam hanc compositionem in Synodo Anno, quo supra. Ego Thomas Raynaldi perhibeo testimonium, quod omnes Clerici forenses Majoricen. Diocesis habuerunt ratam hanc compositionem in Synodo, Anno, quo supra, & ideo appono hoc signum. Signum Raymundi de Cloquerio, Majorieen. Canonici, qui perhibeo testimonium, quod Clerici forenses Majoricen. Diocesis habuerunt ratam hanc compositionem in Synodo, Anno, quo supra. Signum Berengarii Petri, hujus rei testis. Hujus rei testes sunt Raymundus de Verdaria, Johannes de Monterufo, Arnaldus Burgeti, Petrus Tusquira, & Franciscus de Algorsa. Signum Guillelmi de Sancto Copho (9), Capellani Domini Majoricen. Episcopi. Signum Bernardi de Artes, Notarii publici Majoricen., qui hoc scripsit, die & anno prefixis. Ceterum, cum super prefata donatione, seu concessione, inter predictos Predicatores, & Rectores tempore Domini Petri Dei gratia Majoricen Episcopi, qui eidem Domino Raymundo predicto successerat, esset mota materia questionis, & deducta fuisset ad presentiam Romani Pontificis, de consensu utriusque partis, & idem Dominus PP. Auditorem, seu Judicem super premissa causa partibus concessisset, tandem predicti Predicatores, & Rectores, de voluntate, & assensu predicti Domini Petri, Dei gratia Majoricen. Episcopi, & Capituli ejusdem pro bono pacis inter se amicabiliter composuerunt, videlicet, in hunc modum, quod dicti Rectores per se, & successores suos. approbaverunt, & laudaverunt Instrumentum donationis, seu concessionis supradictę, quam predictus Dominus Raymundus Episcopus bo: me: fecit Predicatoribus supradictis, hoc excepto,
Nota. quod iidem Rectores, vel Successores eorum corpora illorum non teneantur deferre Predicatoribus predictis, qui apud eos eligerint sepeliri, sed liceat predictis Predicatoribus ea deferre per se, si maluerint, vel per aliquem Presbyterum simplicem, quem habere possint, non tamen per Rectorem aliquem supradictum, cum periculosum esset predictis Rectoribus corpora supradicta ad Cimiterium Predicatorum deferre, propter Sacramenta, quę tunc haberent forsan ministrare suo populo, & sic contingeret, sepulturam differri mortuorum, non sine gravi scandalo populi, & jactura, & aliquoties eos oporteret deferere ad tempus suas Parrochias, & suos Parrochianos jacentes in lecto egritudinis, quos tenentur visitare, & eis salubriter assistere, quę supradicta sepius non possent exequi, si delationi, & exequiis insisterent corporum predictorum, cum multi etiam sint ex predictis Rectoribus, qui propter tenuitatem reddituum soli cum Scholare in suis Ecclesiis morentur, quorum quidam a Civitate Majoricen. spatio multo distent. Ad hęc Nos Petrus, Dei gratia Majoricen, Episcopus, volentes pacem, & concordiam inter predictos Predicatores, & Rectores munire, & fovere, quantum in Domino possumus, approbamus, laudamus per Nos, & Successores nostros, cum consensu Capituli nostri, dictam concessionem, seu donationem, quam supradictus Dominus Raymundus bonę me: Predicatoribus fecit supradictis, eo modo, quo superius est expressum, cum habita diligenti inquisitione, invenerimus ex predicta donatione, seu concessione imminere nullam predictis Ecclesiis vel modicam lęsionem, & ipsos Fratres sentiamus esse necessarios officio nobis commisso, & predictis Rectoribus non modicum fructuosos, & hanc etiam presentem compositionem laudamus, & concedimus, & subscriptione propria approbamus. Nos vero Frater Petrus de Lotgerio Prior Predicatorum Majoricen, & Conventus ejusdem, per nos, & per Fratres presentes, qui Majoricis sunt, & qui pro tempore fuerint, predicta omnia laudamus, & approbamus, subscriptione propria, & firmamus, quod est actum in Civitate Majoricen. II Idus Septembris Anno Domini MCCLXXVIII. Ego Petrus Dei gratia Majoricen. Episcopus subscribo. Signum Magistri Johannis, Prepositi Majoricen. Signum Magistri Bernardi de Olorda, Barchinon. Sacristę, Procuratoris Domini Archidiaconi Majoricen. Signum Magistri Bernardi de Olorda, Sacristę Barchinonen., & Canonici Majoricen.. Signum Raymundi de Cloquerio, Majoricen. Canonici. Ego Bernardus de Sorbarber, Majoricen. Ecclesię Canonicus subscribo. Signum Jacobi de Olorda, Barchinonen. & Majoricen. Canonici. Ego Bernardus de Palatio, Canonicus Majoricen. firmo. Ego Geraldus de Terracona, Majoricen. Canonicus firmo. Ego Raymundus Fuullarius, Rector Ecclesię S. Eulalię subscribo. Ego Berengarius de Vilalta, Rector Ecclesię Sanctę Crucis subscribo. Ego Bernardus Draperius, Rector Ecclesię S. Jacobi subscribo. Ego Guillelmus de Scorseyn, Rector Ecclesię S. Michaelis subscribo. Ego Berengarius Provincialis, Rector Ecclesię S. Marię de Castelig subscribo.

Ego

Ego Frater Petrus de Logerio, Prior Fratrum Prędicatorum Maioricen. subscribo. Ego Frater Raymundus de Olzeda, Supprior Fratrum Prędicarorum Majoricen. subscribo. Ego Frater Bernardus Clavelli subscribo. Ego Frater Raymundus Brelca subscribo. Ego Frater Petrus de Constantino subscribo. Ego Frater Fustraneus subscribo. Ego Frater Petrus de Sancto Ypolito subscribo. Ego Frater Berengarius de Podiatis subscribo. Ego Frater Petrus de Villamajori subscribo. Ego Frater Arnaldus de Nanso subscribo. Ego Frater Bertrandus de Trempo subscribo. Ego Frater Jacobus de Timor subscribo. Ego Frater Petrus Aragonen. subscribo. Ego Frater Petrus de Fonte Roscrio subscribo. Ego Frater Bernardus de Ribalta subscribo. Ego Frater Arnaldus de Fonranelli subscribo. Ego Frater Guillelmus Arayo subscribo. Ego Frater Petrus de Salis subscribo. Ego Frater Bernardus de Militia subscribo. Ego Frater Symon de Ponte subscribo. Ego Frater Guillelmus de Berola subscribo. Fgo Frater Jacobus Rebosterii subscribo. Ego Frater Arnaldus Gombaldi subscribo. Ego Frater Ferrarius de Linars subscribo. Ego Frater Raymundus Romani subscribo. Ego Guillelmus de Sanclo Justo, Rector Ecclesię S. Johannis de Muro, subscribo. Ego Berengarius Goday, Rector Fcclesię de Alerono subscribo. Ego Guillelmus de Cadireta, Procurator Folqueti Majoricen. Canonici, & Rectoris Ecclesię de Sisneu. auctoritate ipsius, & nomine, subscribo, & signum facio. Ego Ferrarius, Rector Ecclesię de Sporler subscribo. Ego Guillelmus Castagnur, Rector Ecclesię de Buyola subscribo. Fgo Frater Bernardus de Zaydino, Prior domus Bellipodii in Arcano subscribo. Signum Arnaldi Rossells, Rectorir Ecclesię Sancti Johannis de Portellis. Signum Petri de Tapiis, Rectoris Ecclesię Sancti Juliani de Campls. Ego Arnaldus Petri, Rector Ecclesię Sanctę Marię de Filamg, subscribo. Ego Raymundus, Clericus Rector Fcclesię Sancti Agnil subscribo. Signum Johannis, Rectoris Ecclesię de Belueor. Ego Carbonellus, Rector Ecclesię Sancti Petri de Petra subscribo. Signum Petri Andreę, Rectoris Ecclesię Sanctę Margaritę de Moro, qui hoc firmo. Signum Berengarii de Canale, Rectoris Ecclesię de Glnenr subscribo. Signum Jacobi Mathęi, Rectoris Ecclesię Sancti Michaelis de Campaneto, subscribo. Signum Ferraril de Sollsemira, Rectoris Ecclesię de Selua, qui prędicta firmo. Ego Guillelmus de Cunillis, Rector Ecclesię Syncha supra dicts laudo, & firmo. Signum Bernardi de Podio sicco. Rector Ecclesię de Rubinis subscribo. Ego Johannes de Podislibus, Rector Ecclesię S. Petri de Censellis subscribo. Ego Bartholomęus de Sacalin., Rector Ecclesię Sanctę Matię de Camino subscribo. Signum Guillelmi de Murischa, Rectoris Fcclesię de Schorchr, qui prędicta firmo. Ego Berengarius de Brugeriis, Rector Ecclesię de Soler subscribo. Signum Bernardi Roclan., Rectoris Ecclesię S. Marię Vallis de Mossa, subscribo. Ego Petrus Rog:, Rector Ecclesię de Pugpuyent subscribo. Ego Petrus de Crosellis, Rector Ecclesię Sanctę Marię de Audrax subscribo. Ego Berengarius Porcelli, Rector Fcclesię S. Johannis de Calviano subscribo. Ego Arnaldus, Rector Ecclesię de Marrechino subscribo. Testes hujus rel sunt Guillelmus de Sancto Johanne, Petrus Galard, Petrus Medicus, Martious de Ursino, Geraldus de Fares, Petrus de Abborus, Ferrarius de Filcena, Arnaldus Bertrandi, Presbiter, & Romeus Bonusfilius, Presbiter. Signum Marchesii Porri, publici Majoricen. Notarii, qui hęc scribi fecit, quod Instrumeotum clausit propria manu sua, die, & Anno pręfixis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę confirmationis insringere &c. Dat. Romę apud S. Petrum XI Kal. Aprilis Pontificatus Nostri Anno Secundo. Sanctio pœnalis.

1. *Confirmat.*) Consule *Tractatum de Consensu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum sericis filis appenditur.
3. *Majoricen.*) Insula *Hispaniæ* in Mediterraneo.
4. *P...*) *Petro.*
5. *B...*) Cum hæc initialis litera *B.* nec *Johanni* Vicecomiti *Placentino*, nec *Gerardo*, Episcopis *Sabinensibus*, de quibus consulendus *Ughellus* in *Italia sacra Tomo I pag. 172 Edit. II*, aptari possit, dicendum quod hic loquitur Diploma de *Bertrando* ad Episcapatum *Sabinensem* promotum a *Gregorio X*. Ceterum si *Bertrandus* iste *Auditor*, seu Judex constitutus sit a *Nicolao III* Summo Pontifice, non ergo decesserat anteaquam *Nicolaus* ad apicem Apostolatus assumptus esset. Emendandi ergo *Oldoinus* apud *Ciaconium Tomo II Vit Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXI pag.* 201, *Ughellus* citatus, *Petrus Saxo in Histor. Episcop. Arelaten. &c.*
6. *J....*) *Jordanum* scilicet *Ursinum*, germanum fratrem *Nicolai III*. Fuit *Jordanus vir magna excellentia & innocentia, literis, & integritate vita clarus*. Verba sunt *Ptholomæi Lucensis*, & *Ciaconii Tomo II ad an. MCCLXXVII pag.* 225.
7. *J....*) *Jordano.*
8. *P...*) *Petri.*
9. *Copho.*) *Christophoro.*

Anno 1279 Die 9 Junii.

Quid in negotio pacis inter Reges Franciæ & Castellæ ineundæ Frater Johannes Ordinis Prædicatorum Generalis Magister ceterique S. Sedis Legati egerint, narrat (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXIX num. XXI.

XIV.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, earissimo in Christo filio Regi Castellę, ac Legionis illustri, Salutem, & Apostolicam Benedictiooem.

Johannes vulgo XXI ad ineundam pacem Legatos mittit.

DIgne quidem ab olim in horrendorum tuę, ac carissimi in Christo filii nostri, Regis Francorum illustris, discordię, perceptione rumorum, Ecclesia concitata, felicis recordationis Johannes Papa XXI Prędecessor noster, tot animarum, corporumque periculis, rerumve dispendiis occurrere cupiens, dilectum filium nostrum Hieronymum Tit. S. Potentianę Presbyterum Cardinalem, tunc Fratrum Minorum Generalem Ministrum, & Fratrem Johannem Magistrum Fratrum Prędicatorum, Ordinum, ad hoc elegit (a) idoneos, injuncto eis, ut tuam, & ipsius Regis pręsentiam adeuntes, te, ac ipsum ad pacem & concordiam, juxta datam eis ex alto prudentiam, solicitis monitis, & efficacibus exhortationibus inducere procurarent. Et postmodum Nobis, licet insufficientibus meritis, ad Apostolatus apicem evocatis, illico periculosa illa dissensio se nostris obtutibus pręsentavit, in qua gravibus piorum negotiorum undique concurrentium, & pręcipue Terrę Sanctę, periculis recensitis, quę mentaneis videramus oculis etiam in minori officio constituti, offiaii debitum nostra pręcordia pupugit, & nostrorum primordia cogitatuum, ad occurrendum per

Ea de re Nicolai solicitudo.

per opportuna remedia tanto, & universali, discrimini diris aculeis stimulavit, nec indulsit menti nostrę quietem; ita quod sensibus nostris circa hoc cogitatibus profundis obtusis, ingerebat se nobis adjectio cogitatus, quod pensata diligenter negotii qualitate, ac personis sublimibus, inter quas discordia ipsa vertitur, & aliis circumstantiis, ex impulsu quotidianarum sollicitudinum, circumspectis, propter hoc aliquis ex nostris fratribus mitteretur, cujus presentiam altitudo tanti negotii merito requirere videbatur. Sed quia eorundem fratrum nostrorum tunc paucitas, & aliquorum ex ipsis debilitas, urgensque molestia, deliberationi hujusmodi nostri scrutinii restiterunt; ne circa idem negotium, quod sic nobis erat, & est cordi, sollicitudo nostra quovis modo torperet, venerabilem fratrem nostrum Benevenutum, ipsius Minorum Ordinis professorem, nunc Episcopum Eugubinum, ad te, ac ad Regem prefatum dilectum filium Fratrem Johannem de Viterbio, Procuratorem ipsius Predicatorum Ordinis, in effectum, suasiones, nostraque monita, & consilia in premissis per ipsum Benvenutum tibi, & per eundem Procuratorem dicto Regi, plenius exprimenda, & preparanda inter te, ac memoratum Regem pacis, & solidę concordię fędera, per Cardinalem, & Magistrum eosdem, tunc ad hoc Apostolicę Sedis Nuncios, reformanda pariter, & firmanda, duximus destinandos (3), eidem Fratri Johanni de Viterbio inter alia in quadam specialitate commisso, ne quicquam omittere videremur, ut apud eundem Regem pro suspensione, seu dilatione saltem cujuslibet processus hostilis contra te ad tempus insisteret, quo interim facultas adesset, plenius eidem negotio providendi, & in hac parte de opportuna solicitudine nihil omisso, dilecto filio nostro Simoni (4) Tit. S. Cęcilię Presbytero Cardinali, A. S. Legato, speciales literas nostras sub certa forma direximus, ut iis, quę tam Hieronymo Cardinali, & Magistro, quam Procuratori predicto eidem Legato referenda commisimus, diligenter inspectis, eos in commissione prosecutionis hujusmodi, juxta datam sibi a Deo prudentiam, dirigeret, & studiosius informaret. Porro dum inter nos, & predictum Hieronymum Cardinalem, ac Magistrum, se varię consultationes & responsiones ingererent, compulit non evitanda necessitas, qua incessanter circa negotium ipsum impellimur, nobis ipsis non parcere, vel aliorum laboribus indulgere, sicque, provido eorundem Fratrum nostrorum communicato consilio, dilectum filium nostrum Gerardum Basilicę XII Apostolorum Presbyterum Cardinalem ad partes illas transmisimus, ut per eundem, & dictum Hieronymum, tunc in Cardinalem, ac Magistrum eundem tunc in Jerosolymitanum electum, assumptos, tuis, & memorati Regis, Nunciis, convenientibus invicem apud Civitatem Tolosanam, quam locum satis congruum, partibus & acceptum, eidem negotio existimavimus, certo ad hoc per nos statuto termino, hujusmodi negotium tractaretur; eisdem Cardinali, & electo, tibi quoque, ac Regi prefato propter hoc, sicut te latere non credimus, speciales literas destinando; & ex presentia talium personarum, eidem per nos, prout decebat, deputatarum tractatui, finem Deo placitum sperabamus. Utinam id Altissimus nostris desideriis ministrasset. Nam, sicut accepimus, tuis Nunciis, seu ipsorum aliquibus occasione loci predicti certis intermissionibus subornatis, negotium ipsum, quod invite referimus, refugium solaminis non accinxit, sed diffugium tractus longioris indixit, quo per eorundem G.... (5), & Hieronymi Cardinalium, ac Magistri literas, amare, nec indigne percepto, ut omnibus vias precluderemus eventibus, eorum consultationi respondimus, quod tibi, & sepedicto Regi, pro alio termino assignando, in Vasconia nostras literas, prout ipsi nobis scripserant, miseramus; mandantes eisdem, quod iidem, arduitatem ipsius negotii attendentes, cum quanta possent diligentia ejusdem negotii prosecutioni vacarent. Verum eodem Cardinale Hieronymo sui corporis infirmitate detento, & pro arduis negotiis, ac evidenti utilitate, imo necessitate potius, exinde de nostra licentia recedente, dicti Gerardus Cardinalis, & Magister, ac tui, & dicti Regis, Nuncii, post diversas discussiones super hoc habitas, in Burdegalensi (6) civitate finaliter, ut singulariter omittamus enarrare singula, convenerunt, & cum ad tractatum pacis reformandę, vel ad treguas ineundas inter alia processissent, prout antea etiam super iis tractatus extiterat inchoatus, nec pacem, nec treguam hinc & inde, proh dolor! iidem Nuncii acceptarunt: quinimmo, quod acerbius gustare compellimur, tractatibus ipsis omnino succisis, discordes exinde discesserunt. Profecto nobis ipsis talibus transfixis aculeis, eisdem Gerardo Cardinali, & Magistro, ruboris post tot labores affectis incendio, & tibi, ac Regi prefato, ad majorum forsan rancorum amaritudinem deductis, & predictis tractatibus sic succisis, nec minus eidem Terrę Sanctę, cui per hoc multipliciter deperire dignoscitur, animo perplexi compatimur, & cogitatus plurimi nostris sensibus inculcantur. Multa enim mentis turbatione perpungimur, cum tot sollicitudines, & labores, & vigilias inspicimus, sic inaniter pertraxisse, quod unde favum sperabamus degustare dulcedinis, calix nobis amaritudinis propinatur. Multa, nec mirum, anxiamur angustia, dum in absentia talium personarum incommoda pertulisse sensimus, & ipsos insperato rubore videmus affectos, qui sperabant post labores, ad divinam gloriam, exultationis bravium reportare. Et multa nos angit anxietas, dum sic electos Principes diffidere conspicimus, quorum dissidio multi Principes, & populi concitantur, & de gravioribus futuris periculis potest, & merito, dubitari. Multa insuper cordis afflictio precordiales nostros actus obnubilat, dum per hoc predictę Terrę Sanctę negotio (7) sic deperit, quod ipsa Terra de suę respirationis remedio gravius hęsitat; compellitur Agarenorum injuriis lacessita in Divinę Majestatis offensam, & opprobrium populi christiani. Ad hęc confidentes in illo, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, in novi casus acerbitate sub spe summi consilii nova consilia perquirere procuramus. Et quia ubi multa consilia, ibi salus, cum fratribus nostris deliberatione prehabita, mature providimus Legatum, & Gerardum Cardinales predictos ad nostram presentiam revocare, ut eorum, qui de predictorum tractatuum circumstantiis notitiam obtinent pleniorem, informatione directi, & eorundem Cardinalium, aliorumque fratrum nostrorum consiliis, auxiliisque suffulti, vias utiliores ad premissa, dante Domino, perquiramus, per quas nostrę, & tuę, dictique Regis, & vestrorum Regnorum quieti, predicto quoque Terrę Sanctę negotio, de salutari, & opportuno remedio consultaturi, cum nostri sit omnino propositi, sic nos hujusmodi conferre negotiis, sic solertes circa illa curas impendere, ac omni, qua poterimus, diligentia providere, quod extincto discordię incentivo, pacis, & concordię, nostris admodum votis accommodę, mundoque perutilis, & eidem opportunę negotio, redintegratio solida, & Terrę Sanctę remedium prosperum celeriter, Deo auspice, subsequantur &c. (8): Serenitatem regiam hortamur, & obsecramus in

F. Benevenutus Ord. Minor, & F. Johannes de Viterbio Ord. Prædicat. pro eodem negotio Legati.

Alii quatuor pro iisdem componendis dissidiis destinantur.

Burdigalensis conventus, re infecta, dissolvitur.

Legatos ad se revocat.

In Domino Jesu Christo, quatenus animi tui decentiam mansuetudine regia muniens, sic ad pacis, & unitatis gaudia te conformes, odiorum fomitibus a te prorsus exclusis, quod Deo, & nobis gratificeris, ut gratus tibi & Regno tuo de quiete provideas, & tandem retributionis ęternę pręmium merearis. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Junii, Pontificatus nostri Anno Secundo,

1. *Narrat.*) Huc spectant *Diplomata data XV Octobris, & XXII Decembris MCCLXXVII, ac XXIX Novembr. MCCLXXVIII.* Audiendus etiam *Odoricus ad an. MCCLXXIX num. XXI*, ubi sic loquitur: *Cum Legati Apostolici post susceptos magnos labores, ut Burdegalæ utriusque Regis* (Philippi, & Alfonsi) *oratores convenirent, operam dedissent, infecta re, utrinque exasperatis animis, discessere. Ex quo Pontifex magno dolore, ob imminentia eorum Regum inter se bella, affectus, Cardinales Legatos ad se revocandos censuit, ut ex iis præsentibus rem certius cognosceret, maloque consentanea remedia adhiberet, egitque crebris apud Philippum literis, tum apud Castellæ Regem, ut in concordiam eos adduceret, quorum posteriori gravia Terræ Sanctæ pericula ex eo bello enascentia, aliaque mala ingentia, quæ acerbissimis aculeis pontificium pectus conficiebant, proposuit.*

2. *Elegit.*) *XV Octobris MCCLXXVII.*

3. *Duximus destinandos.*) *XXII Decembris MCCLXXVII.*

4. *Simoni.*) Legendus *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXI pag. 161.*

5. *G....*) *Gerardi.*

6. *Burdegalensi.*) In *Aquitania.*

7. *Negotio.*) *Negotium.*

8. *Subsequantur &c.*) Quædam hic prætermisit *Odoricus*.

Ne F. Pagani (1) Ord. Prædicatorum Inquisitoris, & sociorum interfectores custodiam evadant,

Anno 1279 Die 29 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis universis Potestatibus, Capitaneis, & Rectoribus, Civitatum, Castrorum, Villarum, & Locorum, per Lombardię Provinciam constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exordium.

ILla vos credimus discretionis gubernari virtute, & devotionis sinceritate vigere, quod, Deum super omnia diligentes, in votis geratis pręcipuum succidere aculeos calumniantium Catholicę fidei veritatem. Dudum siquidem, sicut non sine amaritudine mentis accepimus, Conradus de Venosta, laicus, fautor, & defensor hereticorum, ac hereticus manifestus, veritatem ipsius fidei obfuscare satagens, obliqui tenebris intellectus factus proh (3) dolor sui Redemptoris blasphemus, in quendam Fratrem Paganum Ordinis Prędicatorum, tunc Inquisitorem hereticę pravitatis in illis partibus, a Sede Apostolica deputatum, necnon duos Notarios, totidemque socios comitantes eundem, associatis sibi nonnullis in hac parte complicibus hereseos labe respersis, pręsumptione dampnabili & detestabilis furoris spiritu irruens, crudeliter peremit eosdem. Licet igitur tam horribilis pręsumptionis excessus, cordis nostri quietem vehementius inquietet, nichilominus tamen ingenti perfundimur gaudio, quod, sicut accepta nobis super hoc habet relatio, hujusmodi patratores sceleris sub dilectorum filiorum Potestatis, Capitanei, Consilii, & Communis Pergamen. (4) potestate consistunt: propter quod Nos eisdem Potestati, Capitaneo, Consilio, & Communi, nostris damus litteris (5) in mandatis, ut cum a dilectis filiis Anselmo de Alexandria, Daniele de Guxano, & Guidone de Coconato, Fratribus (6) dicti Ordinis Prędicatorum, Inquisitoribus hujusmodi pravitatis in Lombardia & Marchia Januen. fuerint requisiti, prędictos Conradum, & alios ad locum, quem dicti Inquisitores maluerint, sub fida custodia, & cum ducatu comitum oportuno transferri procurent. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus super hoc eisdem Inquisitoribus defensionis efficacis pręsidio assistentes, cum dictos Conradum, & alios per districtum vestrum duci contingerit (7), de securo conductu ad requisitionem eorum sic liberaliter provideatis eisdem, quod eosdem Conradum & Complices, cessante quovis impedimento, ad locum libere valeant ducere destinatum, & si forsan dicti Inquisitores prełigerent in aliquo loco vobis subjecto Conradum, & complices detineri, illos sollicite custodiatis, & faciatis sollicitius custodiri, ita quod eis fuga pręsidium nequaquam possit adesse; id sic laudabiliter impleturi, quod sinceritatem vestram proinde dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

F. Paganus Ord. Prædicat. Inquisitor, & Socii ab hæreticis interempti.

Mandatum Pontificis.

1. *Pagani.*) Hujusce mentio *Tomo I Actor. Capitulor. General. fol. 369*, ubi sic legitur. *Hoc anno in natali Protomartyris Stephani Frater Paganus de Leuco, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Lombardia, de Conventu Cumano, procurante, & instigante quodam nobili Conrado de Venusta, a Credentibus hæreticorum occisus est. Qui multis confossus vulneribus, tandem exemplo Salvatoris lancea latere perforato, semper tenens manus super pectus in modum Crucis, occubuit. In die vero Sancti Silvestri, cum ad Conventum suum Cumanum esset allatus, apparuerunt vulnera ejus recentia, & in conspectu Episcopi, & totius Cleri, & populi, subito exivit rivus sanguinis de plaga lateris, & sanguis rubicundissimus erat, sicut agni. Hoc autem fuit mirabile, quod per sex dies, quibus illud sanctum Corpus extitit non humatum, nunquam ejus vulnera horrorem incusserunt, nec aliquantulum emiserunt fœtorem, sed semper recentia, & rubicunda permanebant. Frater autem Christophorus fuit graviter, sed non lethaliter vulneratus. Passi sunt cum eo pariter duo Notarii & occisi.* Adeas *Bzovium Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVII num. IX &c. Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag. 111.* Audiendus etiam *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXVIII num. LXXVIII*, ex cujus verbis constat, nonnulla hac de re desiderari Diplomata. *Explicabunt..., egregie, quo ardebant*, inquit Odoricus, *animarum zelum e sacro S. Dominici sodalitio fidei Censores, inter quos vitæ sanctitate illustris Conradus Paganus in Insubria gloriosissimo martyrio anno superiori, ut collocat Bzovius noster, occubuit. Intulit eximio Christi servo cruentam necem scelestus Conradus de Venosta, vir impurus, atque hæreseos infamia perfusus, qui ad tantum patrandum scelus nefarios alios sicarios conduxerat; in quem, ac socios, Nicolaus lege distrinxit, imploravit etiam Pontifex Rodulphi Regis Romanorum opem, tantumque studium in sicariis hisce insectandis adhibuit, ut anno insequenti conjecti in vincula Bergomi fuerint.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Proho.*) Sic in Autographo: nunc scribimus *Proh*.

4. *Pergamen.*) Seu *Bergomen.*, ditionis *Veneta* in *Italia*. Ex hoc autem firmantur superius notata *X Martii MCCXXVIII, & XIII Junii MCCLI.*

5. *Litteris.*) Desiderantur.

6. *Fratribus.*) Tres isti Censores fidei recensendi sunt inter eos, quos non novit *Fontana in Theatro Dominicano*.

7. *Contingerit.*) *Contigerit.*

Succes-

Anno 1279 Die 23 Decembris.

Successorem bonæ memoriæ Fratris Martini (1) de Ordine Prædicatorum, Archiepiscopi Gnesnensis, inaugurandum curat.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXIX num. XLIII.

XVI.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Philippo (2) Episcopo Firmano, Apostolicę Sedis Legato, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Gnesnensis Ecclesiæ statum deflet.

QUę de statu, immo casu miserabili Gnesnensis (3) Ecclesię ac populi Christiani partium illarum tuę, necnon dilectorum filiorum Prepositi, Decani, & Capituli ejusdem Ecclesię, ac quorundam Prelatorum partium earundem, literę missę nuper lamentabiliter referebant, nobis & fratribus nostris amaritudinis presentavere materiam, & accelerandam gratiosę provisionis misericordiam implorabant. Habet enim literarum ipsarum assertio, quod eadem Gnesnensis Ecclesia, quę diu antea pastore vacarat, & nunc per mortem (4) bonę memorię Martini de Ordine Predicatorum, quem in Archiepiscopum eidem preseceramus Ecclesię, vacare dignoscitur, tam per tyrannidem paganorum, fidem persequentium Christianam, quam per temeritates & insolentias plurium aliorum (5), non solum in suis bonis & juribus, gravibus est attentata molestiis, & deducta in paupertatis opprobrium, sed & in personis populi, Pastoris ejusdem Ecclesię curę commissi, enormibus est convulsa dispendiis, non sine fidei ejusdem injuria, & gravi, proh dolor! periculo animarum; cum, sicut eędem literę continebant, diebus istis preter numerosam stragem hominum, quos paganorum ipsorum crudelitas inhumana peremit, multitudinem copiosam juvenum dicti populi eorundem paganorum violentia fidem eandem abnegare coegerit, & pertraxerit ad gentilitatis errorem. Habebat insuper earundem literarum adjectio, quod dicti Prepositus, Decanus, & Capitulum post obitum prefati Archiepiscopi pro futuri substitutione pastoris, sicut moris est, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Vuolstiberium, Canonicum Gnesnensem, virum utique providum, & discretum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, in Gnesnensem Archiepiscopum canonice, ac concorditer elegerunt. Nunciis ad tuam presentiam destinatis, primo ad excusandam dicti Electi absentiam, & commissionem hujusmodi negotii a te in illis partibus impetrandam, & demum ad petendam confirmationem electionis ipsius. Sed tu, cum nondum partes illas intrasses, variis, & arduis in Regno Hungarię occupatus (6), nec commode, presertim absque periculo incumbentium solicitudini tuę, in Regno predicto ipsius negotii vacare posses examini, eligens Apostolicę Sedi deferre, ad illam dictum negotium premisisti, humiliter supplicans, illud celeriter expediri, ad id eorundem Prelatorum, Prepositi, Decani, & Capituli devota supplicationis instantia, memoratis inserta literis, concurrente &c. (7). Datum Romę apud S. Petrum X Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

F. Martini Gnesnensis Archiep. mors.

Vuolstiberium ipsius successorem consecrandum curat.

1. *Martini.*) De quo in *Appendice ad præsentem Pontificatum.*

2. *Philippo.*) Cujus laudes celebrat Ughellus in *Episcop. Firman. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 710 Edit. II.*

3. *Gnesnen.*) In *Polonia.*

4. *Mortem.*) Vide *Notam* ad Episcopatum *Vincentii Bellovacensis* in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV pag. 259.*

5. *Aliorum.*) De his *Odoricus* loco citato, *infensam*, inquit, *Vuolstiberio fuisse Lesiconem Nigrum, Cracoviensem & Siradiensem Ducem, Poloniæ Principem, refert Longinus* (Histor. Polon. Libro VII) *atque ideo Vuolstiberium, quamvis jure fretum, adversus potentiam, & opes contendendum non duxisse, cum lis extraheretur, cœptisque destitisse; abiisse dignitate delata sibi concordibus suffragiis coram Philippo Episcopo Firmano, Apostolicæ Sedis Legato, testatur Martinus IV* (Tomo I Lib. III pag. 133 Epist. I.) *ac dein a se Henricum de Bren Minoritam, generis claritate, & virtutum ornamentis conspicuum, ad Gnesnensem Sedem vocatum: eo vero Archiepiscopalis dignitatis apices attrectare respuente, Jacobum a Gnesnensium Canonicorum collegio Archiepiscopum designatum, sedisque Apostolicæ auctoritate confirmatum.*

6. *Occupatus.*) Quæ fuerint illa negotia, docent *Diplomata* quæ transcripsit *Odoricus ad ann. MCCLXXVIII num. XXIII, MCCLXXIX num. XXXV, & MCCLXXX num. VIII &c.*

7. *Concurrente &c.*) Hæc silentio prætermittens *Odoricus*, provinciam, inquit, *imponit Legato, ut si Vuolstiberium rite electum compererit, ipsum Apostolica confirmet auctoritate, ac finitimis vocatis Episcopis sacris Pontificalibus initiandum curet.*

Anno 1280 Die 18 Januarii.

Ut Bononienses inter se dissidentes conciliet (1), mandata F. Latini Cardinalis, & S. Sedis Apostolicæ Legati, servanda decernit.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXX num. VI.

XVII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Bertholdo de filiis Ursi (2), civi Romano, totius Provincię Romaniolę, Civitatis Bononien., Comitatus Bertinorii, & pertinentiarum eorundem, Rectori, ac ipsius civitatis Potestati, Consilio, & Communi, & universis de parte Geremiensium Bononiensibus, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Hujusce Diplomatis causa.

ESset enarrare longissimum, quibus ab olim turbationes vestrę Civitatis nos affecerunt angustiis, & quot hesitationum, & interdum compassionum incendia nostris sensibus inculcarunt, & quibus laboribus, solicitudinibus, ac studiis nos concordię tunc procurandę contulimus, nobis ipsis non indulgendo quietem. Nec possemus exprimere literis gaudia, quibus exultabamus in Domino, dum vos tandem ad hujusmodi concordię ac pacis gratiam, ut credebamus, Domino inspirante, reductos, in unitate videbamus procedere, ac in illa concrescere gratis affectibus sperabamus. Sed dum sic post tot studia, solicitudines, & labores, nostra precordia quodammodo quiescebant, subito, proh dolor! rumor innotuit, quod novella Deo placida, & nobis accepta plantata concordia, ventorum concertationibus fluctuabat. Unde in se nou-

nondum cicatricibus solidatis, ipsa concordia patitur, & nos in illa sic adhuc tenera digne sensimus in mente scissuram, & compatimur filiis, quos amamus. O quanta nos turbaret anxietas, nisi celerioris remedii adhibendi fiducia turbationem hujusmodi aliquatenus mitigaret, si videremus, quod absit, sic in vacuum ista tempora percurrisse! Quam acutus aculeus viscera nostra persoderet, si talis turbatio nos iteratis actibus sauciaret! Quanta nos amaricaret acerbitas, si talis concordia dulcedinis, quod avertat Altissimus, facta virus, calicem nobis amaritudinis propinaret? & quanta turbatio, nec minus admiratio in pectore nostro concresceret, & extraneis etiam subsannandi daretur occasio, si talis civitas, quę debet aliis esse doctrina constantię, concitatione tam aspera fluctuaret, & in illa levis inundatio prorumperet in procellas, quibus se ipsam, & partes circumpositas perturbaret? Absit, quod talibus ulterius concitemur insultibus, ut dicta civitas tali nota, immo potius dispendiis laceretur. Siquidem conflixisse vos partem Geremiensium, & partem Lambertatiorum, ac nonnullos alios, quos nunc nominare, seu alias distinguere non oportet, prima (3) fama, demum multiplicatis literis, & tandem veridica relatione percepimus, hinc inde patratos nefarios excessus audivimus. Quę autem partium, seu qui dederint prędictis initium, & culpabiles, vel magis culpabiles sint censendi, adhuc certitudinaliter non sensimus. Propter quod mansuetę discussionis examine providentes, non fore, sic incerte ad imponendas culpas, vel culparum pęnas, quousque super iis plenius appareret veritas, procedendum, provida deliberatione decernimus, vos, Consilium, & Commune, ac Geremienses, & illos, super faciendis, & adimplendis, tam nostris, quam venerabilis Fratris nostri Latini (4) Ostiensis, & Velletrensis Episcopi, Apostolicę Sedis Legati, & tuis, fili Potestas, communiter, vel divisim pręcise mandatis primo requirere, diligentius experiri de negotii circunstantiis, & omnes communiter, veluti pastor solicitus in obedientia Romanę matris Ecclesię retinere, ut tandem, apparente veritate, reformando, ordinando, sententiando, & puniendo, ac alias etiam quod negotii qualitas indicabit, juxta formam ordinationis, per nos jam initę inter partes, vel per vias alias, quas nobis, ut speramus, ministrabit Altissimus, liberius, & decentius faciamus. Datum Romę apud S. Petrum XV Kalendas Februarii, Pontificatus nostri Anno Tertio. Mandatum.

1. *Concilier.) Premebat enim, inquit Odoricus loco laudato, premebat . . . gravissima cura Nicolaum, ut Bononienses inter se dissidentes conciliaret: cumque pro adducenda concordia suscepti multi labores fuissent, inflammatis rursum ita animis, atque exorta seditione, non leviter priora pacis consilia disturbata fuerunt. Ad quæ Pontifex redintegranda, Bertoldum Ursinum strenuam navare operam jussit . . . . Adhibendam etiam Latini Cardinalis, Ostiensis Episcopi, qui ad conciliandos mutuo Florentinos summa cum laude, ac felici successu incumbebat, operam, putavit: illum enim ob id captum Florentiæ concordiæ opus interrumpere, ac Bononiam proficisci, ut confusis, ac pessundatis civium rebus succurreret, repetitis literis imperavit.*

2. *Bertoldo de filiis Ursi.) Nicolai IV* ex fratre Nepos erat *Bertoldus, quem, ut cives in mutua concordia continerentur, neque in diversas, ut antea, factiones abirent, ipse Nicolaus* Bononiensibus præfecerat. *Odoricus ad annum MCCLXXIX num. VIII.*

3. *Prima.) Primo.*

4. *Latini.) Videas Diploma datum XXV Septembris MCCLXXVIII.*

Anno 1280 Die 20 Februarii.

F. Johannis, Ordinis Prædicatorum Magistri, aliorumque, Legationis seriem refert, & preces Deo Optimo Maximo ad concordiam Regum Franciæ & Castellæ adhibendas decernit (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXX num. XIII.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo (3) Turonensi, & universis Episcopis per Turonensem Provinciam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. XVIII.

SAlutaria, & solicite imitanda Discipulorum Christi exempla nos instruunt, ut ab occurrentium periculorum facie fugientes, ad Divinum confugium recurramus. Illi siquidem adeo grandi commotione maris facta, ut fluctus naviculam, quam Jesum sequentes intraverant, operirent, ipsum, qui & per hoc veritatem suę humanitatis ostendens in eadem navicula dormiebat, semper tamen in eo Divina vigilante virtute, civerunt vocibus, supplicationibus excitarunt, adversus ingruentis tempestatis impetum salutis ab eo pręsidium postulantes, & nos exemplariter instruentes, ut procelloso pelago mundi hujusmodi discordiarum concitato flatibus, & exaltatis commoto fluctibus, ad illum in cęlis ad Patris dexteram residentem, levemus cum manibus corda nostra, devotis pulsemus precibus, sedulis orationibus insistamus, cessationem flatuum, sedationem fluctuum, omnipotentię suę inducendam imperio, & tranquillitatis gratiam, ejusdem beneficio concedendam, instanter, & humiliter implorantes; nunc maxime, dum id tanta petit instantia, contra exortarum dissensionum incommoda, quietis & pacis acceleranda commoditas: tam anxie postulat negotii Terrę Sanctę provisa, sed per dissensiones easdem jam diutius impedita, promotio, ipsiusque Terrę non ignota necessitas: tam ardenter animarum pericula, quę dissensionum ipsarum consideratio verisimiliter comminatur, vitanda, summopere persuadent. Nostis enim, quantis redundat guerrarum dissidiis orbis Terrę. Nostis, quod de subventione pro liberatione Terrę ipsius in Concilio Lugdunensi (4), ad hoc specialiter inter cetera per felicis recordationis Gregorium (5) Papam prędecessorem nostrum indicto, nonnullis Principibus & Magnatibus personaliter, & quampluribus aliis per Nuncios convenientibus (6) in eodem, non sine multis laboribus & sumptibus ordinata, spem salutis Terra illa non indigne conceperat, & redemptionis suę jubilum, quasi promptum, & proximum, cum fiducia expectabat: concurrente pręsertim aperto superni favoris indicio in exterminatione Soldani Babylonię, Terrę ipsius persecutoris infesti, & in suorum pręterea humiliatione multimoda, bellis variis contra eos, & inter ipsos scissuris intestinis obortis, quę recuperationem ejusdem Terrę quasi paratam Christicolis offerebant, & adhuc offerre videntur. Sed prosperis ejus invidit auspiciis perfida zizaniorum satoris astutia, quę suis diffidentię filiis taliter consternatis, ex consternationis hujusmodi consideratione diffidens, & quasi victus in eis, ut de fidei Exordium. Declarat cur preces indicat.

domesticis resistentię munimenta conquireret, & infideles saltem per fidelium impedimenta protegeret, facilisque foret eorum protectio, nemine impetente. inter pręcipuos fidei propugnatores ejusdem, carissimos videlicet in Christo filios nostros Francię, & Castellę ac Leeionis, Reges illustres, discordiis, non absque gravi animarum, corporum, & rerum discrimine, seminatis, tam salubris provisionis desideratum, & periculose dilatum hucusque, processum multipliciter impedivit; Cum non solum dictos Reges, ac eorum Regna per hoc ab ejusdem Terrę subventione distraxerit, sed & alios in eorum dissensione perturbans, ipsos proinde a prosecutione sui, circa id, propositi, avocarit, & ita vires Christianę potentię, dividendo, minuerit, ut ad speratum prędictę liberationis exitum reddantur inhabiles, quę in unitate concordię adunatę fuissent, & erunt in omni sufficientia sub spe cęlestis auxilii efficaces. Verum in iis Sedis Apostolicę solicitudo non defuit, sed ad eam tempore felicis recordationis Johannis Papę prędecessoris nostri super discordia Regum ipsorum certo rumore perlato, festina, ut discriminibus tam damnosę dissensionis occurreret, & quo celerius fomitem ipsius extingueret, & in suo quasi ortu insurgentis procellę spiritum prefocaret, en accelerarer amplius provisum ejusdem Terrę succursum, dilectum filium nostrum Hieronymum Tit. Sanctę Potentianę Presbyterum Cardinalem, tunc Generalem Ministrum Minorum, & dilectum filium Fratrem Johannem Maelstrum Prędicatorum Fratrum. Ordinum, diversis excogitatis remediis, & data ipsis ad eadem exequenda potestate plena, & libera, destinavit; Nosque post defunctionem prędecessoris ipsius vocati, prout Domino placuit, ad Apostolatus officium, circa hęc non torpuimus otio, sed quasi ponentes viarum nostrarum initium opus pacis, cum fratribus nostris, quamprimum convenere nobiscum, super sedanda peramara nobis, & ipsis, eorundem Regum discordia, deliberatione prehabita, de ipsorum consilio remedia remediis quęsitis adjecimus, ad executionem illorum Nuncios multiplicantes, & literas, monita monitis, preces precibus, & exhortationibus exhortationes addentes. Et demum licet non ignoremus hujusmodi negotio de Cardinalis, & Magistri prędictorum industria plene provisum, quia tamen ad eorundem Regum concordiam sic noster suspirabat, & suspirat, affectus, ut solicitudini circa eam exhibitę majorem semper existimaret, & existimet adhibendam, dilectum filium nostrum G... (7) Basilicę XII Apostolorum Presbyterum Cardinalem, ut eidem negotio, una cum dictis Cardinali, & Magistro vacaret, duximus destinandum. Et nihilominus, ut ex multiplicatione consilii habendi tractatus utilitas multiplicaretur, & salus, dilectum filium nostrum Simonem Tit. Sanctę Cecilię Presbyterum Cardinalem, tunc in Regno Francię Apostolicę Sedis Legatum, per nostras sub certa forma literas solicitare curavimus, eique mandare, ut in ipso reformandę pacis negotio, pręcipue apud dictum Regem Francię, juxta datam sibi a Deo prudentiam, Cardinalibus, & Magistro cooperaretur eisdem. Ipsis autem omnibus commissa sibi prosequentibus, & exequentibus juxta posse, dicti Reges, quod non sine amaritudine multa referimus, nec sine stupore miramur, occulto forsan Dei judicio, nec in pacis, nec in treguę convenere tractatum, tam solertibus nostris, & ipsius Ecclesię studiis, tam gravibus, & diutinis ipsorum Cardinalium, ac Magistri, proh dolor! laboribus vacuatis. Quis igitur animo non amaricato recenseat, tam Catholicos Principes, fidei hostes prosequi solitos, in seipsos, & christianitatem, bella convertere, in persecutionem ipsorum hostium convertenda? Quis non stupeat, & miretur, per eorum diffidentiam, quos progenitorum suorum laudanda memoria in propugnatione Catholicę fidei, quasi hereditarios successores instituit, impugnationem ipsam impugnantium impediri? O si Reges iidem, ut oporteret, attenderent, quantum in iis Deus offenditur, quantum claritati regii nominis derogatur! profecto, ne propterea in se iram Domini provocarent, promptius per acceptationem mutuę pacis exsurgerent, & ne ipsorum famę decresceret, non segnius, sed ocyus providerent. Num non Deus offenditur, dum Terra illa in impiorum manibus, eorundem Regum discordia faciente, deteritur, quam ei Scriptura Sacra testatur omnium cariorem? Num parum eorum famę decrescit, dum tot Christianitatis dispendia ipsis communis opinio imputat, & eorum animositatibus assertio vulgaris ascribit? Nec sibi Regum ipsorum alteruter, quem forte conscientia forsius arguit, blandiatur de nostrorum ęqualitate verborum, in quibus eis culpam videmur ęqualiter imputare. Nam etsi ad pręsens ideo sic duxerimus transeundum, ut neutrum magis fore culpabilem exprimentes, proficiamus efficacius apud eos, si tamen processu temporis eorum alterutrum, vel utrumque patuerit Christianitati perutilem inter eos concordiam impedire, nec ipsis contra Deum, & commoda publica deferre proponimus, nec causam tanti discriminis occultare; sed & illam, prout expediens fore videbimus, publicare, nemini deferendo, curabimus, & ad alia opportuna procedere, quę rei qualitas suggeret, & Dominus ministrabit; Malumus etenim, quod processus debitus cujuscunque ipsorum culpę respondeat, quam quod sub dissimulatione tantum Religionis Christianę periculum transeatur. Quanquam autem ex premissis idem concordię reconciliandę negotium desperationi videretur expositum, & adhuc humano judicio videatur, nos tamen oculos mentis levantes ad montem, unde suppliciter petimus & fiducialiter expectamus, opportunum auxilium proventurum, dictos tres Cardinales, & Magistrum ad nostram duximus pręsentiam revocandos, ut per ipsos plenius circumstantiarum ejus conscios, instructione pleniori recepta, in illo processus consultior haberetur. Et licet cum eisdem, & aliis Cardinalibus memoratis, perpenso consilio, & cum eodem Magistro in Curia Romana pręsente, collatione habitis, ad sępefatos Reges caritatis & pacis vinculo uniendos, & Terrę prefatę negotium promovendum, varia sint adinventa remedia, quę instanter prosequi cępimus, & continuata instantia, Deo auspice, prosequemur, quia tamen non tam de solicita quantumcunque adinventione confidimus, quam de humili fidelium supplicatione speramus, instar illorum, quorum exempla premisimus, pro tantę tempestatis turbine sopiendo, ad illum, qui mari, & ventis imperat, & fit de turbatione tranquillitas, deliberavimus recurrendum. Ea igitur, quę ad pacem sunt, ipsum pacis flagitantes actorem, & in corde contrito, ac humiliato spiritu, supplicantes, ut inter eosdem Reges, in ipsius virtute, pax fiat, abundet in suis turribus, in sublimibus videlicet eisdem, & aliis Principibus orthodoxis, quo promptius ipse, qui potest ea, quę postulamus humiliter, multiplicatis intercessoribus, largiatur; universis Christifidelibus salubriter suademus, in remissionem peccaminum injungentes, ut diebus singulis ex totis pręcordiis in excelsa preces humiles porrigant, devotas fundant orationes ad Dominum, ut ipse, cujus est ita pacis perfecta concessio, quod ipso eam concedente non sit, qui condemnet judicio, potestate deterreat, vel terrore perturbet, in memo-

Legati ad pacem Reges inter Hispaniæ & Galliæ componendam missi.

Queritur Legatorum consilia improspere cecidisse.

Preces Deo adhibendas decernit,

memoratos Reges suę pacis, & concordię fluenta diffundat, se ipsum veram pacem, quę omnem sensum exsuperat, eorum animis influat, ipsosque faciat sua pietate concordes: vel saltem ad hoc humiliet, & inclinet, ut omnem motum suę discordię adeo projiat temporis tregua suspendant, quod in ejusdem intercapedine temporis provida ipsius Terrę subventio procedere valeat, & efficaciter, ipso favente, procedat; cunctis preterea Christianis Principibus, & ejusdem fidei christianę cultoribus statum pacificum sua omnipotenti virtute concedat. Inter alia vero devotorum suffragia, quibus propter hoc in laudis sacrificio Dominum honorabunt, in singulis Missarum celebrationibus, post dictum a celebrante: Pax Domini: responsionemque secutam, antequam ipse Celebrans, vel respondentes incipiant: Agnus Dei: cum devotione debita in Patena duabus Eucharistię partibus collocatis, tertia quoque cum oratione solita in Calice mixta cum Sanguine, ipsoque Calice cooperto, illud eximii citharędi Canticum: Lętatus sum in his quę dicta sunt mihi: a vobis Religiosis, Clericis, & aliis literatis, dici volumus cum oratione, & versiculis infrascriptis, ipso Celebrante, aliisque presentibus genua flectentibus, dum premissa dicuntur. Et ut ildem fideles ad predicta per salutaris retributionis exinde obtinendę premium fortius animentur, Nos de omnipotentis Dei misericordia, Beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis ipse Dei Filius ligandi, atque solvendi, tribuit, potestate, omnibus vere pęnitentibus & confessis, singulis diebus, quibus usque ad annum, postquam eis innotuerit, computandum, devote pro premissis oraverint, misericorditer decem dies de injunctis sibi pęnitentiis relaxamus. Quocirca universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus presentes nostras literas per vestras Diecceses solemniter publicantes, & ab aliis facientes in locis, de quibus expedire videritis, publicari, earum tenorem, ut plenius intelliantur ab omnibus, in vulgari, per vos, & alios ad hoc idoneos, exponatis; adjicientes nihilominus in omnibus vestris sermonibus, ut pro eorundem Regum pace, sicut predicitur, vel tregua prolixa, & aliorum Principum, totiusque Christianitatis statu pacifico, suppliciter oretur ad Dominum, exhortationes accommodas, juxta gratiam vobis ex alto concessam. Versiculi autem & Oratio dicenda post premissum canticum dictum cum Gloria Patri, Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson, & Pater noster, Et ne nos. ℟. Sed libera nos. Hi sunt versiculi. Domine salvos fac Reges. ℟. Et exaudi nos in die qua invocaverimus te. ℣. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuę. ℟. Rege eos, & extolle usque in ęternum. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te perveniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus. Largire quęsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Post hęc dicantur: Agnus Dei, & cetera quę subsunt. Datum Romę apud S. Petrum X Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Nota morem.

1. *Decernit.*) *Cum enim omnia eximia, tum maxime pacis munera a divina manu excipienda sint*, verbis utor *Oderici* loco laudato, *censuit Nicolaus, toto orbe Christiano publicas indicendas preces, atque orantibus sacras ex ecclesiastico ritu indulgentias proponendas, ut cœleste Numen utriusque Regis* (Galliæ & Hispaniæ) *animos ad concordiam inclinaret; eoque pacto contra Soldanum Babyloniæ, qui impulsas in ruinam Christianorum orientalium res prosternere minabatur, expeditio comparari posset, cujus conficiendæ quanto arderet desiderio Pontifex, archiepiscopo Turonensi significavit.*

2. *Oderico.*) Citat *Epistolam V libri III Nicolai III.*

3. *Archiepiscopo.*) *Johanni de Montsorcau*, de quo *Sammarthani in Archiepiscopis Turonen.*

4. *Concilio Lugdunensi.*) *II.*

5. *Gregorium.*) *X.*

6. *Conveniencius.*) Dixi in *Notis ad Diploma datum XIII Novembris MCCLXXIV.*

7. *G....*) *Gerardum.* Istius, & aliorum, de quibus in hoc *Diplomate*, mentio sæpius supra.

Senatoribus Urbis, ut promissam stipem Minervitanis Sacris Ædibus extruendis, de Consilii sententia largiantur (1).

Anno 1280 Die 24 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris Johanni de Columna, & Pandulpho Sabello, Senatoribus Urbis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sicut ad nostrum pervenit auditum, in statutis Urbis inter alia continetur, quod quando fabricabitur Ecclesia de Minerva, ubi morantur Fratres Ordinis Predicatorum, Senator cum deliberatione Consilii Urbis, provideat ipsis Fratribus de aliqua quantitate pecunię pro fabrica ipsius Ecclesię, prout Senatori, & Consilio placuerit supradictis; Cum itaque dicta Ecclesia incipiatur fabricari ad presens, Nos attendentes, quod statutum ipsum in se continet honestatem, devotioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, quatenus eodem congregato Consilio, & presentibus Camerariis ipsius Urbis, de facultatibus, & aliis conditionibus ejusdem Camerę, ac specialiter quid in illa consistat, & quid illi ad presens, vel futurum immineat, prout melius conjecturari poterit, discussione prehabita diligenti, si ad id ejusdem Consilii accedat assensus, & absque ipsius Camerę lesione fieri poterit, statutum ipsum erga Fratres eosdem congrue, prout ex vestra, & dicti Consilii, ac Camerariorum eorundem deliberatione processerit, observetis. Datum Suriani (3) VIII Kalendas Julii, Pontificatus nostri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Largiantur.*) *Cum angusta nimis* (Ecclesia S. Mariæ supra Minervam) *pro populi ad Divina convenientis concursu agnosceretur*, inquit *Fontana* de Romana Provincia Tit. I pag. 55, *cogitavere Patres de novo ampliori & permagnifico Templo ibidem construendo; at quia eorum paupertas executionem retardabat, promoto ad regimen universalis Ecclesiæ Dei Nicolao III ex Ursinorum nobilissima Romana familia, viro piissimo, ad ipsum accessere, supplicantes, ut justæ eorum petitioni de ampliori Templo in populi Romani commodum construendo, manusque adjutrices porrigendo, annuere dignaretur. Placuit Pontifici Optimo petitio, mandavitque illico duobus Urbis Senatoribus, Johanni Columnæ, atque Pandulpho Sabello, primariæ nobilitatis viris, ut de necessaria pecunia Fratribus subvenirent.* Et pag. 57. *Pontificis mandata complexuri piissimi Senatores,*

tores, congregatis Romani Populi Consiliariis, decrevere novum Templum sumptuosum, & magnificum, publico ære construendum esse, quod feliciter inceptum est, & prosecutum toto tempore, quo inter mortales regnavit Nicolaus, Verum illo e vivis sublato. . . . . non fuit prosecutum ædificium usque ad electionem Bonifatii Papæ VIII ex antiquissima Cajetana familia, qui a nostris supplicatus, in favorem fabricæ . . . dedit Decretum inferius exscribendum. Hic unum notandum superest, Templum nempe *S. Mariæ Supra Minervam* ab uno ex *Ursinorum* gente Summo Pontifice, *Nicolao III*, cœptum, ab alio quem decus & ornamentum ejusdem nobilissimæ familiæ merito dixeris, *Benedicto* scilicet *XIII* feliciter regnante, sic exornatum fuisse, ut nihil fere videre sit in ipso, quod vel Cardinalis *Ursini*, vel ejusdem postea Summi Pontificis *Benedicti*, pietatis, & liberalitatis nota non sit insigne. Sed de his alias.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur etiam apud *Fontanam* mox laudatum. Autographum tenet Conventus *Minervitanus.*

3. *Suriani.*) Castrum est in Diœcesi *Viterbiensi* situm. *Ptholomæus Lucensis* apud *Odoricum Raynaldum Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXX num. XXIII*, & *Spondanus ad eundem annum num. VI.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati, Nicolao III Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1278 Die 15 Martii. B. Latinus, Summi Pontificis Nicolai III ex sorore nepos, doctrinæ præstantia, Sanctitatis fama, & miraculis celeberrimus. S. R. E. Cardinalis Ostiensis, & Velitrinus Episcopus. *Stephanus Salanhacus. Bernardus Guidonis. Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXVII pag.* 221. *Acta Capitulor. General. Tomo I fol.* 370. *Cavalerius Tomo I pag.* 50 *num. CLI, & Tomo II pag.* 182 *num. IV. Ughellus in Episcop. Ostien. & Velitrin. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 70. *Edit II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. V pag.* 16. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCIV pag.* 436. Unus est ex Beatis, quibus *Ursina* gens illustratur. Ipsius pater ex antiqua *Aniciorum* familia de *Francipanis*, vel, ut aliis placet, *de Malabranca*, aut *Brancaleoni* fuit: Mater ex nobilissima *Ursinorum* prosapia. Ut erat rerum agendarum peritus, tanta auctoritate valuit apud Summos Pontifices *Nicolaum III, Martinum IV, Honorium IV, Nicolaum IV*, ut ipso inconsulto nihil grave decernerent. *Quod experti sunt*, inquit *Echard* loco laudato, *Episcoporum quorundam Galliæ missi ad Honorium IV, Theologi duo Parisienses. Petrus de Ruthenas, Præpositus Aimatensis, & Thomas, Decanus Pontisarensis, ut explicationem Bullæ Martini IV*, Ad fructus uberes *obtinerent. Rescripserunt enim Prælatis, Latinum Cardinalem ea esse apud Pontificem gratia, ut adversus Regulares nihil sperandum esset.*

Anno 1278. F. Robertus Kilvvardbius ex Archiepiscopo Cantuariensi, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Portuensis. *Stephanus Salanhacus. Bernardus Guidonis. Acta Capitulor. General. Tomo I fol.* 371. *Odoricus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVII num. LVII. Spondanus ad annum MCCLXXVIII num. III. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap II num. IV pag.* 15. *Ughellus in Episcop. Portuen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 138 *edit. II. Cavalerius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. pag.* 184 *num. V*, ceterique Scriptores laudati in *Appendice ad Pontificatum Gregorii X ad Archiepiscop. an. MCCLXXII.*

PATRIARCHÆ.

Anno 1278. F. Johannes de Vercellis. Patriarcha Jerosolymitanus electus, sed non consecratus. *Bulla* - Literarum- *Data I Octobris MCCLXXVIII. Cavalerius Tomo II pag.* 30 *num. IV. Spondanus Annal. Ecclesiast. ad an. MCCLXXVIII num. XVII. Echard Tomo I ad annum MCCLXIV pag.* 210, & 427. *Bzovius ad annum MCCLXXVIII num. XXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 45. *Acta Capitulor. General, Tomo I fol.* 372. Gerendi muneris liber renunciatus est Johannes *Bulla data apud S. Petrum pridie Nonas Februarii, Pontificatus Nicolai III anno Secundo, Christi MCCLXXVIII Stylo veteri, novo, MCCLXXIX.* Desideratur.

Anno 1278 stylo veteri, novo 1279. F. Palmerius Eugubinus, Patriarcha Jerosolymitanus vix renunciatus cessit oneri, & honori, & cælos petiit. Ipsi successit *Elias. Cavalerius Tomo I pag* 36. *num. XCVIII ex Lopez.*

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1278. F. Martinus, seu Marinus, Polonus, Archiepiscopus Gnesnensis, in Polonia. *Bulla* - Quæ de statu - *Data XXIII Decembr. MCCLXXIX. Bernardus Guidonis in Episcopis Poloniæ. Acta Capitulor. General. Tomo I fol.* 372. *Spondanus ad annum MCCLXXVIII num. XVIII. Bzovius ad eundem annum num. XXXII. Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXVII num. XIX. Echard Tomo I ad an. MCCLXXVIII pag.* 361. *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag.* 114. *Dominicus Frydrychovvicz in Libro, cui titulus: S. Hyacinthus &c. Regni Poloniæ Patronus &c. pag.* 212.

Anno 1278. F. Rodericus Gonzalez, natione Legionensis, Archiepiscopus Compostellanus, in Gallæcia. *Bernardus Guidonis in Episcop. Provincia Hispaniæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXIX pag.* 67.

ex Ma-

ex Magistro Gil., seu Ægidio. Gonzalez d'Avila in Theatro Ecclesiast. Cavalerius Tomo I pag. 61 num. CLXXXVI. Anno MCCLXXX quædam privilegia confirmans, subscripsit: *D. Fray Rodrigo Primado de las Españas, Cancillier del Reino de Leon.* Adeas *Fontanam* mox laudatum.

F. Johannes Derlington, Archiepiscopus Dublinensis, in Hibernia. *Trivetus in Chronicis ad annum MCCLXXIX. Thomas Vvikeus in Chronicis. Jacobus Vareus in Episcop. Hiberniæ. Pitseus in Scriptor. Angliæ. Vvaddiagus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCLXXXIV num. XIII pag. 504. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XL pag. 73 ex Regest. Vatican. Cavalerius Tomo I pag. 42 num. CXVII. Echard. Tomo I ad annum MCCLXXXIV pag. 395.* Anno 1278 stylo veteri, novo 1279.

F. Laurentius Blondi, vel Blundi, Tuders, Archiepiscopus Compsanus, vulgo Co-za, in Regno Neapolitano. *Bernardus Guidonis in Episcop. Provinciæ Romanæ. Ughellus in Archiepiscop. Compsanis Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 815 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XX. pag. 68. Cavalerius Tomo I pag. 49 num. CXLVIII.* Pallium accepit Laurentius die XIII Junii, Pontificatus *Nicolai III* anno Secundo, Christi MCCLXXIX, ut videre est *ex Epistola CXXVII Libri II Nicolai III fol.* 176. Incipit: *In supernæ.* Addit *Ughellus*, jussu Summi Pontificis *Nicolai III Laurentium* pallio donatum fuisse a *Jacobo* Diacono Cardinali Tit. *S. Mariæ in Cosmedia*, qui Summus Pontifex creatus, *Honorius IV* vocatus est. Ipsi successit *Nicolaus IV*. Emendandus ergo *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.* 128 *col. II*, ubi *Laurentium* anno MCCLXXXIX a *Nicolao IV* Archiepiscopum constitutum fuisse, docet. Anno 1279.

F. Gaspatus Adæ, Archiepiscopus Antibarensis, in Dalmatia. *Sufatus in Chronicis. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. III pag. 51, & Monument. Dominican. Parte I Cap. VI pag. 117 ad an. MCCLXXIX. Cavalerius Tomo I pag. 99 num. LIX. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis pag. 724.* Anno 1279.

F. Nicolaus Archiepiscopus Tyrius, in Syria. *Bernardus Guidonis in Episcop. Terræ Sanctæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXI pag. 109 ex S. Antonino, Lusitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 102 num. LXX. Echard Tomo I in Indice Archiepiscopor. pag. 27. col. II, & de Scriptorib. pag. 159 col. I ad annum MCCLX.* Quo tempore Archiepiscopus ille inauguratus sit, non produnt Scriptores coævi. Hinc recentiores in varias abiere sententias. Ipsum sedente *Johanne* XXII vixisse, censet *Lusitanus*, cui non contradicam. Sed ex verbis *Bernardi Guidonis* Archiepiscopus *Tyrius* constitutus videtur *Nicolaus*, antequam *Tyrus* a *Saracenis* invaderetur, quod anno MCCLXXX circiter contigisse, nemo nescit. Addit *Cavalerius* opinionem *Plodii*, Nicolaum ablegantis ad annum MCCCCXXII defendi non posse. Quam recte moneat, liquet ex Mss. codicibus *Bernardi Guidonis* XIV seculo exaratis. Si enim *Bernardus Guidonis* Nicolaum recenseat inter Episcopos, non ergo floruit *Nicolaus* anno circiter centesimo post obitum *Bernardi*. Circa Annum 1280.

EPISCOPI.

F. Robertus, Anglus, Episcopus Vintonien., in Anglia, sub Archiepiscopo Cantuariensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXVIII pag. 324 ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 36 num. XCIV.* Circa Annum 1277.

F. Robertus Kilvvardbius ex Archiepiscopo Cantuariensi, Episcopus Portuensis. *Cavalerius Tomo I pag. 40 num. CVII*, ceterique hac in *Appendice* laudati, ubi de Cardinalibus. Anno 1278.

F. Johannes Gzodlant, ex Bunczorum familia, Doctor insignis, Episcopus Culmensis, in Prussia, sub Archiepiscopo Gnesnensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXII pag. 183 ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag. 41 num. CIX. Dominicus Frydrychovvicz in Libro, cui titulus, S. Hyacinthus &c. Poloniæ Patronus &c. pag.* 224. Idem Episcopus *Hildesimen.*, ut ad annum MCCLXXX dicetur. Circa Annum 1278.

F. Hugo Neapolitanus, Episcopus Trojanensis, in Regno Neapolitano, immediate sub S. Sede. *Ughellus in Episcopis Trojanea. Tomo I pag. 1346 Edit II, ex Regest. Vatican. Epist. CVI fol. 28, Pontificat. Nicolai III Anno Primo.* Addit *Ughellus*, quod *Hugoni Episcopo Trojano paulo post suam confirmationem idem Nicolaus transmisit Pallium, cujus usus ex indulto Sedis Apostolicæ fuerat ei concessus. Diploma est in Regest. Vatican. num. CXXX pag. 36, an. I Nicolai Tertii. Incipit:* Cum Pallium &c. *Datum Viterbii II Nonas Augusti.* Hæc ille. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCIV pag. 313. Cavalerius Tomo I pag. 37 num. CII.* Anno 1278 Die 1 Augusti.

IDem ex Episcopo Trojanen. Episcopus Bethleemitanus, in Judæa. *Auctores mox citati.* Emendandus tamen *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.* 140 docens, quod *Hugo* suffectus est in locum *Thomæ de Lentino*. *Thomas* siquidem ex *Bethleemitana* Sede ad *Consentinam* translatus est anno MCCLXVII, ut dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV.* Quod autem *Bethleemitana* Sedes non vacaverit ab anno MCCLXVII ad MCCLXXIX, liquet ex *Bulla* Episcopo *Bethleemitano* inscripta anno MCCLXXII. Extat apud *Odoricum ad hunc annum num. XIX* Anno 1279 Die 9 Octobris.

F. Teho-

Circa Annum 1279. F. Theodericus, Episcopus Faventinus, in Romandiola, sub Archiepiscopo Ravennatensi. *Bernardus Guidonis in Episcopis Romaniolæ*, ubi hæc habet. *Theodericus Faventianus Episcopus Faventiæ*. Hinc, ut observat *Cavalerius*, errant *Lusitanus* qui *Theodericum* istum *Cæsenatensem* Episcopum creat, & *Plodius* qui remittit illum ad annum MCCCCLXXXVI. *Vghellus in Episcop. Faventin. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 500 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLII pag.* 191. *Cavalerius Tomo I pag.* 37 *num. CIII.*

Circa Annum 1279. F.... Episcopus Curiensis, vulgo *Chur*, vel *Coire*, in Rætia sub Archiepiscopo Moguntino. *Cavalerius Tomo I pag.* 79 *num. CCL, ex Chronicis Colmarien. ad annum MCCLXXIX, & Souegio XXVIII April. pag.* 746.

Anno 1279. F. Guillelmus Durant, qui vulgo *Speculator* audit, Episcopus Mimatensis, *Mende*, in Gallia, sub Biturlcensi. *Cavalerius Tomo II pag.* 164 *num. XIV. Fontana in Appendice ad Theatrum Dominican. pag.* 624, 625, 626, *ex Simeone Majolo, Bzovio, Onufrio, Jacobo Philippo Heremitano, Prieras, Plodio, Lusitano, Fernandez, Johanne Baptista Cantalmajo &c.* Num Prædicatorum Ordini nomen dederit *Guillelmus*, dubitant nonnulli, quorum placita refellit *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCVI pag.* 480 *&c.*

Circa Annum 1280. F. Placidus de Sulmona, Aprutinus, Episcopus Andriensis, in Batiana Provincia Regni Neapolitani, sub Archiepiscopo Tranensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXIII pag.* 184 *ex Taegia in Monumentis Ordinis, & Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 48 *num. CXL.*

Anno 1280. F. Petrus Genevensis, Episcopus S. Johannis Maurianen., in Sabaudia, sub Archiepiscopo Viennensi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIII pag.* 231, *ex Taegia in Monumentis Ordinis. Cavalerius Tomo I pag.* 43 *num. CXVIII.*

Circa Annum 1280. F. Gaufridus, Episcopus Ebronensis, in Palæstina, sub Patriarcha Jerosolymitano. *Echard Tomo I in Indice Episcoporum pag.* 26 *col. II & de Scriptoribus ad annum MCCLXXX pag.* 382. In libro cui titulus: *Antiquæ Constitutiones Regni Angliæ &c. pag.* 1232 extat Epistola *Gaufridi*, qua liquet ipsum *Ebronensem* Episcopum fuisse. Sic inscribitur: *Excellentissimo, & Serenissimo Domino Edvvardo illustri D. G. Regi Angliæ suo Domino speciali, Frater Gaufridus de Ordine Prædicatorum, miseratione Divina Ebron. Episcopus, R. P. D. Heliæ Divina providentia Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius, cum Terræ Sanctæ recommendatione seipsum & felicis desiderii complementum. Apicibus &c.*

Circa Annum 1280. F. Johannes Gzodiant ex Episcopo Culmensi, ut in hac *Appendice* videre est, Episcopus Hildesimen., vulgo *Hildesheim*, in Saxonia, sub Archiepiscopo Moguntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXC pag.* 203 *ex Bzovio. Cavalerius*, ceterique supra laudati. De anno inter ipsos non convenit.

Anno 1280. F. Andreas Hungarus, Episcopus Bosnensis, sub Archiepiscopo Colocien., seu Colossensi, vulgo *Coloze*, in Hungaria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIX pag.* 144 *ex Ferrario de Provincia Hungariæ, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 42 *num. CXIV.*

LEGATI.

Anno 1277. F. Johannes de Vercellis, Legatus ad Philippum Regem Galliæ. *Bullæ superius enscriptæ XXIII Aprilis & XXIX Novembris, MCCLXXVIII, IX Junii MCCLXXIX, & XX Februarii MCCLXXX.*

Circa Annum 1277. F. Johannes de Viterbio, ad Bononienses & in Flaminiam Legatus; *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXVIII num. LV. Bzovius ad annum MCCLXXVIII num. XIII & XV. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355 *num.* XII *Johannem* istum *Vercellensem* non *Viterbiensem* esse contendit. Videtur tamen standum cum *Bzovio*. *Johannes* siquidem *Vercellensis* jam ab anno MCCLXXVI ad Galliarum Regem Legatus erat.

Anno 1277 Die 2 Decembr. IDem Johannes de Viterbio Legatus ad Philippum Galliæ Regem. *Bulla* · Quanto · & · Vocati a nobis *Datæ II Decembris MCCLXXVII.*

Anno 1278. F. Laurentius, Tuders, Legatus, ut Forolivienses a bello Ravennatibus inferendo deterreret, & Guidonem de Monte feretro adduceret ad meliorem frugem. *Odoricus Raynaldus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVIII num. LXXVII.* Citat *Epistolam XXXIII Lib. I Nicolai III. Bzovius ad eundem annum num. XIII. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355 *num. XII.*

F. Ja-

F. Jacobus Prior Spoletani Cœnobii, Legatus ad Alfonsum Regem Hispaniæ. *Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVIII num. XVI. Bzovius ad eundem annum num. XIX & XXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355 *num. XIII.* Anno 1278.

B. Latinus, S. R. E. Cardinalis, Legatus in Æmiliam. *Bulla* - Summi Providentia - *Data XXV Septembris MCCLXXVIII. Spondanus Annal. Ecclesiast. ad annum MCCLXXVIII num. IV. Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. LXVIII, LXXVI, LXXVII. Bzovius ad eundem annum num. XIII. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag.* 344 *num. V.* Anno 1278.

Finis Tomi Primi.





INDEX,

Hujus Primi Voluminis Diplomata recenſens.

INDEX
CHRONOLOGICUS
Diplomatum primi Voluminis.

	Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
GREGORIUS IX.	V.	1227	Maii	25	In Fratres discedentes votis solemnibus nuncupatis.	19
	VI.		Junii	12	Procurationem F. Conrado a Lantgravio Thuringiæ demandatam firmat.	20
	VII.				Ut idem Conradus alios in societatem advocet ad hæresim e Teutonis abigendam.	20
	VIII.			18	Ascribendi Ordini solvi possint ab excommunicatione latæ sententiæ.	20
	IX.			20	F. Conrado, ut dissolutos coerceat Ecclesiasticos, & Monachos, ac Moniales reformet.	21
	X.		Julii	22	F. Gualam ad Fridericum Imperatorem legat.	21
	XI.			31	FF. Prædicatores Cumanæ gentis Apostolos declarat.	22
	XII.		Augusti	3	Ab Ordine discedentes excommunicatione divinciendi.	23
	XIII.			13	Ratam habet donationem aquæductus Monasterio S. Catharinæ a Mutinensibus concessi.	23
	XIV.		Septemb.	4	F. Joachim, ipsiusque socios delegat ad visitanda Cœnobis, Monasteris, & Hospitalis, Paduan., Venetiarum, & Tarvisin., nonnullis exceptis.	23
	XV.			5	In Bononiensem Episcopum se admiscentem electionibus Fratrum.	24
	XVI.	...	.....	..	Episcopis exhibenda reverentia debita, salvis Ordinis institutis.	24
	XVII.	1227	Novemb.	26	Sepultura in Ædibus sacris Sancti Nicolai Bononien. libera declaratur.	24
	XVIII.			30	Idem de aliis Ecclesiis ejusdem Ordinis Prædicatorum.	25
	XIX.		Decemb.	22	Fratres & Sorores Militiæ Jesu Christi, quorum Institutum probat, laudibus celebrat.	25
	XX.	1228	Februarii	12	Interdicti tempore Fratres possunt agere Sacra.	25
	XXI.		Martii	10	Firmat donationem Fratribus ab Episcopo Bergomensi factam.	26
	XXII.			17	F. Gualæ quædam cum Lombardis agenda præscribit.	26
	XXIII.			21	Fratres ad Cumanos mittendi.	26
	XXIV.				Quod Frater Theodericus Cumanorum sit Episcopus, gaudet.	27
	XXV.			30	Privilegia Fratribus de Pœnitentia ab Honorio III concessa confirmat.	27
	XXVI.		Aprilis	9	Fratres ab interdicto generali liberi.	28
	XXVII.				Decernit Ecclesias Fratrum Prædicatorum esse Conventuales, ac Cœmeteria habere posse.	28
	XXVIII.				Fratres eximuntur a commissionibus.	28
	XXIX.			11	Quæ de SS. Eustorgii, & Laurentii Ecclesiis Archiepiscopus Mediolanensis sanxit, firmantur.	28
	XXX.		Decemb.	9	Ut Provincialis & Fratres Lombardiæ Cluniacensem Abbatem causam Prædecessoris suscipientem audiant, & audita S. Pontifici renuncient.	29
	XXXI.				Expensæ ad illam inquisitionem necessariæ ab iisdem Fratribus exigendæ.	29
	XXXII.	1229	Martii	5	Prædicatores universis Prælatis commendantur.	29
	XXXIII.		Julii	18	Indulgentia pro Cœnobio Salmanticensi reædificando.	30
	XXXIV.		Octobris	9	F. Gualæ, ut Lombardos appellet de promisso auxilio militari.	30
	XXXV.		Novemb.	5	Ne Abbas & Conventus S. Petri, Fratres ac Sorores Monasterii S. Catharinæ Mutinen. molestiis afficiant.	30
	XXXVI.	1230	Januarii	22	Manfredum Canonicum Mutinensem præficit, qui de lite Fratribus ac Sororibus iisdem intentata judicet.	31
	XXXVII.		Aprilis	24	Statuta in gratiam Cœnobii Bergomensis a Goffredo Cardinali facta confirmat.	31
	XXXVIII.		Maii	7	Priori & Fratribus Rotomagensibus Monasterium S. Audœni Ordinis S. Benedicti reformandum committit.	31
	XXXIX.			10	Fratres in Polonia, aliisque Regionibus supra Altare portatile celebrare possunt.	32
	XL.		Septemb.	13	Fratres delegat qui bellum catholicis suadeant adversus Pruthenos.	32
	XLI.	1231	Aprilis	5	Compositio inter Conventum S. Petri & Monasterium S. Ca-	

GREGORIUS IX.	Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					alio transferendo.	49
	LXXVII.	1233	Maii	18	Fratres Hugonem & Petrum Prædicatores, ac Fratres Minores ad Archiepiscopum Græcorum delegat.	50
	LXXVIII.			26	F. Johanni, de gratia miraculorum ipsi concessa, gratulatur.	51
	LXXIX.		Junii	6	In nonnullos molestiam Fratribus S. Audomari exhibentes.	51
	LXXX.			10	Ut F. Conradus bellum adversus hæreticos suscipiendum fidelibus suadeat.	51
	LXXXI.			13	Eidem eadem de causa.	52
	LXXXII.			14	Eidem, ut in hæreticos viriliter agat.	54
	LXXXIII.			17	Mindensi, Lubicensi, & Raceburgensi Episcopis, ut Fratres Prædicatores accersant adversus hæreticos.	54
	LXXXIV.				Ad dubia Inquisitorum respondet.	55
	LXXXV.			27	Eos, qui F. Johannem Vicentinum, Senas & Florentiam proficiscentem, detinuerint, excommunicandos, decernit.	56
	LXXXVI.				F. Johannem Senas & Florentiam mittit.	56
	LXXXVII.			28	Ne Bononienses eidem moras inferant.	57
	LXXXVIII.		Julii	13	Ad ejusdem conciones accedentibus Indulgentiam impertitur.	57
	LXXXIX.				Episcopum Bononiensem, ceterosque delegat, qui de Virtutibus & Miraculis F. Dominici inquirant.	57
	XC.			26	Fratres ad infidelium terras proficiscentes Privilegiis ornat.	58
	XCI.		Augusti	5	F. Johanni Vicentino facultatem facit excommunicatos solvendi.	58
	XCII.				Ut, etiam Ezelinum, & Veronenses, idem possit absolvere.	59
	XCIII.			25	Eidem in gratiam Milantii a censuris solvendi.	59
	XCIV.				Ut ablata restituantur Rotomagensi Archiepiscopo, Prior Prædicatorum delegatur.	60
	XCV.		Septemb.	22	F. Johannem Vicentinum ad patientiam cohortatur.	60
	XCVI.		Octobris	6	Ut Fratres de bello pro Religione contra Pruthenos suscipiendo dicant ad populum.	61
	XCVII.				Ut iidem in Prussia exercitui Crucesignatorum succurrentibus Indulgentiam largiantur.	61
	XCVIII.			7	Caveant Fratres a Pruthenorum calliditate, & Crucigeros in ipsos concitent.	62
	XCIX.				Constituti in Prussia inducant fideles ad barbarorum feritatem debellandam.	62
	C.			10	Nobilis viri Ubani filius obses a Fratribus Bosnensibus dimittendus.	63
	CI.			11	Prædicatores commendantur universis Prælatis.	63
	CII.			21	Excommunicatione devincit interfectores Fratris Conradi de Marburg.	63
	CIII.				F. Conradum Provincialem Teutoniæ delegat in hæreticos.	64
	CIV.			31	Idem fideles incitet ad extirpandam hæreticam pravitatem.	65
	CV.		Decemb.	1	Fratres Prædicatores & Minores laudat.	65
	CVI.	1234	Februarii	4	Fratres Prædicatores in auxilium contra hæreticos vocandi.	66
	CVII.		Aprilis	5	Ut Prior Pisanus Monialibus S. Cerbonii habitum Cisterciensis Ordinis concedat.	67
	CVIII.		Julii	3	S. Patriarcham Dominicum refert in album Sanctorum.	67
	CIX.		Septemb.	5	Fratres Prædicatores præficit qui quædam legata Teutonicis persolvenda curent.	68
	CX.				Epitomen Decretalium a F. Raymundo de Pennafort concinnatam probat, & retinendam in judiciis & scholis Parisien. mandat.	69
	CXI.		Octobris	3	Ut Lancelmus F. Rolando pro injuria satisfaciat.	69
	CXII.			17	Bellum pro Terra Sancta suscipiendum populo suadeant Fratres in Tuscia.	70
	CXIII.				F. Johanni Teutonico Episcopo Bosnensi gratulatur, & ut	

GREGORIUS IX.	Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					gerant.	87
	CLIV.	1236	Aprilis	22	Fratres ad Ecclesiasticos Antibarensis Provinciæ reformandos mittuntur.	88
	CLV.			28	In Comitem Tolosanum, qui fidei Censores male habebat.	88
	CLVI.		Maii	22	In Archiepiscopum Tranensem molestiis afficientem Fratres.	89
	CLVII.		Julii	11	Ne vota solemnia nuncupentur annuo tirocinio non expleto.	90
	CLVIII.	1237	Februarii	8	F. Raymundum de Pennafort delegat ad Robertum Comitem a censuris solvendum.	91
	CLIX.			11	Eidem, ut ab impedimento matrimonii Vice-Comitem Cardonæ solvat.	91
	CLX.		Aprilis	2	Idem se sustineat ab absolutionis sententia in gratiam Comitis Roberti ferenda.	92
	CLXI.			7	Sponsorem det Robertus, & absolvatur.	92
	CLXII.		Maii	12	Provincialis Lombardiæ Cœnobiis, & Monasteriis Italiæ, nullo medio S. Sedi subjectis, præponitur, ut ea visitet, ac reformet.	93
	CLXIII.			16	Fratres in terra Cheurim constituti donantur privilegiis.	93
	CLXIV.				Alia eisdem concessa.	93
	CLXV.			18	Ut Lombardiæ Provincialis Monasterium de Columbario cooptet Ordini de Campaniola.	94
	CLXVI.			20	Abdicationem Abbatis de Marola accipiat, & alium vel eligat, vel eligendum curet.	94
	CLXVII.				Fidei Censores ab eodem creandi.	95
	CLXVIII.				Visitet, ac reformet Cœnobia, & Monasteria subjecta Comensi Episcopo.	95
	CLXIX.			22	Encomium Fratrum Prædicatorum, & Neophytorum Cheurim.	95
	CLXX.		Junii	18	F. Orlandinus cessionem Abbatis Insularum accipiat, & eligendum confirmet.	96
	CLXXI.			26	Provincialis Hispaniæ visitet, ac reformet Ordinem Catholicorum Pauperum.	96
	CLXXII.		Julii	28	Patriarchæ Jacobitarum gratulatur, quod ad unitatem S. R. Ecclesiæ redierit hortatu FF. Prædicatorum, & ipsorum induerit habitum.	97
	CLXXIII.		Septemb.	15	Monasterium de Marola, Camaldulensis Ordinis, reformandum a F. Stephano Lombardiæ Provinciali.	98
	CLXXIV.				Ut Rolando quondam Priori Monasterii de Columbario idem F. Stephanus honorarium statuat de bonis ejusdem Cœnobii.	98
	CLXXV.		Octobris	30	Prior Parisiensis Crucesignatos Constantinopolim mittat.	98
	CLXXVI.		Novemb.	9	F. Vuillelmus de Oleron Crucem prædicet ad Imperii Constantinopolitani subsidium.	99
	CLXXVII.	1238	Martii	4	Indulgentia concessa FF. Minoribus & Prædicatoribus in transmarinis terris degentibus.	99
	CLXXVIII.		Aprilis	5	Ut Episcopi valeant Fratres Prædicatores absolvere a Censuris.	99
	CLXXIX.			22	Hospitii Pauperum Pragen. cura Provinciali Poloniæ demandatur.	100
	CLXXX.			24	F. Vuillelmo Arnaldi decernenda committit ea, quæ Raymundus Rogerius proponebat.	100
	CLXXXI.				Minister FF. Minorum, & F. Petrus de Leodegaria, Prædicator, Inquisitores Regni Navarræ constituuntur.	101
	CLXXXII.			26	F. Ponsa creatur Episcopus Bosulæ.	101
	CLXXXIII.			27	Indulgentia concessa visitantibus Ædes sacras Bononien. Cœnobii.	102
	CLXXXIV.		Augusti	9	Crux in Assanum prædicanda a FF. Minoribus, & Prædicatoribus.	102
	CLXXXV.				Aliud hac de re Diploma inscriptum Provinciali Poloniæ.	103
	CLXXXVI.		Septemb.	24	Irritas facit sententias ab Episcopo Portugallensi latas in Prædicatores.	103

F. Pon-

	Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
GREGORIUS IX.	CLXXXVII.	1238	Decemb.	23	F. Ponsa Bosnensis Episcopus S. S. A. Legatus denunciatur.	104
	CLXXXVIII.	1239	Martii	4	Prior Parisiensis accersat subsidia Constantinopolitano Imperio.	104
	CLXXXIX.		Junii	9	Libri judæorum in custodiam FF. Prædicatorum, & Minorum tradendi ab Episcopis Franciæ.	105
	CXC.				Eadem de causa scribit Episcopo Parisiensi.	105
	CXCI.			20	Diploma Regi Portugalliæ ea de re datum.	106
	CXCII.				Judæorum libri comburendi jussu Prioris Parisien.	106
	CXCIII.		Augusti	6	Fratres in Bosnam mittendi.	106
	CXCIV.			24	Ut Provincialis Lunden. laicos, & Ecclesiasticos a reatu simoniæ solvat.	106
	CXCV.		Octobris	25	Ne Frater alterius Ordinis deferat habitum nostri.	107
	CXCVI.				Fratres Prædicatores levat munere visitatoris, cura Monialium &c.	107
	CXCVII.		Decemb.	27	Pecuniam, a Bosniæ Duce pro construendis sacris Ædibus depositam, F. Ponsæ Bosnensi Episcopo committendam decernit.	107
	CXCVIII.	1240	Januarii	13	Fratres Prædicatores ad Rusudam Reginam, & Davidem ejus filium, Regem Georgiæ, legat.	108
	CXCIX.		Februarii	24	Ut Crucesignatis per Provincialem Franciæ liceat redimere vota.	109
	CC.		Martii	23	Crux ad Imperii Constantinopolitani subsidium prædicanda ab Hungariæ Fratribus.	110
	CCI.		Septemb.	29	Possit Archiepiscopus Consentinus Ordini Prædicatorum concedere Templum S. Matthæi.	110
	CCII.		Novemb.	6	Provinciali Franciæ pro Terra Sancta, & Imperio Constantinopolitano.	110
	CCIII.	1241	Aprilis	26	Ne Brundusinus Archiepiscopus molestiis Fratres afficiat.	111
	CCIV.		Maii	25	Confirmatio Compositionis a Monasterio Pruliano cum Cœnobio S. Hilarii contractæ.	111
	CCV.		Junii	20	Possunt Fratres Prædicatores in terris excommunicatorum degere, & ab eis ad victum necessaria rogare.	112
S. Collegium Cardinalium Sede Vacante.	I.	1242	.....	..	Tolosani Fratres, & Martyres Avignoneti laudibus efferuntur.	117
INNOCENTIUS IV.	I.	1243	Julii	9	Firmat donationem Templi S. Matthæi juxta Consentiam.	117
	II.			10	Illustri laude celebrat Martyres Avignoneti.	118
	III.			13	Ut Prior Albanensis Hungaros etiam a censuris solvat.	119
	IV.			14	F. Guarnerio pro causa Toletanum inter, & Tarraconensem Archiepiscopos.	119
	V.			15	In Apostatas Ordinis.	120
	VI.				Serventur Sententiæ, quas Fratres ferent in Apostatas.	120
	VII.			18	Ne interdicti Sententiæ promulgentur in Provincia Fratribus Tolosanis commissa.	120
	VIII.				Idem cavet.	121
	IX.		Septemb.	3	Munere visitatoris & cura Monialium Fratres eximit.	121
	X.			4	Facultas celebrandi supra Altare portatile.	121
	XI.				Diœcesanis Episcopis exhibenda reverentia salvis institutionibus Ordinis.	121
	XII.			5	Domus Prædicatorum sunt Conventuales.	121
	XIII.				Priores a censuris absolvere possunt ascribendos Ordini.	122
	XIV.			23	Crucem prædicent Fratres ad Livoniæ Prussiæque subsidium.	122
	XV. ad XXXI.				Idem mandat.	123 124
	XXXII.		Octobris	11	In terris excommunicatorum commorari possunt FF. Prædicatores	124
	XXXIII.			12	Priori Ulyssipponensi, ut inquirat in electionem Ulyssipponensis Episcopi.	124

Le-

INNOCENTIUS IV.

INNOCENTIUS IV.

Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CXXXV.	1246	Aprilis	21	Eodem modo pro Monasterio de Merimbrime.	161
CXXXVI.				Eodem modo pro Monasterio S. Petri in Hahnavve.	161
CXXXVII.				Aliud pro Monasterio de Merimbrime.	162
CXXXVIII.			25	Indulgentia pro Cœnobio & Ædibus sacris Viterbiensibus consummandis.	162
CXXXIX.		Maii	3	F. Henricus S. S. A. Legatus creatur.	162
CXL.				Idem.	163
CXLI.				Idem.	163
CXLII.				Eidem Fratri, ut Episcopos constituat in Russia.	163
CXLIII.				Ut Russiæ Rex F. Alexium, & ejus socium, secum habere possit.	163
CXLIV.			12	Indulgentia pro Senensi Cœnobio construendo.	164
CXLV.			13	Monasterium de Ohenheim Provinciæ Teutoniæ cooptatur.	164
CXLVI.				Idem pro Monasterio de Arena.	164
CXLVII.				Idem pro Monasterio de Medingen.	164
CXLVIII.			16	Privilegium concessum Monasterio Kirchpergensi.	164
CXLIX.			29	Indulgentia pro Cœnobio Tolosano.	164
CL.			31	FF. Petro & Guillelmo Narbonen. Inquisitoribus pro Rectore Ecclesiæ de Callavo.	165
CLI.		Junii	9	Ut Conventus Remensis alio transferatur.	165
CLII.			27	Inquisitoribus Narbonen. pro Rectore Ecclesiæ de Callavo.	165
CLIII.		Julii	10	Monasterium S. Marci Herbipolen. incorporatur Provinciæ Teutoniæ.	166
CLIV.				Aliud pro eodem.	166
CLV.				Indulgentia pro Cœnobio Venetiarum perficiendo.	166
CLVI.			11	Monasterium Sanctæ Mariæ in Offemberch unitur Provinciæ Teutoniæ.	166
CLVII.				Idem.	167
CLVIII.				Idem pro Monasterio S. Leonardi in Hvvsenten.	167
CLIX.				Idem.	167
CLX.			15	Indulgentia pro Neapolitano Cœnobio S. Dominici construendo.	167
CLXI.			27	Magister, Provinciales, & Priores Ordinis Fratres a censuris absolvere possunt.	168
CLXII.		Septemb.	13	Qui elurata hæresi ad Ordinem fuerint ascripti, vota solemnia possint nuncupare infra annum tirocinii.	168
CLXIII.		Octobris	6	Pro F. Vvarnero Pomesaniæ Episcopo constituendo.	168
CLXIV.			8	Prior de Ponte, Ordinis Prædicatorum, & Guardianus FF. Minorum de Dondalo Electores Armachanæ Sedis, ac Electum peremptorie citent, & ad Sedem Apostolicam remittant.	168
CLXV.		Novemb.	9	Monasterium S. Mariæ de Crosvvis unit Provinciæ Teutoniæ.	169
CLXVI.				Idem.	169
CLXVII.			13	Italiæ Monasteria S. S. Apostolicæ immediate subjecta visitanda committit F. Stephano.	169
CLXVIII.	1247	Januarii	11	Absolutionem Chaberto de Barbaran a F. Raymundo de Pennafort datam confirmat.	170
CLXIX.			13	Domesticos nostros eximit ab excommunicatione, & interdicto generali.	170
CLXX.		Februarii	8	Ut F. Albertus de Vicedominis in electionem Coronensis Episcopi inquirat.	171
CLXXI.		Martii	1	Ut F. Raymundus quæstionem instituat de signis pœnitentiæ Raymundi Comitis Tolosani.	171
CLXXII.			5	Priori Aretino pro facultate alienandi concedenda Abbati S. Floræ.	172
CLXXIII.			20	Fratres Prædicatores, quos constantea Athletas Fidei nuncupat, sententiam in Fridericum latam promulgent.	172
CLXXIV.			26	Quinam possint Fratrum Confessiones excipere.	173
CLXXV.		Maii	11	F. Desiderius Legatus in Lusitaniam.	173
CLXXVI.			24	Ne Prædicatores ascribantur Ordini Cisterciensium.	173
CLXXVII.				Idem.	174
CLXXVIII.		Junii	13	F. Johanni Vicentino, ut hæresim fuget e Lombardia.	174
CLXXIX.		Julii	1	Ne Legati, vel Episcopi secum retineant Fratres sine	

Præ-

INNOCENTIUS IV.

F. Ro-

INNOCENTIUS IV.	Constitutio.	Annus,	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	CCXIX.	1251	Martii	7	F. Rogerius de Lentino, seu Leontino, pro Regno Siciliæ novis consiliis renovando, in Siciliam mittitur S. S. A. Legatus.	189
	CCXX.				Idem.	190
	CCXXI.				Barones, ceterique Nobiles Siciliæ F. Rogerio S. S. A. Legato morem gerant.	190
	CCXXII.			10	Pro eodem negotio.	191
	CCXXIII.				Idem.	191
	CCXXIV.				Idem.	191
	CCXXV.				Idem.	191
	CCXXVI.			13	F. Aiebrandino, pro Vulterano Episcopo.	191
	CCXXVII.		Junii	13	FF. Petrum Veronensem, & Vivianum Bergomensem, Cremonam in hæreticos mittit.	192
	CCXXVIII.			16	Priori Mantuano in Ezelinum.	193
	CCXXIX.			17	Provincialis Provinciæ Fidei Censores constituat in Comitatibus Pictavien.. & Tolosano.	194
	CCXXX.			21	F. Stephano, ut cum Prælatis ac Procuratoribus Comitis Gallo- Provinciæ de pace agat.	195
	CCXXXI.			25	Confirmatio transactionis Prædicatores inter & Fratres Humiliatos initæ.	195
	CCXXXII.		Julii	15	F. Henrico Episcopo Culmensi, ut Ecclesiæ Lithovviæ Præpositi in Decimis percipiendis maximæ sint prudentiæ.	197
	CCXXXIII.			17	Eidem, ut Mindovvin Lithovviæ Regem inauguret.	197
	CCXXXIV.				Eidem pro Episcopo præficiendo Ecclesiæ Lithovviæ.	198
	CCXXXV,			27	Cardinali Hugoni, S. S. A. Legato, ut ab impedimento matrimonii nonnullos solvat.	198
	CCXXXVI.			28	Idem.	198
	CCXXXVII,		Augusti	23	Indulgentia pro Cœnobio S. Adalberti Vvratislavien.	199
	CCXXXVIII.		Septemb.	13	Tertiarias Mediolanenses immunes reddit ab Interdicto generali.	199
	CCXXXIX.			27	Provinciali Lombardiæ in hæreticos.	199
	CCXL.		Octobris	17	Fratres Prædicatores Constitutione in exemptos edita ab Innocentio IV conveniri non possunt coram propriis Episcopis.	200
	CCXLI.				Indulgentiam elargitur visitantibus Ædes sacras Bononienses, quas se dedicasse testatur.	200
	CCXLII.		Novemb.	15	In Rectorem Ecclesiæ S. Johannis de S. Quintino, pro fratribus Ordinis.	201
	CCXLIII.				In Canonicos Ecclesiæ S. Petrinæ de S. Quintino.	202
	CCXLIV.			29	F. Alfero Alben. pro Albensibus, & Astensibus a censuris absolvendis.	203
	CCXLV.	1252	Januarii	16	Indulgentia pro Cœnobio Vvratislaviensi.	203
	CCXLVI.		Februarii	7	Confirmat electionem F. Rogerii de Leontino Melphiensis Episcopi.	203
	CCXLVII.		Martii	15	F. Raymundo de Pennafort, & Ministro Minorum, ut in Episcopum Urgellensem quæstionem instituant.	204
	CCXLVIII.		Aprilis	10	Ne Fratres molestiis afficiantur.	204
	CCXLIX.			17	Idem.	205
	CCL.			27	In hæreticos.	205
	CCLI.		Maii	10	Firmat electionem F. Henrici Filangerii Archiepiscopi Barensis.	205
	CCLII.			11	Moniales S. Dominici de Imola sint sub cura Provincialis Lombardiæ.	206
	CCLIII.				Idem.	207
	CCLIV.				In hæreticos.	208
	CCLV.			13	In eosdem.	208
	CCLVI.			14	Idem.	208
	CCLVII.			15	Leges in eosdem, ipsorumque conscios latæ.	209
	CCLVIII.				Consolatorium Diploma de Martyrio Fratrum Petri, & Dominici.	212
	CCLIX.			28	Provinciali Lombardiæ in hæreticos.	213
	CCLX.		....	..	Nobiles, & Magistratus manum auxiliarem præbeant Fidei Censoribus.	213
	CCLXI.		Junii	13	Non obstantibus mendis, quæ irrepserunt in quædam Diplomata, valeant in hæreticos.	214

Car-

INNOCENTIUS IV.

In

ALEXANDER IV.

Ma-

ALEXANDER IV.

Eccle-

ALEXANDER IV.

Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina
CLX.	1257	Junii	13	Ecclesiam S. Juliani de Bromconcedit Sororibus Prulianis.	340
CLXI.			21	Ne fratres coram propriis Episcopis conveniri possint ex Constitutione Innocentii IV.	340
CLXII.				Ut Arelatenses Fratres quingentas libras Turonenses possint accipere ex pecuniis illis restituendis, quibus ignoti fraudati sunt.	340
CLXIII.		Julii	7	Antiquat sententiam ab Archiepiscopo Arelatensi in Fratres latam.	341
CLXIV.				Idem.	341
CLXV.			11	Fratribus Salmanticensibus centum marcas argenti statuit de legatis, vel restituendis pecuniis.	342
CLXVI.			14	Parisiensis Episcopus publicet, & observandum curet quicquid de Studio Parisiensi sancitum fuit.	342
CLXVII.			15	Ne quis ex pecuniis, ceterisque Ordini Prædicatorum legatis, exigat portionem.	343
CLXVIII.			17	Fratribus Zamoren. centum marcas argenti assignat.	344
CLXIX.			20	Sententias in Fratres latas, aut ferendas, rescindit.	344
CLXX.				Indulgentia pro Monasterio Madriten.	345
CLXXI.			31	In perturbatores Parisiensis Studii.	345
CLXXII.		Augusti	1	Indulgentia pro Cœnobio Santaranen. construendo.	346
CLXXIII.			9	Guillelmum de Sancto-amore prolicit in exilium.	346
CLXXIV.			11	Ne Guillelmus ille, rogatu Regis Christianissimi in exilium pulsus, restituatur.	346
CLXXV.			17	Ut Provincialis Franciæ veniat in possessionem Compendiensis Cœnobii.	347
CLXXVI.			18	Sepultura cunctis est libera in Cœmeterio Cœnobii Palentini.	347
CLXXVII.			23	Ut Segoviensis Episcopus juvet Fratres Segovien. in Ædibus Sacris reficiendis.	348
CLXXVIII.		Septemb.	1	In Guillelmum de Sancto-amore.	348
CLXXIX.			20	Fratres Prædicatores possint Ordines a quovis Episcopo ita suscipere, ut nec Episcopi periculum initiandorum faciant in literis, nec Episcopis Fratres se obligent.	349
CLXXX.			24	In Guillelmum de Sancto-amore.	349
CLXXXI.			27	Rogatu Fratrum Prædicatorum Magistros, ac Scholares Parisienses a censuris absolvit.	350
CLXXXII.				Votis solemnibus, licet nuncupatis nondum expleto tirocinii anno, mulierem quandam obstringi declarat.	350
CLXXXIII.		Octobris	..	Ut Prior Aberdonen. de quadam lite decernat.	351
CLXXXIV.			2	Parisiensis Episcopus præcepta, quæ servanda sponponderant Otto de Duaco, & Christianus Canonicus Belvacensis, promulganda curet, & in ipsos, si fidem fallant, animadvertat.	352
CLXXXV.			5	Quævis domus Urbe-veteri construenda ducentis passibus distet a Cœnobio Fratrum Prædicatorum.	353
CLXXXVI.			13	In Guillelmum de Sancto-amore.	353
CLXXXVII.			15	De Sepultura libera in Cœmeterio Cœnobii Tranensis.	354
CLXXXVIII.			18	Quævis domus ædificanda distet ducentis passibus a Bononiensi Cœnobio.	354
CLXXXIX.		Novemb.	16	Munere Visitatoris, & cura Monialium levat Fratres Prædicatores.	354
CXC.			20	Domesticis suis Sacramenta ministrare, ipsosque sepulcris suis reddere possunt Fratres.	355
CXCI.		Decemb.	1	Fratres immunes reddit ab interdicto generali.	355
CXCII.			8	Vigilia, ambobus Festis, & per octavas S.P. Dominici, tempore generalis interdicti possunt omnes in Ædibus Sacris Bononiensis Cœnobii celebrare solemniter.	355
CXCIII.			10	Facultas concessa Tolosanis Inquisitoribus.	356
CXCIV.			15	Fidei Censoribus, sociis, ac notariis eorundem Indulgentiam elargitur.	356
CXCV.			18	Statuta, quibus intercessum est auctoritati fidei censorum rescindit.	357
CXCVI.	1258	Januarii	8	Prior, vel ipsius Vicarius Sorores Prulianas a censuris absolvere potest.	357
CXCVII.		Februarii	13	Provincialis Hispaniæ Fratres ad quascunque nationes infidelium mittat.	358

No

ALEXANDER IV.

ALEXANDER IV.

Constitutio.	Annus.	Mensis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
				mum fore.	375
CCXL.	1259	Junii	20	Ne Parisienses usum ullius rei cum Guillelmo de Sancto amore consocient.	375
CCXLI.			24	Nonnullorum Parisiensium Doctorum erga FF. Prædicatores & Minores merita laudat.	376
CCXLII.			26	Episcopus Parisiensis quæ de Studio Parisiensi sancita sunt, servanda curet: Diploma FF. Prædicatores & Minores illustri laude celebrans indicet in vulgus, & in Guillotum quendam animadvertat.	376
CCXLIII.		Julii	11	In Guillelmum de Sancto-amore.	377
CCXLIV.			15	In turbatores Parisiensis Studii.	378
CCXLV.			25	In Guillelmum de Sancto-amore.	379
CCXLVI.		Octobris	10	Ne Fratres Prædicatores censuris afficiantur.	379
CCXLVII.			14	Idem.	379
CCXLVIII.			15	Ne Fratres Ordinis Eremitarum S. P. Augustini vestes nostris consimiles induant.	380
CCXLIX.			24	Prior Pictaviensis antiquet ea, quæ Canonici S. Juliani Lemovicensis sanxerunt.	380
CCL.			26	Sorores Prulianæ a decimis solvendis liberæ.	381
CCLI.		Novemb.	8	Sorores Monasterii S. Felicis de Vada conveniri non possunt ex Literis Apostolicis, quæ de hoc privilegio mentionem non faciunt.	381
CCLII.			20	Monasterium Santaranense S. Sedis præsidio munit.	381
CCLIII.			30	Leges in hæreticos.	382
CCLIV.		Decemb.	5	Cura Monialium, aliisque, FF. Prædicatores levat.	385
CCLV.			13	Sorores Santaranen. ab interdicto generali immunes.	385
CCLVI.				In Palavicinum, ipsiusque fautores.	386
CCLVII.	1260	Januarii	5	F. Albertus Episcopus Ratisponensis creatur.	387
CCLVIII.				Idem.	387
CCLIX.			10	In hæreticos.	387
CCLX.			13	Qui juramento, vel voto deditus alteri, in Ordine nostro vota solemnia nuncupavit, istius sit.	389
CCLXI.			21	In Stephanum Consanonerium de interfectione S. Petri Martyris, & hæresi damnatum.	389
CCLXII.			30	Indulgentia pro Cœnobio Rotomagensi.	390
CCLXIII.		Martii	6	Ne Fratres Censuris innodentur.	390
CCLXIV.			25	Sepultura cunctis est libera in Cœmeterio Cœnobii Pisani.	391
CCLXV.		Aprilis	25	In hæreticos.	391
CCLXVI.			30	Relapsis hæreticis, dolore tactis, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta concedit, cum civili Magistratui puniendi traduntur.	391
CCLXVII.				Episcopus Legionensis irritas faciat excommunicationis sententias in Fratres, eorumque causa, latas.	392
CCLXVIII.		Maii	4	Sodales Consociationis B. Mariæ Virginis, & Scholæ Fidelium Mediolanen. ab interdicto generali solvuntur.	392
CCLXIX.			15	Sorores de Vulmental ad perseverantiam cohortatur.	393
CCLXX.				Indulgentia pro Cœnobio Barchinonensi.	393
CCLXXI.			28	Declarat, accedentes ad judicem excommunicatum quo pœnis mulctet hæreticos, excommunicationem non subiisse.	393
CCLXXII.				Qui vocati, vadimonium deseruere, si sint suspecti hæreseos, de hæresi damnentur.	394
CCLXXIII.			30	Excommunicatis, & hæreseos consciis dictio testimonii sit in hæreticos.	394
CCLXXIV.		Julii	5	Raynerio Viterbiensi, pro Fratribus Urbevetanis.	395
CCLXXV.			15	De Fidei præconibus a F. Raymundo ad infideles mittendis.	395
CCLXXVI.		Octobris	7	Indulgentia pro Fidei Censoribus, eorumque Notariis.	395
CCLXXVII.			9	In hæreticos.	396
CCLXXVIII.			21	Quævis ædificanda domus trecentis cannis distet a Cœnobio FF. Placentin.	396
CCLXXIX.			15	Facultas Inquisitoribus concessa.	396
CCLXXX.		Novemb.	17	Priori S. Martini de Guasolongo, & Præposito Ecclesiæ de Casulis pro Fratribus Pisanis.	397
CCLXXXI.			27	Se subducentes, vel ejecti ex Ordine, nec docere, nec prædicare, nec Confessiones excipere possunt.	398

Ne

Prio-

Finis Indicis Chronologici Primi Tomi.

IN-

INDEX ALPHABETICUS

Diplomatum hujus Primi Voluminis.

INDEX RERUM REPERIEN. EST TOMO ULTIMO.

Cum

Dile-

E

F

Fra-

Ordi-

Qui

Sua

M E N D A

Quæ hoc in Primum Volumen irrepserunt.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
69.	54.	reticos	hæreticos
255.	ultima.	*Domenicani*	*Dominicani.*
272.	27.	*Franciscum Bosquetum*	Anonymum
375.	4.	tractatatus	tractatus

